

# PRAXIS

# CONFESSARIORUM

SEU

# UNIVERSAE THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS

## TRACTATUS THEORICUS-PRACTICUS

AUCTORE

**AEMILIO BERARDI PAROCHO**

ET EXAMINATORE PRO-SYNODALI

ALMA COLLEGE LIBRARY ST. JOSEPH SEMINARY SAN JOSE, CAL. Alma, California

FAVENTIAE

EX TYPOGRAPHIA NOVELLI

AN. MDCCCLXXXIV.

ALMA COLLEGE 239.02 LIBRARY B451 Alma, California

4844

Ad ius proprietatis sibi reservandum.
Auctor legi satisfecit.

# APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D.

# IOSEPHI MAGNANI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS

CANONICI POENITENTIARII

ET VICARII CAPITULARIS DIOECESIS FAVENTINAE

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

Cum opus, cui titulus *Praxis Confessariorum, seu universae Theologiae moralis et pastoralis tractatus theoricus-practicus* a cl. Auctore Aemilio Berardi Parocho atque Examinatore Pro-synodali huius Dioecesis nuper elucubratum attente perlegerim, animoque eximia eius merita revolverim, ipsum in lucem edi lubentissime assentior, enixeque commendo omnibus; praesertim vero Animarum Rectoribus, Confessariis ac etiam Theologiae Moralis et Pastoralis Magistris, pro certo habens, idem non exiguae utilitatis illis esse adfuturum.

*Datum Faventiae a Vicariatu Capitulari*
*die* 20 *Maii* 1884.

IOSEPH CAN.$^{cus}$ MAGNANI
VICARIUS CAPITULARIS.

## MONITUM.

Antequam opus istud legatur, ea, quae a pag. 1185 usque ad pag. 1211 exponuntur, expedit ut inspiciantur.

# Introductio.

1. Inaestimabilia sunt bona, quae a recta Sacramenti Poenitentiae administratione oriuntur. Quid enim populo christiano salubrius? Quid Deo acceptius? Quid Confessariis ipsis utilius? Felices populi qui bonos habent Confessarios! Ipsorum ope quot iuvenes praeservantur, quot puellae illibatae manent, quot peccatores convertuntur, quot animae salvantur! Si alicubi morum bonitas, Sacramentorum frequentia, singularis pietas conspiciuntur, profecto haec omnia, saltem magna ex parte, zelo bonorum Confessariorum, qui illic sunt, attribui debent. S. Pius V dicebat: « Habeantur idonei Confessarii; ecce omnium « Christianorum omnimoda reformatio ». Quantum autem id Deo acceptum esse debeat, patet quia Ipse nihil desiderat magis quam salutem et sanctificationem animarum; pro his enim in cruce sanguinem fudit. Christus Dominus nullum aliud signum amoris petiit a Petro, nisi ut animarum saluti attenderet; ei enim (Io. 21) dixit: « Simon Ioannis, diligis me? Pasce agnos meos..., « pasce agnos meos..., pasce oves meas ». Quae verba declarans Chrysosthomus inquit: « Nullum enim officium hoc Deo carius ». Quod demum ministerium istud sit Confessariis ipsis utilissimum, patet ex magno merito, quod sibi comparare possunt; agitur enim de officio omnia spiritualis misericordiae opera continente, quod non levem exigit laborem, et continuis subiicitur incommodis fastidiisque; et quidem sine ullo, ne honoris quidem, emolumento. Quomodo Deus sinet perire eos, qui cum recta intentione pro animarum salute adeo laborarunt? Ipse dixit: « Qui ad iustitiam erudiunt plurimos fulgebunt quasi stellae in « perpetuas aeternitates ».

2. Placeant bona ista Sacerdotibus fratribus meis, omnemque habeant zelum, ut ad hoc ministerium incumbant, illisque dotibus se exornent, quae ad eadem bona consequenda exiguntur. Heu quanta bonorum Confessariorum necessitas adest! In plurimis locis fideles non inveniunt Sacerdotem, qui illorum confessiones audire velit, et vix in Paschate confiteri possunt. In aliis locis multi quidem Confessarii praesto sunt; sed heu quot sunt de illis, qui (ut verbis utar Benedicti XIV in Bulla *Apostolica*) « nulla tacti sollicitudine poenitentes audiunt, non « monent, non interrogant; sed, explicata criminum enume- « ratione, absolutionis formam illico proferunt ». Confessarii huiusce generis quid prosunt? Efficiuntne ut fideles meliores evadant? Nonne potius sunt in causa, cur maiori tranquillitate in vitiis tabescant? S. Gregorius VII scribere non dubitavit (L. 7. Ep. 10): « Ex imperitia et negligentia Sacerdotum, quasi « ex pestifera radice, innumera mala exorta sunt ». Haec bonorum Confessariorum necessitas adhuc magis manifesta appareret, si considerentur tempora miserrima in quibus versamur. Iam magna pars populi (apud nos) in civitatibus et oppidis religionem dereliquit; iamque mulieres dumtaxat et paucissimi viri catholico cultui adhuc adhaerent. Quid itaque si etiam pars ista, quae adhuc fidelis remanet, quaeque sola potest (sicut olim in Gallia) a totali exterminio religionem praeservare; quid, inquam, si etiam pars ista negligatur, et contra tentationes, quibus undique impetitur, non confortetur? Si ergo semper, hodie speciatim operositatis, sollicitudinis, benignitatis, zeli et prudentiae bonorum Confessariorum summa necessitas adest.

3. Ut ego ad bonum adeo fructuosum et necessarium pro meis viribus aliquo modo concurrerem, hunc de *Praxi Confessariorum* tractatum componere statui. Multi mihi dixerunt, ut cursum Theologiae moralis conficerem; sed hoc consilium sequi nolui, et potius tractatum istum elegi. Rationes autem fuerunt sequentes.

Prima: quia utiles sunt quidem cursus theologici; sed non minus, imo plus, tractatus practici. Id enim, de quo maior

adest necessitas, non est ut Confessarii optime calleant quaestiones prope infinitas, quae in scholis agitantur (v. g., de censuris, de irregularitatibus, de Baptismo, de Confirmatione, de Extrema Unctione, de Ordine Sacro, de modis acquirendi dominium, de accessione, de servitute, de hypotheca, de cambiis, de censibus, de feudo, de enfiteusi etc. etc.); bene vero ut, sufficienter edocti circa casus communiores, optime calleant artem, qua peccatores convertantur, poenitentes non satis dispositi disponantur, fragiles a relapsu praeserventur, tepidi ad fervorem et ferventes ad perfectionem adducantur. Porro in arte ista (quae iure optimo semper appellata fuit ars artium, et quae, ut feliciter effectum suum sortiatur, non modo magnum zelum, sed etiam innumeras cautelas et advertentias exigit) *praxis Confessariorum* consistit. Huius necessitas confirmatur exemplo medicinae. Leges exigunt, ut iuvenes medici, antequam expeditam aegrotos curandi licentiam obtineant, non solum theorias in scholis didicerint; sed etiam exercitio practico in hospitalibus sub peritissimorum medicorum directione per plures annos vacaverint. Id autem iustissime cautum est; si enim iuvenes medici cum solis theoriis artem exercerent, heu quot errores committerent et quot aegrotos occiderent!

Altera ratio fuit, quia de theoriis iam abunde agitur in scholis et in libris innumeris; sed de praxi in scholis perparum agi solet; libri autem, qui de praxi agant, in numero valde minori sunt. Adde quod de praxi fere nullum opus modernum (si aliqua brevissima compendia italico idiomate exarata excipias) habemus; in antiquioribus autem, attentis novis legibus, novis decretis, novisque circumstantiis, plura vel deficiunt omnino vel non amplius conveniunt.

His itaque rationibus ductus manum operi admoveo. Praecipue Sacerdotibus iuvenibus hic tractatus deserviet; maxime vero illis qui vel studia theologica perficere non potuerunt, vel acutiori ingenio minime pollent. Hinc compendium doctrinarum, quae magis in praxi necessariae sunt, in tractatu ipso inseram, et stylo facillimo et simplicissimo semper utar. Mo-

neo tamen ne una dumtaxat vice et cursim, sed pluries atque attente illum legant. Confessariis autem provectis inutilis non erit; tum quia doctrinas magis necessarias, quamvis aliis vicibus auditas, in mentem revocare bonum semper erit; tum quia aliquid hic forsan invenire poterunt, quod prius minime audierint (non iam quatenus novitates promere velim, sed quatenus plurimos consuluerim Auctores et quidquid boni et optimi quasi apis ex illis sugere potui in unum hic colligere sategerim); tum denique quia illorum casuum, qui in his nostris miserrimis temporibus in angustias coniicere solent, solutionem, quam ego dandam esse existimo, hic reperient.

4. Dotes quae in Confessariis magis exiguntur sunt scientia et bonitas. Hinc divido Tractatum in duas partes; et in prima de scientia, in secunda de bonitate agam.

Tria moneo. 1° Acturus de scientia et bonitate Confessarii, de prudentia etiam, quae adeo necessaria est, locis opportunis verba faciam. 2° In singulorum casuum resolutione, si forte plures adsint opiniones, ad evitandam in mente lectoris confusionem, unam eligam; illam scilicet quae in theoria magis fundata et in praxi magis apta mihi videbitur; in casibus tamen gravioris momenti contrariam etiam opinionem indicare non omittam. Rationes autem (ubi opus erit) breviter exponam, ut Confessarii de doctrinis expositis bene persuasi illas melius in memoria retineant, atque etiam ad casus similes applicare possint. 3° Quando agam de statibus particularibus, obligationes Pastorum animarum cum convenienti amplitudine exponam; et tali modo hic liber continebit non solum praxim Confessariorum, sed *cursum Theologiae pastoralis*, de qua (quum sine dubio sit primae necessitatis) summopere optandum, ut in omnibus Seminariis, ad exemplum multarum Austriaci Imperii Dioecesum, tradi incipiat.

# PARS I.

## DE SCIENTIA CONFESSARII.



## SECTIO I.

### DE NECESSITATE SCIENTIAE.

5. Scientia necessaria est 1° quia agitur de re difficili. Quoad alia Sacramenta, si formula sciatur, id quasi sufficit; sed in Sacramento Poenitentiae Sacerdos tria officia valde difficilia exercere debet. Ipse est iudex, medicus et doctor. Ergo leges divinas et ecclesiasticas probe cognoscere debet. Poenitentes cuiuscumque generis ad eum accedere possunt, nempe pauperes et divites, saeculares et ecclesiastici, subditi et superiores, coelibes et coniugati, milites, mercatores, magistratus etc.; et Confessarius speciales horum omnium obligationes scire tenetur. Casus difficiles, speciatim tempore Paschatis, non sunt rari sed frequentes. Illorum decisio nequit tunc consultatione comparari; in promptu haberi debet. Neque difficultas ad iudicandum de obligationibus restringitur; sed oportet insuper ut tum de dispositionibus internis, tum de remediis malis internis assignandis prompte et accurate iudicet. Numquid haec omnia facilia erunt? « Quis nescit (dicebat S. Gregorius Magnus) occultiora « esse vulnera cordium quam corporum » ? Adde difficultates quae cum rudibus, scrupulosis, verecundis etc. occurrunt. Adde consilia danda personis quae in via perfectionis dirigi petunt Adde demum casus difficillimos et nihilominus frequentissimos occasionariorum, habituatorum, habentium odia, habentium onera restitutionum, et multo magis illorum qui ex una parte duritie cordis laborant et ex alia parte in maximo aeternae damnationis periculo versantur.

Scientia necessaria est 2° quia agitur de re maximi momenti. Porro Confessarius tueri debet iura Dei; unde dici potest cum Rege Iosaphat: « Videte quid faciatis, non enim hominis e- « xercetis iudicium, sed Domini ». Agitur insuper de salute non corporum sed animarum; ut scilicet fratres nostri ab aeterna

damnatione eripiantur, et in aeternum salventur. Rectissime scripsit Rev.mus Trucchi: « In huius Sacramenti administratione « errare valde facile et simul quam maxime perniciosum est ».

Scientia necessaria est 3° quia Sacerdos ea destitutus, et nihilominus Confessarii officium exercens, magno apud Deum peccato reum se redderet. Porro si iudex aut medicus corporalis gravi culpa se coinquinaret si absque scientia sufficienti officium exerceret; quanto magis iudex et medicus spiritualis? « Vae vobis duces caeci » dixit Christus Dominus (Matt. 23). Hinc S. Ligorius (Prax. n. 18) dicere non dubitavit: « Affirmo « in statu damnationis esse eum Confessarium, qui sine suffi- « cienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit ».

6. Aliqui se illudunt dicentes: = Episcopus me approbavit; ergo de scientia sufficienti certus esse possum =. Dixi *se illudunt;* nonne enim de facili contingere potest, quod aliquis satis adaequatas interrogationibus sibi in examine factis responsiones dederit; et nihilominus in multis aliis, quae omnino scitu necessaria sunt, ignorantia magna laboret? Si autem id revera alicui acciderit, quomodo scientiam sufficientem habebit? Nunquid approbatio infundet scientiam? Nunquid dabit oculos caecis? Dixit S. Ligorius (l. c.): « Nec excusabit eum Episcopi approbatio, « si manifeste se noverit inhabilem: approbatio enim non infundit « scientiam necessariam, sed supponit », seu praesumit; praesumptio autem veritati cedere debet. Excipiendus est tamen casus necessitatis, et speciatim si Episcopus minus sufficientem subiecti scientiam iam noverit, et nihilominus audiendarum confessionum officium illi assignaverit, eo quod propter Sacerdotum penuriam alicui populo meliori modo providere minime potuerit; « melius est enim (dixit Lugo d. 21. n. 74) quod habeant Con- « fessarium indoctum in tali necessitate, quam quod omni re- « medio destituantur ». In tali tamen eventu Sacerdos posset quidem Confessiones audire, sed gravem haberet obligationem addiscendi, ut idem Lugo (l. c.) et S. Ligorius (L. 3. n. 628) sedulo notant.

7. Aliquis potest insuper se illudere dicendo: = Ego iam mea studia theologica perfeci; id itaque satis esse debet =. Quot Sacerdotes studia perfecerunt, sed sine attentione, sine assiduitate, sine profectu! Quot circa plurimas regulas practicas, quae sunt adeo necessariae, nullo modo edocti fuerunt! Quot demum in iuventute quidem ad studia incubuerunt; sed postea fere quidquid didicerunt obliti sunt! Profecto quid prodest si olim didiceris, dum quae didicisti hodie ignoras?

8. Aliqui dicunt etiam : — Sufficit scire principia generalia moralitatis ; et unusquisque suo proprio sensu ex illis deducere poterit, quomodo casus particulares resolvendi sint —. Stultissima illusio haec est. Insudarunt Suarez, Lugo, Sanchez aliique acerrimi ingenii viri, ut casuum particularium veras resolutiones invenirent, eo quod in plurimis punctis, propter multarum circumstantiarum complicationem, veritatem invenire difficillimum sit. Nunquid ergo unusquisque suo proprio sensu statim et ex abrupto quomodo decidendum sit cognoscet? Praeterea non raro a positiva Legum notitia casuum resolutiones pendent. Tunc autem principia generalia moralitatis ad quid deservient?

9. Alii demum dicunt : — Ad quid scientia? Sufficit experientia —. Sed hic quoque magnus error est. Quid prodest experientia ut decidatur, v. g., an haec actio sit licita vel illicita, an in tali casu obligatio restitutionis adsit vel non adsit, an tale peccatum sit vel non sit reservatum etc.? In iis itaque quae sunt de iure, experientia nihil valet. Sed et in iis, quae pertinent ad meram poenitentis directionem, experientia sine praevia scientia ut plurimum nihil aliud est nisi longa et perpetua errandi consuetudo. Si autem interdum experientia efficeret, ut tandem aliqua bona regula dignoscatur, nonne haec nimio pretio staret; pretio scilicet multorum errorum, iuxta proverbium *errando discitur?* Rectissime scripsit Gury (n. 669) : « Experientia non « potest scientiam supplere, sed solum eam iuvare ; ubi autem « scientiae praesidio destituatur, in errores plurimos eosque « gravissimos temerarium Confessarium impellet ». Hac illusione speciatim nos senes laborare solemus ; et hoc in puncto digna est ut referatur sequens Habertii sententia : « Peior est senis « experientiâ suâ freti, quam iuvenis adhuc imperiti conditio : « in isto enim satis est ut seratur; in illo evellendi vepres, et « removenda tumidae fiduciae obstacula » (De oblig. Conf. Append. ad p. 1).

10. Scientia quanta esse debet? R. Quamvis non exigatur in gradu eminenti (vae enim si magni Theologi dumtaxat confessiones audire possent!) ; nihilominus scientia sufficiens exigitur ; tanta scilicet ut Confessarius bene et prompte iudicare sciat in casibus frequentioribus, qui ei occurrere poterunt, iuxta conditionem poenitentium quos audire debebit. Secus enim saepe saepius in tricis versaretur, et proinde deberet vel passim temere et quasi divinando se resolvere, et sic multos errores committere ; vel nimis frequenter iudicium suspendere, et sine absolu-

tione poenitentes dimittere. Hinc Theologi statuunt illam celebrem regulam : = Confessarius sciat de frequentibus iudicare, et de aliis dubitare, ut libros vel peritiores consulat = ( Vide S. Lig. L. 6. n. 627. et Lugo d. 21. n. 70 ). Dixi *iuxta conditionem poenitentium quos audire debebit ;* alii enim casus occurrere solent ruri et infra annum : alii vero in magnis civitatibus et speciatim tempore paschali vel occasione missionis, quibus in circumstantiis magni peccatores et personae cuiuslibet generis cum casibus diversissimis turmatim accedunt ; unde tunc maior scientia necessaria est.

11. Haec scientia coniungi debet cum prudentia, quae magna, imo maxima esse debet. Rituale dicit : « Quantum potest « maximam scientiam et prudentiam ( Confessarius ) studeat sibi « comparare ». Sane quid iuvat scientia, imo quid iuvat ipsa sanctitas, si prudentia desit ? Si Confessarius praecipitanter procedat, si casum poenitentis probe non consideret, si circumstantias non examinet, si consequentias non praevideat, si uno verbo absque prudentia se gerat, nonne innumeros committet errores ? Prudentia in omnibus, nempe in officio iudicis, in officio medici, in officio doctoris, et tam cum viris quam cum foeminis necessaria est. Nonne saepe saepius instructio inopportuna ( dum poenitens erat in bona fide ), correctio paullo durior, interrogatio non satis cauta, poenitentia gravior vel incongrua, denegatio absolutionis inconsulta, et quandoque unum verbum imprudens sufficiunt, ut poenitens in ruinam coniiciatur ? Adde quod imprudentiae non raro reddunt odiosum Confessarium ; imo interdum sacrum ministerium in dicteriorum et scandali materiam convertunt. Adde demum quod imprudentiae Confessario ipsi valde damnosae esse possunt.

# SECTIO II.

## DE SCIENTIA REMOTA, NEMPE DE IIS QUAE CIRCA LEGES ET PECCATA NECESSARIO SCIRI DEBENT

## CAPUT I.

### EXPONUNTUR NONNULLA PRINCIPIA GENERALIA

### ARTICULUS I.

#### PRINCIPIA GENERALIA DE LEGIBUS

12. I. *Leges obligant imprimis ad cognitionem sui;* non quod quisquis Christifidelis quaslibet leges ad modum iurisperiti cognoscere teneatur; sed quatenus omnes sufficientem earum legum, quae ad illos spectant, cognitionem habere teneantur; quam si non haberent, in continuo illas transgrediendi periculo versarentur. Hinc unusquisque, adepto rationis usu, mandata Dei et Ecclesiae addiscere debet; illi autem, qui statum particularem (v. g. Sacerdotii, Matrimonii etc.) suscipiunt, obligationes eiusdem status proprias cognoscere tenentur.

II. *Datur lex non operandi cum dubio practico de liceitate actionis;* ille enim, qui sic ageret, intra se diceret: = Sive sit licitum sive sit illicitum, sive non offendam sive offendam Deum, id facere volo =. Dispositio huiusmodi, uti patet, mala est. Oportet itaque ut unusquisque, suborto dubio an aliquid sit practice illicitum, ab agendo abstineat, et prius dictamen certum sibi efformet, vi cuius de actionis suae liceitate non amplius dubitet.

III. *Dictamen de actionis liceitate (nisi ignorantia et bona fides excuset) logicum et legitimum esse debet.* Ut autem tale sit, oportet ut ille, qui dubitat, tempestive inquisitiones faciat convenientes. Dices; inquisitiones istae consistere solent in hoc quod rudes Confessarium, Confessarii autem Auctorem probatum consulant; sed dictum unius Confessarii, et sententia unius Auctoris probati probabilitatem quidem, non vero (nisi aliud principium superaddatur) logicam certitudinem fundare possunt, nimis enim frequenter accidit, quod, si alius Confes-

sarius aut alius Auctor consuleretur, contraria sententia inveniretur. Respondeo. Ita est reapse. Sed si, discretis factis inquisitionibus, probabile appareat, actionem esse licitam, haec probabilitas sufficit ut pro certo habeatur, quod, quamvis error intervenire possit, tamen nullus reatus apud Deum incurritur. Ratio est quia aliud principium superadditur. et est quod, si neque inquisitiones factae, neque probabilitas inventa, ad licite operandum adhuc sufficerent, et si certitudo absoluta per argumenta directa exigeretur; tunc Lex Divina non *iugum suave et onus leve*, sed verum et intolerabile tormentum esset; quum enim res morales infinitis dubiis subiaceant, vel passim ab agendo abstinere deberemus, vel inquisitionibus vix unquam finem imponere possemus; ex praxi enim patet, quod inquisitiones quanto magis multiplicantur tanto magis dubia non iam destruunt sed confirmant. Uno verbo: Deus homines in particulari excusatos habet, quamvis agant contra legem, si post discretas inquisitiones se esse a lege liberos probabiliter existiment. In hac existimatione errare possunt; sed hic error, dum ex una parte eos excusat, ex alia parte neque legem (si forte adsit) destruit, neque aliorum iura (si quae forte subsistant) extinguit, neque impedit quominus Confessarii opinionem probabiliorem aut etiam certitudinem de legis existentia habere possint, illamque poenitentibus ignaris aut dubiosis patefacere queant. — Observa hic per transennam quod haec (communi caeteroquin sensu admissa) stare non possunt cum principio hodie adeo vulgato ∴ Lex dubia non obligat; nempe Lex dubia, lex nulla ∴. Credo redeundum esse ad principium antiquorum: ∴ Qui probabiliter agit prudenter agit, quatenus, si forte erret, a Deo excusatur ∴. Hoc principium mihi magis placet non solum quia est solidissimum et absurdis consequentiis minime subiectum; sed etiam quia valde latius patet, et longe melius Confessariis in praxi deservit. *

* Principium *Lex dubia lex nulla* ducit ad absurda. Titius, v. g., credens incendere domum Sempronii, incendit domum Caii. Si dicas legem reparationis damnorum heic esse dubiam et proinde nullam; iam dicere debebis esse certum quod Titius nullam erga Caium obligationem habet. Sed tunc esset quoque certum quod Caius nullum omnino haberet ius contra Titium, et quod proinde nec quidquam (propter domus suae incendium) ab eo repetere, nec ullam contra eum litem movere posset. Sed id stare nequit.

Hoc ipsum principium in praxi Christifidelibus minus deserviret. Nonne enim viri etiam doctissimi (maxime quando res urget et tempus consulendi Auctores minime adest) errare possunt credendo legem esse dubiam, dum e contra certa est? Quanto facilius in hoc errare possunt Sacerdotes parum docti,

13. Duo tamen hoc in puncto sunt sedulo notanda. Primum est quod ad licite operandum non sufficit probabilitas ita levis et tenuis, ut quasi certum sit rem esse illicitam. Id patet quia ex una parte infinitis inordinationibus aditus aperiretur; et ex alia parte nulla adest necessitas, ut tanta et adeo ruinosa libertas hominibus concedatur. Alterum est quod probabilitas *iuris* cum mera probabilitate *facti* confundi non debet. Probabilitas *iuris* contingit quando probabile est aliquid esse licitum, et haec semper sequi potest absque ulla exceptione. Mera autem probabilitas *facti* contingit, quando probabile quidem est, talem vel talem rem tali vel tali modo se habere; sed ita ut circa licitum quaevis probabilitas desit. Sic, v. g., probabile est quod aqua ex sale soluto sit materia valida Baptismi; sed non est probabile quod (secluso casu necessitatis) eandem aquam in Baptismo adhibere liceat. Alia exempla dantur tum in venatore, qui probabiliter quidem existimet, id quod occidere vult hominem non esse, attamen de hoc dubitet; tum in medico, qui medicinam probabiliter profuturam suppeditet, dum certe profuturam suppeditare posset; tum in iudice, qui potius habenti rationes probabiles, quam habenti rationes probabiliores faveat; tum denique in haeretico, qui erronee credat se posse probabiliter in sua secta salutem aeternam consequi, attamen cognoscat quod, si ad Catholicos transiret in tuto se collocaret. Isti possunt quidem habere probabilitatem *de facto*, sed logicam probabilitatem *de licito* habere nequeunt; unde huiusmodi probabilitates ad legitimum circa actionis honestatem dictamen efformandum deservire non possunt. Imo his in casibus principia sive charitatis sive iustitiae clamarent, partem tutam esse o-

qui utique in magno numero sunt? Sic ergo Christifideles quomodo consilio, v. g., proprii Parochi, aut Capellani, aut Confessarii iure acquiescerent? Enimvero ex eorum consilio non certitudinem de dubio legis sed solam probabilitatem ordinarie habere possent. Adde quod dubia magis frequentia non sunt *iuris* sed *facti*; v. g., an hodie sit vigilia de praecepto, an in hac vigilia usus adipis licitus sit etc. Sed in his dubium et obscuritas est in mente et non in lege; unde tunc principium *lex dubia lex nulla* ad quid deserviret?

Demum hoc principium Confessarios in tricas coniiceret; non enim amplius usus cuiuslibet opinionis probabilis licitus esset in praxi Tribunalis Poenitentiae; sed liceret dumtaxat uti opinionibus benignis et libertati faventibus; unde Confessarii ipsis S. Ligorii opinionibus quae stant in legis favorem uti nequirent; et semper cavere deberent ne aliqua opinio, ut ut certe probabilis, aliam opinionem benignam et probabilem contra se habeat; secus enim obligationes, quae (iuxta hoc principium) certe non adessent, poenitentibus proponerent. Nonne autem sic administratio Sacramenti Poenitentiae in novam Confessariorum torturam verteretur?

mnino eligendam ; idque patet etiam tum ex quibusdam propositionibus damnatis, tum ex communissima sententia Theologorum, qui dicunt quod *in dubio facti*, quando agitur de materia Sacramentorum, aut de damno tertii, aut de iis quae sunt necessaria ad salutem aeternam, probabilitas sequi nequit et a parte tuta standum est. — Hoc tamen non impedit quominus in multis aliis casibus probabilitate *facti* uti possimus, quando scilicet nec rei gravitas nec quidquam aliud in contrarium clamet. Sic qui, inquisitionibus factis, credit probabiliter hodie non esse vigiliam, ieiunare non tenetur ; et Sacerdos, qui probabiliter existimat se horas canonicas iam recitasse, quietus remanere potest.

Hinc mihi videtur quod, circa usum probabilitatis in quotidiana Christifidelium praxi, sequèns statui possit propositio : *Christifideles in dubiis sive iuris sive facti inquisitiones discretas (nempe rei gravitati, gradui dubii, loco, tempori aliisque circumstantiis proportionatas) facere debent ; si autem, inquisitionibus peractis, se esse certe obligatos minime reperiant, tunc (nisi aliquid clamet standum esse a parte tuta) liberi remanent.* Id autem cohaeret doctrinae S. Ligorii, qui (morale systema Coroll. 1.) scripsit : « Quaelibet igitur actio « nobis permissa est, modo convicti aut moraliter certi non « simus illam contra bonos mores esse ». — Specialis tamen cautela necessaria est quando homo aliqua passione praeoccupatur ; passiones enim mentem excoecant, et tunc maxime dici debet : *nemo iudex in causa propria.* Vide D. Th. (1. 2. q. 9. a. 2 ).

IV° *Leges prohibent actiones malas non solum quatenus tales sint in se, sed etiam quatenus ex circumstantiis tales evadant.* Hae circumstantiae sunt multiplices, et exprimuntur in sequenti versiculo :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando ?

*Quis*, seu qualis sit agens ; v. g., an sit laicus vel Sacerdos, subditus vel Superior etc. ?

*Quid*, seu quales sint accidentales qualitates obiecti ; v. g., an res ablata sit sacra vel profana, magni vel parvi pretii etc. ?

*Ubi*, seu quonam in loco ; v. g., an loco sacro vel profano, an coram aliis cum scandalo etc. ?

*Quibus auxiliis*, seu quibusnam mediis ; v. g., an pater usus fuerit propriis filiis ad patrandum furtum ?

*Cur*, seu quo fine; v. g., an intemperanter coenaveris, ut pollutio sequatur?

*Quomodo*, v. g., an peccaveris cum contemptu legis aut Superioris? An peccaveris cum proximo periculo incidendi in graviora? An peccaveris cum affectu adhuc gravius inordinato? An imprecationes protuleris non ore dumtaxat, sed ex corde etc.?

*Quando*, seu quali vel quanto tempore; v. g., an choreas duxeris in Quadragesima? An tempore Missae de praecepto sine devotione steteris brevi vel longo tempore etc.?

Quoad circumstantiam *finis* notanda sunt sequentia.

1° Finis pravus, si sit ratio totalis actionis quatenus sine eo actio illa non poneretur, tunc actionem ipsam (etiam in se optimam) totaliter malam reddit, graviter tamen vel leviter iuxta gravem vel levem finis ipsius malitiam. Si autem finis pravus non sit ratio totalis actionis, quatenus etiam sine eo actio bona poneretur; tunc actionem ipsam partialiter tantum inficeret; unde illa partim bona et partim mala remaneret; sine ullo tamen merito supernaturali, si finis pravus formali peccato mortali inficeretur.

2° In praxi, quando excitata passione homo agit, saepe remanet obscurum, utrum bono vel malo fine agat. Porro id ex duabus coniecturis discerni poterit. I° Undenam primus impulsus provenerit; si enim a causa bona, v. g. ab honesta necessitate vel a convenientia, provenerit, et causa ista certe vel probabiliter adhuc perduret; tunc de intentione bene iudicandum erit, et dicendum: *nec propter te coepi, nec propter te desinam.* Secus vero si primus impulsus a passione provenerit, et postea finis honestus, ad modum praetextus et ad sibi fucum faciendum, expiscatus fuerit. II° An eadem vel aliae similes actiones, quamvis nulla passio adsit, eodem modo poni solcant; an vero e contra iudicari debeat quod actio ipsa, seclusa passione, non poneretur. S. Ignatius optimum dat consilium, ut nempe passionibus excitatis homo agere non incipiat. Id tamen cum mica salis intelligi debet; nempe nisi adsit obligatio, necessitas, aut convenientia statim agendi, maxime si agatur de scrupuloso aut de persona quae semper aut fere semper passiones excitatas habeat. In his enim casibus roboranda erit quidem voluntas, ut pravae intentioni vere et non illusorie renuntiet; sed, stante actionis convenientia, ab agendo abstinendum non erit.

V° *Leges prohibent non solum inordinationes directe intentas, sed saepe prohibent etiam inordinationes praevisas et non intentas.* Dico *saepe;* plures enim exceptiones et distinctiones

hoc in puncto fieri debent, ut suis locis (v. g. ubi agam de abortu, de scandalo, de cooperatione, de pollutione etc.) explicabo.

VI° *Leges non possunt esse ruinosae;* nequeunt scilicet recto mundi aut societatis ordini potius esse noxiae quam utiles. Hinc lex adeo dura, quae in desperationem homines generatim coniectura esset, stare nequit; haec enim desperatio in omnes inordinationes homines ipsos ruere faceret, et sic recti ordinis totalis ruina esset. Hinc etiam incommoda gravia et nimis frequentia sub legibus ordinarie cadere nequeunt.

Id tamen non impedit quominus aliqua lex maximae necessitatis aut 1° notabilem difficultatem (etiam quoad multos) secum afferat; aut 2° aliquibus personis particularibus observatu difficillima sit; aut 3° in quibusdam circumstantiis raro contingentibus etiam cum gravi vel gravissimo incommodo quoscumque obligare pergat.

VII° *Datur lex obtemperandi conscientiae praecipienti, quamvis esset erronea.* Hinc qui ex errore credit hodie esse festum de praecepto, Missam audire tenetur. Ratio per se patet.

## ARTICULUS II.

### PRINCIPIA GENERALIA DE PECCATIS.

### PUNCTUM I.

#### DE ESSENTIA PECCATI.

14. Peccatum *materialiter* consideratum in sola legis transgressione consistit, quin ulla voluntatis malitia interveniat. Qui tali modo peccat, nullum apud Deum reatum contrahere potest.

Peccatum *formaliter* consideratum consistit in violatione legis cum advertentia et libera voluntate. De peccato hoc sensu dumtaxat accepto, in quo solo reatus residet, hic loqui intendo.

15. Necessaria est itaque imprimis advertentia; idque sic explico.

I°. Oportet ut agens percipiat id quod agit. Hinc ea quae sive in actibus primo-primis, sive in somno, sive in amentia, sive in delirio, sive in magna distractione, sive in ebrietate,

ex mero instinctu, absque ulla advertentia actuali et absque ulla antecedenti praevisione fiunt, nullo modo ad culpam imputari possunt.

II°. Non sufficit quod agens percipiat id quod agit, sed oportet insuper ut advertat quod, sic agendo, male agit; necesse est nempe ut adsit advertentia non solum ad actum, sed etiam ad malitiam actus. Hinc qui facit quidem actionem illicitam, sed vel nunquam scivit illam esse illicitam, vel de hoc oblitus est, vel hic et nunc per errorem aut inadvertentiam actionis ipsius pravitatem non percipit, nullum reatum contrahere potest. Uno verbo: ignorantia, oblivio, error et inadvertentia inculpabilis circa actionis malitiam a culpa excusant. Haec inadvertentia accidere potest facilius quoad illa peccata, quae exiguam faciunt impressionem, qualia sunt, v. g., mendacia, murmurationes, inobedientiae etc.; maxime vero pravae cogitationes: non raro enim accidit quod quis cogitet (etiam per aliquod tempus) de rebus contra castitatem vel charitatem etc., quin adhuc ipsi in mentem venerit quod eas cogitationes retinere sit peccatum. Imo non desunt (rarissimi tamen) qui dicunt se inchoasse aut etiam perfecisse pollutionem, quin adverterint se male agere; advertentia autem superveniente, statim a tactibus cessasse. Certe S. Lig. (L. 5. De Peccatis n. 3) scripsit: « Po-« test autem intellectus rapi a delectabilitate obiecti oblati, ut « nihil malitiae moralis in illo advertat ». Dices: ad reatum contrahendum estne necessarium, ut agens advertat se Deum offendere? Respondeo negative; sed sufficit quod cognoscat se male agere (Vide Tract. De Recidivis n. 196).

III°. Si quis cognoscat quidem malitiam actus, sed solum partialiter, contrahit reatum dumtaxat quoad partem quam cognoscit. Exemplum habetur in eo qui committens adulterium, non distingueret peccatum istud a simplici fornicatione; ille enim apud Deum solius fornicationis reatum contraheret. Idem dic de eo qui crederet esse veniale id quod mortale reapse est; ipse enim venialiter dumtaxat peccare posset.

16. Ad reatum contrahendum exigitur insuper libera voluntas, ut dixi, nempe liber voluntatis consensus. Id etiam sic explico.

I°. Si nullus adsit consensus, tunc nullus potest esse reatus. Hinc qui motibus carnalibus, vel quovis alio modo a suis passionibus ad peccandum sive opere sive verbo sive cogitatione tentatur, nunquam poterit esse reus nisi consentiat; verissimum est enim illud tritum effatum: *non nocet sensus, si non adsit*

*consensus*. Hinc etiam mulier absoluta vi stuprata, et interne in nihilo consentiens, nullum reatum contrahere potest.

II°. Si adsit quidem consensus, sed ita ut sit omnino necessarius, tunc pariter nullus reatus adesse potest ; non enim datur necessitas peccandi. Casus iste contingit quando quis versatur inter duo mala quae aequalia ei videntur, debetque necessario ex iis unum eligere ; ut puta si quis die festo aeque formidaret de peccato, tum si Missam non audiret, tum si aegrotum derelinqueret ut ad Missam audiendam pergeret. Hinc Theologi dicunt quod in casu *perplexitatis* (sic enim casus iste appellatur) quidquid eligatur, bene eligitur.

17. Advertentia ad malitiam et liber voluntatis consensus, interdum deficiunt in actu, sed fuerunt prius in causa. Id multipliciter accidere potest, et proinde do aliqua exempla. Titius polluitur in somno, sed quia prius intemperanter coenavit. Caius blasphemat prorsus inadvertenter, sed quia prius habitum contraxit nec ullam diligentiam adhibuit ad se emendandum. Bertha violenter opprimitur, sed quia ipsa prius in hoc periculum se coniecit. Caius Sacerdos multos errores inadvertenter committit in administratione Sacramenti Poenitentiae, sed quia ipse studium necessarium negligit. Sempronius multis motibus carnalibus et pollutionibus actualiter minime voluntariis subiicitur ; sed id accidit quia nec oculos nec mentem ullo modo custodit etc. Circa huiusmodi casus dico

I°. Quamvis inordinationes istae, dum accidunt, sint involuntariae ; attamen homo potest esse reus in causa ; quatenus nempe non solum malum effectum praeviderit, sed etiam cognoverit se teneri ad causam non ponendam aut removendam, et nihilominus causam ipsam apposuerit aut non removerit.

II°. Reatus contrahitur non quando sequitur effectus, bene vero quando culpabiliter apponitur aut non removetur causa.

18. Circa peccati naturam observandum est demum, quod, sicut totalis defectus advertentiae et consensus reatum totaliter aufert ; ita quaedam adsunt circumstantiae, quae reatum plus vel minus diminuunt. Id autem tribus modis contingit.

19. Primus est si homo peccet sine plena cognitione peccandi, et sine pleno consensu in peccatum ; quatenus, lumine rationis obnubilato et libertate fere totaliter ligata vel impedita, potius ex instinctu quam modo humano agat. Casus huiusmodi accidere solent 1° in pueris perfectum rationis usum nondum habentibus ; 2° in semifatuis ; 3° in semidormientibus ; 4° in semiebriis ; 5° in actibus quasi primo-primis ; 6° nonnunquam in

magno alicuius passionis, et speciatim irae, furore. Passiones reapse nedum partialiter sed etiam totaliter usum rationis auferre possunt, dicente S. Thoma (l. 2. q. 77. a. 7): « Passio « quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, « sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt ».

20. Secundus est si plena adsit quidem cognitio peccandi, sed haec cum ignorantia vincibili seu cum dubio practico coniungatur. Titius, v. g., dubitat an hodie sit dies ieiunii, atque etiam clare cognoscit se debere inquisitiones facere; sed, quin illas faciat, minime ieiunat, ieiunaturus tamen si esse diem ieiunii certe scivisset. In hoc casu peccat quidem Titius cum plena advertentia et cum pleno consensu, quatenus sciens et volens debitas inquisitiones omittit; sed illius reatus, quamvis mortalis esse possit, tamen non est tantus, quantus fuisset, si esse diem ieiunii certe scivisset et nihilominus ieiunare omisisset. — Quoad illos, qui sic cum dubio practico operantur, considerari potest insuper non solum quod minus peccant, sed etiam quod illorum peccatum diversos habet gradus iuxta diversam rationem, propter quam veritatem inquirere nolunt. Qui enim nihil inquirunt ex mera desidia (in quo sita est ignorantia *crassa*) minus peccant, quam qui nihil inquirunt quia in proprio dubio remanere malunt, ne, si forte inquirendo claram obligationem detegant, ab agendo acriori remorsu deterreantur (qua in re ignorantia *affectata* sita est).

21. Tertius modus, quo contingit ut reatus diminuatur, est si plenus quidem adsit consensus in peccatum, sed ex motivis quae magnam vim faciunt; inter quae notanda sunt speciatim sequentia. 1°. Metus gravis, preces importunae, promissiones, seductiones etc. Hinc Theologi dicunt: *metus non tollit quidem, sed minuit voluntarium.* 2°. Vehementia passionis. Dixi supra quod interdum vehementia passionis potest esse tanta, ut usum rationis totaliter auferat, aut plenam advertentiam plenumque consensum impediat. Sed, supponendo etiam (prout ordinarie supponi debet) quod id non accidat; omnino fatendum est, quod peccata quae committuntur ex influxu magnae passionis inculpabiliter excitatae (quae dici solent peccata *fragilitatis*) non tantum habent reatum, quantum haberent si, passione nullo modo aut leviter incitante, ex sola voluntatis perversitate committerentur (quo casu peccata *malitiae* appellantur). 3°. Etiam vis habitus reatum diminuere potest; quatenus, si inter culpam patratam a non habituato et aliam ab habituato commissam comparatio instituatur, haec existimari debet minor;

habitus enim reflexioni locum minus relinquit, et voluntatem magis debilem reddit. Hoc tamen non impedit, quominus, re in complexu considerata, status peccatoris habituati (propter culparum multitudinem, maxime vero si emendationis studium minime adsit) valde peior sit.

## PUNCTUM II.

### DE PECCATO MORTALI ET VENIALI

22. Notissimum est quod peccatum mortale in se, potest esse veniale in agente; et viceversa peccatum veniale in se, mortale in agente esse potest. Ut ergo confusio evitetur; haec duo sunt omnino distinguenda; et agendum est de peccato mortali et veniali prius in se, postea in agente.

23. In se itaque peccatum mortale est inordinatio gravis, seu transgressio legis obligantis sub poena aeterna. Peccatum veniale e contra est inordinatio levis, seu transgressio legis obligantis dumtaxat sub poena temporanea.

24. Dices: quomodo distingui potest in praxi an aliquod peccatum in se sit mortale aut veniale?

Resp. Mortalia sunt blasphemiae (contra Deum, B. Virginem et Sanctos), periuria, homicidia, fornicationes, adulteria, bestialitates, pollutiones et quidquid pertinet ad luxuriam directe volitam; omissio Missae in festis de praecepto, non abstinere a carnibus diebus veneris et sabbati, non observare ieiunia de praecepto. Supposita autem materiae gravitate, mortalia sunt furta, percussiones, calumniae, odia, scandala, non abstinere ab operibus servilibus die festo, non satisfacere muneribus proprii status etc.

E contra per se venialia sunt mendacia minime damnosa, leves murmurationes, aliquis defectus devotionis sive in ecclesia sive in orationibus etc.

Caeterum impossibile est completam hic texere seriem peccatorum, ut exacte explicetur quaenam sint peccata mortalia, et quaenam venialia. Plurima hoc in puncto intelligi poterunt infra, et multo magis apud Theologos, propriis locis. Valere poterit etiam haec regula; nempe: *Inordinatio gravis est peccatum mortale; inordinatio levis est peccatum veniale.*

25. Sedulo notari debet quod, ad rectum iudicium ferendum de gravitate vel levitate peccati, necesse est considerare illud

non solum quoad substantiam sed etiam quoad circumstantias quas supra ( n. 13. IV ) indicavi. Hinc, v. g., iniuria, quae in se esset levis, potest evadere gravis, imo et gravissima, si contra Patrem, Matrem, Superiorem vel personam eximiae dignitatis feratur. Porro circumstantiae hoc etiam in puncto valde attendi debent; efficere enim possunt non solum ut peccatum veniale evadat mortale; sed etiam ut in peccato iam sub una specie mortali alia etiam mortalis peccati species exurgat. Titius, v. g., surripit decem scutata Caio valde diviti, et surripit etiam decem scutata Sempronio pauperrimo. Peccatum contra iustitiam est grave in utroque casu: sed contra charitatem dum vix attenditur in primo casu, gravissimum evadit in secundo. Aliud exemplum dari potest in Petro, qui fornicationem committat tum cum meretrice in lupanari, tum cum puella honesta quam ipse nunc primum in tantam malitiam coniicit. Peccatum contra castitatem utique grave est in utroque casu; sed contra charitatem dum est gravissimum in secundo, vix attenditur in primo. Vide Suarez ( De Char. D. 8. Sec. 4. n. 5 ).

26. Quid de illis peccatis, de quibus (omnibus perpensis) non est clarum, an sint mortalia; eo quod rationes graves vel auctoritates magni momenti sint pro et contra?

Resp. Peccata huiusmodi non debent existimari mortalia. Ratio est quia agitur de poena aeterna; et omnino aequum est quod illi casus, quibus tanta poena affligitur, sint prorsus clari. Haec est sententia S. Ligorii, qui ( L. 3. Tr. 2. C. 1. *Epistola responsiva* in fin. ) scripsit: « Ad hoc ut affirmari possit culpa « gravi actionem aliquam carere, sufficiens esse quod probabile « sit non esse gravem ».

Nunc explicandum est, quando peccatum existimari debeat mortale aut veniale, considerando illum non in se sed in agente.

27. Ut peccatum sit mortale in agente, iuxta communissimam Theologorum sententiam, tria sunt necessaria, nempe 1° materia gravis; 2° plena advertentia; 3° plenus consensus.

Materia gravis hic intelligitur non quatenus oporteat ut sit gravis in se, sed quatenus debet esse gravis in mente agentis. Oportet itaque et sufficit ut agens cognoscat aut credat quod de re gravi agatur. Hinc si quis ex conscientia erronea existimaret quod furtum unius oboli sit peccatum mortale, graviter peccaret.

Plena advertentia significat quod agens advertere debet se peccare graviter, non iam modo confuso et mente obnubilata, prout accidit in semidormientibus; sed modo satis claro satisque manifesto. Id tamen non impedit quominus peccatum mortale

contingere possit etiam in eo qui operatur in dubio; ille enim clare et manifeste cognoscere potest, quod cum tali dubio operari sub gravi interdicitur.

Plenus consensus significat quod, ad peccatum mortale constituendum, non sufficit neque consensus qui potius instinctui quam voluntati tribui debeat (prout accidit in actibus quasi primo-primis), neque quaedam negligentia in removenda prava suggestione; dummodo tamen agens non credat hanc negligentiam esse peccatum mortale, quo casu, si pleno consensu eam admitteret, utique graviter peccaret.

28. Notari debet 1° quod ad plenam advertentiam plenumque consensum, neque magna consideratio, neque multae reflexiones necessariae sunt; quippe unico instanti tum plena advertentia tum plenus consensus locum habere possunt; et sic nihil vetat quominus interdum etiam unico instanti peccatum mortale committatur. Notari debet 2° quod plena advertentia plenusque consensus interdum desunt quidem in actu, sed fuerunt in causa; et tunc reatus, quando posita fuit causa, locum habuit.

29. Quid si quis dum peccat cognoscat quidem se male agere; sed de peccato sive gravi sive levi nihil prorsus cogitet?

Resp. Non peccat mortaliter. Ad peccatum enim mortale constituendum necesse est omnino ut culpae gravitas menti affulgeat et quidem modo claro, ut supra dictum est. Nimis enim repugnat quod Deus aeternis cruciatibus punire velit eos, qui se graviter peccare atque infernum mereri aut nullo modo aut dumtaxat confuso quodam suspectu adverterint. Notandum tamen quod illi peccatores habituati, qui peccata mortalia nihil aestimant, facillime credere possunt se peccati gravitatem nullo modo advertisse, quamvis de facto illam sufficienter adverterint.

30. Quid si quis versetur in dubio, an cum plena advertentia et cum pleno consensu peccatum commiserit?

Resp. Hoc dubium ex circumstantiis ordinarie resolvitur. Si enim agatur de aliquo ex iis, qui (ut modo dicebam) peccata mortalia nihili faciunt, praesumendum est, eum cum sufficienti advertentia et consensu peccasse, et postea oblitum fuisse; maxime si de facto recenti minime agatur. Si autem agatur de persona quae vel sit meticulosae conscientiae, speciatim vero si habitualiter parata sit potius mori quam peccare; vel commodissime potuerit peccare actu externo (prout tentabatur) et nihilominus sic certe non peccaverit; vel post factum existimet se rem illam non fuisse facturam, si clare cognovisset esse culpam gravem; tunc certe peccatum mortale locum non habuisse decerni deberet.

## PUNCTUM III.

### DE MODO DISTINGUENDI VARIAS PECCATORUM SPECIES ET CIRCUMSTANTIAS SPECIEM MUTANTES

31. Quum peccata accusari debeant non in genere sed in specie; quum insuper Confessarii (si poenitentes in hoc deficiant) necessarias interrogationes facere debeant; quum demum maxime propter doctrinas Theologicas quae hanc rem valde implicatam reddiderunt) non semper sit facile distinguere an aliquod peccatum sit eiusdem vel diversae speciei, vel an aliqua circumstantia peccatum ad diversam speciem transferat; hinc oportet omnino ut hoc in puncto opportunae regulae suppeditentur.

Regula tutissima et generalissima est ut respiciatur sensus communis, non solum quia sensus communis vix unquam errabit et in quaestionibus valde implicatis fere solus est competens iudex, sed etiam quia, dum Christus Dominus imposuit obligationem confitendi speciem et numerum peccatorum, utique voluit ut ea confiteamur iuxta sensum communem, non vero iuxta illas metaphysicas distinctiones quae a sensu communi recedunt.

Inhaerendo itaque sensui communi, sequentes regulas particulares ad maiorem huius puncti explicationem hic suppedito.

#### REGULA PRIMA

*Inspiciendum est an laedantur virtutes diversae.*

32. Exempla. Homicidium, fornicatio, sacrilegium. Haec sunt peccata specie diversa, quia homicidium laedit iustitiam, fornicatio autem castitatem, sacrilegium vero religionem.

Odium proximi, detractio simplex (revelando crimen occultum), et calumnia. Haec quoque sunt tria peccata specie diversa: primum enim laedit charitatem, secundum iustitiam, tertium etiam veracitatem.

Titius rem habet cum Bertha. En fornicatio, seu peccatum contra castitatem. Fac quod Titius sit Sacerdos. Haec circumstantia (praeter scandalum gravissimum quod inducit) efficit ut laedatur etiam religio, et sic ut fornicationi sacrilegium superaddatur. Fac insuper quod Bertha sit soror Titii. En nova species peccati, quia laeditur pietas (seu respectus proprio san-

guini debitus) ; unde fornicationi et sacrilegio superadditur incestus. Fac demum quod Bertha sit coniugata. Tunc laederetur etiam iustitia, et sic praedicta peccata adulterio cumularentur.

Caius furatur rem sacram. En peccatum tum contra iustitiam tum contra religionem ; nempe furtum et sacrilegium. Idem Caius percutit fratrem suum clericum. En peccatum triplicis speciei, nempe contra iustitiam, contra pietatem, et contra religionem.

Livius blasphemat ; sed blasphemans haereses profert. En circumstantia speciem mutans, quatenus peccato contra religionem, peccatum contra fidem superadditur ; unde huiusmodi blasphemiae dicuntur *haereticales*.

Moevius comedit carnem die vetito, et comedens magnam intemperantiam committit. Osius nunquam communicat in Paschate, idque facit ex odio contra proprium Pastorem. Hi peccant contra obedientiam Ecclesiae legibus debitam ; sed Moevius peccat quoque contra temperantiam, et Osius contra charitatem ; et sic in his peccatis circumstantia mutans speciem adest.

Sed in praxi circumstantia mutans speciem, quae frequentius occurrit, est quando grave scandalum superadditur. Id contingere solet praecipue 1° in patre qui coram filiis adhuc tenerae aetatis blasphemandi consuetudinem habet ; 2° in illis qui loquuntur de turpibus coram pueris aut aliis personis adhuc innocentibus ; 3° in publica meretrice quae adsit in loco non adhuc corrupto ; 4° in Sacerdote coram aliis peccante, maxime contra *sextum*.

33. Quaeritur 1° An fornicatio peracta cum foemina dormiente, demente vel ebria, aut cum puella non adhuc usum rationis habente, ab aliis fornicationibus specie differat ? Resp. Affirmative ; in hoc enim casu iniuria, et proinde iustitiae laesio, adest ; quae non adesset si foemina esset compos sui et consentiret, dicente proverbio, volenti et consentienti non fit iniuria. Fornicatio huiusmodi assimilari potest furto, sicut stuprum violentum rapinae assimilatur. Adest etiam alia differentia substantialis ; qui enim fornicatur cum foemina sui compote, illam seducens, reus est non solum de proprio sed etiam indirecte de foeminae ipsius peccato. In nostro autem casu haec deformitas minime adest. Dices : haec secunda circumstantia non addit speciem, sed aufert. Resp. Diversitas specifica, non solum quando ab additione sed etiam quando a subtractione alicuius malitiae causatur, accusari debet. Intellige si agatur de malitia quae per accidens locum habeat, et quae in accusatione peccati simpliciter facta minime subintelligatur. Vide Scavini V. 1. n. 771.

34. Quaeritur II°. An delectatio morosa de copula incestuosa,

adulterina, sacrilega, aut simpliciter fornicaria, induat malitiam non solum mollitiei, sed etiam incestus, adulterii, sacrilegii, aut fornicationis?

Resp. Si homo delectaretur de sola copulae cogitatione et de motibus venereis inde exurgentibus (ut potest contingere si cogitaret de copula ab aliis habita tum absque ulla inclinatione in illam a parte sui, tum absque ulla facti complacentia seu approbatione); tunc solam mollitiei malitiam contraheret. Praescindo tamen a casu in quo quis esset voto castitatis ligatus; tunc enim ex hoc sacrilegium contraheret. — Si autem (et hic est casus practicus) ad peccata ista de facto committenda inclinatum se sentiret, et de hac inclinatione voluntariam complacentiam haberet; tunc percipere nequeo quorsum a peccatorum ipsorum malitia excusari possit. Nec valet quod homo delectetur de inclinatione in hanc copulam solum quatenus ista sit delectabilis, non vero quatenus foemina sit consanguinea, coniugata, aut monialis; imo quod circumstantias istas aegre ferat. Non valet, inquam; in hac enim animi dispositione potest esse unusquisque etiam quando huiusmodi peccata de facto consummat.

### REGULA SECUNDA

*Inspiciendum est an eadem virtus modo substantialiter diverso laedatur.*

35. Exempla. Homicidium, furtum, contumelia, detractio. Haec quatuor peccata unam eandemque virtutem, nempe iustitiam, laedunt; sed modo substantialiter diverso; homicidium enim respicit vitam, furtum bona fortunae, contumelia honorem, detractio famam.

Titius per longum tempus nullatenus exercet fidem; postea in corde suo renuntiat fidei; dein haereses profert; demum fidei persecutor evadit et prouti potest illam destruere nititur. Hic peccat quidem semper contra eandem virtutem, nempe fidem; sed modis substantialiter diversis; scilicet cogitatione, verbo, opere et omissione.

Caius cogitat de turpibus; alia vice desiderat turpia; et demum de turpibus quondam commissis gaudet. In hoc etiam casu modos substantialiter diversos et proinde diversas species habemus; aliud enim est cogitatio, aliud desiderium et aliud gaudium.

Sempronius rem habet cum Bertha coniugata, illamque per vim opprimit. In hoc casu adsunt duo peccata specie diversa,

nempe adulterium et stuprum. Si autem Sempronius quoque esset coniugatus, tunc nova species superadderetur; quatenus ille non solum offenderet iustitiam violando thorum alienum et cooperando adulterio Berthae, sed etiam non servando fidem propriae uxori. — Idem dic de religioso qui cum religiosa rem habeat. Ipse enim votum proprium *directe*, et votum alienum *indirecte* violaret. — Porro hi omnes sunt modi substantialiter diversi. Vide Lugo (De Poen. D. 16. n. 140).

Hac de causa differentia specifica adest etiam inter tactus et copulam, inter sodomiam et fornicationem, inter simplicem mollitiem et bestialitatem, inter sacrilegia personalia, localia et realia etc.

36. Ad maiorem huius puncti claritatem notanda sunt sequentia.

1° Diversitates accidentales speciem non variant.

Exempla. Furtum pecuniae a furto equi aut bovis specie non differt. — Quando in blasphemia declaratum fuit an sit simplex vel haereticalis, non est necesse ut declarentur expressiones quibus blasphemans usus fuit —. Sic quando calumnia a simplici detractione distincta fuit, exprimere non oportet in quibus materiis sermo versatus fuerit (Vide Gury v. 1. n. 449. not. a). Idem dic de verbis contumeliosis.

II°. Plus et minus non variat speciem. — Hinc furta decem scutatorum et mille scutatorum gravitate quidem sed non specie differunt. Uno verbo quantitas, intensitas, duratio efformare quidem possunt circumstantias aggravantes, sed non speciem mutantes.

III°. Actus accessorii quid unum cum actu principali etiam quoad speciem constituunt.

Titius, v. g., puellam turpiter concupiscit, statimque illam turpiter alloquitur, turpiter tangit, et cum ipsa copulam habet. Hic adsunt quidem desideria, sermones, et tactus, quae inter se specie differunt; sed in casu, quum sint accessoria relate ad copulam, proprias species amittunt, et unicam peccati speciem seu unicam fornicationem constituunt (Vide Lugo De Poen. D. 16. n. 242).

Secus dicendum est quando in aliquo facto plures actiones principales adsunt; v. g., si quis, ut alicui pecuniam surripiat, illum occidat. Porro tunc homicidium remanet semper actio valde principalis, et sic propriam speciem amittere nequit.

37. Sequens movetur quaestio. Si Superior (v. g. Episcopus vel pater) prohiberet aliquid iam lege divina prohibitum, haec

Superioris prohibitio essetne circumstantia speciem mutans, seu novam speciem peccato addens?

Resp. Si Superior suo mandato intendat dumtaxat subditum corrigere eique legem divinam in mentem revocare, ut puta, si pater corrigat filium blasphemantem; tunc mandatum Superioris in se dumtaxat consideratum novam speciem peccato minime addit. Si autem Superior intendat veram legem seu verum praeceptum subditis imponere, ut puta, si Pontifex vel Episcopus librum prohibeat, aut Pater talis vel talis socii conversationem filio interdicat; (quidquid dicant Theologi) exurgit virtus obedientiae quae est specie distincta ab obedientia Deo immediate debita, quaeque proinde (prouti sensus communis dictat) speciali inobedientiae peccato et circumstantiae speciem mutanti locum dat. Hinc qui legit librum prohibitum aut frequentat socium sibi a patre interdictum, non solum peccare potest contra fidem vel castitatem (secundum quod liber vel socius est periculosus quoad fidem vel mores); sed etiam peccat contra obedientiam sive Pontifici, sive Epispopo, sive Patri debitam; unde si ille in confessione diceret dumtaxat: *legi malum librum* vel *conversatus sum cum pravo socio*, non satis se exprimeret; quia sic peccatum inobedientiae neque ab ipso accusaretur, neque per se subintelligeretur. — A fortiori autem id verum esset, si (ut Theologi communissime notant) mandatum Superioris diversum haberet motivum, ut puta, si quis ieiunium non solum ab Ecclesia praeceptum, sed etiam a Confessario pro sacramentali poenitentia impositum violaret.

### REGULA TERTIA

*In praxi non sufficit inspicere circumstantias in se, an scilicet suapte natura sint speciem mutantes, an vero dumtaxat aggravantes; sed advertendum est etiam* 1° *an praesumi debeat quod circumstantiae sint tales etiam in conscientia poenitentis;* 2° *an interrogationes ad illas detegendas moraliter fieri queant.*

38. Explicatio. Ferè omnes Christifideles existimant quod circumstantiae enormiter aggravantes, maxime in furto, accusari debeant. Item passim censent quod peccata carnalia, commissa cum fratribus aut sororibus, ab aliis, quae cum consobrinis committantur, omnino specie differant. In his itaque et similibus casibus Confessarius non tantum sententias probabiles Theolo-

gorum ( Vide Gury V. II. n. 486), quantum conscientiam poenitentis respicere debet, ne forte a Confessario ipso non adiutus ex falso dictamine haec sacrilege reticeat.

39. E contra rudes ( et a fortiori idem dic de pueris ) multas circumstantias quae mutant speciem prorsus ignorare solent. Hinc vix unquam aut raro contrahunt malitiam incestus in casibus sive affinitatis ex copula illicita, sive cognationis spiritualis, sive cognationis ex publica honestate, sive tactuum inter consanguineos, exceptis fratribus. Ipsi insuper satis cognoscunt quidem praecipuas et magis obvias species peccatorum quoad peccata operis; sed quoad peccata oris et cordis ( maxime quando species non a diversarum virtutum laesione, sed solum a diverso modo eandem virtutem laedendi proveniunt ) eas distinguere minime solent. Hinc varias sive imprecationum sive turpium sermonum species sub unico imprecandi et turpiter loquendi conceptu apprehendunt. Hinc etiam delectationes turpes, desideria turpia, voluntatem committendi turpia, et gaudium de turpibus ( quidquid sit de harum quas in mente habent obscoenarum rerum diversitate ) haec omnia in unum confundunt, et ad unicam turpium cogitationum speciem referunt. In his itaque casibus, quoad rudes, idem est ac si diversitates specificae minime adessent ; quamvis enim adsint materialiter, tamen formaliter et in eorum conscientia non adsunt ; unde nec ipsi obligationem eas distinguendi, nec Confessarii obligationem circa illas interrogandi habere possunt ; peccata enim non prout sunt in libris, aut etiam materialiter in rerum natura, sed prout sunt in conscientia accusari debent.

40. Adde quod ( ut in regula subiunxi ) interrogationes dumtaxat quae sunt moraliter possibiles fieri debent. Sed in casibus expositis interrogationes confunderent poenitentes, qui has minutas distinctiones vix unquam intelligerent, et reputarent quod Confessarius non de verbis aut cogitationibus, sed de operibus eos interroget. Mirarentur insuper quatenus iam factis distinctionibus quoad peccata operis, distinctiones ipsas iterum et tertio repetere debeant. Taedio demum afficerentur, et confessionem ipsam tamquam nimium gravosam haberent. Notari etiam potest quod, si Confessarii harum circumstantiarum seriem etiam quoad peccata carnalia iterum et tertio revolutare deberent, hoc saltem illis ipsis non leve periculum evadere posset.

## PUNCTUM IV.

### DE MODO DISTINGUENDI NUMERUM PECCATORUM

41. Quando actus est unicus atque unicum obiectum habet (Titius, v. g., unico mentis actu foeminam concupiscit), tunc peccatum esse unicum, liquido patet. Sed ut plurimum actiones humanae, aut pluribus actibus constant, aut plura obiecta respiciunt (Sempronius, v. g., pluribus vicibus foeminam tentat et tandem fornicationem committit; et Caius unico actu pluribus scandalum infert). Et in his casibus error contingere potest credendo unicum adesse peccatum, ubi revera sunt plura; et viceversa adesse peccata plura ubi revera est unicum.

42. Ad non errandum regula generalissima est sequens: *Si pluralitas nimis resultet, tunc erunt plura peccata; si e contra praedominet unitas, tunc erit peccatum unicum.*

Pluralitas nimis resultare potest 1° propter nimiam distantiam actuum; 2° propter nimiam distinctionem actuum; 3° propter nimiam distinctionem obiectorum.

### § I.

*Declaratur quomodo ex nimia distantia inter actum et actum pluralitas in peccatis exurgat.*

43. Decisio pendet a multis circumstantiis. — Perseverantia in eodem fine, voluntatis intensitas, mixtio actuum externorum, existentia actus principalis, eiusdem proximitas, eiusdemque praestantia; haec, quamvis ad peccatum unicum constituendum non semper sufficiant, tamen ad unitatem valde influunt; et tunc proinde maior distantia exigitur ut disiunctio et pluralitas effici possit. E contra si actus principalis non adsit, aut parum enitescat, aut longe distet, aut sine magna intensitate quaeratur; a fortiori si agatur de actibus mere internis; maxime vero si voluntatis retractatio et accessio novi finis locum habeat; tunc minor distantia sufficit ut actus vere seiungantur, utque proinde peccata sint plura.

44. Pro praxi optima regula est sequens: *Si iuxta sensum communem dici debeat quod actio in pluribus vicibus peracta fuerit, aut si quomodolibet distinctae vices nimis resultent; tunc peccata erunt semper plura.* Do exempla.

Caius cogitat de re turpi. Postea ad alia se divertit, et iterum de eadem turpitudine cogitat.

Titius percutit Caium. Post unum vel alterum quadrantem, illum denuo percutit.

Moevius cum sociis de turpibus loquitur. Deinde sermonem ad alias res serias divertit; et postea loquitur iterum de turpibus.

Livius sine intentione fornicationis turpiter tangit Bertham. Postea coenat, et post coenam iterum Bertham tangit.

Sempronius agricola vult furari domino fundi valorem quindecim scutatorum; et proinde occasione messis pro decem scutatis, et occasione vindemiae pro aliis quinque furatur.

Petrus hodie concipit voluntatem fornicandi cum Rosa illamque tentat, sed frustra. Intra se dicit: *alia vice ad aggressionem redibo.* De facto post annum Rosam iterum aggreditur et copulam obtinet.

Lucius de fornicatione olim commissa gaudet, et post mensem de ea iterum recordatur iterumque gaudet.

Paullus de obligatione restitutionis, propter furtum olim commissum, recordatur; sed intra se dicit: *obligationi meae satisfacere nolo.* Post mensem iterum de sua obligatione recordatur, iterumque propositum non restituendi renovat.

Terentius, prae manibus habens libellum obscoenum, concipit voluntatem legendi illum a principio usque ad finem. De facto incipit lectionem et libelli medietatem legit. Post mensem, quum esset quadam die otiosus, aliam medietatem legit.

Quis non videt quod in unoquoque ex his casibus duae distinctae vices nimis distinguuntur, et quod proinde duo peccata locum habent? Vide Lugo (De Poen. D. 16. n. 551, et 567).

45. Sed quid si Caius in eodem impetu passionis centies cogitationem turpem in mente volutasset? Quid si Titius a percutiendo Caio destitisset intra se dicens: *iam satis est;* sed illico Caium ipsum arroganter se vertentem et minitantem iterum percussisset? Quid si Moevius in eodem sermone plurima turpia effutiverit, quamvis nonnulla levia minime turpia immiscuerit? Quid si Livius per quadrantem a corpore Berthae manum non removerit semper eam contrectans? Quid si Sempronius furatus esset domino fundi mensuram tritici, et illico aliam, et illico tertiam? Quid si Petrus hodie tentet Rosam, sed frustra; cras iterum eam tentet et cum ea copulam habeat? Quid si Lucius, fornicatione commissa, illico alias blanditias superaddat, et toto eo die de peccato suo gaudeat? Quid si Paullus, furto commisso,

statim de onere restitutionis reminiscatur, sed intra se dicat: *restituere nolo?* Quid si Terentius libelli lectionem complere anhelans, libellum ipsum intra unum vel alterum diem a principio usque ad finem perlegerit? Quid si quis in eodem irae furore centies Deum blasphemet, aut innumeras sive imprecationes sive contumelias evomeat? Quid demum de auctore cuiuslibet operis, qui continuo studio opus suum componat, quamvis unum vel alterum annum insumat?

Resp. In his casibus peccatum esset semper unicum; praedominat enim unitas; et illae physicae pluralitates in sensu communi veluti evanescunt; et, quasi ad instar petrarum ex quibus fabricata fuit domus, non considerantur. Vide Lugo (l. c. n. 553).

46. Ex hucusque dictis deducitur quod ad dignoscendam unitatem aut pluralitatem peccatorum ex actuum unione aut distantia profluentem, in praxi fere semper sufficit illa simplicissima et communissima interrogatio: *Quot vicibus id fecisti?* vel: *Quot vicibus peccatum istud attentasti?* Unde bene singularis et morosus esset Confessarius, qui, dicente poenitente: *una vice foeminam tetigi*, illum adhuc interrogaret dicens: *In hac una vice, quot vicibus eam tetigisti, seu manum ei admovisti?*

## § II.

### *Declaratur quomodo ex nimia actuum distinctione pluralitas in peccatis exurgat.*

47. Quamvis actus absque ulla interruptione locum habeant, interdum possunt esse ita distincti, ut in unum coalescere nequeant; idque contingit quando distinctio est talis ac tanta, ut multo magis pluralitas quam unitas resultet.

Causae huius distinctionis sunt duae. Prima est si actus sint nimis diversi et heterogenei. Exemplum habes in eo, qui, ut induceret foeminam ad peccatum, mentiret, blasphemaret, haereses proferret, aliena ope uteretur etc. Sed diversitas numerica ex hoc capite proveniens cum distinctione specifica confunditur; de qua iam satis dictum est.

Secunda causa est si actus sint nimis in se completi. Exempla. Titius una vice dormit cum Bertha, et continuis tactibus indulgens, bis copulam habet. Caius pariter continuis tactibus sollicitat Sempronium, et sic obtinet ut Sempronius bis cum

ipso sodomitice coniungatur. Terentius in duabus vigiliis immediate successivis ieiunium omittit. Quamvis in singulis his casibus nulla interruptio locum habeat; nihilominus duo peccata adsunt, quia duae copulae, duo congressus sodomitici, et duo ieiunia omissa sunt actus qui de propria natura habent complementum adeo resultans, ut in sensu communi pluralitas necessario percipiatur.

Dantur tamen casus, in quibus actus suapte natura in se completi, si absque interruptione replicentur, tamquam peccatum unicum apprehendi solent. Exemplum habes in Ministro Sacramentorum qui degens in mortali Baptismum, vel Confirmationem, vel Poenitentiam, maxime vero Eucharistiam pluribus personis illico successive administret. Ratio est quia haec administratio ad modum unius ita apprehenditur, ut magis unitas actionis, quam actuum pluralitas consideretur. Vide Lugo (l. c. n. 558).

## § III.

### *Declaratur quomodo ex nimia obiectorum distinctione pluralitas in peccatis exurgat.*

48. Actus sive physice sive moraliter unicus plura obiecta respicere potest. Titius, v. g., unico ictu plures occidit, vel unico sermone pluribus scandalum infert. In his casibus pluralitas obiectorum interdum efficit, ut peccata sint plura, et interdum non.

Ad pluralitatem efficiendam deservit praecipue si haec obiecta sint valde distincta. Si vero in confuso apprehendantur, tunc magis unitas seu totalitas actionis quam obiectorum pluralitas resultare solet; unde actio ad modum unius ut plurimum peragitur. Do exempla.

Titius unico ictu occidit duos homines. En duo peccata. Titius familiam simul unitam enecat, vel facit stragem, aut bellum. En peccatum unicum. — In hoc tamen et sequentibus casibus advertentia, quam mox infra exponam, prae oculis haberi debet.

Moevius grassator surripit pecuniam viro, quem obviam habet; sed ecce venit obviam alius vir, cui pariter crumenam aufert. En duo peccata. — Idem Moevius quamdam domum ingreditur et familiam expilat. En peccatum unicum.

Caius unico sermone duabus personis graviter detrahit. En duo peccata. Caius detrahit de familia, vel de coetu. En peccatum unicum.

Sempronius unico sermone duos pueros innocentes in malitiam coniicit. En duo peccata. Sempronius in conversatione cum sociis de re turpi loquitur. En peccatum unicum. Ita etiam si quis impiam concionem faceret ( quamvis magna multitudo praesens esset ) peccatum unicum committeret.

Evaristus malum grave duabus personis imprecatur. En duo peccata. Evaristus idem malum familiae, communitati, coetui imprecatur. En peccatum unicum.

Lucius statuit in corde suo peccare bis cum foemina. En duo peccata. Evaristus statuit cum illa ipsa foemina vivere in concubinatu. En peccatum unicum.

49. Advertentia autem, quae in istis aliisque similibus casibus haberi debet, est sequens. Quamvis numerus obiectorum non efficiat ut peccata sint plura toties quoties actio ad modum unius perpetretur, et iuxta sensum communem tamquam peccatum unicum apprehendatur; nihilominus interdum necesse est ut in confessionibus saltem implicite et in confuso haec obiectorum pluralitas indicetur; si nempe secus Confessarius deceptus maneret et quid pro quo intelligeret. Me explico. Titius, v. g., impiam concionem fecit, et in confessione dicit: *impie locutus sum*. Lucius statuit inire concubinatum, et confitetur dicens: *voluntatem concepi peccandi cum foemina*. Nunquid bene confiterentur? Minime. Ipsi enim non iam peccatum commissum sed aliud indicarent, ad instar illius qui, dum furatus est centum, diceret: *furatus sum viginti*. Idem dic de eo qui, postquam impium opus valde voluminosum sine interruptione composuerit aut legerit, diceret: *feci compositionem impiam aut una vice lectioni impiae vacavi*. Idem dic a fortiori de eo qui, dum totam Quadragesimam sine ieiunio transegit, diceret: *una vice ieiunium omisi*. E contra, si quis in peccato mortali multis Christifidelibus Eucharistiam semel administrasset, sufficienter se accusaret dicens: *una vice Eucharistiam administravi*. Hoc enim in casu Confessarius deceptus non maneret. Et idem dic de similibus. Vide Lugo ( l. c. n. 141 ).

50. Notari potest demum quod pluralitas obiectorum explicanda est dumtaxat quando id necessarium est, ut peccati numerus vel species explicetur. Secus si ad hoc nihil intersit. Hinc qui cum tribus meretricibus innuptis peccavit, confessioni suae satifacit si dicat: *fornicatus sum ter;* nec oportet ut dicat: *cum tribus*. Similiter qui tria furta commisit, non oportet ut explicet an haec contra eandem personam, an vero contra personas diversas perpetrata fuerint. Vide Lugo ( l. c. n. 558 ).

# CAPUT II.

AGITUR IN PARTICULARI DE DECEM DIVINAE LEGIS PRAECEPTIS

## ARTICULUS I.

DE PRIMO DECALOGI PRAECEPTO

51. In hoc praecepto Deus dicit : « Ego sum Dominus Deus « tuus.... ; non habebis Deos alienos coram me » ; hisque verbis exigit ut unusquisque debitum honorem et cultum illi praestet. Sed quomodo honoratur Deus ? Equidem 1° Fide, qua veram profitemur religionem ; 2° Spe, qua in ipso omnem nostram fiduciam collocamus ; 3° Charitate, qua illum amamus.

### PUNCTUM I.

DE FIDE

Fides definitur : ⩧ Virtus a Deo infusa, quae efficit ut propter auctoritatem Dei revelantis dogmata ab Ecclesia proposita firmissime credamus ⩦.

52. Petes an aliquis possit deficere in fide absque culpa ?

Resp. Id contingere nequit in eo, qui ex una parte advertat quod de dogmate catholico agitur, et ex alia parte catholicam religionem esse divinam satis superque cognoscat ; secus, dari posse infidelitatem atque haeresim pure materialem in confesso est apud omnes. Audiatur Reuter ( Neo Conf. n. 198 ) : « Hae- « reticus tantum materialis dignoscitur, si adhaesit tali errori « ex simplicitate, ignorantia, sinistra informatione, paratus « interim vel actu vel habitu errorem deponere si agnosceret « veritatem. Tales dantur.... non solum illi qui procul a Ca- « tholicis degunt, sed etiam qui his immixti vivunt, tam plebeii, « quam quidam etiam honestioris conditionis ; quia ab annis te- « neris a praeconibus suis pessime instruuntur, et innumeris « mendaciis contra fidem catholicam imbuuntur ». Non de facili tamen apud nos id supponi debet ; ut plurimum enim defectio in fide non ab errore inculpabili, sed a voluntate corruptissima provenire solet.

Et hoc in puncto sedulo advertendum est quod, si etiam inculpabiliter quis de religionis veritate dubitaret, non ob id

in indifferentismum se coniicere posset ; agitur enim de re gravissimi momenti, nempe de cultu Dei et de via salutis aeternae. Ille itaque enixis precibus lumen a Deo ipso postulare, et dubiorum suorum solutionem sincero animo et meliori modo sibi possibili inquirere deberet. Vide Gury cum notis cl. Ballerinii n. 210.

53. Sed, praescindendo a casu infidelis vel haeretici pure materialis, et loquendo de iis qui Ecclesiae catholicae dogmata tamquam a Deo revelata habent, et omnino credunt Religionem catholicam esse divinam, dico quod fideles isti sequentibus obligationibus adstringuntur.

## § I.

### *De addiscendis ex necessitate sive medii sive praecepti.*

54. Qui gratiam sanctificantem in Baptismo acquisitam peccato mortali amiserunt, absolutam habent necessitatem sciendi 1° Deum existere ; 2° illum esse quoque misericordia plenum, atque iis, qui post peccatum eum inquirunt, gratiam suam iterum concedere. Hinc duo ista sunt certissime necessaria, atque (uti dicunt) de necessitate medii ; ignorantia enim et bona fides ipsorum defectum nullo modo supplere possunt. Notissima sunt verba Apostoli : « Accedentem ad Deum credere oportet quia « est, et inquirentibus se remunerator est ». Haec autem cognitio, ut ad iustificationem deserviat, non sufficit si ex sola persuasione naturali seu testimonio philosophorum habeatur, sed ex fide et revelatione provenire debet, scriptum est enim : « Sine fide impossibile est placere Deo.... Fides ex auditu ; au« ditus autem per verbum fidei ».

55. Plures censent quod cognitio insuper mysteriorum Incarnationis et Trinitatis necessaria sit necessitate medii. De hoc quidem dubitari potest ; sed in praxi, quum de re adeo momentosa agatur, a parte tuta stari debet.

56. Alia autem scienda seu addiscenda sunt tamquam necessaria necessitate non medii sed praecepti ; unde si quis bona fide ea ignoraret, nihilominus et peccatorum veniam et salutem aeternam consequi posset.

57. Quaenam necessaria sunt necessitate praecepti ? Resp. 1° Symbolum Apostolorum (in quo continentur etiam ea quae sunt necessaria necessitate medii) ; 2° Praecepta Decalogi ; 3° Praecepta Ecclesiae ; 4° Sacramenta, et Sacrificium Missae ; 5° Oratio dominicalis.

58. Quale peccatum committeret qui haec addiscere negligeret? Resp. Mortale; rationes enim gravissimae expostulant, ut haec omnia (quae primae classis dogmata, praecepta et media salutis continent) omnino sciantur.

59. Sufficitne ea scire memoriter et quoad solam formulam in Catechismis traditam? Resp. Negative, maxime ubi idioma vulgare a Catechismi idiomate dissidet: necessarium est enim intelligere sensum quoad substantialia (Vide Gury n. 197-201); quandoquidem cognitio dogmatum, praeceptorum, et mediorum salutis in sola materiali formulae recitatione minime consistit.

60. Sufficitne haec ipsa scire quoad substantiam, quamvis formulae ignorentur? Resp. Per se sufficeret; sed per accidens ut plurimum adest etiam obligatio sciendi formulas; et certe non leviter peccaret mater-familias quae illas ignoraret et addiscere negligeret; sic enim filios suos primis et substantialibus doctrinae Christianae rudimentis instruere nequiret.

## § II.

### *De fide nunquam neganda.*

Negatio fidei potest esse *interna* et *externa*.

61. Interna locum habet quando quis fidei vel alicui fidei articulo in corde suo renuntiat: item quando voluntarie dubitat. Gravissimum peccatum hoc est; ille enim qui (prout hic supponimus) satis superque cognoscit religionem catholicam esse divinam, et nihilominus non credit aut dubitat, maximam Deo iniuriam irrogat, et seipsum in magnam ruinam coniicit.

62. Notandum tamen 1° aliud esse dubitare de articulo fidei; aliud vero dubitare de aliis doctrinis, opinionibus et narrationibus quae, quamvis in libris legantur atque etiam interdum in concionibus audiantur, de fide minime sunt.

Notandum 2° aliud esse dubitare voluntarie et culpabiliter; aliud vero simplices habere tentationes contra fidem. Ille enim qui, suborto dubio contra fidem et considerata obligatione illud reiiciendi, illico reipsa conatur a dubio ipso mentem avertere et Deo se commendare, utique non peccabit, sed meritum habebit.

63. Negatio fidei externa gravissimum peccatum est; ille enim, qui externe fidem negat, aut (quod idem est) religionem falsam profitetur, non solum delinquit contra Deum, sed etiam gravissimum scandalum proximo infert.

64. Quoad hanc externam fidei negationem pro praxi notan-

dum est 1° quod de hoc peccato se commaculant non solum qui ex odio contra Religionem (eò quod propriis passionibus contraria sit) haeresim vel incredulitatem palam profitentur; sed etiam qui ex solo respectu humano contra fidem externe delinquunt. Exemplum habes in illis qui ex dicto motivo impios sermones a sociis vel in conversatione auditos approbant iisque participant: vel impiis comoediis plausum faciunt. Aliud exemplum dari potest in discipulo, qui impii professoris lectionem (in qua haereses adsint) ad modum persuasi repetat. Dico *ad modum persuasi*; si enim ex signis aut circumstantiis satis constet quod non ex propria persuasione, sed solum ex fine repetendi verba Magistri haereses proferat, tunc fidem non negaret. Auctor tamen illi essem ut has ipsas haereses prorsus praetereat, et de hoc magna obligatio, maxime si agatur de haeresi valde damnosa, adesse potest.

Notandum 2° quod fides non solum verbis et scriptis, sed etiam factis negatur. Hinc illi, qui inter Catholicos degentes nunquam Missam audiunt, nunquam Paschali praecepto satisfaciunt, die veneris et sabbati semper carnem manducant etc., sine dubio, per hunc totalem et stabilem recessum ab actibus catholici cultus, palam faciunt se esse incredulos aut saltem de incredulitate quam maxime suspectos. Id autem a fortiori dicendum esset si solum cum incredulis amicitiam et necessitudinem haberent; si non nisi libros impios legerent; si sacras Imagines a suis aedibus expellerent; si exercitium catholici cultus uxori et filiis interdicerent; si Protestantium templa frequentarent aut ad eorum scholas filios mitterent etc.

65. Aliud tamen dici deberet quando ponantur quidem actiones quae ex se suspicionem ingererent; sed satis patere debeat ex circumstantiis quod non ex animo Religioni hostili, bene vero ex alio motivo ponuntur. Tunc agens poterit quidem peccare, sed neque fidem negabit, neque fundatam infidelitatis suspicionem dabit. Exempla dari possunt 1° in eo qui ex simplici curiositate interdum Protestantium templa inviseret; 2° in eo qui ex motivo lucri propriam operam, v. g., in fabricatione templi, in cantu etc. eis locaret; 3° in eo qui coram haereticis vel incredulis casu prandens, ex respectu humano vel ex necessitate die vetito carnem comederet. Excipe nisi per accidens haec commestio signum aperte fidei negativum evasisset; uti si prandium ea lege indictum fuisset, ut qui catholici sunt non accedant; qui vero fidei renuntiant, adveniant atque in Religionis odium carnem manducent.

## § III.

### *De fide nullo modo offendenda.*

66. Verus Christianus nedum debet fidem non negare, sed etiam (nisi forte, quod difficile erit, proportionata causa excuset) a qualibet alia actione, quae in fidei damnum cedat, abstinere. Fides multipliciter et quidem gravissime sic offendi potest. Huiusmodi offensiones sunt praecipue 1° Impios libros imprimere, venales habere aut quolibet modo diffundere; et idem dic de impiis diariis; 2° Impias comoedias repraesentare, illis favere, aut etiam simpliciter (cum fidelium scandalo) illis assistere: 3° Deputatorum aut municipalium impiorum electionem procurare; si tamen, attenta eorum activitate et influxu, ex hac electione religionis damnum praevideatur; secus enim dici deberet si viri peiores et adhuc magis religioni hostiles Reipublicae regimen obtenturi essent; 4° Protestantibus aut aliis impietates in populo disseminantibus favorem vel auxilium praestare.

## § IV.

### *De fide exercenda et profitenda.*

67. Exercitium fidei aliud est *internum*, quo quis in corde suo fidei actum elicit; et aliud est *externum*, quo quis coram aliis fidem suam demonstrat et profitetur.

Utrumque cadere sub praecepto certissima res est; sed pro praxi notanda sunt sequentia.

1° Hoc in puncto non sunt iniiciendi scrupuli illis bonis fidelibus, qui (postquam aliqua vice fecerint explicite actum fidei circa res necessarias necessitate medii et praecepti, nec non circa alia dogmata sibi proposita; item postquam generalem conceperint intentionem credendi quidquid credit S. Mater Ecclesia) actibus catholici cultus, prout debent, satisfaciunt; illud enim fidei exercitium, quod in devota Missae auditione, in signo crucis, in genuflexionibus, in participatione Sacramentorum, in oratione etc. implicite includitur, procul dubio sufficit.

2° Datur tamen obligatio exercendi fidem etiam in aliquibus circumstantiis particularibus. Quoad exercitium internum, animadvertenda est praecipue circumstantia tentationis; si quis enim tentetur contra fidem, debet statim fidem ipsam exercere, sive spernendo tentationem atque ad alia se divertendo, sive

invocando Deum et renovando fidei actum. Optimum remedium suggerit S. Franciscus de Sales, nempe ut tentatus contra fidem, actum amoris Dei illico eliciat; et sic, adveniente Daemone per portam intellectus, per portam voluntatis ab eo fugiat.

3° Quoad exercitium externum, profitenda est fides toties quoties honor Dei et charitas proximi maxime vero bonum publicum, clamant, ut quis audacter fidem profiteatur, aut fidei vindicias sumat. Id contingere potest speciatim in casu publicae persecutionis, quatenus Catholicus a tyranno captus et interrogatus, absque ulla ambiguitate et non obstante sacrificio vitae, fidem suam profiteri debet. In casibus autem minoris momenti, seu quando silentium non esset adeo scandalosum, et audax fidei professio non esset adeo utilis, (prout contingere potest si blasphemias et haereses audias aut res sacras contemni videas) tunc a circumstantiis arguendum erit, an cum tali et tali sacrificio defensionem fidei sumere aut saltem indignationem ostendere debeas; an vero potius honor Dei et proximi utilitas suadeant ut pro tunc dissimules, prout contingere potest in Missionario qui, inter haereticos vel infideles degens, maiorem fructum faciat si incognitus pro fide adlaboret, quam si aperte se esse catholicum ostendat.

68. Sed quid de illis miseris mulieribus, quae, impiissimis maritis id severe exigentibus, a quolibet catholici cultus exercitio semper abstinere coguntur; quatenus, si secus agerent, blasphemias horribiles aut etiam diras percussiones provocarent?

Resp. Si de solis blasphemiis ageretur, mulier de his curare non deberet. Abstinentia perpetua ab omni catholici cultus exercitio maximum malum est, in cuius comparatione dictae blasphemiae nihil sunt aestimandae, multo magis quia maritus videns uxoris constantiam non diu blasphemare perdurabit. Observari etiam potest, quod, si poneretur obligatio cessandi a bonis actibus propter aliorum blasphemias, doctrina ista blasphemiis iniustisque coactionibus ansam praeberet.

Si autem de percussionibus aliisve similibus malis ageretur, tunc consideranda esset rei gravitas; et, supponendo quod ex una parte de re seria, duratura et ineluctabili agatur, et ex alia parte divortium non sit expediens; in tali eventu mulier miserrima a publico religionis exercitio magna ex parte excusari poterit. Porro tunc satis erit si ipsa scandalum auferre procuret (revelando vicinis urgentissima motiva propter quae a Christianis exercitiis abstinere cogitur); et si simul eas occasiones arripiat, in quibus, sine praedictorum malorum provocatione,

aliquid boni facere poterit. Nonnullae sanctae industriae in hunc finem optime deserviunt. Quaedam mulier habens amicam nomine Mariam dicebat marito: *adivi amicam meam Mariam*. De facto autem, insolita veste induta vultuque velato, iverat ad imaginem Beatissimae Virginis in ecclesia a propria domo valde remota, eaque occasione ad Sacramentum Poenitentiae omnibus incognita accesserat. Alia expectabat circumstantiam magnae solemnitatis, et tunc dicebat: *cupio videre apparatum Ecclesiae, audire musicam etc.*; eaque occasione de facili licentiam obtinebat, et tunc multas Missas cum maxima devotione audiebat.

## § V.

### *De fide cautissime custodienda.*

69. Quaenam iactura amissione fidei potest esse maior, aut quaenam abyssus profundior? Thesaurus itaque fidei cautissime custodiri debet; et in hac custodia deficere de facili est mortale nefas. Cavendum est itaque ab impiis libris, ephemeridibus, sociis, conversationibus, nec non a quibusdam theatris et hospitiis vulgo *caffè*, et *club*. Pericula adesse solent etiam in scholis et universitatibus; necnon in officinis. Interdum adsunt etiam pericula domestica, nempe propter maritum, patrem aut fratres: vel propter herum; vel propter ministros vel famulos; vel demum propter personas extraneas fortuito aut frequenter advenientes.

70. Quomodo itaque agendum? R. Supposita gravitate periculi, videndum est imprimis an occasio sit voluntaria aut necessaria. Si sit voluntaria, tunc omnino relinquenda seu amovenda est; si vero sit necessaria, tunc imminuenda est per quantum fieri potest, et de caetero speciales cautelae adhiberi debent.

71. Sedulo notandum est, quod patres-familias aliique superiores gravissimam habent obligationem custodiendi fidem, non solum quoad seipsos, sed etiam quoad filios aliosve subditos; idque efficient 1° *arcendo* occasiones a filiis, aut filios ab occasionibus; et, quatenus hoc fieri nequeat, 2° *imminuendo et obtruncando* sermones impios per quantum possibile erit; 3° *reparando* damnum filiorum mentibus ab impiis sermonibus illatum; 4° *praemuniendo et instruendo*, si forte necesse sit ut filii in aliqua ex huiusmodi occasionibus versentur.

## PUNCTUM II.

### DE SPE

72. Circa spem pauca in praxi occurrunt. Breviter itaque me expedio, et noto dumtaxat sequentia.

Spes est virtus supernaturalis, qua inclinamur ad expectandam aeternam beatitudinem ex gratia Dei et bonis operibus nostris.

Contra spem peccari potest dupliciter, nempe per defectum et per excessum.

73. Per defectum peccant 1° Qui in desperationis barathrum se coniiciunt, eo quod non sperent se posse abstinere a peccatis, aut veniam peccatorum consequi, aut ad aeternam salutem pervenire. Attamen desperatio confundi non debet nec cum timore damnationis (qui tamen interdum potest esse excessivus), nec cum tentatione desperationis, qua non raro animae etiam piissimae pulsantur. Quod ceapse in illis non de vera desperatione, sed de sola tentatione vel de solo timore excessivo agatur, patet quia a bene agendo minime cessant. Porro qui sunt in statu verae desperationis non iam bonis operibus attendunt, sed in peccatorum abyssum solutis habenis praecipitant. Peccant 2° qui propter nimium huius vitae amorem a concipiendis actibus spei salutis aeternae adeo longe absunt, ut a quovis alterius vitae aeternaeque beatitudinis recordatione quam maxime abhorreant. Homines huiusmodi aeternam Dei possessionem flocci faciunt et quasi pro infortunio habent; et sic (nisi ignorantia excusentur) non leviter delinquunt. Peccant 3° qui, adveniente tentatione desperationis, actum spei non eliciunt, et qui huiusmodi actum adeo *necessarium* per longum tempus elicere negligunt. Dico *adeo necessarium*; actus enim spei efficit ut spes ipsa viva servetur; spes autem maximam habet vim in corde hominum. Nonne enim praemii aeterni spes infundit animum? Nonne accendit bonorum operum desiderium? Nonne efficit ut difficultates, quae in via salutis passim occurrunt, audacter superentur? Caeterum hac etiam in re bonis christianis non sunt scrupuli iniiciendi; ipsi enim satis superque spem exercent, v. g., dum suarum culparum veniam petunt, dum ad confessionem accedunt, et dum pro obtinenda salute aeterna abstinent a peccatis et bona opera faciunt.

74. E contra peccant per excessum 1° qui praesumptionem, seu magnam obtinendi salutem aeternam spem habent, quamvis

scelestissimam vitam ducant, atque in illa perseverare velint; 2° qui spe veniae et misericordia Dei ad liberius peccandum abutuntur.

75. Notari potest quod Christifideles peccata ista, quae contra spem committi possunt, communissime ignorant, et de illis nullam conscientiam sibi facere solent. Attendant tamen Confessarii et considerent, quod tam defectus quam excessus spei sunt causa plurimorum peccatorum, et damnationis animarum innumerabilium. Praesumptio est communissima et fere universum populum Christianum invadit. Desperatio est quidem rarior, sed quid illa periculosius? Quid horribilius?

## APPENDIX

### DE ORATIONE.

76. Omnem quidem spem nostram in Deo collocare debemus, sed dummodo assiduis precibus eum deprecemur.

Vera et gravis adest orandi obligatio. Imo valde probabile est quod oratio necessaria sit non solum de necessitate praecepti, sed etiam de necessitate medii.

Peccant graviter hoc in puncto speciatim 1° qui tempore gravis tentationis Deo non recurrunt; 2° qui menses et annos sine ulla oratione transigunt.

77. An sit peccatum omittere solitas preces vespere et mane? Resp. Aliqua culpa venialis in hoc recognosci debet; idque patet ex sensu communi fidelium, qui de hac omissione se accusant; et confirmatur tum ex verbis Christi « Oportet semper « orare », tum ex magna orandi convenientia et necessitate. Maxime enim convenit ut gratias quotidie necessarias quotidie petamus; item ut nos ipsos quotidie ad languorem propendentes quotidie excitemus atque accendamus; denique ut Domini Dei nostri quotidie erga nos adeo benefici quotidie reminiscamur.

78. An et quale sit peccatum orare mente distracta, vel etiam cum externa divagatione?

Resp. Distractiones mere internae (iuxta probabilem multorum Theologorum doctrinam) gravem irreverentiam graveque peccatum nunquam constituunt, atque orationem modo substantiali minime corrumpunt; verba enim, quae mente distracta proferuntur, quamvis non habeant vim ab attentione actuali; illam tamen habent ab intentione quae initio orationis concepta fuit, in cuius virtute proferuntur. Aliqua tamen irreverentia

in his distractionibus certe adest ; et proinde ( si sint voluntariae ) venialis culpa non deest ; idque verum est quamvis orationes, quae recitantur, de praecepto non sint.

Si autem loquamur de externa divagatione, haec potest esse tanta ut orationem substantialiter corrumpat ; et tunc peccatum mortale adesse potest 1° si oratio illa sub gravi praecepto cadat, neque intentio supplendi habeatur ; 2° si huiusmodi divagatio grave scandalum aliis afferat ; prout potest contingere speciatim quoad Sacerdotes, qui in choro garrulitati, susurrationi, risui indulgentes non leve populo scandalum praebere possunt.

## PUNCTUM III.

### DE CHARITATE ERGA DEUM

79. Ad bene cognoscendum quid sit charitas erga Deum, oportet prius dicere aliquid de amore Dei ; charitas enim in amore fundamentum habet, seu species amoris est.

Amor Dei est affectus, quo aut bonum Deo aut Deum nobis exoptamus Qui bene vult Deo aut cum Deo uniri exoptat, is Deum amat.

Amor iste potest esse imperfectus et perfectus.

80. Imperfectus contingit quando quis amat Deum ex solo motivo utilitatis propriae. Exemplum habes in eo qui sic dicat : = Deus mihi innumera cuiusvis generis beneficia facit ; ergo illi bene volo = ; vel : = Deus post mortem suo conspectu me felicem reddet ; ergo ad hanc felicitatem consequendam illum possidere cupio =. Amor huiusmodi ( qui dicitur *servilis*, quatenus amori servorum assimilatur ) bonus est * ; imo, si detestationem peccatorum et propositum nunquam graviter peccandi contineat, proxima erit dispositio ut ope sacramentalis absolutionis iustificatio obtineatur ( Trid. Sess. XIV. c. IV ). Nihilominus amor huiusmodi est imperfectus, ut dixi, et verum charitatis actum minime constituit. Charitas in amore perfecto residet.

81. Ad amorem perfectum ( qui dicitur etiam *filialis* ), seu ad actum charitatis constituendum ( qui actus, ut notissimum

* Intellige nisi sit *serviliter* servilis, prout esset si quis diceret : = Si Deus beneficia mihi non faceret, illum non amarem =. Quod autem amor simpliciter servilis bonus sit, patet etiam ex sequenti prop. ab Alex. VIII damnata : « Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum *mere* ut obtinea « coelestem gloriam, non est recta nec Deo placens ».

est, hominem statim iustificat), duo requiruntur. 1° Ut Deus ametur super omnia, ita ut homo paratus sit abstinere a peccato mortali quovis pacto (quod quidem, ut modo dicebam, exigitur etiam in amore imperfecto, ut, accedente Sacramento, ad iustificationem disponat). 2° Ut Deus ametur non ex solo motivo utilitatis propriae sed ex motivo nobiliori; et haec est differentia essentialis quae amorem perfectum ab imperfecto distinguit. Sed hoc in puncto explicationes necessariae sunt.

82. Quidam Sancti amabant Deum adeo unice propter eius infinitam bonitatem, ut dicerent, v. g., se esse paratos ad Deum amandum quamvis Paradiso eos privaret, et quamvis in infernum eos coniiceret. Hoc modo quodlibet propriae utilitatis motivum prorsus excludebant. Sed haec exclusio non est necessaria; et charitas perfecta, imo perfectissima, stare potest quamvis in ea motivum propriae utilitatis admisceatur, dummodo motiva nobiliora praedominent. Hinc Innocentius XII sequentem damnavit propositionem: « In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus « amplius salutem ut salutem propriam, ut liberationem aeter- « nam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse « omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena, ut glo- « riam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam « nos vult velle propter ipsum ». Nonne enim secus actus charitatis difficillimus esset? Imo S. Th. et S. Franc. Salesius, huiusmodi actum impossibilem esse dicebant. D. Th. (2. 2. q. 26. a. 13. ad 3) dixit: « Si Deus non esset hominis bonum, non esset ei « ratio diligendi »; et Salesius (Dell'amor di Dio P. 2. L. 4. c. 10) subiunxit: « Illum existimaremus, sed non amaremus ». Sed quomodo mandatum de diligendo Deo verae charitatis amore, quod omnium primum et maximum est (« Diliges Dominum Deum « tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente « tua: hoc est maximum et primum mandatum »), quomodo, inquam, mandatum istud difficillimum et prope impossibile observatu erit? Utique opinio de magna difficultate eliciendi actum amoris perfecti est valde diffusa; sed falsa esse debet, et a Iansenismo originem aut saltem magnum fomentum habuit.

Hinc si dicerem: = Mi Deus, quam bonus es, quam beneficus, quam pius, quam clemens, quam misericors! Eheu quantum passus es pro nobis etc.! Te itaque ex toto corde diligo etc. =; si, inquam, sic dicerem, quamvis recogitarem quod non solum in se et pro aliis, sed etiam pro me Deus est bonus, beneficus etc.; sine dubio actum perfectae charitatis emitterem. — Si enim amare debeo Deum prouti est, et si ipse est bonus non solum

pro aliis sed etiam pro me, eccur aderit imperfectio si diligam eum *etiam* quia est bonus pro me? Differentia itaque inter amorem imperfectum et perfectum, est quia in primo amatur Deus *solum* ex motivo utilitatis propriae; in secundo autem amatur Deus ex motivo nobiliori, quamvis *etiam* motivum propriae utilitatis admisceatur. Vide Gury ( n. 217. not. a et b ), D' Annibale ( Summula n. 12 ), et Frassinetti ( not. 24 ).

Charitas perfecta adesset quoque in eo, qui ad Dei possessionem anhelaret ad modum filii qui ad patrem suum, vel amici qui ad amicum suum ire desiderat, ad instar Apostoli dicentis: « Cupio dissolvi et esse cum Christo » ; et huius desiderii perfectioni nihil obstaret cogitatio de felicitate et beatitudine ineffabili, quae a Dei ipsius possessione profluit. Rectissime dixit Frassinetti ( l. c. ): « Nonne ridiculus esset amicus, qui, ut « melius amicum suum diligeret, illum amare vellet ab omnibus « amicitiae bonis praescindendo illisque renuntiando, ita ut de « felicitate simul standi, simul alloquendi et consolationem re- « cipiendi nihil cogitare deberet? Quam stupida amicitia esset « ista? ».

83 Quaeritur quando urgeat obligatio eliciendi actum charitatis erga Deum?

Resp. Qui iam habitualiter diligunt Deum amore filiali, et proinde quam maxime cordi habent, ne per peccatum mortale illius amicitiam amittant, circa huius praecepti observantiam nullum scrupulum habere debent, ut per se patet.

Qui vero, vel in peccatis mortalibus vitam ducunt, vel ex solo damnationis timore a peccatis abstinent, et consequenter cum sola attritione confiteri solent, circa praeceptum istud valde deficere possunt. Certum est enim quod unusquisque saepius in vita et cum quadam frequentia huic praecepto adeo fundamentali satisfacere, Patremque suum coelestem amore filiali diligere debet. Quum tamen ( nisi agatur de negligentia enormi, v. g., per annos ) in theoria praecise determinari nequeat, quando actus charitatis perfectae sub gravi eliciendus sit; ideo etiam in praxi Confessarius non de facili rem determinabit, sed potius, exhortationibus dumtaxat utendo, curabit ut poenitentes de hoc ipso actu eliciendo valde solliciti sint.

## ARTICULUS II.

### DE SECUNDO DECALOGI PRAECEPTO

81. « Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum ». In primo praecepto Deus exigit ut unusquisque illum honoret ; in hoc autem prohibet ne quis illum inhonoret. Deus autem inhonorari solet praecipue 1° blasphemia et vana usurpatione eius SS.mi Nominis ; 2° iuramentis ; 3° votis non servatis : 4° superstitione ; 5° sacrilegio. Sit itaque

### PUNCTUM I.

#### DE BLASPHEMIA ET VANA USURPATIONE SANCTISSIMI DEI NOMINIS

85. Blasphemia est peccatum mortale, et consistit in verbis, quae in magnum Dei dedecus redundant.

Est *immediata*, si Deum ipsum in se inhonoret. Est *mediata*, si inhonoret Deum in eius Sanctissima Matre vel in eius Sanctis.

Distinguitur etiam in haereticalem et simplicem.

Est *haereticalis*, quando exprimit errorem contra fidem, dicendo, v. g., = Deus est iniustus =, = Deus nos fecit et postea nos dereliquit =, = Ne Deus quidem potest hoc facere = : vel attribuendo Deo aut B. Virgini quaedam indignissima, prout faciunt illi scelestissimi, qui ira excandescentes Nomini Dei vel B. Virginis addunt epiteta horribilia, a quibus hic exprimendis calamus refugit. Si quis autem non solum lingua diceret, sed etiam mente crederet Deum esse iniustum, improvidum etc., tunc blasphemia non haereticalis dumtaxat, sed *haeretica* esset. Notandum tamen quod locutiones = Id verum est quantum est verus Deus =, = Id quod dico est Evangelium =, = In hoc sum innocens sicut Deus =, non blasphemiae haereticales, sed dumtaxat vanae nominis Dei usurpationes aestimantur ; verba enim huiusmodi ad modum comparationis vel similitudinis hyperbolicae proferri solent. Idem dic de adamantibus, qui amore excoecati dictitant : = Tu es mea Dea, tu es idolus meus =.

Blasphemia autem est *simplex*, quando verba in magnum quidem Dei dedecus redundant, sed nihil contra fidem continent. Huiusmodi sunt locutiones : = Male sit Deo (*managgia Dio*), = In contemptum Dei id faciam (*lo farò a dispetto di Dio*) =, = *Colui di Dio* = etc.

86. Quaer. 1° an verba = Corpus Dei, corpus Dominae =,

= Sanguis Dei, sanguis Dominae =, = Per Deum, per Dominam =, = Christus =, = Hostia Dei =, = Sacramentum =, = Sacrum nomen Dei ( Sacré nom de Dieu ) =, magnam Dei et B. Virginis inhonorationem et proinde peccatum mortale contineant ?

Resp. Haec verba, si proferantur cum magna ira ( quamvis ira non Deum aut B. Virginem, sed creaturas respiciat), communissime apud nos pro magna et gravi irreverentia sensu populi habentur; unde in magnam Dei et B. Virginis inhonorationem redundant, et a peccato mortali excusari nequeunt. Aliqui dicunt : verba ista in se considerata nihil probri, nihil convicii, nihil contumeliae continent; quomodo ergo gravem irreverentiam secum ferre possunt ? Respondeo. In Calabria vulgare est effatum *Sanctus Diabolus*. Hoc in se consideratum honorem Diabolo praebet ; attamen in sensu populi pro signo honoris Diabolo praestiti minime habetur. Hae itaque in re verba non sunt consideranda in se, bene vero in sensu populi. Atqui verba praedicta, si cum clamore et magna ira proferantur, magnum faciunt horrorem, et sensu populi apud nos pro magna irreverentia ab omnibus habentur, ut dixi.

Donec itaque huiusmodi sensum blasphemum habeant, a peccato mortali, nisi inadvertenter e lingua excidant ( prout infra explicabo ) excusari nequeunt, ut recte docet P. Segneri ( Crist. istr. P. 1. R. 8. n. 4 ). Adde quod huic gravi contra Deum irreverentiae scandalum superadditur, quatenus viri sic pessime habituati in causa sunt cur in familiis et paroeciis istae blasphemiae perpetuentur.

Si autem haec ipsa verba cum clamore et cum magna ira minime proferantur ; tunc ( etiam in nostris locis ) distinctiones fieri debent. Apud rudes existimantur blasphemiae eodem, et forsan peiori modo. Apud alios autem tamquam simplices usurpationes nominis Dei aut B. Virginis, et proinde tamquam peccata venialia communiter habentur. Recte tamen advertit Scavini quod huiusmodi locutiones in ore Sacerdotum magnum Christi-fidelibus scandalum praebere solent, unde in ipsis a peccato mortali difficile excusari poterunt.

Notari potest etiam quod communiter maior horror habetur si dicatur *sanguis ;* minor autem si dicatur *corpus ;* adhuc demum minor si dicatur *per Deum.*

87. Quaer. 2° An peccent qui blasphema verba obtruncant et alterant, aut illis aliud addunt verbum, quod sensum blasphemum destruit ?

Resp. Isti certe non blasphemant, et aperte indicant se blasphemare nolle. Si tamen in huiusmodi locutionibus essent habituati, aliquod scandalum praeberent et in aliquod vere blasphemandi periculum se coniicerent; unde ab omni prorsus culpa excusari non debent. Croix L. 3. p. 1. n. 252.

88. Quaer. 3° An dentur revera casus, in quibus blasphemiae, propter irae furorem aut propter inveteratam consuetudinem, inadvertenter e lingua excidant; et, quatenus affirmative, an tunc ad culpam imputari debeant?

Resp. Certum est quod blasphemiae in pluribus ex magna assuefactione evaserunt tamquam intercalaria, quae (ut omnes norunt) saepe saepius sine ulla advertentia proferuntur et in sermone miscentur. A fortiori quoad huiusmodi habituatos id debet admitti, si insuper magna ira praeoccupentur; tunc enim facta et dicta etiam minus consueto considerantur. Vide D. Thomam (2. 2. q. 13. a. 2. ad 3), et S. Ligorium, qui, quamvis alicubi contrarius sit, attamen hanc inadvertentiam posse dari, evidenter admittit n. 24 de Act. humanis.

Quatenus autem blasphemiae sine ulla advertentia prolatae fuerint, ad culpam imputari nequeunt, nisi sint voluntariae in causa; tunc scilicet reatus non potest contrahi quando blasphemiae proferuntur; bene vero contrahi potuit antea, si forte blasphemator de suo pessimo habitu, et de obligatione apponendi remedium cogitaverit, et nihilominus de hoc ipso remedio sollicitus esse noluerit; sic enim in causa reus fuisset. Attamen hic etiam reatus in causa practice non de facili praesumendus est, tamquam mortalis; ecquis enim ex illis, qui identidem confitentur et post confessiones aliquam curam adhibent ut se emendent, advertit se in procuranda emendatione esse graviter negligentem et proinde se peccare mortaliter? Vide notam Ballerinii ad Gury n. 300. 3°.

89. Quaer. 4° An blasphemiae contra Sanctos, contra B. Virginem, contra Sacramentum, et contra Deum specie inter se differant?

Resp. In confesso est apud omnes quod blasphemia simplex specie differt ab haereticali; an vero blasphemiae contra Sanctos, contra B. Virginem et contra Deum inter se specie differant, id apud Theologos dubium est. Sed sensus communis Christifidelium habet, quod specie differant; ipsi enim, quamvis a Confessariis generatim non interrogentur, blasphemias istas constanter distinguunt. Haec praxis adeo constans est valde attendenda, nec de facili in errore fundatur. Multi Theologi dicunt:

In his blasphemiis eadem semper virtus, nempe religio offenditur; nec modus est substantialiter diversus; qui enim blasphemat Sanctos, reipsa blasphemat Deum. Sed ratiocinium istud erroneum videtur, tum quia fideles dum blasphemant Sanctos sciunt quidem se offendere Deum, sed nullo modo eum blasphemare intendunt; tum etiam quia modus esset semper substantialiter diversus: aliud enim est blasphemare Deum directe, et aliud blasphemare eum indirecte dirigendo blasphemias contra eius Matrem Divinam, vel contra Sanctos. Praeterea, si specie differunt sacrilegia personalia, localia et realia, quamvis in his eadem virtus semper offendatur (quatenus totus reatus ab eo pendeat quod agitur de obiectis Deo dicatis), et quamvis inter locum sacrum, et rem sacram non adeo magna differentia adesse videatur: eccur in casu nostro (quandoquidem obiectorum differentia est adeo maior) quaevis specifica differentia abesse poterit?

## PUNCTUM II.

### DE IURAMENTO

90. Circa iuramentum inquirenda sunt tria, nempe 1° Quid sit iuramentum? 2° Quomodo peccari possit in iuramento emittendo? 3° Quomodo peccari possit in iuramento non servando?

### QUAESTIO I.

*Quid sit iuramentum?*

91. Iuramentum est assertio vel promissio firma. Iuramentum autem per Deum (de quo hic loquimur) est ⩢ invocatio Dei in testimonium alicuius rei ⩣. Distinguitur in promissorium, assertorium, imprecatorium, et comminatorium,

Promissorium est quando quis aliquam promissionem iuramento confirmat. Hoc casu dicitur etiam accessorium.

Assertorium est quando quis non promissionem sed meram assertionem iuramento confirmat, v. g., ⩢ Iuro per Deum me revera ivisse Romam ⩣. Hoc casu dicitur etiam nudum, simplex, per se stans.

Imprecatorium est quando quis Deum invocat non solum ut sit testis, sed etiam ut sit vindex si ea res vera non sit, v. g., ⩢ Deus ictu apoplectico me percellat si mentiar, vel si promissis non stetero ⩣.

Comminatorium est quando quis aliquam comminationem iuramento confirmat, v. g., = Per Deum, punitionem non effugies =.

92. Theologi indicant quales expressiones sint iuratoriae, et quales non. Dicunt iuratorias esse = Iuro per Deum =, = Deum attestor =, = Sit mihi testis Deus =, = Iuro per omnes Sanctos =. Item = Iuro per solem, per coelum, per terram (nempe per potentiam Dei) = Iuro per Crucem, per Altare, per Sacramenta (nempe per misericordiam Dei) =, = Iuro per Evangelium (nempe per veracitatem Dei) =.

Dicunt e contra non esse expressiones iuratorias = Iuro (nisi praecesserit interrogatio de iuramento per Deum praestando) =, = Iuro coram Deo =, = Deus scit =, = Est mihi testis Deus =, = Quantum est verus Deus, vel quantum est verum Evangelium =, = Iuro per animam meam =, = Iuro per vitam Patris mei =, = Iuro per Iovem =, = Possem iurare =, = In conscientia =, = In fide Sacerdotis, principis, viri honorati etc. =, = Sim nequam, evadam caecus, moriar etc. =

Sed ad decidendum cum securitate an expressio aliqua sit vel non sit iuratoria, standum est sensui quem expressio ipsa habet in loco. Sic apud nos si quis dicat : = Iuro per solem et per terram = intelligitur iocari; et e contra si in re gravi dicat : = Res ita est; iuro =, quod vere iuret intelligitur. Adverti debet insuper, quod iuramentum emittitur etiam sine verbis et solis signis, ut puta, faciendo crucem, tangendo Evangelium etc.

93. Demum iuramentum potest esse verum et fictum. Est verum, si iurans habeat reipsa intentionem invocandi Deum in testem ad minus implicite, quatenus intendat facere id praecise quod faciunt alii quando serio iurant. Est autem fictum si iurans intendat dumtaxat formula iuratoria, seu nomine Dei vel sanctorum vel rerum sacrarum, uti, ut illi qui audiunt melius credant. Vide Gury et notam ad n. 307.

### QUAESTIO II.

*Quomodo peccari possit in iuramento emittendo?*

Peccari potest quatuor modis, nempe si emittatur sine veritate, vel sine iudicio, vel sine iustitia, vel contra prohibitionem alicuius legis positivae. Singula breviter explico.

94. *Sine veritate.* Id contingit quando iuramentum adhibetur ad confirmandum mendacium; et hoc dicitur periurium, estque

semper peccatum mortale, quamvis mendacium in se forte esset leve. Porro invocare Deum, ut sit testis mendacii, nonne semper magnum crimen erit?

95. Sed quid si iuramentum esset fictum, nempe si verba quidem iuratoria proferantur sed sine intentione iurandi?

In hoc casu deformitas est valde minor, maxime si illi qui audiunt aperte deprehendere debeant quod de re non seria sed ficta agitur. Si tamen fictio nullo modo extrinsecus appareat, tunc qui formula iuratoria, seu nomine Dei vel Sanctorum vel rerum sacrarum sic abutitur, atque in re gravi proximum decipit, a gravi peccato excusari nequit. Secus si de re levi ageretur, ut docet Suarez (c. 17). Vide Viva in Prop. XXV Inn. XI. n. 6.

96. Licitum tamen est prorsus (si proportionata causa id postulet) verum iuramentum apponere propositioni falsae quidem sed cum tali restrictione externa coniunctae, quae sufficienter reddatur manifesta, vel suapte natura subintelligatur. Hinc Confessarius, interrogatus de auditis in confessione, potest iurare se nihil scire; tunc enim subintelligitur restrictio, quasi diceret: ⌜Nihil scio quod dicere possim⌝; et haec restrictio efficit ut non falsum, sed verum iuretur. Secus si restrictio esset stricte mentalis, si nempe percipi non possit, ut puta, si quis dicens: ⌜Iuro me esse tibi daturum duos aureos⌝, in mente sua reconderet restrictionem *pictos*.

Quid autem dici debeat de falsis mercatorum et proxenetarum iuramentis, patebit ex dicendis, ubi de emptione et venditione agam.

97. *Sine iudicio*. Id contingit quando iuramentum adhibetur inutiliter aut imprudenter; nempe 1° si absque causa gravi vel saltem notabilis momenti emittatur; 2° si malas consequentias habere possit, redundando, v. g., in damnum religionis, in scandalum etc.; 3° si emittatur cum periculo iurandi falsum. In primo casu peccatum veniale non excedit; quum enim res sit vera, non magna irreverentia reputatur, si Deus ex causa non satis gravi invocetur. Ita sentiunt Theologi communissime. In secundo casu gravitas vel levitas peccati pendet a gravitate vel levitate damnorum, quae praevidentur. In tertio casu demum, si res absolute (et proinde ut certa) affirmetur, et si periculum errandi sit grave; peccatum erit mortale. Attamen admittunt omnes, quod, ut iuramentum modo absoluto emitti possit, sufficit si de rei veritate certitudo moralis habeatur, quamvis nempe aliquod leve dubium in contrarium adsit. Ratio

est quia? dum quis dicit: = Iuro rem ita esse =, semper subintelligitur restrictio = Per quantum morali certitudine mihi constat =.

98. *Sine iustitia.* Id contingit quando iuramentum rem iniustam vel quomodolibet iniquam pro obiecto habet; ut puta, si ad confirmandam murmurationem vel promissionem committendi rem malam adhibeatur.

99. Quoad murmurationem, si haec sit mortalis, tunc etiam iuramentum, quod ad illam credibiliorem reddendam adhibetur, mortale erit. Si e contra murmuratio sit levis, tunc etiam iuramentum, utpote quod leve damnum infert, leve erit. Neque dicas esse graviter Deo iniuriosum; Deus enim non invocatur ut approbet malum murmurationis, sed solum ut sit testis rei narratae quatenus est vera. In hoc gravem irreverentiam Theologi non recognoscunt, ut patet ex eorum sententia communissima. Vide cl. Ballerini apud Gury n. 309.

100. Eadem distinctio fieri debet si iuramentum adhibeatur ad confirmandam promissionem rei malae. Si enim agatur de gravi delicto, tunc iuramentum, quod adhibetur ut maior impulsus ad illud committendum habeatur, a gravi peccato excusari nequit; secus vero si de re leviter mala ageretur; tunc enim in malum leve dumtaxat influeret. Neque dicas hic quoque, iuramentum de levi peccato committendo esse graviter Deo iniuriosum. Non enim invocatur Deus ut sit fideiussor huius peccati (prout aliqui erronee dicunt), neque ut illam pravam promissionem approbet: sed dumtaxat ut promissionis ipsius, quatenus vere et ex corde emittitur, sit testis; et in hoc pariter gravem irreverentiam Theologi communius minime recognoscunt. Vide Suarez (Tr. 5. l. 3. c. 19. n. 3).

101. *Contra prohibitionem alicuius legis positivae.* Ius canonicum vetat, ne clerici absque licentia Ordinarii, et ne Episcopi absque licentia Papae iurent *in iudicio* coram iudice laico. Lex ista viget, speciatim in Italia; unde si clericus sine dicta licentia in iudicio iuraret, procul dubio peccaret. Vide Scavini (Vol. 2. n. 74).

102. Petes an liceat emittere iuramentum fidelitatis erga Rempublicam? Resp. Si Respublica sit in concordia cum Ecclesia, tunc iuramentum fidelitatis, etiam sine ullis clausulis (vulgo *illimitato*) de facili licet; ut patet a publico pacto (*concordato*) statuto inter Pium VII et Napoleonem I, in quo Summus Pontifex concessit ut etiam Episcopi illud sic emitterent. Si autem Respublica in concordia cum Ecclesia minime

sit ; tunc, sive Gubernium sit intrusum sive sit legitimum, Ecclesia solet concedere, ut praestetur quidem iuramentum non obstandi imo et obediendi, sed cum expressa clausula *salvis legibus Dei et Ecclesiae*, seu *salva religione catholica*. Interdum concessit etiam ut haec clausula non exprimeretur, idque permisit quando Reipublicae moderatores publico edicto prius monuerunt, quod iuramentum in sensu ab ea ipsa clausula expresso accipiebatur. Dices : nonne, consideratis circumstantiis personae iurantis (si nempe ille qui iurat tamquam sincerus catholicus ab omnibus cognoscatur), huiusmodi clausula semper subintelligitur? Resp. Interdum subintelligi poterit, et interdum non. Si enim illi, qui iuramentum proponunt, declarassent illud non acceptari nisi modo absoluto emittatur quia nullum sensum restrictivum patitur ; tunc quomodo clausula praedicta subintelligi posset? Quamvis autem res essent ita dispositae, ut, subtiliter considerando, alicui bonae interpretationi locus remaneret ; tunc etiam non semper id satis esset. Multoties enim circumstantiae (v. g., scandali) et consequentiae possunt esse tales, ut iuramentum nihilominus illicitum remaneat. Hinc Catechismus Romanus agens de eo, qui ad iurandum se disponit, dicit : « Tempus praeterea spectet, locum attendat, alia- « que permulta, quae rebus adiuncta sunt, circumspiciat ». Hoc itaque in puncto iudicium Ecclesiae inquirendum erit, eiusque decisioni standum.

### QUAESTIO III.

*Quomodo peccari possit in iuramento non servando?*

103. Casus iste potest habere locum in iuramento alicui promissioni adiecto. Dico *promissioni*, et non dico *intentioni* ; si enim quis iuret se habere intentionem aliquid faciendi, non peccat si intentionem mutet, remque propositam minime faciat.

104. Supponendo igitur quod iuramentum adiiciatur promissioni ; haec potest esse de re gravi, ut puta, si quis dicat : ⁂ Iuro me esse daturum tibi centum aureos ⁂ ; et tunc, si promissio, seclusa iusta causa, non adimpleretur, peccatum esset mortale, et quidem non solum contra fidelitatem sed etiam contra religionem.

Sed promissio potest esse quoque de re levi, ut puta, si quis dicat : ⁂ Iuro me daturum esse tibi pomum ⁂. In hoc casu, si pomum non daretur, peccatum tum contra fidelitatem tum

contra religionem veniale esset. Viget enim hic quoque ratio pluries supra allata : quod scilicet iurans non iam adducit Deum ut testem aut ut fideiussorem rei in posterum praestandae, sed dumtaxat ut testem promissionis praesentis. Haec autem circumstantia, quod nempe obligatio coram Deo seu Deo teste contrahatur, efficit quidem ut maiori sollicitudine ac diligentia, et non solum virtute fidelitatis, sed etiam virtute religionis, servari debeat ; sed minime efficit ut obligatio, si sit levis, gravis evadat ; sicut enim Deo teste quis se obligare potest in re gravi et sub gravi, ita etiam se obligare potest in re levi et sub levi. Ita sentiunt Theologi multi. Vide S. Lig. n. 173. et Hom. Ap. n. 13.

105. Innui, adesse posse iustas causas, quae ab adimplendo iuramento excusent. Postulabis itaque quaenam sint causae istae?

Resp. Prima est *si iuramentum omnino non teneat.* Id contingit 1° si respiciat rem sive graviter sive leviter illicitam, ut puta, si quis iuravisset se commissurum esse homicidium vel dicturum esse mendacium ; iuramentum enim non potest esse vinculum iniquitatis. 2° Si respiciat rem inutilem seu otiosam. Legitur apud S. Ligorium (n. 176) : « Iuramentum non potest « esse vinculum.... vanarum rerum ac otiosarum, ad quas Deus « non vult nos obligari ». 3° Si tendat ad confirmandam promissionem ipso iure ob bonum commune irritam aut rescindibilem, v. g., si quis ex metu gravi cogeretur sponsalia contrahere, eaque iuramento confirmare. Huc reducitur casus illius, qui metu gravi compulsus pecuniam se esse grassatori allaturum iureiurando promisit.

Secunda causa est, *si agatur de casu ad quem iuramentum non extenditur.* In iuramento enim de re futura aliquae conditiones semper subintelliguntur. Principales sunt sequentes. In promissione gratuita : $\sqsupset$ Si is, cui promissio fit, eam acceptaverit $\sqsupset$, $\sqsupset$ Si potero sine gravi difficultate $\sqsupset$, $\sqsupset$ Si res non fuerint notabiliter mutatae $\sqsupset$. In iuramento comminatorio : $\sqsupset$ Nisi fueris emendatus $\sqsupset$. In iuramento apposito contractui bilaterali : $\sqsupset$ Si alia pars obligationi suae satisfecerit $\sqsupset$, $\sqsupset$ Nisi alia pars iuri suo renuntiaverit $\sqsupset$ etc. Unusquisque videt quod, si conditio suapte natura in iuramento implicita non verificetur, tunc causa a iuramento ipso servando legitime excusans manifeste aderit.

Tertia causa est *irritatio*, et *dispensatio;* sed circa hoc punctum remitto lectorem ad Theologos.

## PUNCTUM III.

### DE VOTO

106. Peccatum in ipsa emissione voti interdum adesse potest ; idque speciatim in duobus casibus.

Primus est si clericus absque vocatione et male habituatus solemne votum in Subdiaconatu emittat. Dicerem tamen quod, rigorose loquendo, peccatum consisteret potius in Ordine suscipiendo, quam in voto emittendo. Hoc autem peccatum multo magis aggravaretur, si positivam violandi votum et in peccatis carnalibus perseverandi intentionem haberet.

Alter casus est, si quis temere et absque sufficienti consideratione votum magni momenti, (v. g., perpetuae castitatis) emitteret. « Displicet ei (Deo) infidelis et stulta promissio.... ; « multoque melius est non vovere, quam post votum promissa « non solvere » (Eccl. 5). In praxi tamen huiusmodi defectus bona fide contingere solet.

107. Peccatum multo saepius in violatione voti locum habet. Nulla tamen violatio adest 1° si votum ab initio non tenuerit ; 2° si postea corruerit. Hi duo casus sunt explicandi.

Votum itaque ab initio non tenet 1° Si non agatur de voto vero. Rudes nonnunquam simplex propositum cum voto confundunt ; at vero votum non est propositum, sed promissio facta Deo. In praxi promissio a proposito distinguitur, si poenitens, interrogatus an crediderit se peccare votum non servando, respondeat affirmative.

II° Si votum fuerit de re sive illicita, sive insulsa, sive impossibili, sive melioris boni impeditiva. Hinc Theologi dicunt quod votum, ut sit validum atque a Deo acceptetur, de meliori bono esse debet. — Ad decidendum autem an aliquid sit melius bonum, considerandae sunt etiam circumstantiae. Hinc, quamvis castitas perpetua bonum excellentissimum sit, nihilominus mulier coniugata sine viri consensu illam vovere non potest ; et idem dic si eadem mulier alia vota faceret suo statui minime convenientia. Quando tamen res in se est melior (v. g., castitas perpetua), si etiam sit in potestate voventis illam laudabiliter servare : tunc votum semper tenet ; nec obstat si vovens ex propria culpa illam non sit servaturus, aut etiam si, dum votum facit, intentionem illud servandi minime habeat.

III° Si vovens non cum plena deliberatione votum emiserit: nequit enim supponi quod Deus exigere velit executionem voti (maxime si sit grave et laboriosum) ab eo, qui, dum votum ipsum emisit, plene sui compos minime erat (S. Lig. n. 196).

IV° Si vovens se ullam contrahere obligationem minime cognoverit. Sed quid si animadverterit quidem se ad aliquid obligari, sed voti materiam implicite dumtaxat et confuse cognoverit? Iuvenis, v. g., vovet castitatem perpetuam, quia audit votum istud esse Deo acceptum; sed, quid sit castitas ista, ignorat. Valetne hoc votum? Resp. Si hic iuvenis, ne suspicaverit quidem quod de re gravissima agitur, tunc votum non tenet. Si vero cognoverit quod votum istud grave et gravissimum in posterum esse poterit; et nihilominus illud emiserit, quasi intra se dicens, v. g.: *facio hoc votum, et, quando cognovero qua de re agatur, non obstante quocumque sacrificio, pro amore Dei illud servabo;* tunc votum tenet.

V° Si error substantialis, sive circa materiam voti sive circa voti ipsius motivum, interfuerit. Exempla dari possunt 1° in puero qui votum castitatis emittat credens quod castitas perpetua absque ulla difficultate servari possit. 2° in eo qui voveat calicem aut peregrinationem, credens quod calix sit ex aurichalco dum est aureus, aut quod peregrinatio constet centum milliariis, dum mille milliariis constat; 3° in eo qui voveat eleemosynam facere Titio, quia existimat illum esse pauperem, et e contra dives sit. Dixi error *substantialis;* errores enim accidentales (nempe parvi momenti) voti validitati non officiunt.

VI° Si votum ex metu gravi, iniusto et incusso ad hoc emissum fuerit. Id contingere potest in eo qui contra propriam voluntatem cogatur professionem religiosam emittere aut Subdiaconatum suscipere. Attamen qui haec vota solemnia sic emiserit (bono publico id exigente) solum ex iudicio Ecclesiae liber evadere potest. S. Lig. L. 6. n. 810, et Acta S. Sedis T. 7. p. 85.

Pro praxi notare refert quod votum irritum, quamvis renovatum fuerit quia validum credebatur, per hoc firmum non evadit. S. Lig. n. 238.

108. Casus autem, in quibus votum corruit, sunt sequentes: 1° Si obtenta fuerit dispensatio. (De modo hanc dispensationem petendi agam infra, ubi de officio Confessarii verba faciam).

II° Si voti executio evaserit impossibilis aut illicita; idque non solum partialiter, sed totaliter; secus enim ad partem (nisi haec sit omnino accessoria) vovens teneretur.

III° Si motivum principale, propter quod votum fuit emis-

sum, amplius subsistere nequeat. Titius, v. g., vovit dotare puellam ut possit congrue nubere: nunc autem audit illam iam nupsisse. Caius vovit recitare preces novendiales ante festum alicuius Sancti; sed voti oblitus nunc percipit hoc festum iam praeteriisse. Secus autem dicendum esset si, subsistente motivo principali, aliquod motivum accessorium non amplius subsisteret.

109. Aliqui dicunt, voti obligationem cessare toties quoties tales exurgant circumstantiae, quae, si praevisae fuissent, votum emissum non fuisset.

Regula ista in substantia est iusta: agitur enim de promissione gratuita, cuius executionem ne homines quidem in tali casu exigerent; sed practice (maxime si agatur de voto castitatis) valde fallax esse potest; quisquis enim, quem emissi voti taedeat, de facili a passione hallucinatus falso credère potest, quod, si circumstantias postea subortas praevidisset, votum non emisisset. Advertendum est insuper quod ille, quem emissi voti poenitet, illudque saepe saepius violat, nunquam considerare poterit hanc poenitudinis circumstantiam tamquam legitimam, nec iure credere poterit se a voto iam esse liberum, eo quod, si circumstantiam istam praevidisset, illud non emisisset.

Dices: Vitae coelibis professio in iis, qui contra sextum peccare sunt assueti, est ruinosa et causa damnationis. Sic autem votum quod esse debet de meliori bono, quomodo adhuc subsistere potest?

Resp. Non repugnat quod aliquis propter votorum violationem damnari possit; secus enim dici deberet violationem voti non esse peccatum; unde votorum obligatio ad nihil reduceretur. Omnino itaque dicendum est quod, semper ac sit in potestate hominis (prout supra dictum est) efficere, ut votum sit et pergat esse de meliori bono, votum valet et valere pergit. Id autem accidit in facti specie. Ergo etc. Hoc patet etiam quia in casibus istis peti solet dispensatio, quae non esset necessaria si votum ex se corrueret. Vide Sanchez (Dec. L. 4. c. 8. n. 10 et S. Lig. (L. 4. n. 50).

110. Quid si quis versetur in dubio an votum fuerit emissum, vel an fuerit validum, vel an ad talem casum se extendat? Quid si dubium sit an votum propter aliquam causam corruerit, vel an fuerit adimpletum?

Resp. Dubia ista non raro, sive ex quibusdam coniecturis sive ex eo quod in facti specie ordinarie contingit, in certitudinem moralem resolvuntur. Puella, v. g., fecit votum *virginitatis*. Si Confessarius versetur in dubio utrum non proprie virginitatem sed *castitatem* voverit; illam interroget, an contra suum

votum peccare existimet non solum si matrimonium contraheret, sed etiam si quovis modo castitatem offenderet?

Sed, supponendo quod dubium solvi nequeat; tunc, iuxta S. Lig., in casu voti dubie emissi, nulla superest obligatio, quia possidet libertas; in casu autem voti certe emissi et dubie perseverantis, obligatio remanet, quia possidet votum (L. 1. n. 28 — L. 3. n. 196). Sed non desunt Auctores probati, qui absque ulla distinctione stant pro libertate; et dicunt quod debitum in primo casu est incertum ab initio, et in secundo casu evasit incertum postea; debito autem incerto satisfactio certa minime debetur. Vide Salmant. (De voto c. 1. n. 145), et Gury, qui (V. 1. n. 80) scripsit: « Communissima tamen et prorsus rationi « consona sententia est, eum, qui probabiliter alicui obligationi « satisfecit, ad nihil ulterius teneri ».

Hucusque actum est de casibus, in quibus nulla voti violatio adesse potest, eo quod votum aut ab initio non tenuerit aut postea corruerit.

III. Sed, supponendo quod votum fuerit ab initio validum et quod adhuc in suo robore permaneat; tunc voti ipsius violatio locum habere potest; et hoc in puncto notanda sunt sequentia.

I° Si materia voti sit gravis, tunc (nisi vovens explicite intenderit se obligare duntaxat sub levi) voti transgressio mortalis erit. Materia autem potest esse gravis non solum si notabilem laborem exigat, sed etiam si magnae dignitatis vel magni momenti sit, prout esset una Communio. Theologi dant regulam sequentem: ⁼ Illa materia erit gravis, quae, si ab Ecclesia praeciperetur, sub gravi obligaret ⁼.

II° Si materia voti consistat in actibus disiunctis parvi momenti, horum actuum omissiones totidem peccata venialia ordinarie sunt; sed interdum in unum coalescunt, et sic materiam gravem et peccatum mortale constituunt. Ad hoc distinguendum, rei naturam atque voventis intentionem considerare oportet. Si actus ex natura propria quid unum constituant, prout accidit, v. g., in precibus novendialibus, in sanctificatione mensis Maii etc.; item si vovens rei totalitatem ita Deo obtulerit, ut in casu defectuum partialium ad supplendum se obligare intenderit; tunc omissiones minime suppletae, si ad materiam gravem pertingant, peccatum mortale efformant. Si e contra neque actus suapte natura quid unum efficiant, neque vovens ad supplendum se obligaverit; (prout ordinarie contingere videtur, v. g., si quis diceret: ⁼ voveo recitare quotidie tres *Ave* per totam

vitam [illegible] : tunc praesumendum est quod non rei totalitatem sed actus singulos Deo promiserit, et quod ideo eorum omissiones in suo esse peccati venialis semper remaneant. Vide Sanchez (Dec. L. 1. c. 4).

III° Peccatum adest non solum in voto non servando, sed etiam in omittendis illius circumstantiis. Vovit, v. g., quis non solum ieiunare, sed ieiunare in pane et aqua; non solum recitare orationem, sed recitare illam coram tali Imagine; non solum eleemosynam facere, sed facere illam tali pauperi etc. Omissio autem circumstantiae erit gravis vel levis, prouti circumstantia ipsa multum vel parum aestimanda est.

IV° Peccatum adesse potest etiam in voti executione nimis dilata. Si vovens tempus determinaverit (v. g., tali die peregrinationem suscipiam), tunc tempori sic praefixo stare debebit. Si vero tempus non determinaverit, tunc votum solvere debebit statim ac poterit; haec enim fuisse praesumitur ipsius intentio. Sed in hoc casu qualis dilatio mortalis erit? Resp. Distinguendum est inter votum de re perpetua et de re temporanea. Si agatur de voto rei perpetuae; v. g., ingrediendi et profitendi Religionem, vel inserviendi Xenodochio per totam vitam; tunc (si nulla causa excuset) dilatio non adeo longa, ut puta, sex mensium, peccatum mortale constituere potest; maxime vero si timeri debeat, ne procrastinando, ex Diaboli tentatione vel alio impedimento, futurum sit ut votum nunquam adimpleatur. Ratio est quia longa dilatio rem promissam ad minus valde diminuit. Si autem agatur de voto rei temporaneae, v. g., unius peregrinationis, eleemosynae, oblationis etc.; tunc maior dilatio (nempe unius vel alterius anni) a mortali excusatur, saltem si differendo non adsit periculum ne votum, v. g., ex oblivione vel impotentia effectum non habeat. S. Lig. (n. 221) et Gury (n. 327).

V° Voti emissi poenitere, perseverante tamen intentione illud adimplendi, *per se* non est peccatum. Id enim est poenitere de actu, quem apponendi nulla aderat obligatio. Vide Scavini (V. II. n, 214). Non raro tamen culpa in hoc adesse potest, si nempe absque causa rationabili id fiat, maxime si agatur de voto castitatis. Voti enim emissi poenitere transgressionis periculum inducit, quod interdum grave esse potest et proinde sub gravi eliminandum. Vide Sanchez (C. 12. n. 2).

VI° Transgressio voti de re praecepta (v. g., si quis fecerit votum non mentiendi) duplicem malitiam habet; naturali enim peccati malitiae, malitia etiam contra religionem superadditur.

Haec autem secunda malitia erit gravis vel levis, secundum quod prima gravis vel levis est.

VII° Votum factum in favorem tertii duplici modo contingere potest. Primus est si votum coniungatur cum promissione huic tertio facta ab eoque acceptata; ut puta si quis dicat: ☐ Promitto me esse tibi daturum pecuniam ut filiae tuae dotem constituere possis; et de hoc etiam Deo votum facio ☐. Secundus est si promissio soli Deo fiat; ut puta, si quis intra se dicat: ☐ Voveo me esse daturum dotem tali puellae ☐. In primo casu tertius acquirit ius ad rem, et vovens non solum ex religione sed etiam ex fidelitate promissionem servare tenetur; unde sine eius consensu (saltem si promissio sit principalis et votum accessorium) voti ipsius dispensationem obtinere nequit. In secundo autem casu vovens ex sola religione teneretur, et proinde sine ulla tertii iniuria tum votum in rem meliorem commutare, tum dispensationem obtinere posset. Vide S. Lig. (n. 255) et Sanchez (L. 4 C. 41. n. 6).

VIII° Vota realia (non vero personalia) transeunt ad haeredes defuncti, si hic morte praeventus illa exequi nequiverit. Porro si defunctus promisisset alicui centum scutata, nonne tenerentur haeredes hanc promissionem acceptatam adimplere? A fortiori itaque dicendum est idem de promissionibus Deo factis; idque verum est sive vota ista fuerint in favorem tertii et ab hoc acceptata, sive coram Deo dumtaxat fuerint emissa, dummodo de illis constet. Excipe tamen nisi ex rei adiunctis aut ex sufficientibus indiciis satis pateat, quod vovens se ipsum personaliter dumtaxat, non vero haeredes ad votum illud reale persolvendum obligare voluerit. Vide Gury (De Contractibus n. 800), Frassinetti (not. 36. ad n. 103), S. Ligorium (n. 214), et Sanchez (L. 4. c. 15. n. 25).

## PUNCTUM IV.

### DE SUPERSTITIONE

112. Superstitio est cultus vitiosus; idque contingit 1° si Deo quidem cultus praestetur, sed modo inordinato; 2° si Daemoni cultus praebeatur.

## § I.

*De inordinationibus quae in cultu Dei accidere possunt.*

I° *Si adhibeantur falsitates.* De hoc peccato reus est qui (ut explicat S. Lig. L. 3. n. 3) « falsas reliquias proponit; vel « miraculum factum esse per aliquam imaginem; vel se habuisse « has vel illas revelationes fingit, sive ad faciendum lucrum sive « ad devotionem augendam. (Item) qui, ut populum moveat, « fingit miraculum aliquod vel historiam reperiri in Scriptura « sacra etc. ». Huiusmodi superstitio est de genere suo peccatum mortale, et vix unquam ex materiae parvitate excusari poterit. Ratio est quia Primae Veritati iniuriam irrogat, veris miraculis fidem detrahit, et religionem fundat in mendaciis. Id in confesso est apud omnes. Vide S. August. (De Mendac. c. 14), Suarez (De Relig. L. 2. c. 2. n. 15), Sanchez (Dec. L. 2. c. 37. n. 3. Navarrum (Enchir. c. 18. n. 4), Salmanticenses (Tr. 21. n. 116), Tamburini (L. 2. c. 6. n. 4).

II° *Si non iuxta ritus et approbatas Ecclesiae consuetudines procedatur*; ut contingeret, v. g., si Sacerdos aliquam orationem, crucem aut coerimoniam in Missa adiungendam esse existimaret; aut si Christifidelis diebus Dominicis ab esu carnium abstineret et ieiunaret. Hoc tamen secundum superstitionis genus facilius levitatem materiae admittere potest.

113. Quid de illis Sacerdotibus, qui extraordinaria gaudent existimatione circa benedictiones, quique proinde semper huc illuc cursitant ad benedictiones impertiendas, vel propriam domum personarum benedictionem petentium iugiter plenam habent?

Resp. Isti *ordinarie* graviter imo gravissime reprehendendi et vituperandi sunt propter sequentes rationes. I° Ut plurimum ritibus ab Ecclesia non approbatis et proinde superstitiosis utuntur. Porro benedictiones cum simplici aqua benedicta dari debent iuxta ritus et formulas, quae in Rituali novissimo an. 1876 Romae impresso reperiuntur; et nihil addi, nihil demi potest. Quid itaque de illis qui non solum ab his ritibus recedunt, sed etiam quaedam rerum sacrarum venerationi et decori prorsus contraria facere non dubitant? Quid insuper de illis qui sine legitima potestate benedictiones Episcopo reservatas dare audent? (Sciendum est quod benedictiones *contra noxia animalia*, et *pecorum et iumentorum*, quibus praecipue abutuntur, inter reservatas recensentur, ut ex eodem Rituali constat). II° Solent etiam cu-

biculum propriae domus tamquam in publicum Sanctuarium convertere, ibique aliquam imaginem, cui sin minus thaumaturgam saltem specialem virtutem falso tribuunt, expositam retinere. III° Ingenerant insuper et fovent falsam fidem, quasi nempe ipsorum benedictiones maiorem vim quam benedictiones aliorum habeant, et ipsi gratia gratis data praediti sint. Adde alias falsitates: dicendo, v. g.; *Tu maleficio affectus es: oportet ut iterum et iterum ad me redeas* etc. IV° Eorum autem intentio videtur esse ut sic pecuniam obtineant: unde cum manifesto turpi lucro, imo ut plurimum cum dolo positivo et nonnunquam cum aperta simonia, carpunt eleemosynas, quas (utpote ad minus ex errore substantiali datas) in conscientia retinere non possent. V° Hoc modo publicam vituperationem contra se concitant, et Religionem ipsam (quae maxime his diebus adeo honore indiget) despectui exponunt. VI° Domum infirmorum frequentantes et persuasionem de maleficio inducentes saepe sunt in causa cur infirmi ipsi remedia naturalia negligant, maleficis recurrant, Sacramentalibus abutantur, odia gravia concipiant; et non raro sunt etiam in causa cur Parochi accessus difficilior reddatur, eiusque ministerium intricatum et parum fructuosum evadat. Aliqui eo usque procedunt, ut dicant nullum alium Sacerdotem sine eorum consensu esse advocandum, quandoquidem aliorum benedictiones nocumentum afferrent!! VII° Adde alienationem parochianorum a proprio Pastore, iustas Parochorum quaerimonias, confusionem, pacis perturbationem etc. Vide Scavini (V. IV. n. 397), Del-Vecchio (V. 1. n. 779), et Berengo (n. 186).

## § II.

### *De cultu Daemoni praestito.*

114. In praxi cultus Daemonis accidere potest, quando quis ad aliquid sciendum vel obtinendum Daemoni recurrit, aut eius nutibus fidem praestat.

Rarissimus est casus in quo quis, ad Daemonis auxilium obtinendum, expresse illum invocet et cum ipso paciscatur. Sed sciendum est quaedam adesse facta, quae *signa Daemoniorum* a D. Thoma appellantur, quatenus, non iam virtute naturali sed virtute Daemonis, aut quosdam effectus producunt, aut aliquid significant et praenuntiant. Exemplum habes in magnetismo, in tabulis rotantibus, in spiritismo etc. Huiusmodi signa

adhibere vel observare est tacita Daemonis invocatio, quae a Theologis dicitur *pactum tacitum*. Differentia autem inter pactum expressum et tacitum haec est, quod primum verbis, secundum factis Daemonem invocat. Utrumque gravissimum scelus, ut per se patet. — Sed haec signa *Daemoniorum*, quomodo dignoscuntur?

115. Theologi dant sequentem regulam : ⩵ Si expectetur effectus a re, quae nec virtute naturali nec virtute divina effectum ipsum producere possit ; id sufficit ut res illa pro signo Daemoniorum haberi debeat ⩵. Sed haec regula cum debita discretione intelligenda est ; secus enim omnes errores, omnes deceptiones, omnes stultitias, omnes ineptias, omnes simplicitates, imo et omnes excessus in fide, de diabolica superstitione et de scelere gravissimo accusare deberemus. Sed meram stultitiam pro gravissimo crimine habere quid stultius ? Porro ut quis a re inepta effectum attendat, non semper est necesse, quod haec res diabolicam virtutem habeat, aut quod ille a Diabolo eundem effectum expectet ; haec enim expectatio a mero errore, producto sive a simplicitate sive ab ignorantia sive ab impostura sive (si agatur de re religiosa) ab excessu fidei, provenire potest. Et quatenus effectus expectatio has causas habeat, quid heic Diabolus ? — Discretio itaque necessaria est ; idque etiam a multis Theologorum expressionibus manifeste patet.

Sane, si regula praedicta in toto rigore accipienda esset, tunc 1° Casus illius superstitionis, de qua Theologi loquuntur, esset frequentissimus ; sed Frassinetti (*Parroco novello* n. 264) dicit, generatim non contingere et esse valde rarum. 2° Omnes ineptiae commercium diabolicum comitem haberent ; sed cl. D' Annibali (V. 2. n. 37) dicit adesse superstitiones, de quibus non apparet Daemonem se iis immiscere ; hasque profecto S. Alphonsus (L. 3. n. 7) innuit non esse veras superstitiones, si intentio non sit talis. 3° Omnes ineptiae essent delicta enormia, perniciosissima, quam maxime formidanda et quovis pacto a populo Christiano evellenda ; sed Scavini (V. 2. n. 247) ex Stapf dicit : *eiusmodi opiniunculae vix non innocuae videntur*. D' Annibali autem (l. c.) subiungit : *Expedit tolerare..., dissimulare..., et, si poenitens de his Confessarium interroget, is haec irrideat..., sed lethalia esse non dicat.*

116. Ego itaque censeo sequentes regulas esse statuendas. Imprimis magna distinctio fieri debet inter eas res, de quibus iure credendum est quod virtute Daemonis aliquem effectum producant ; et alias de quibus ita credendi solidum fundamentum minime adest.

Ut autem cum fundamento de hoc Daemonis interventu iudicari possit, non sufficiunt dicteria vana de effectibus, qui de facto nunquam aut fortuito casu acciderunt. Optime scripsit Tamburini (Dec. L. 2. c. 6. § 1. n. 69) : « Mihi non semper placet illa « argumentatio : Haec coeremonia vana certe non agit ex vi « naturali ipsius, nec ex vi divina, ergo ex pacto cum Daemone : « non, inquam, placet ; quia potuit haberi effectus casu et for- « tuito.... Experientia compertum est, nonnullos impostores, « ut pecuniam extorqueant, proprio marte componere eas vanas « coeremonias : quod, si quando habeatur casu effectus, ii de « sua virtute se iactant ; secus asserunt rite non esse exhibitam « coeremoniam.... Expendendae igitur sunt omnes circumstan- « tiae perdiligenter ».

Si vero, prudentum iudicio, de diabolico interventu satis constet, tunc gravissimum superstitionis crimen semper aderit ; illudque tam Concionatores quam Confessarii (absque ullo bonae fidei respectu) fortiter insectari debent.

117. Sed quid si de diabolico interventu non iam certe constet sed dubitetur? Resp. Si dubium sit dumtaxat apud rudes et indoctos, dum viri docti effectum illum tamquam naturalem recognoscunt ; tunc iidem rudes proprium dubium deponere debent. Si autem dubium etiam apud doctos adsit, ita ut doctissimi quoque de diabolico interventu graviter dubitent ; tunc censeo quod, quum agatur de periculo inordinationis adeo horribilis, a parte tuta standum sit. Credo nihilominus quod physicae scientiae magistri in tali dubio experimenta facere possint ; nimis enim praestat ut naturae vires examinentur et cognoscantur ; sed tunc protestatio contra quemlibet Diaboli interventum necessaria esset. Imo Theologi id passim admittunt pro quolibet necessitatis casu. Quidquid sit de hoc, ego certe non admitterem quod res huiusmodi levi de causa aut ex mero ioco fieri possint. Equidem dicunt quod protestatio pactum diabolicum dissolvit, unde ipse non amplius quidquam ageret ; sed critne hoc verum semper? Rituale (De exorcizandis obsessis) dicit : « solent (dae- « mones) ut plurimum difficile se manifestare.... ; conantur per- « suadere infirmitatem esse naturalem ». Vide Sporer (Dec. tr. 2. c. 9. sect. 1. n 34).

118. Loquendo autem de aliis ineptiis, in quibus diabolicum interventum minime apparet, sic dico :

1° Peccatum superstitionis adesse potest in intentione agentis ; si nempe quis cognoscat quod res illa neque virtute propria, neque virtute divina quidquam producere potest ; et nihilominus

effectum aliquem tamquam a Daemone producendum expectet.

2° Seclusa etiam intentione superstitiosa, vitio non carent ea quae ab ethnica superstitione vel ab antiqua Magia originem habent. Ratio est tum quia ritus Gentilium et Magorum non iam servandi sed eliminandi sunt; tum quia aderit semper aliquod periculum, ne forte futurum sit quod Diabolus, sicut olim, ita nunc iterum hisce rebus aliquando se immisceat. In his tamen casibus, quum ex una parte (iuxta hypothesim) non adsit solidum fundamentum credendi quod Diabolus his signis revera attendat, et ex alia parte fideles in bona fide versentur nec facile sit quod fructuose admoneri queant; unusquisque videt quod in huiusmodi rebus insectandis discretio et prudentia tam a concionatoribus quam a Confessariis adhiberi debet. Exempla dat Frassinetti (l. c.) in illis mulieribus quae ex somniis aut aliis eventibus numeros publicae sortitioni (*al lotto*) exponendos colligunt; item in illis quae ope chartarum occulta aut futura exquirunt; item in illis quae quibusdam observantiis vanis mediisque ineptis quosdam morbos curare existimant. Sed alia exempla pene innumerabilia (maxime quoad rerum futurarum ex vanissimis signis praevisiones) dari possent.

3° Si demum agatur de illis ineptiis quae evidenter a mero errore proveniunt (v. g., si quis circulatoribus fidem praestet); tunc non est cur de superstitione verba faciamus.

119. Nonnullas quaestiones satis practicas hic subnecto.

Quaer. I° Quid de illis puellis, quae, ut amorem in aliquo iuvene excitent illumque sibi devinctum retineant, cuidam chartarum ioco recurrunt, aut etiam offam proprio sanguine conditam ei suppeditant?

Resp. Quidquid sit an hae res ex Daemone aliquam efficaciam habeant, nec ne; certum est quod hic agi videtur de philtris amatoriis, quae ab antiquis Magis adhibebantur. Aliunde puellae istae in secundo casu malitiam adeo gravem deprehendere solent, ut conscientiam sacrilegii sibi faciant si in confessione rem huiusmodi a se perpetratam reticeant. His itaque in casibus, et maxime in secundo, rigorose procedendum est.

Quaer. II° Quid de illis, qui, credentes se fuisse maleficio affectos, ut sanitatem recuperent, maleficis (*agli stregoni*) recurrunt, et quidquid isti praecipiunt exequuntur?

Resp. Si ageretur de vero maleficio, aut de fundato et gravi maleficii suspectu, tunc dicunt TT. cum S. Lig. (L. 3. n. 25) quod infirmus, postquam exorcismos Ecclesiae incassum adhibuerit, malefico recurrere potest, dummodo tamen prius a malefico ipso

postulaverit, an mediis licitis (nempe sine ulla nova sive expressa sive tacita Daemonis invocatione) maleficium solvere queat. Ratio est quia illicitum est quidem maleficium facere et Daemonem invocare; non vero maleficium destruere et Daemonem in fugam coniicere. Destructio autem maleficii consistere potest non solum in signorum destructione, v. g., destruendo ligamina, ebulliendo vestes, lavando corpus, abradendo barbam etc.; sed etiam in signorum appositione, v. g., adhibendo aquam lustralem, aut aliquid aliud faciendo; pactum enim cum Daemone potuit esse ut nocere pergeret non solum donec tale quid destruatur, sed etiam donec tale quid (quod forte insulsissimum, si in se spectetur, videri poterit) fiat. Vide Tamburini (l. c. c. 6. § 2. n. 12). Si tamen maleficus rerum sacrarum usum praeciperet, observandum esset an hic usus modo ab ipso requisito tolerari possit.

Sed in praxi observandum est quod casus veri maleficii, saltem apud nos, est valde rarus, ne dicam rarissimus. Equidem saeculis anteactis maleficia valde frequentia esse credebantur, et Theologi etiam gravissimi ita sentiebant. Vide Salmanticenses (Tr. 21. c. 11. p. 11) et Croix (L. 3. p. 1. n. 37). Hodie etiam eandem opinionem rudes conservant, et summa facilitate tum hominum tum pecudum morbos maleficiis attribuunt. Equidem, quod aliqua maleficia de facto accidant certissimum est; sed inter mille ex iis, qui e rudibus praedicantur, maleficiorum casibus vix unus verus erit. Id patet non solum ex naturali morborum cursu et medicinarum efficacia; sed praecipue quia nostri Missionarii fatentur quod, quamvis innumeras cuiuscumque generis peccatorum confessiones audiverint, casum sive viri sive mulieris verum maleficium exercentis nunquam invenerunt.

Quae cum ita sint, in praxi recursus ad illos, qui malefici dicuntur, vix unquam licitus erit. Ratio est quia infirmus maleficum advocans eiusque monitis obtemperans sine ulla necessitate pluribus gravibusque periculis se exponit. Ille enim in opinione de maleficio reapse secuto se confirmabit, et sic (multo magis quia huiusmodi nebulones, hunc vel illum fuisse maleficii auctorem dicere solent) gravissima ira aestuabit, acerrimum odium concipiet, et a concedenda venia quam maxime abhorrebit. Sic autem bonam confessionem quomodo facere poterit? Adde cooperationem peccato melefici impostoris. Adde frequentem abusum sacramentalium. Adde demum quod hi pessimi viri, si agatur de foeminis infirmis, sub praetextu curationis, ipsarum honestate turpissime abuti solent. Hinc cl. Berengo (n. 186)

rectissime scripsit : « Caveant Parochi ne vanas suspiciones apud « indoctos de maleficiis, veneficiis, fascinationibus aliquo modo « foveant.... Invigilent, ne pravi homines, et versutae prae- « sertim foemellae credulae plebis superstitionem foveant, aut « falsis benedictionibus, aut exorcismis, aut improportionatis « mediis quibuscumque, sive ad morbos, ut falso dictitant, sa- « nandos, sive ad amores conciliandos..., ut sibi hoc modo de « aliorum credulitate quaestum faciant ». Rituale autem ( De exorcizandis obsessis ) dicit : « Aliqui ( daemones ) ostendunt « factum maleficium, et a quibus sit factum, et modum ad illud « dissipandum ; sed caveat ne ob hoc ad magos vel ad sagas vel « ad alios quam ad Ecclesiae ministros confugiat ».

Quaer. III° Quid de magnetismo et spiritismo?

Resp. Magnetismus est triplex, nempe 1° certe diabolicus; 2° dubie diabolicus; 3° fictus.

Certe diabolicus contingit 1° si a somnambulis accurata habeantur responsa circa res ita occultas aut remotas, ut neque somnambulis ipsis neque earum magnetizatoribus naturaliter notae esse possint; 2° si tabulae rotantes sive pulsando sive scribendo respondeant; 3° si mortuorum voces audiantur.

Dubie diabolicus consistit 1° in simplici somno magnetico; 2° in simplici tabularum rotatione Quod reapse haec quoque duo phoenomena de diabolico interventu graviter dubitare sinant, solidissimis rationibus ostendit cl. Ballerini ( n. 276. not. *a*, versu *Comparationem*, et n. 279. not. *a*, versu *Minus dextere* ).

Fictus exercetur ab impostoribus et circulatoribus, qui vel ex indiciis quomodo respondendum sit arguunt, vel sybillinas responsiones confingunt, simulque efficiunt ut ficta somnambula ope signorum conventionalium illas intelligat atque pronuntiet.

Primum magnetismi genus crimen superstitionis, seu commercium cum Daemone, apertissime continet; eoque proinde uti, sive cooperari vel assistere illicitum prorsus est. Id patet etiam ex pluribus S. Sedis decisionibus. Vide Gury n. 279 et seqq. Adde verba Deuteronomii ( 18. 10 ): « Nec inveniatur in « te qui ariolos sciscitetur... ; nec sit incantator; nec qui py- « thones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: « omnia enim haec abominatur Dominus ». Haec itaque serio advertant illi Confessarii, qui hoc in puncto, quasi de ineptia ageretur, adeo leviter poenitentes corrigunt; et considerent etiam quod in huiusmodi crimine horrendo pericula gravissima contra fidem et contra mores inveniuntur.

Secundum genus a pluribus Auctoribus licitum declaratur.

Intellige, dummodo omnes, et maxime illi qui principaliter agunt, contra quemlibet Daemonis interventum protestentur, et dummodo insuper gravis causa urgeat. Illos itaque, qui meri ioci causa (prout saepe fit in conversationibus) sic magnetismum adhibent (leviter, v. g., foeminam sopiendo), a peccato excusari non posse existimo.

Tertium genus a parte rei nihil superstitionis continet. Superstitio tamen a parte intentionis adesse potest. Cavendum erit etiam a scandalo.

Petes: an peccent illi aegroti qui magnetizatores consulunt, et ab ipsis morborum suorum remedium exquirunt?

Resp. De hoc non esset dubitandum, si de veris magnetizatoribus ageretur; sed adverti debet quod plures non iam magnetizatores sed circulatores esse videntur: quatenus eorum responsa quoad morborum remedia vix unquam apta et convenientia deprehenduntur; unde fere nulla existimatione apud populum gaudent. Id patet etiam quia viri docti testantur plerosque magnetizatores fere semper male aut ambigue respondere; si vero interdum recte respondeant, id vel fortuito eventui, vel notitiae (quam exegerunt) symptomatum commode tribui posse. Certe non defuerunt magnetizatores celeberrimi, qui primarias mundi accademias deceperunt, et tandem meri impostores inventi sunt. Vide *Letture cattoliche* (An. 19. fasc. 1° pag. 77, 80, 124, 152).

His positis, sic distinguendum esse censeo.

Si vere praesumi debeat quod magnetizator sit ficius, tunc a parte rei nihil mali adesset; et solum inquirendum remaneret an malum adsit sive a parte intentionis, sive propter scandalum.

Si autem res sit dubia (prout de facili erit), tunc recursus illicitus evaderet: et ratio est quia aegrotus ad effectum vanum et forte suae corporali saluti damnosum magno periculo habendi et fovendi commercium cum Daemone se exponeret. Ad summum (idque valde dubitanter dico) recursus licitus evaderet in casu rarissimo, nempe si casus urgeret et quilibet alius medicus deficeret; dummodo etiam infirmus sedicenti magnetizatori significaret se exquirere quidem remedium, sed sub conditione quod illud mediis licitis et sine ulla superstitione dare possit.

## PUNCTUM V.

### DE SACRILEGIO

120. Omnes cognoscunt differentiam quae adest inter sacra et profana. Sacrilegium non respicit profana sed sacra. Porro

si aliquid sacrum indigne tractetur, tunc locum habet sacrilegium, quod definitur violatio sacri. — In vulgari sermone plures rerum sacrarum violationes potius quam sacrilegia dicuntur irreverentiae, quae possunt etiam esse graves. Sed hic distinctionem istam negligam, et proinde sacrilegia et irreverentias promiscue accipiam.

121. Si aliquid sacrum indigne tractetur ex sanctitatis ipsius contemptu, nempe hac ipsa de causa quia est sacrum; tunc sacrilegium est semper mortale. Si vero id fiat ex alio motivo, v. g., ex ira, ex vindicta, ex avaritia, ex acedia etc.; tunc sacrilegium erit mortale vel veniale, secundum quod materia ipsius in genere irreverentiae (attenta dignitate obiecti, qualitate actionis etc.) gravis vel levis erit. Dixi *in genere irreverentiae*: contingere enim potest quod peccatum sit in se gravissimum, et nihilominus non adeo magnam irreverentiam obiecto sacro irroget; ut puta, si quis in Ecclesia voluntatem homicidii committendi concipiat.

Obiecta sacra possunt esse res, loca, et personae. — Hinc sacrilegia distinguuntur in realia, localia et personalia. Iuxta hanc distinctionem sequentes reflexiones exponam.

## § I.

### *De sacrilegio reali.*

Res sacrae distingui possunt in actionibus sacris et in obiectis sacris.

122. Actiones sacrae sunt Sacrificium Missae, Sacramentorum administratio et receptio, sacrae functiones, sacrae conciones, et orationes. — Haec omnia exigunt devotionem, cuius defectus interdum potest esse tantus, ut grave sacrilegium seu gravem irriverentiam constituat. — In Sacrificio Missae, in administratione Sacramentorum, et in aliis sacris functionibus, servandae sunt rubricae; et hoc etiam in puncto grave peccatum contingere potest. Idem dic si sacrae functiones musica nimis profana et prorsus indecenti contaminarentur. — Sacrificium Missae, et Sacramentorum administratio statum gratiae exigunt; secus sacrilegium committitur grave; imo (si agatur de Missa) gravissimum. Aliae vero functiones (saltem nisi Eucharistia tangatur immediate) statum gratiae non exigunt sub gravi. Vide Scavini (V. III. n. 27, 32, et 199). — Quod demum grave sacrilegium committatur si Sacramenta *vivorum*

in peccato mortali, et *mortuorum* sine debitis dispositionibus recipiantur, omnibus notissimum est. Assistere autem Missae, aut ingredi Ecclesiam, aut recitare orationes in mortali, sicut etiam tenere sacra amuleta collo appensa etiam quando peccata carnalia committuntur; haec inter sacrilegia non recensentur, quia, si irreverentiae huiusmodi a lege prohiberentur, lex in aedificationem minime esset.

123. Obiecta sacra sunt speciatim SS.ma Eucharistia, reliquiae Sanctorum, sacra olea, altaria, vasa sacra, sacrae imagines, supellectiles sacrae et benedictae, aqua benedicta, bona et iura ecclesiastica. — In praxi sacrilegia aut graves irreverentiae seu peccata contra res sacras committi possunt 1° Si Rectores Ecclesiarum SS.mam Eucharistiam non renovent cum periculo ne sacrae species corrumpantur; et idem dic si absque lampade ardenti Sacramentum cum gravi negligentia relinquant. 2° Si iidem Rectores templum, tabernacula, vasa sacra, sacrasque supellectiles ita negligant, ut magnae indecentiae aut magna inconvenientia locum habeant; et idem dic si ipsi Rectores aut Ecclesiae fundos pessumdent, aut Ecclesiae iura perire sinant. 3° Si furta sacrilega committantur, et multo magis si bona ecclesiastica usurpentur aut usurpata emantur et in proprios usus convertantur. 4° Si obiecta sacra derideantur et publicae irrisioni, v. g., in theatro vel in bacchanalibus, exponantur. 5° Si quis SS.mam Eucharistiam obviam habens nullum reverentiae signum faciat. 6° Si officia spiritualia mercimonio (in quo Simonia consistit) exponantur. Aliquae etiam contingere possunt irreverentiae, v. g., si imagines sacrae non satis decenter pictae publice exponantur; si vasa sacra a laicis sine necessitate tangantur; si aliquod supellectilis benedictae et destructae residuum in usum profanum adhibeatur; si corporalia, pallae et purificatoria (quin prius a Sacerdote abluta fuerint) abluantur etc. Vide D' Annibali (Summula v. 3. n. 20. not. 56).

## § II.

### *De sacrilegio locali.*

Hoc consistit 1° in profanatione aut pollutione Ecclesiae; 2° in violatione immunitatis localis; 3° in fractione clausurae; 4° in pollutione coemeterii. Singula breviter explico.

124. *Profanatio Ecclesiae.* Tamquam Ecclesiae consideranda sunt non solum oratoria publica; sed etiam (quidquid aliqui

dicant) oratoria privata, si in ipsis Missa celebrari possit. Vide Scavini Vol. IV. App. XII. n. 74, et Berengo n. 207. — Profanatio autem seu irreverentia duobus modis contingere potest. Primus est, si quis in Ecclesia (absque causa sufficienti) manducet, bibat, dormiat, confabuletur, contractus faciat etc.; seu, uno verbo, actiones profanas exerceat, et sic Ecclesia ipsa quasi loco profano utatur. Secundus est, si quis in Ecclesia peccata committat.

Profanatio, uti patet, potest esse gravissima, gravis, levis, levissima. Ad distinguendos autem hos gradus, considerandae sunt circumstantiae, et praecipue an agatur de re gravi vel levi, externa vel interna, publica vel occulta. Interest quoque utrum in illa Ecclesia Sacramentum servetur; utrum tempore divinorum officiorum, et demum utrum cum distractione et scandalo aliorum irreverentia locum habeat.

Notari hic potest quod homicidium, effusio sanguinis, et effusio seminis, si sint graviter culpabilia et si sint notoria, Ecclesiam nedum profanant sed polluunt; unde illa nova benedictione aut consecratione indigeret. Idem dic si in Ecclesia infidelis aut excommunicatus vitandus sepeliretur. Pollutio tamen dubia ad hunc effectum non consideratur. Vide D'Annibali V. 3. n. 18. et Scavini V. 1. n. 621.

125. *Violatio immunitatis localis.* Ecclesiae, oratoria, domus parochiales, palatia Episcoporum, seminaria clericorum, domus Regularium et coemeteria sunt loca religiosa, et proinde suapte natura specialem respectum merentur; unde quisquis iniuste et aperta vi ea invaderet, a sacrilegio excusari nequiret. Imo, ex lege positiva ecclesiastica, ne reus quidem ex locis istis (si oratoria privata excipias) absque peccato valde gravi extrahi potest. Id tamen intellige 1° nisi lex ista per *concordatum* aut per Ecclesiae tolerantiam cessaverit; 2° nisi milites, qui reum capiunt, gravissima necessitate ad hoc adigantur; 3° nisi de licentia auctoritatis ecclesiasticae reus capiatur.

126. *Violatio clausurae.* Si domus religiosa clausurae legi sit obstricta, tunc, si agatur de conventu monialium, quaevis monialis egrediens et quaelibet persona ingrediens absque licentia, gravissimo peccato se inquinaret. Si autem agatur de conventu religiosorum, tunc, solum quoad foeminas illuc ingredientes et quoad Religiosos absque licentia egredientes, peccatum locum haberet.

127. *Pollutio et violatio coemeterii.* Eaedem causae, quae polluunt Ecclesiam (ut mox supra dicebam), polluunt etiam

coemeterium. Pueri tamen mortui quidem sine baptismo, sed ex Christianis parentibus nati (iuxta multos) non sunt ex iis infidelibus, quorum sepultura coemeterium polluit. Vide D' Annibali (l. c.). Attamen ne isti quidem in coemeterio benedicto sepeliri possunt; sicut nec illi quorum sepulturam Rituale vetat, cuiusmodi sunt praecipue qui notorie impoenitentes mortui sunt. In his enim postremis casibus coemeterium, quamvis non pollueretur, attamen graviter violaretur. Vide Berengo (n. 173), et Scavini (l. c.). Speciatim quoad suicidas vide Ballerini in nota ad n. 389. V. I., ubi dicit, pro certo constare debere, suicidam cum plena cognitione se interfecisse.

## § III.

### *De sacrilegio personali.*

128. Homo fit persona sacra dum vel prima tonsura insignitur, vel habitum religionis approbatae induit. Hinc iniuriae contra Clericum vel Monachum (speciatim si sint directe personales; et adhuc specialius si sint contra privilegia canonis et fori; maxime vero si ex odio contra statum clericalem vel religiosum locum habeant) sacrilegii reatum induunt. Imo ipse Clericus vel Monachus specialem sibi ipsi suoque statui respectum habere debet; unde si male vivendo proprium habitum dehonoraret, eius peccata ex hoc capite graviora evaderent.

Clerici et Monaci ante vota solemnia sunt sacri propter haec duo simul concurrentia; nempe 1° quia servitio altaris et cultui divino ex motivo sancto (quamvis imperfecte et revocabiliter) se dedicarunt; 2° quia Ecclesia ritu solemni eorum personas inter obiecta sacra collocavit. Hinc sacculares modo mercenario Ecclesiae inservientes nullo modo sacri considerantur.

Quando autem Clerici et Monaci solemne castitatis votum emittunt, tunc se Deo dicant non solum propter servitium altaris, sed etiam quoad castitatem perpetuo servandam.

129. Notari debet quod omnia vota, etiam privata (quidquid aliqui dicant), suapte natura efficiunt ut res Deo promissa non amplius sit profana sicut prius, sed aliquo modo sacra evadat; unde quaelibet fractio voti, quamvis principaliter ad infidelitatem seu perfidiam pertineat, nihilominus aliquam etiam sacrilegii rationem in se continet. Modo autem speciali id accidit in voto castitatis; hoc enim efficit ut corpus voventis quasi in perpetuum holocaustum maneat Deo obligatum; et sic, stante

hoc voto, sanctitas personae, et (si votum violetur) ratio sacrilegii clarius elucet. Vide Lessium (L. 2. c. 45. n. 11).

130. Petes an violatio voti solemnis a violatione voti simplicis specie differat? Resp. Affirmative. Ratio est non solum quia motivum principale in voto simplici proprius profectus, in voto autem solemni divinus cultus esse solet; sed etiam et praecipue quia in professione religiosa, maxime vero in Ordine Sacro, consecratio Ecclesiae superadditur. Per votum homo Deo fit sacer actu proprio; sed per Sacrum Ordinem fit sacer actu Ecclesiae. Hae duae consecrationes sunt inter se specie diversae (aliud enim est esse sacrum ex voto, et aliud esse sacrum ex Ordine, qui etiam sine voto valere potest); et proinde violatio personae *in sacris*, a violatione personae votum simplex habentis specie differre debet; prout etiam sensus communis suadere videtur. Observari etiam potest quod in voto simplici corpus, quoad castitatem servandam, Deo simpliciter promittitur; sed in voto solemni, seu accedente consecratione Ecclesiae, corpus Deo datur; unde in primo casu matrimonium valeret, et in secundo non; quod enim uni promissum est, valide datur alteri, sed quod uni datum est, alteri valide dari nequit. Hinc violatio voti in primo casu habet speciem perfidiae; in secundo autem furto assimilatur.

Persona itaque solemni castitatis ligata, si forte illud violet, in confessione non bene se accusaret dicens: *violavi votum castitatis;* sed se esse proprie sacram significare deberet. Idem dic de eo qui cum personis istis contra castitatem peccaret. — Ita quidem ego sentio; sed non desunt auctores primi subsellii qui aliter opinantur. Vide Sanchez (De Matr. L. 7. D. 27. n. 32, et Croix L. 6. n. 1060).

131. Petes hic ultimo, an sacrilegia personalia, localia et realia sint species infimae, ita ut, v. g., qui Sacramentum indigne suscepit, et sacram Imaginem conculcavit, confessioni satisfaciat si dicat: *commisi duo sacrilegia realia?*

Resp. Id quidem sentiunt plures; sed ego cum Gousset, Lessio, Giribaldi, Bonacina, Palao etc. censeo quod confessioni non satisfaceret toties quoties inter rem et rem nimia diversitas adsit, ut in exemplo adducto; sensus enim communis dicit quod Sacramentum indigne suscipere et Imaginem conculcare sunt duae actiones diversae speciei. Similiter qui Sacerdotem percussit et Monialem violavit, non bene se accusaret dicens: *commisi duo sacrilegia personalia;* nec id sufficeret, si etiam in progressu confessionis superadderet: *hominem percussi, foeminam violavi.*

## ARTICULUS III.

### DE TERTIO DECALOGI PRAECEPTO

132. « Memento ut diem sabbati sanctifices... Non facies omne « opus in eo ». Exod. 20. Praeceptum istud est naturale, quatenus iure naturae aliquod tempus cultui divino etiam externo identidem consecrari debet; lege autem positiva mandavit Deus in decalogo ut quilibet dies sabbati huic cultui consecraretur.

133. Substantia huius praecepti positivi in abstinentia ab operibus servilibus consistebat; finis autem praecepti erat ut homines sanctis operibus attendendi commoditatem haberent: hoc (inquam) finis praecepti erat, non praeceptum; prout diserte declaravit A Lapide dicens (Deut. 5. 12): « Sanctificatio... « quae hic directe praecipitur non erat alia quam vacatio ab « omni opere; finis vero praecepti erat, ut otium haberent rebus « divinis Deoque vacandi etc. ». Idque sensit etiam Suarez (De Relig. L. 2).

134. Certum est quod Christus Dominus in lege nova praeceptum istud Ecclesiae moderationi reliquit. Ecclesia autem hac potestate utens non solum diem dominicum loco Sabbati posuit aliosque dies festos constituit; sed etiam multa permisit quae in lege veteri minime permittebantur; et iuxta temporum, locorum et personarum circumstantias statuit quaenam opera licita sint et quaenam illicita.

135. Dum autem Decalogum de religiosis operibus nihil praeceperat, ut dixi; Ecclesia posuit sub praecepto ut Christifideles diebus festis Missam audirent. Hinc praeceptum istud audiendi Missam, potius quam ad Decalogum, ad mandata Ecclesiae pertinet, et proinde in Tractatu de legibus Ecclesiae de illo agam. Hic observari potest dumtaxat quod, *ex vi praecepti sanctificationis festorum*, Christifideles quoad opera religiosa tenentur dumtaxat ad auditionem Missae; excusati autem ab hac auditione (prout accidit, v. g., in infirmis) ad nihil aliud obligari possunt. Quorsum enim ad aliud tenerentur? Non ex Decalogo, quia Decalogum solam cessationem ab operibus servilibus praecipiebat. Non ex lege Ecclesiae, quia nulla extat lex quae praeter Missam quidquam sub vero praecepto exigat; id enim ex communissima populi Christiani interpretatione luculenter patet; atque ita, contra S. Antoninum et Caietanum, sentiunt Theo-

logi passim, duce Suarez (l. c.). Excipe nisi alicubi ex aliqua consuetudine vim legis habente contrarium dici debeat.

136. Dixi *ex vi praecepti sanctificationis festorum ;* in praxi enim alia motiva exigere solent, ut hoc vel illud pium opus a Christifidelibus exerceatur. Plurimi enim, tota hebdomada in negotiis et laboribus occupati, si gravissimis animae propriae necessitatibus tum seriis reflexionibus tum efficacibus remediis die festo non provident, quando providebunt? Speciatim quoad obligationem audiendi verbum Dei (quo neglecto, innumeri Christifideles in coeno vitiorum immersi vivunt usque ad mortem) sequentia habemus ex Tridentino (Sess. 24. c. 4) : « Mo-« neat Episcopus diligenter *unumquemque teneri* parochiae suae « interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum « Dei ». Verum est quod usus audiendi Verbum Dei in aliis Ecclesiis potius quam in Parochia sua, tamquam consuetudo tolerabilis considerari potest ; sed usus non audiendi verbum Dei nec in Parochia nec alibi, tamquam corruptela perniciosissima et prorsus intolerabilis (eo quod sit causa damnationis animarum innumerabilium) considerari debet. Considerandum est demum quod multi, maxime vero iuvenes, si, sola Missa audita, nihil aliud boni operis facerent, magno exponerentur periculo transigendi diem festum in malis conversationibus et in peccatis (prout heu nimis de facto accidit!); unde sub hoc respectu rectissime scripsit Petrus Ballerini : « Praestaret multo « operari manibus et arare ».

137. Quamvis tamen ex vi praecepti sanctificationis festorum sola auditio Missae sub obligatione cadat ; nihilominus Christifideles, ut fini a Deo intento plene satisfaciant, adhortandi sunt ut pomeridianis horis Benedictioni intersint aliaque pia opera exerceant ; idque speciatim si forte quis Missam audire minime potuisset. Hoc sensu intelligi debent Catechismus Romanus, Benedictus XIV (Const. 144. *Ab eo tempore* n. 17, et Instit. 43. n. 14), S. Lig. (Instr. Catech. p. 1. c. 3) et S. Augustinus, qui (Serm. 251. De Temp.) scripsit : « Observemus « diem dominicum et sanctificemus illum.... Qui vero hoc non « potest, saltem in domo sua oret, et non negligat Deo solvere « votum et reddere pensum servitutis suae ».

His praemissis, statuo sequens

## PUNCTUM UNICUM

### DE OPERIBUS, A QUIBUS DIE FESTO ABSTINERE OPORTET

#### QUAESTIO I.

*Quaenam sint hac in re principia generalia?*

138. Ad iudicandum quaenam opera diebus festis prohibita sint, et quaenam alia permitti possint, prima et suprema regula est, ut leges seu (quod idem est) legitimae consuetudines locales considerentur. — Cum debita autem huic supremo principio subordinatione sequentes etiam regulae statuuntur.

I°. Per se non licent opera *servilia*. Haec autem sunt ea, quae a solis servis et operariis ordinarie exercentur, ea nempe in quibus agitur de labore materiali, quandoquidem in ipsis multo magis corpus quam mens occupetur.

II°. Per se licent opera *liberalia*, ea videlicet in quibus magis mens quam corpus occupatur. Ista tamen, si modo mercenario, seu ad modum artis et ad lucrum faciendum, exerceantur, communi fidelium sensu tamquam servilia et illicita habentur. Hinc efformare flores artificiales, pingere acu (*ricamare*), publice docere (*far scuola*), componere typos, pingere parietes, piscari, venari etc., si, ut dixi, modo mercenario exerceantur, de opere servili redolent, et communiter illicita creduntur. De arte fotographica idem dicendum esse existimarem. Plures tamen Theologi censent huiusmodi actiones non esse ullo modo serviles et esse licitas, quamvis ex fine lucri exerceantur, quia (ut aiunt) finis substantiam operis minime mutat. Nihilominus dicendum est quod, si in loco praedictae actiones reapse illicitae reputentur, atque bonae conscientiae fideles ab illis abhorreant et (si fiant) scandalizentur, omnino tamquam illicitae habendae sunt; quia (ut dixi) consuetudo localis ante omnes alias regulas stare debet. Vide cl. Ballerini apud Gury n. 357.

III°. Quoad gradum culpae dicendum est quod abstinentia ab operibus servilibus praecipitur sub gravi. Attamen non quilibet labor peccatum mortale constituit. Materia gravis communiter censetur si plus quam ad duas horas (sive continuas sive non continuas) labor protrahatur. Maius tempus (ut peccatum mortale constituatur) exigitur, si res sit de laboribus leviusculis, vel si cum aliqua causa (quae de caetero non sufficiat ad excusandum) labor locum habeat. Interdum e contra brevissimum tempus

ad mortaliter peccandum sufficere potest, v. g., si agricola die festo vel per unicum horae quadrantem terram araret.

IV°. Opera servilia, si graves legitimaeque causae intercedant, permittuntur. — Quo maior est labor, eo maior causa exigitur: et quo minor, eo minor causa ad excusandum sufficit.

### QUAESTIO II.

*Quaenam sint causae legitimae, quae ab operibus servilibus excusant ?*

#### PRIMA CAUSA

*Necessitas sive publica sive privata.*

139. Notari potest imprimis quod quando aliquod opus propter necessitatem publicam est vere licitum, tunc eidem participare possunt etiam illi qui nulla necessitate privata ad laborandum adigerentur. Idem dic de illis qui ad sublevandam necessitatem alienam in auxilium advocantur. Hac generali advertentia praemissa, venio ad casus particulares.

140. Agricolae. Isti imprimis multoties laborare coguntur die festo propter necessitatem, quae quidem est non solum privata sed publica ; fructus enim terrae non agricolis dumtaxat, sed aliis quoque necessarii sunt. — Non tamen quaevis necessitas seu quodvis damnum, quamvis grave, semper est sufficiens ut agricolae laborare possint. Observanda enim erit consuetudo loci ; et circumstantiarum particularium ratio haberi debebit. Apud nos sequentia videntur statuenda.

1° *Quoad triticum*, agricolae facere possunt quidquid a regulis artis agrariae exigitur ut tempestive metatur et accurate custodiatur.

Alicubi tamen ex lege vel consuetudine vigente necessaria est Parochi licentia ; et quatenus ita sit, illam petere debent. Id autem intellige etiam quoad alios labores, qui in loco sine permissu fieri nequeant. Hoc sensu intelligendae sunt responsiones ad sequentes quaestiones.

141. Fit quaestio an agricolae possint triticum iam colligatum in tuto collocare (*fur il barco*) ? Respondendum est affirmative 1° si dominus fundi id exigat ; 2° si tali modo tritici securitati melius revera provideatur, prout de facili contingit si massa vel die praecedenti fuerit incoepta, vel sub tecto reponatur.

Ratio est quia agitur de genere magni valoris et primae necessitatis ; praeter quam quod dominus fundi contra agricolam gravissime indignari posset, si forte ( imbre vel grandine superveniente) triticum detrimentum patiatur, dum alii illud in tuto collocarunt.

142. Quaeritur etiam an die festo liceat triturare triticum ope machinae ( *trebbiatrice* )?

Resp. Affirmative saltem apud nos. Ratio est quia dominus machinae non tenetur suspendere opus diebus festis; secus enim enorme damnum pateretur ; quandoquidem circumstantiae ita sunt dispositae, ut, laborem suspendendo, non solum amitteret fructum machinae ( utique ingentem ) octo vel decem diebus correspondentem, sed etiam his ipsis diebus mercedem operariis ( *ai macchinisti* ) dare deberet. Si itaque dominus machinae potest opus suum continuare die festo, consequens est quod etiam agricolae, tamquam operarii, eidem operi participare possint ; idque a fortiori dici debet si etiam dominus fundi hoc exigat. Adde quod iam a pluribus annis vidente et tacente Ecclesia hoc opus peragitur; imo non defuerunt Episcopi qui de hoc interrogati responderunt id permitti posse, et solum esse curandum ut opus suspendatur per quantum est necessarium ut operarii Missam audire possint. — Quam maxime tamen sunt laudandi qui hanc triturationem diebus festis in propriis fundis nolunt; imo ad hoc teneri possent si cum machina non aliena sed propria propriisque fundis dumtaxat destinata triturarent. Sacerdotes etiam et maxime Parochi ab hac trituratione diebus festis peragenda abstinere debent ; patet enim ex praxi quod Christifideles de re ista ( si a Parochis fiat ) scandalizantur ; nec mirum, quandoquidem populus speciale bonum exemplum ab ipsis expectat, et multa alia sunt quae saecularibus licent, Sacerdotibus autem non licent. Si tamen speciali necessitate adigantur, quatenus alia die ( prout alicubi contingit ) machinam obtinere nequeant; tunc triturationem permittere quidem poterunt ; sed, divulgando hanc necessitatem et speciales respectus ostendendo, scandalum evitare curabunt.

143. Quaeritur insuper an agricolae triticum ope machinae trituratum possint soli exponere die festo, ut exsiccetur ne tabem contrahat?

Resp. Affirmative ordinarie saltem apud nos. Ratio est quia ex una parte apud nos fere nullus labor ad hoc exigitur ; et ex alia parte labori non levi subiicerentur agricolae, si ante festum deberent triticum ex area auferre, et post festum illuc denuo

portare. Dixi *ordinarie* ; si enim mane dici festi triticum esset non in area sed domi ; tunc de magno labore agi posset, unde in casu perpendendum esset, qualis necessitas hunc laborem suscipiendi adsit.

II°. *Quoad foenum.* Non possunt die festo illud excidere ; bene vero illud vertere, et ( si pluvia ingruat ) in parvas massas congregare ; sed illud in tuto collocare ( *fare il pagliaio* ) apud nos nequeunt ; nisi forte id operis die antecedenti fuerit incoeptum ; tunc enim necessitas perficiendi opus et exiguitas laboris maxime si speciale pluviae periculum adesset ) sufficientem excusationem constituere possent.

III°. *Quoad stramen.* Quando foeni penuria adest, tunc stramen loco foeni habetur. Secus, circa illud permitti potest dumtaxat ut massa incoepta ( si forte pluvia ingruat ) aliquo modo cumuletur.

IV°. *Quoad herbam necessariam ad alenda animalia.* Possunt illam colligere pro toto die festo atque etiam pro mane dici sequentis, sed non amplius.

V°. *Quoad alios fructus, v. g., phaselos et cannabem.* Possunt facere quidquid est necessarium ad haec custodienda, si forte iam sint collecta, et pluvia ingruat.

Caeterum apud nos nec quoad uvam, nec quoad zeam ( *gran turco* ), nec quoad arborum fructus die festo agricolae quidquam facere possunt. Dico *apud nos*, quia alicubi uvam pedibus calcare et arborum fructus maturos colligere permittitur.

VI°. *Quoad itineris susceptionem cum curru.* Sub vespere dici festi possunt sic iter suscipere, ut a locis longinquis foenum aut quid simile domum vehant. Parvitas laboris et causa satis gravis id excusant.

141. Olitores. Isti possunt hortum irrigare et colligere fructus sequenti mane vendendos. Possunt quoque eosdem fructus etiam in magna quantitate colligere, si sequenti die illos, v. g., ad aliam civitatem transvehere debeant ; imo possunt etiam e terra educere plantas parvulas pariter in magno numero, si die sequenti eas tradere debeant villicis, qui illas emerunt; supposita tamen vera et indeclinabili necessitate, qua seclusa, in his operibus adeo gravibus certo certius peccarent.

145. Venditores, nempe pharmacopolae, laniones, caupones, aliique vendentes necessaria sive quoad victum sive quoad vestitum. Isti horis toleratis apothecas sin minus apertas saltem semiapertas tenere possunt. Id enim fere ubique ex tacita Ecclesiae conniventia hodie permittitur, et est partim necessarium

et partim utile non tantum pro civibus quantum pro rusticis, qui die festo ad civitates concurrere solent ut victui et vestitui necessaria emant. Azorius (De 3° praec. c. 27) scripsit: « Quo « etiam fit ut hac in parte sutores, sartores et alii similes « opifices, salva conscientia, vendant rusticis calceos et vestes « et id genus alia; cum diebus profestis rustici non veniant: « quod, si venire cogerentur, suas res non sine gravi iactura « relinquerent...; tum quia, si a vendendo desisterent, damno « afficerentur, cum emptores, illis neglectis et praeteritis, alium « venditorem invenirent ». S. Ligorius (L. 3. n. 286. et Hom. Ap. tr. 6. n. 18) dixit: « Emptiones mercium certe sunt ve- « titae...; at, ubi est contraria consuetudo, excusantur; con- « suetudo enim in hoc magna ex parte legem abrogavit. Hinc « notant Salmanticenses permitti in festis vendere poculenta et « esculenta *etsi ad gulositatem*.... Item vendere calceos, can- « delas, et similia quorum pretium iam aestimatum est... Item « permittunt Doctores, etiam mercatoribus vendere aliquid clau- « sis ianuis, cum emptores pro tunc iis valde indigent ». Tandem Gousset (n. 566) scripsit: « Fere ubique permittitur vendi die- « bus festis non ea tantum quorum in die sit necesse, ut panem, « vinum, carnes, olera aliaque esculenta; sed etiam ea quibus « rustici ad unam vel plures hebdomadas vel etiam ad longum « tempus indigere possunt, veluti cibaria, vestitus et alia hu- « iusmodi, quae usu consumuntur ». Hodie reapse etiam in multis ex iis Dioecesibus in quibus triginta vel quadraginta ab hinc annis severiores leges vigebant, videntibus et tacentibus Episcopis, Parochis et Concionatoribus, generatim praedictarum rerum venditores proprias apothecas apertas tenent. Attamen illi, qui Dei timorem habent, censent 1° auditionem Missae, seclusa specialissima necessitate, non esse omittendam; 2° officinam (nisi tolerata consuetudo ab hoc quoque excuset) non totaliter esse aperiendam, et sic aliquo modo esse significandum quod dies festus recognoscitur et ab aliis distinguitur. Haec igitur duo ad minus sunt exigenda. Dico *ad minus*, quia si alicubi severiores leges adhuc vigerent, procul dubio essent observandae

146. Nihil dico de nundinis et mercatibus, qui non ubique sed in aliquibus locis permittuntur; unde (quatenus permittantur) licebit etiam ad mercatus ipsos deferre merces vendendas, vel ab ipsis merces emptas domum vehere etc.

147. Item nihil dico de aliquo contractu privato, v. g., de emptione domus, fundi rustici, tritici etc. Huiusmodi enim contractus, qui fortuito casu in die festo accidant, quamvis in

ipsis multum temporis impendatur, tamquam liciti habentur; dummodo publica stipulatio non fiat, et dummodo, v. g., triticum neque mensuretur neque transvehatur.

148. Barbitonsores. Isti quoque horis antemeridianis seu toleratis apothecas tenere possunt apertas vel semiapertas, ibique propriam operam praestare: id enim hodie licet ex consuetudine generali: imo necessarium est tum propter agricolas tum propter operarios et artifices, qui solum die festo ad eos divertere possunt.

149. Pistores. Isti panem publico usui aut etiam alicui privatae familiae necessarium conficere et coquere possunt.

150. Fabri equos calceantes. Id porro necessarium est tam pro casu in quo iter iam sit incoeptum, quam pro casu in quo iter tunc incipi debeat; ipsi tamen fabri de hac necessitate inquirere non tenentur. — Communissime Theologi dicunt quod fabri ferrarii possunt acuere vomeres et cultros agricolis, eo quod die sequenti illis indigeant. Sed apud nos id certe non licet, quia huiusmodi necessitas minime adest. Vomeres et cultri acui possunt die antecedenti vel sequenti, quando horis meridianis boves in stabulo claudiuntur. Viae non sunt imperviae sicut olim, et fabri sunt ubique.

151. Reficientes aquaeductus, pontes et vias publicas. - Parantes illuminationem (vulgo *A Gas*). - Parantes necessaria, occasione alicuius publicae laetitiae, vel alicuius publici solatii permissi aut tolerati. Intellige si res moram non patiatur.

152. Curribus publicis aut viae ferreae addicti. - Coquentes lateres. - Laborantes in vitro. - Fundentes ferrum. - Bombycibus folia ministrantes, etc. Opera huiusmodi pertinent ad publicam necessitatem vel utilitatem, et ex alia parte interrumpi non possunt. — Folia tamen pro bombycibus solum in proportione necessitatis colligi poterunt

Casus hucusque recensiti respiciunt praecipue necessitatem publicam. Nunc subnectam casus qui ad necessitatem praecipue privatam referuntur.

153. Foeminae quae cibos coquunt, lectos sternunt, domum poliunt etc. Ex consuetudine opera huiusmodi omnino licent; nec ulla adest obligatio anticipandi, si forte die antecedenti aliqua parari possent.

Sicut autem domum, ita etiam officinam et machinas expolire licet.

154. Pannos elutos soli exponere. Licet (ex licentia Parochi expressa aut saltem praesumpta) pannos elutos in privatis ca-

vaediis soli exponere, saltem quando speciali modo timeri debet ne postridie solis commoditas defectura sit. Publicis tamen purgatricibus, quae in locis publicis magnam pannorum quantitatem exponunt, non nisi tempore hyemali id permitti debet.

155. Conficere panem, et farinam cribrare. Nonnulli operarii solum die festo panem conficiendi commoditatem habent; idque est illis indulgendum.

Sed poteruntne mulieres die festo farinam cribrare, ut panem sequenti die conficiant?

Resp. Id generatim permitti nequit; farina enim pridie cribrari potest. Si autem pridie non adfuerit, aut ex oblivione non fuerit cribrata; tunc, saltem per quantum ad fermentum conficiendum necessaria est, cribrari poterit.

156. Famuli et agricolae qui die festo in domo heri laborare coguntur. Si herus licite et ex necessitate illis operibus indigeat, tunc quieta conscientia illa praestare possunt. Si vero inique ea opera exigat; tunc excusantur solum si, recusando, grave incommodum vel damnum subituri sint. — Idem dic de uxoribus a marito et de filiis a patre coactis ad laborandum. — Imo idem interdum dici debet de operariis, qui sunt quasi famuli, erga dominos officinae vel erga magnorum operum conductores vel erga adventores divites, quibus si non obedirent, grave et non raro gravissimum damnum subire possent. — Isti tamen Confessarii consilium exposcere debent.

157. Pauperes. Hi laborare possunt si aliter se suosque filios alere nequeant: attamen semoto scandalo. Casus huiusmodi accidere potest in matre paupercula, quae tota hebdomada mercede conducta non nisi in festis filiorum vestes resarcire possit. Idem dic de rusticanis illis, qui pondere onusti ad Parocciam a montanis non revertuntur nisi mane diei Dominici, et illico post vesperas iterum ad montana sarcinâ onusti se conferunt, ne diem perdere cogantur. Idem dicendum est quoque de alpinis illis, qui in montibus admodum dissitis armenta pascunt, quae nonnisi alterne deserere possunt, ut ideo ad propria redeant festa sanctificaturi.

158. Molitores et muliones. Isti difficile absque magno damno poterunt diebus festis proprium opus interrumpere. Petes an muliones possint die festo cum vectura onusta iter incipere? Plures Theologi id concedunt, quia sicut unusquisque potest die festo iter facere, ita poterit etiam vecturam comitari; non enim homo sed iumentum laborat. Sed doctrina ista adoptari nequit in illis locis ubi consuetudo vecturas onustas ducendi

minime adest, sed potius vigentes leges synodales id gravissime vetant. Olim S. Pius V muliones iumentorum publicatione mulctari iussit.

159. Sartores, sarcitrices, et sutores. Isti solent laborare diebus festis, et quidem interdum tota mane usque ad meridiem. Dicunt se ad id esse coactos, quia adventores pro die festo, maxime vero si aliqua magna occurrat solemnitas, vestes et calceos exigunt. Haec autem opera ex una parte acceptari debent, secus enim adventores amitterentur, et ex alia parte ut plurimum ante festum totaliter expediri nequeunt. — Quatenus res ita reapse se haberent, isti artifices deberent quidem cavere a scandalo meliori modo possibili, sed laborare possent; de vera enim necessitate ageretur. Saepe tamen necessitas huiusmodi est conficta, tum quia in eam sponte se coniiciunt (non adhibendo intra hebdomadam debitam sollicitudinem et in rebus inutilibus vel vitiosis tempus terendo); tum quia laborant etiam pro iis adventoribus, qui ex operis dilatione minime reapse alienarentur. Interdum etiam sarcitrices possent aliquam sociam ad secum laborandum vocare, vel aliquid operis aliis tradere. Vide S. Lig. n. 303, et Gury n. 361. 10°.

Hinc sedulo notent Confessarii quod, maxime cum personis conscientiae parum meticulosae, earum agendi rationem non de facili approbare debent; prout faciunt multi qui, re minime perpensa, illico dicunt: *eia age, si habes necessitatem laborare potes.* Agitur de re ex una parte nimis damnosa, et ex alia hallucinationibus nimis subiecta; unusquisque enim facillime sibi persuadet se laborare ex necessitate, etiam quando vera, gravis et indeclinabilis necessitas minime adest. Id patet exemplo sarcitricum piarum, quae adventores non amittunt, quamvis nunquam aut certe multo minus et rarius diebus festis laborent. Supposita itaque spe fructus, Confessarius, gravi defectu detecto, gravissimis verbis eos admoneat, qui vanis rationibus se hac in re mortaliter peccare minime existimant. Dixi *supposita spe fructus;* prudentia enim, ne admonitio de peccato mortali magis malum quam bonum productura sit, sicut in aliis punctis, ita etiam in hoc necessaria est.

Quoad illas autem sarcitrices, quae dicunt: *Pater feci quidquid potui ut opus ante festum perficerem; laboravi praeter meum consuetum usque ad mediam noctem, sed finire non potui, unde laborem diei festi adiungere coacta sum:* cum illis, inquam, quae sic dicunt, indulgentia habenda est; ex hoc ipso enim sacrificio evigilandi praeter consuetum usque ad mediam

noctem, praesumi debet quod de casu verae necessitatis agitur.

160. Puellae, quae sarcitricis artem addiscere volunt, per quantum possunt eligere debent magistram diebus festis reverentiam habentem, tum ut ipsae divinum mandatum observent, tum ut periculum sequendi malum magistrae exemplum evitent. Magistra autem, si harum puellarum ope indigeat, saltem identidem eas admonere debet quod ille labor ex vera necessitate peragitur; et quod, si necessitas non excusaret, illicitus esset.

SECUNDA CAUSA

*Occasio lucri extraordinarii.*

161. Non lucrum ordinarium, non scilicet stipendium consuetum, sed lucrum notabile quod fortuito se offerat pro casu extraordinario, legitimam constituit causam, ut quis die festo laborare possit; attamen remoto scandalo. Exemplum dari potest in aquarum confluvio, quo adveniente piscari ligna in flumine licitum erit. Idem dic de piscatoribus, si occasio magnae piscium capturae occurrat. Sententiam istam ut probabilem, imo ut forte probabiliorem S. Ligorius (n. 301) admittit.

TERTIA CAUSA

*Charitas.*

162. Intellige pro casu fortuito et absente scandalo, v. g., si quis vestem consuat, ut illam pauperi graviter ea indigenti in eleemosynam tradat. Dixi *pro casu fortuito*; non enim liceret (ut bene notant Gury et Scavini) omnibus et singulis diebus festis laborare pro vestibus pauperum, et multo minus alia opera servilia peragere, ut lucrum exinde perceptum in pauperum levamen impendatur.

QUARTA CAUSA

*Pietas.*

163. Licet aliquid operis pro Ecclesia paupere gratis facere; item conficere rosaria, scapularia etc., ut gratis distribuantur. Sed id etiam solum pro casu fortuito intelligi debet; non vero quasi totum festorum dierum tempus in huiusmodi devotionis

obiectis impendere liceat. Praeceptum abstinendi ab operibus servilibus altioris gradus et maioris momenti est. Vide S. Ligorium n. 293 et Scavini V. 2. n. 243.

164. Aliqui notant quod etiam propria necessitas spiritualis excusare potest, ut puta, si quis secus esset in periculo indulgendi otio et vitiis. Si excusat, inquiunt, necessitas corporalis, a fortiori spiritualis excusabit. Sed practice doctrina ista raro potest habere locum; alia enim suppetunt media bene impendendi tempus et tentationes vincendi. Dixi *raro*, quia interdum tales occurrere possunt circumstantiae ut occupatio in aliquo labore leviusculo ad modum recreationis iure hac etiam de causa permitti possit, curando tamen ut scandalum vitetur.

### QUINTA CAUSA

### *Dispensatio.*

165. Aliud est declarare quod in tali vel tali circumstantia quis potest absque ulla licentia ad opera servilia incumbere, et aliud est dispensare seu licentiam concedere. Primum est in potestate Confessariorum; secundum autem est dumtaxat in potestate Superiorum, inter quos ex consuetudine (pro casibus particularibus) veniunt quoque Parochi. Vide Scavini (v. 2. n. 26), qui iure notat quod petitio licentiae a proprio Parocho non raro ab Ecclesia exigitur etiam pro casibus in quibus lex per se cessat; idque ad evitanda pericula hallucinationis et ne Christifideles in nimiam libertatem proruant. Id animadvertant Confessarii.

166. Etiam ad dispensationem concedendam iusta causa exigitur; sed causae, quae non essent plene sufficientes ad certe excusandum, saepe ad legitime dispensandum sufficere possunt. — Dispensatio dari debet solum pro casibus in quibus dari solet. Interdum tamen aliqua exceptio fieri poterit, ne, licentiam denegando, de malo maiori (omnibus perpensis) timendum sit.

167. Sed quid si casus urgeat, et petendi dispensationem tempus vel commodum non adsit?

Resp. Tunc sufficit dispensatio rationabiliter praesumpta. Ita Gury (Cas. consc. V. 1. n. 228) et Scavini (l. c.).

## ARTICULUS IV

### DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO

168. Hoc dicit : « Honora patrem tuum et matrem tuam ». Agendum est itaque de obligationibus filiorum, qui propriis parentibus debent 1° obedientiam, 2° reverentiam, 3° amorem.

### PUNCTUM I.

#### DE OBEDIENTIA PARENTIBUS DEBITA

169. Filii parentibus (qui loco Dei sunt familiae rectores obedire debent, exceptis duobus casibus, nempe 1° si illicita peterent ; 2° si, excedendo limites propriae potestatis, irrationabiliter aliquid exigerent.

170. Inobedientiae filiorum ordinarie sunt culpae veniales : ut plurimum enim vel agitur de rebus exigui momenti, vel parentes leviter iubent, vel filii non satis rei aut mandati gravitatem considerant.

Interdum tamen inobedientiae a culpa mortali excusari nequeunt. Id autem contingit 1° si ex una parte agatur de re gravi et de mandato modis gravibus expresso, et ex alia parte filius advertenter et cum obstinatione obedire reluctet. Ageretur autem de re gravi si filius, v. g., nocturno tempore a domo abesset, iniquos socios vel cauponas frequentaret, aleis aliisve vitiis ruinosis indulgeret, officia religiosa omnino aut fere omnino negligeret, labori aut studio minime attenderet, sicque tempus absumeret et expensas pro ipso factas inutiles redderet. Ageretur etiam de re gravi si filia, v. g., cum procis conversaretur, aut sola amasios alloqueretur etc. — Peccatum mortale adesse potest 2° si res praeceptae sint quidem leves, sed inobedientia filii sit adeo continua, ut parentes nihil aut fere nihil ab ipso obtinere possint ; multo magis si ipse apertis verbis ab eorum mandatis se subtrahat, dicendo : *nolo ut mihi aliquid praecipiatur.*

### PUNCTUM II.

#### DE REVERENTIA PARENTIBUS DEBITA

171. Filii parentibus (ratione eorum praeeminentiae et gratitudinis eis debitae) specialem praestare debent reverentiam,

quamvis, v. g., parentes ipsi prae senio stupidi essent, aut dementes evaserint, aut errores etiam magnos commiserint etc.

172. Defectus reverentiae saepe est venialis, ut puta, quando filii cum aliqua arrogantia respondent, vel actus faciunt qui aliquem levem contemptum significant.

Non raro tamen irreverentiae sunt graves; et notandum quod illae irreverentiae, quae si contra alios committerentur veniales essent, graves esse possunt si contra patrem vel matrem committantur. Hae consistere possunt in verbis et in factis.

Irreverentiae graves *in verbis* contingunt, v. g., si filii parentibus gravia opprobrent; si in ipsorum praesentia gravia mala (quamvis non ex corde) ipsis imprecentur; si contra ipsos graves contumelias proferant; ut puta, si filia matrem appellaret *pazza*, *ubbriaca*, *bestia*, *strega*, *ladra*. Forte non gravis esset contumelia si illam vocaret *vecchia stordita*, *ignorante* etc. Sed, ad decidendum in praxi an aliqua contumelia sit mortalis vel venialis, familiae conditio et educatio considerari debet; quaedam enim verba quae enormem irreverentiam praeseferrent si de personis nobilibus et bene educatis ageretur, vix aliquam irreverentiam important si de rusticis et plebeiis agatur.

Irreverentiae graves *in factis* contingerent, v. g., si filius parentes percuteret, aut etiam dumtaxat contra ipsos brachium elevaret, nisi forte haec elevatio ad declinandas verberationes fieret. Nihil dico de filio qui ad patris sui uxorem carnaliter accedere auderet.

173. Irreverentiae commissae (si fuerint graves) sunt reparandae. Si fuerint enormes, v. g., si filius parentes percusserit: tunc (intellige si agatur de re recenti et non adhuc condonata) filius debet procul dubio se humiliare et veniam petere. Si autem irreverentiae non fuerint enormes, tunc parentes non solent exigere aut expectare a filio huiusmodi humiliationem; unde ille in hoc casu malum commissum satis reparabit si se emendatum ostendat.

## PUNCTUM III.

### DE AMORE QUO FILII PARENTES PROSEQUI DEBENT

174. Filii speciali amore prosequi debent parentes propriae existentiae auctores, quamvis multos defectus haberent, et quamvis ab iisdem valde male habiti fuissent.

Hoc in puncto culpa mortalis contingere potest 1° Si filius parentibus mortem desideret, ut, v. g., molestiae ab eorum infirmitatibus vel correctionibus vel mussitationibus provenientes tandem finem habeant. 2° Si eorum defectus non toleret, eosque propalet, et in rebus gravibus de ipsis obmurmuret. 3° Si usque ad graves excandescentias vel usque ad lacrymas (ad quas non sint faciles) vel quovis alio modo graviter eos conturbet et affligat; prout contingeret, v. g., si filia sinat ut ex turpi commercio in paterna domo gravida efficiatur; si filius paternum patrimonium profundet et in vitiis dissipet; vel si absque causa rationabili invitis parentibus paternam domum deserat; vel si diu torvis oculis parentes aspiciat, verbum non proferat et ad instar inimici se gerat; vel demum si omnino impedire velit ne pater testamentum condat, aut (si forte viduus remanserit) novum matrimonium contrahat. 4° Si parentibus pauperibus vel infirmis opem non ferat. Porro amor in necessitatibus ostendi debet. 5° Si eis morti proximis Religionis subsidia non procuret, et multo magis si quominus Sacerdos accedat omnino impediat. 6° Si ipsorum, postquam ex hac vita migraverint, prorsus obliviscatur.

175. Petes I° an filius possit invitis parentibus Religionem ingredi?

Resp. Si parentes in gravi necessitate versarentur, neminemque haberent, praeter filium, a quo opem expectare possint: tunc filius religionem ingredi nequiret. Ratio est quia praecepta praevalent consiliis; et filius, qui manet in saeculo ut parentum necessitatibus opem ferat, dum ex una parte officium pietatis erga parentes adimplet, ex alia parte officio religionis erga Deum aequaliter imo cum maiori merito satisfacit. Excipe casum vix practicum, in quo filius in saeculo manens magnum damnationis periculum evitare nequiret; tunc enim dicendum esset: *Charitas incipit a semetipso.*

Si vero parentes vel in magna necessitate minime versentur vel aliis mediis sibi providere possint; tunc filius propter irrationabilem parentum reluctantiam se tanto bono privare minime teneretur; et hoc sensu scripsit S. Hieronymus: « Per « calcatum perge patrem; per calcatam perge matrem; ad « vexillum Crucis evola; summum genus pietatis est in hac re « fuisse crudelem ». Vide alia apud Scavini V. I. n. 544.

176. Petes II° An filii possint invitis aut insciis parentibus matrimonium inire?

Resp. Si parentum reluctantia respiciat non personam, quam filius ducere vult, sed ipsum matrimonium; quatenus nempe exigant ut filius nullam ducat et in coelibatu semper maneat: tunc filius, saltem ordinarie, obedire non tenetur. Dico *saltem ordinarie*, si enim ex una parte matrimonium in gravissimam ruinam coniecturum esset familiam, et ex alia parte filius absque ullo animae suae damno in coelibatu vivere posset; tunc potest dari casus in quo filius harum circumstantiarum rationem habere debeat.

Si autem parentum reluctantia solam personam respiciat; tunc plures Theologi dicunt observari debere an haec sit digna vel indigna, et subdunt quod persona potest esse indigna ex duplici capite: nempe 1° si sit malis moribus imbuta; 2° si sit conditionis valde inferioris. Quatenus autem sit indigna, tunc isti Theologi concludunt quod filius graviter peccaret si, invitis parentibus, eam in matrimonium ducere vellet. Sed regula ista in praxi exceptionibus non caret. Finge sequentem casum. Iuvenis nobilis puellam ignobilem ardentissimo amore prosequitur. Iam a multis annis eius domum frequentat. Infinitis vicibus ei promisit se nunquam esse eam derelicturum, et de matrimonio tandem contrahendo mille ei fecit iuramenta. Misera puella annos suae iuventutis sic deperdidit, nullamque alium maritum inveniendi spem habet. Finge insuper quod iam sit gravida, et quod eius pater et fratres instent apud iuvenem ut sine mora illam ducat, imo et quod mortem ei minitentur etc. Nunquid, posco, in his circumstantiis iuvenis, si eius parentes huic matrimonio essent contrarii, eis obedire deberet? Minime; et ratio est quia essent irrationabiliter inviti; res enim eo usque processerunt ut in comparatione malorum spiritualium et temporalium, quae ex hoc matrimonio non celebrato provenirent, differentia conditionis iam non amplius sit consideranda. — Vera itaque regula est ut circumstantiae omnes considerentur, et si, his perpensis, parentes videantur rationabiliter inviti, tunc filii eorum voluntati stare debent; secus vero si eorum dissensus sit aut evaserit irrationabilis; tunc enim filii, saltem si a minoritate iam exiverint, non obstante parentum dissensu Matrimonium contrahere nedum possent, sed forsan deberent. Vide Tamburini (Dec. L. 5. c. 2. § 3), qui insuper notat quod, quamvis filii ordinarie de matrimonio quod contrahere volunt proprios parentes certiores reddere debeant, imo et eorum consilium in re tanti momenti postulare; nihilominus dantur casus in quibus melius est ut rem totam illis occultam servent. Cur autem supra

dixerim *saltem si a minoritate exiverint*, vide dicta in Tract. de Occasionariis n. 118. *

## ARTICULUS V.

### DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO

Circa hoc praeceptum quod dicit « *Non occides* », agam 1° de suicidio; 2° de homicidio personali; 3° de homicidio civili seu de laesione famae: 4° de homicidio spirituali seu de scandalo.

### PUNCTUM I.

#### DE SUICIDIO ET DE ALIIS MALIS QUAE QUIS SIBI IPSI INFERT

177. Neque ex taedio vitae neque ad finiendas spirituales dimicationes necem sibi inferre quispiam potest; determinatio enim temporis quo Deo in hoc mundo servire debemus non est in potestate nostra, sed Deus ipse sibi soli eam reservavit. Hac de causa suicidium ex praedictis motivis perpetratum illicitum prorsus est. An autem, sive ad fidem catholicam protestandam sive ad castitatis violationem in casu flagranti evitandam, suicidium licitum sit; vide Lessium (De Iust. L. 2. c. 9. d. 6. n. 23).

178. Exigit etiam Deus ut vitam nostram periculis non exponamus. Quum tamen pericula levia nimis frequenter occurrant, ideo obligatio ista ad pericula extraordinaria dumtaxat restringitur. Imo rationes altioris gradus interdum efficiunt ut periculis quoque extraordinariis nos exponere possimus vel etiam debeamus. Exempla dari possunt, v. g., in militibus tempore belli; in custodibus infirmorum tempore pestis; in macceratione corporis motivo virtutis; in virgine quae, ut seipsam a violatione salvet, e loco sublimi per fenestram se praecipitat etc. Vide Sporer (c. 3. n. 24).

Debemus insuper cibum, potum, somnum, et medicinam corpori nostro praebere; discretam scilicet ad conservationem vitae curam habere. Dico *discretam*; sacrificia enim extraordinaria in hunc finem facere non tenemur. Hinc aegrotus nec amputationi membrorum consentire tenetur, nec ad dispendia exces-

* Alii Theologi hoc loco loquuntur etiam de officiis tum parentum erga filios, tum famulorum erga dominos, tum subditorum erga superiores. Sed ego de his loquar ubi de statibus particularibus agam.

siva obligari potest. Hinc etiam virgo pudica recusare potest ne medicus in partibus secretioribus illam inspiciat aut tangat. Si tamen alia foemina loco medici id praestare posset, recusare non deberet. S. Lig. L. 3. n. 372.

179. Quid de illis qui mortem sibi optant? Resp. Aliud est mortem sibi inferre, aliud vero mortem sibi optare. Mortem sibi inferre invito Deo, a crimine gravissimo seiungi nequit; sed optare mortem a Deo nobis inferendam licitum esse potest. Videndum tamen quo fine et quo modo mors optetur; id enim contingere potest tribus modis, nempe 1° ex sancto motivo; 2° ex aliqua impatientia; 3° ex magno iracundiae furore. In primo casu nullum adest peccatum; ipse enim Apostolus Paulus exclamabat: « Quis me liberabit a corpore mortis huius?... « Cupio dissolvi et esse cum Christo ». In secundo casu, nempe si quis ad finiendas magnas huius vitae miserias cum levi impatientia mortem desideret, aliqua culpa non deerit. Vide notam ad Gury n. 223. In tertio casu demum peccatum mortale est manifestum; unde illi, qui propter aliquod infortunium (et forsan non adeo grave) magna ira abrepti ex corde et advertenter mortem sibi imprecantur, sine dubio graviter delinquunt. Dixi *ex corde et advertenter*; notandum est enim quod ut plurimum huiusmodi imprecationes vel ore dumtaxat vel absque advertentia proferuntur. Vide Gury (Cas. n. 175), et S. Lig. (L. 2. n. 30).

180. Quid de ebrietate? Resp. Ebrietas recensenda est inter peccata quae homo contra seipsum committit. Si tamen sit imperfecta, si nempe usum rationis obnubilet quidem, sed totaliter non auferat, peccatum mortale minime constituit. Secus vero, si sit perfecta. Porro privare se totaliter usu rationis absque ulla necessitate et ex sola ingluvie vini cum tanta dignitatis humanae dejectione, grave malum est; multo magis quia homines usu rationis hoc modo destituti blasphemiis, rixis aliisque gravibus inordinationibus ordinarie subiiciuntur. Adde quod una ebrietas aliam (ut ita dicam) ebrietatem vocat, unde non de peccato sed de vitio ut plurimum agitur; quod quidem etiam corpori nocet, et ante tempus ad mortem ducit.

181. Homo demum contra semetipsum graviter delinquit, quando proximis et voluntariis occasionibus mortaliter peccandi se exponit, aut a gravibus periculis spiritualibus sive externis sive internis, quibus forte subiicitur, se eripere negligit; mortale enim peccatum spirituale suicidium dici potest. Vide notam apud Gury n. 222. 2.

## PUNCTUM II.

### DE HOMICIDIO PROPRIE DICTO ET DE ALIIS INIURIIS CONTRA PERSONAM PROXIMI

In hoc puncto ago 1° de homicidio; 2° de abortu; 3° de dilectione proximi.

### § I.

### *De homicidio.*

182. Homicidium potest esse directum et indirectum.

*Directum* contingit quando quis cum intentione occidendi actionem occisivam ponit; sive haec sit positiva, adhibendo, v. g., gladium aut venenum; sive sit negativa, non praestando, v. g., alimenta aut medicinam, si tamen ex officio haec praestari debeant; ad verum enim homicidium constituendum oportet semper ut ius strictum laedatur.

*Indirectum* autem contingit quando quis sine intentione occidendi ex alio fine ponit actionem ex qua cum iniuria stricte dicta mors alicuius sequatur. Exemplum dari potest in matre quae, secum in lecto infantem retinens, ad eum quidem lactandum sed cum proximo mortis periculo, illum suffocet.

183. In praxi casus homicidii directi rarus est; unde hic dico dumtaxat quod homicidium directum non licet, nisi 1° ex publica auctoritate: 2° in bello iusto, quamvis in illo, defensionis necessitate, etiam innocentes interficiantur (Lessius L. 2. c. 13. n. 29); 3° in casu flagranti contra iniustum aggressorem, si id necessarium sit ut sive vita, sive pudicitia, sive etiam bona fortunae magni momenti in se aut in proximo defendantur. An autem quis iniquo aggressori mortem sibi inferre volenti nisi aliquid non magni momenti ei cedat, idipsum ei cedere (potius quam illum occidere) debeat; de hoc lis est apud aliquos Auctores; sed ego censeo quod ex charitate rem illam parvi momenti cedere, et ab homicidio omnino abstinere deberet.

184. Frequentiores sunt casus homicidii indirecti, nempe mortis sive violenter sive lento gradu praeter intentionem causatae, et maxime modo negativo; ex incuria scilicet, non praestando ea quae aliis vitae sunt necessaria, et quae (ut nuper dicebam) ex officio praestari deberent. Reatum istum contrahere possunt 1° Matres et speciatim nutrices mercenariae, si pueros

non alant aut gravibus periculis expositos relinquant ; 2° Mariti si proprias uxores iniuste et adeo crudeliter percutiant ut illis vitam brevient ; et idem dic de filiis si parentibus senibus et infirmis medicinas non procurent ; 3° Medici, si ex negligentia vel ignorantia culpabili vel ex timore infectionis ( v. g. tempore pestis ) sint in causa cur aegroti moriantur. Idem dic de obstetricibus. Idem dic etiam de illis pharmacopolis, qui medicinas vietas aut non iuxta medicorum praescripta ex avaritia vel incuria suppeditant ; 4° Infirmis inservientes mercede conducti, si illos sine necessaria assistentia relinquant ; 5° Officiales publici, si proprio muneri deficientes sicarios impune grassari permittant.

185. Interdum, etiam secluso officii debito, charitas nos adigere potest ut vitae proximi succurramus ; et quidem cum non levi incommodo. Dicit tamen S. Lig. n. 31 quod nemo tenetur magnam pecuniae summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia extraordinaria et magni pretii eidem procuranda. Ratio est quia ne ille quidem qui in tali periculo versaretur ad id teneretur ; aliunde charitas incipit a semetipso. Caeterum cum maiori incommodo vitae proximi succurrere teneremur si ageretur, v. g., de persona bono publico necessaria, de consanguineo, de benefactore etc.

## § II.

### *De abortu.*

Sicut homicidium ita etiam abortus contingere potest directe seu ex intentione ; et indirecte seu praeter intentionem.

186. Quoad abortum *indirectum* dico quod sine dubio mater discretam debet habere curam ne abortus sequatur ; speciatim antequam foetus sextum mensem compleverit ; tunc enim in lucem quidem prodire potest vivus sed non vitalis ; maxime vero in primis tribus mensibus, eo quod tunc ex una parte abortus sit magis facilis, et ex alia parte fere impossibile sit quod foetus possit vivus exire et baptizari. — Causae magis ordinariae abortus sunt sequentes : 1° Magnae pressiones et percussiones in ventre ; 2° Immersio pedum in aqua frigidissima, maxime si prius corpus calidum erat ; 3° Longum et laboriosum iter ; 4° Saltus, et speciatim chorea quae dicitur Waltzer *saltato* ; 5° Elevatio magni ponderis, et maxime si magnus nisus fiat ut aliquid a loco superiori trahatur. 6° Magna et repentina ira.

7° Demum generatim diuturni et excessivi labores propriis viribus valde improportionati; speciatim si foemina complexione valde debili praedita sit. Matres gravidae itaque has causas per quantum moraliter possunt evitare debent; maxime vero si propter aliquam ex istis alia vice abortui subiectae fuerint. — Notari potest insuper quod aliquae matres, ne laborent in partu propter foetus pinguedinem, per plures menses parcissime vescuntur. Id etiam solet esse causa ut foetus aut in utero moriatur, aut brevem infelicemque vitam habeat.

187. Si mulier gravida sit infirma, sciendum est quod plura remedia (v. g., hyrudinum applicatio in pudendis, sanguinis emissiones a pedibus, emetica ad vomitum provocandum *tartaro stibiato*, purgantia violenta etc.) abortum causare possunt. Quaeritur itaque an remedia huiusmodi non ad abortum procurandum sed ad sanitatem recuperandam adhiberi possint? — Resp. Si morbus etiam sine remediis istis vinci queat, tunc mater ab iisdem abstinere debebit, idque etiam cum notabili suo sacrificio, maxime si foetus, sexto mense nondum completo, vivus et vitalis prodire nequeat. Si e contra huiusmodi remedia ad matrem a morte salvandam necessaria sint, tunc adhiberi poterunt; si enim non sumerentur, moreretur mater et cum ipsa etiam foetus; ipse enim in utero clausus vix unquam mortuae matri supervivit. Aliunde si remedia sumantur et abortus sequatur, id in bonum foetus ipsius semper redundat; si enim a plena maturitate non distet, vivus et vitalis in lucem prodibit; si autem a maturitate distet, tunc aderit saltem spes ut vivus exeat et sic baptizari possit; quod quidem fieri nequiret si, abortu non secuto, in utero matris moreretur. Haec omnia sunt iuxta doctrinam S. Ligorii (L. 3. n. 394. q. 2).

188. Idem dicendum videtur pro casu in quo mater non quidem certae morti, attamen gravi mortis periculo aut intolerabilibus doloribus exposita maneat nisi remedium sumat. Rationes sunt sequentes 1° Occisio innocentis, si praeter intentionem et gravi de causa eveniat, minime interdicitur; ut patet exemplo illius qui, fugiens ad evitandum periculum mortis, pueros viam impedientes equo aut curru collidat. 2° Matres videntur obligari posse dumtaxat ad habendam curam discretam, non vero ad subeunda sacrificia intolerabilia, ut abortus periculum evitent. 3° Charitas incipit a semetipso. 4° Sententia hodie magis recepta tenet quod pueri sine baptismo decedentes atrocibus poenis minime addicantur, imo quod beatitudine non quidem supernaturali sed naturali perfruantur. 5° Contingere potest quod foetus

exeat vivus et sic baptizari queat. 6° Aliunde, si remedium non sumeretur, acerrimi morbi protractio et maternae mortis periculum, iam foetum ipsum in discrimen eodem et forsan peiori modo relinquerent. Hinc Prado (T. 2. c. 20. q. 5. n. 24) dixit: « In curandis praegnantibus non iudico medicos nimis scrupulose « se gerere debere. Imo saepe tenentur haec medicamenta adhi- « bere; dummodo directe medicina non tendat ad necem ». Idque dicit etiam S. Lig. (L. 3. n. 394. q. 2). Mater tamen in hoc abortus periculo constituta sub gravi addiscere deberet formam Baptismi, aut curare ut quandocumque foetus exierit, statim ab aliquo baptizari possit.

189. Demum occisio foetus accidere potest modo indirecto, dum medici et obstetrices a corpore matris partu difficili laborantis illum vivum et illaesum extrahere nituntur. Veruntamen, si sufficientem habeant curam et diligentiam ut foetus ipsius vitae temporali et spirituali prospiciant, quamvis nihilominus res infelicem exitum sortiatur, de peccato incusari nequeunt.

Nunc dicendum est aliquid de abortu directe procurato. Casus practici sunt duo.

190. Primus est quando puella ex delicto gravida, ut propriam infamiam aliasque commissi criminis consequentias evitet, foetum enecare vel destruere procurat. Porro id, intuitu non solum innocentis prolis occisae sed etiam boni publici (vae enim si res huiusmodi liceret!), tamquam horribile nefas haberi debet, quidquid sit an foetus sit animatus vel non adhuc animatus. Id constat etiam a sequenti propositione ab Inn. XI. damnata: « Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella « deprehensa gravida occidatur aut infametur ».

191. Secundus casus est quando misera mater ita partu seu alia infirmitate laboret, ut, nisi cito foetus prouti poterit eiiciatur, iam sit moritura. — In hoc casu 1° si foetus iudicio medici mortuus sit, extrahi poterit et debebit, ut per se patet; 2° si sit vivus et vitalis sed non adhuc perfecte maturus, si nempe sextum mensem compleverit; tunc membrana scindi poterit, ut, dum adhuc exiguus est, per viam forte nimis angustam exiens, propriam et maternam vitam salvet (porro id non abortus, sed partus artificialis seu *innocua partus acceleratio* dici debet); 3° si sit vivus et maturus, observandum erit an erui possit ope *sinfisiotomiae* *, quae operatio parum periculosa est, et proinde

* Sinfisiotomia est cutis et *cartilaginis* cuiusdam (in osse *pube* existentis) sectio, qua fit ut *bacinum* muliebre dilatetur, et sic foetus exire possit.

foetum simul et matrem salvat; 4° si *sinfisiotomia* locum habere nequeat, tunc *operatio caesarea* superest. Ars chirurgica suo progressu eo devenit ut hodie casus hac in re felices quotidie multiplicentur. Si itaque operatio caesarea certam mortem matri non sit allatura, in tali extremitate profecto licita erit, et medicus illam consulere poterit; ea enim certe filium et probabiliter etiam matrem salvabit. Aliunde extremis malis extrema remedia.

192. Sed quid si ad salvandam matrem omnino necesse sit ut foetus immaturus (ante sextum mensem) eiiciatur per *lethalem partus accelerationem*; vel ut (operationem caesaream matre recusante) foetus, qui propter suam magnitudinem vel matris arctitudinem exire nequit, vivus per *craniotomiam* seu *cephalotomiam* aut saltem per membranae scissionem enecetur?

Resp. Communis Theologorum sententia est, cursum naturae relinqui debere, et nefas prorsus esse in huius mulieris commodum filium enecare.

Sed aliqui ex antiquis et fere omnes moderni (quod mirum mihi videtur!) aliter sentiunt.

Gury (cas. n. 402) directam et lethalem (nempe quamvis foetus sextum mensem nondum compleverit) partus accelerationem, ope balnei vel aliorum remediorum maternarum fibrarum relaxantium procuratam, licitam esse admittit. Fundatur quia id non est directe foetum occidere, sed illum amovere a loco in quo vivere non potest ut statuatur in alio loco in quo magis vitam producere nequit, et proinde in peiori conditione minime constituitur; imo in longe meliori conditione constitueretur, quia sic baptizari poterit; dum, si in utero matris relinqueretur, sine baptismo moreretur *.

Cl. Ballerini (n. 402) admittit licitam esse quoque scissuram membranae quae foetum involvit; sic enim mater non proprie occidit foetum, sed cessat illum proprio sanguine alere; dum cum tanto incommodo et cum sacrificio vitae illum alere non tenetur; sicut nec nato filio teneretur cum vitae discrimine alimentum praebere. Imo quum, membranâ scissâ, foetus baptizari possit, sic illius maximum bonum procuraret. Scissione autem facta, equidem foetus (si non sit maturus aut si exire non possit)

* Quod revera foetus mortuae matri supervivat, in praxi rarissimum est: et S. Lig.ª (L. 3. n. 394. q. 2) dixit id esse pene miraculum. Oporteret enim 1. ut morbus matris brevissimus fuerit; 2. ut foetus pro exitu non laboraverit; 3. ut chirurgus et quidem valde peritus maternae morti ita praesens esset ut statim post ultimum anhelitum operationem faceret.

vivere nequibit; et proinde, si moriatur in utero, quovis modo postea extrahi poterit; et si adhuc vivus exeat, ad maiorem securitatem iterum baptizari sub conditione debebit.

Pro casu autem extremo in quo, membranâ scissâ et Baptismo administrato, necesse sit absque mora foetum ipsum adhuc vivum dilacerare, ut, dum (propter viae naturalis arctitudinem) integer extrahi nequit, membratim extrahatur; quatenus de casu flagranti agatur in quo foetus ipse ibi manens matri mortem illico allaturus sit; id quoque esse (saltem probabiliter) licitum, dicere audent Theologi sequentes, nempe celeberrimus Avanzini (Acta S. Sedis V. VII), cl. D'Annibali (Summula V. 2. n. 322), et cl. Ballerini, saltem iuxta ea quae dicit in not. 6. ad n. 403; qui nonnullos antiquos citant, et speciatim Tertullianum, qui (De anima n. 25) scripsit: « In ipso adhuc « utero infans trucidatur necessaria crudelitate, cum in exitu « obliquatus denegat partum: matricida, ni moriturus ». Et in hanc sententiam tacite inclinare videtur etiam revisor editionis posthumae Scavinii V. II. n. 654. — Rationes, quae in huiusmodi sententiae favorem adducuntur, in substantia sunt sequentes. I° Rationabile est ut, ex duobus alioquin certo certius et proxime morituris, unus salvetur; nempe mater quae maius ad vitam ius habet et cuius conservatio magis interest. Aliquantulum autem accelerare mortem foetui (qui ne scit quidem se vitam habere) in tali casu et in hunc finem, iudicio et manu medici probi, expedit ut sit licitum; unde videtur quod Deus qui vitae et mortis dominus est, cuiusque leges nonnisi sapientissimae esse possunt, id non iam interdicere sed permittere debeat; quum aliunde haec permissio ne extrinsece quidem malas consequentias habere videatur *. II° Si iuxta multos Theologos eosque gravissimos (vide S. Lig. L. 3. n 391), quando foetus per se est causa mortis, licet eum destruere in casu flagranti *quia tamquam aggressor habetur*, si sit inanimatus; eccur non erit aggressor si sit animatus? Nonne eadem ratio viget in utroque casu? ** — Ita est, dicit Viva (Prop. 34. Inn. XI.

* Sed principium de occidendo innocente propter bonum praevalens nonne satis ruinosum est? Sic enim posset occidi mater, v. g., ad salvandum puerum (cuius conservatio publico bono necessaria sit), vel ad illum baptizandum (si aliud medium deesset). Item peste infecti occidi possent, si hoc necessarium esset ad publicam et imminentem infectionem evitandam etc.

** Verum haec quoque ratio ab aggressione desumpta infirma esse videtur. Si foetus, eo quod stans in utero vitam adimit matri, aggressor est; iam pari iure talis erit etiam mater; nonne enim arctitudine sua vitam foetui adimit?

n. 8. et 13), sed occisio foetus animati eius aeternam damnationem causat; unde non quidem iustitia, sed charitas obstat. Verum (respondent) haec ratio nihil concludit; aeternae enim saluti foetus valde certius consulitur, si membrana scindatur et sic baptizetur, quam si usque ad mortem matris in utero relinquatur. III° Medici operationem istam sine scrupulo iam inde a saeculis semper fecerunt, ut ex Tertulliani textu patet; et Ecclesia damnavit quidem alias doctrinas de abortu, sed circa casum istum semper tacuit; imo craniotomiam in recensitis circumstantiis esse licitam, libris Romae editis doceri sinit. Aliunde nulla lex sive canonica sive civilis in contrarium adest.

Pro praxi optime scripsit cl. Archiep. Kerinch : « Equidem « quum utrinque periculum sit, puto haud oportere (Sacerdotem) « se aliquatenus chirurgi consiliis immiscere : nil enim proderit, « et in se mortis matris suscipiet odium..... Si mater petat quid « sibi faciendum sit, videtur dicendum, oportere chirurgum « orare, ut vitae foetus, omni qua possit ratione consulat ».

## § III.

### *De dilectione proximi.*

193. Mandatum divinum de dilectione proximi extenditur etiam ad peccatores et inimicos : « Ego autem dico vobis : dili- « gite inimicos vestros ». Dices : Amor respicit bonum et non malum, eiusque causae sunt res nobis convenientes non vero contrariae; quomodo ergo malos et inimicos amare possumus? Resp. Illos amare debemus non quia sunt mali et inimici, sed 1° quia sunt fratres nostri, qui nobiscum ad coelestem beatitudinem pervenire possunt; 2° quia sunt filii Dei, et intuitu Dei eos diligere debemus, multo magis quia Deus ipse exigit ut eis bene velimus.

194. Neminem itaque odio habere possumus, sed cum omnibus vinculo charitatis uniti esse tenemur. Verum est quod iustis de causis aliquod malum alicui desiderare atque etiam inferre pos-

Sic autem matrem etiam occidere licitum esset. — Ingenue dico; haec, quae craniotomiae favet, doctrina mihi non placet. Neque profecto verum est quod medici probi sine scrupulo huiusmodi operationes faciant. Vide *De l'avortement provoquè obstètrical — Leçon d'ouverture (année scolaire 1878-1879) faite a l'Hopital S. Eugenie par le Dr Vanverts, Lille. — De l'operation cesarienne* etc. eiusdem auctoris. — Nihilominus meo iudicio parum fidens, aliorum sententiam et argumenta referre volui; ut in hoc puncto practico sapientiores iudicent.

sumus; imo interdum debemus; sed hoc usque ad frangendum vinculum charitatis atque ad excludendum aliquem a dilectione nostra pertingere nequit. Id autem sic explico.

I° Peccata et vitia proximi nostri odio habere possumus. Porro hoc odium (ut ait S. Th. 2. 2. q. 25. a. 6. ad 1.) ad charitatem pertinet. Hinc vulgare effatum: = Odio habebis vitium et amabis personam =.

II°. Optare malum alicui propter maius illius bonum non est contra, sed iuxta charitatem. Hinc licet 1° optare infirmitatem aut aliud infortunium temporale alicui magno peccatori, ut peccare desinat et convertatur. Idem dic de matre quae filiae nubili et innuptae, ob nimiam paupertatem et deformitatem, mortem exoptaret, ne periculis peccandi obnoxia remaneat. Licet 2° optare mortem, v. g., puero caeco, claudo, muto, vel atroci morbo laboranti, dicente proverbio, *melior est mors quam vita amara.* Hinc excusandae sunt matres, quae, dum vident pueros suos nimis pati, exoptant ut potius moriantur et ad Paradisum advolent.

III°. Est pariter iuxta ordinem charitatis si malum personae privatae exoptemus, ut magnum malum publicum finem habeat. Hinc publicis grassatoribus, publicae pacis perturbatoribus, et multo magis magnis scandalosis aut Religionis persecutoribus mortem desiderare possumus (S. Lig. L. 2. Tr. 3. n. 30). Hinc etiam non esset damnandus, v. g., pater qui filio dyscolo familiam in ruinam conicienti infirmitatem aut forte etiam mortem desideraret. Idem dicit Gury (Cas. n. 213) de matre, quae, propter prolem nimis numerosam et propter familiae extremam inopiam, exoptaret ut puer recens natus ad paradisum advolaret.

IV°. Charitas sinit, imo interdum exigit, ut contra aliquem irascamur gravibusque verbis illum obiurgemus, speciatim quando delinquentis emendatio, aut honor Dei, aut bonum aliorum id exigit; maxime vero si ex speciali munere nostro delinquentem corrigere debeamus. Ira quando est rationabilis, est etiam licita et non raro conveniens. Oportet tamen cavere ne ira, quae debet esse ancilla et adiutrix rationis (ut nempe correctio promptior et fortior esse possit), rationis ipsius domina evadat, et sic limites excedere faciat. Vide D. Th. (2. 2. q. 158. a. 8).

Idem dic de moderatis verberibus ex legitima potestate ad correctionem adhibitis. Attamen filius maior nequit percutere minorem, nisi forte, mortuis vel absentibus genitoribus, ipse familiam regat.

V°. Charitas exigit quidem ut ab amore nostro neminem un-

quam excludamus (et idem dic regulariter de communibus benevolentiae demonstrationibus); sed non exigit nec ut familiaritatem cum aliquo incamus vel conservemus, nec ut speciales amoris aut observantiae demonstrationes (si excipias consanguineos, benefactores, superiores, contubernales et interdum etiam vicinos) alicui praebeamus. — Antipathia ergo, propter quam aliqui a speciali amicitia cum quibusdam personis inenda abhorrent (nisi ulterius progrediatur) charitatis legem non offendit.

Haec tamen et alia similia quae infra dicentur intelligi debent inspecto rigore legis, non autem inspecto consilio. Consilium enim est ut in charitate, et quidem etiam cum iurium nostrorum iactura, abundemus. *Charitas non quaerit quae sua sunt.*

VI°. In casu alicuius offensae vel iniuriae receptae, sine ulla culpabili charitatis laesione, malefacti displicentiam habere: atque etiam iustam reique naturae proportionatam indignationem (cavendo tamen a scandalo) exterius ostendere possumus.

VII°. Charitas non vetat quominus, recepta iniuria, aequam et legitimam reparationem et satisfactionem exigamus; charitas enim iustitiam non evertit, et ius suum quaerere *per se* peccatum esse non potest. Porro unusquisque ius habet non solum se defendendi ne iniuria sibi inferatur, sed etiam exigendi reparationes quoad iniurias sibi illatas. Et sicut absque dubio quilibet potest exigere reparationes damnorum in bonis fortunae et famae, ita potest etiam exigere ut illi qui sive quoad vitam sive quoad honorem iniurias sibi intulerunt, legitime puniantur. Id autem exigere potest non solum propter bonum publicum, sed etiam propter bonum suum privatum; ne scilicet offensor impunitus novas iniurias superaddat, atque etiam ne alii, eius nimia cognita bonitate, ad damna ei inferenda audaces evadant. Ita Lessius (L. 2. c. 47. d. 4. n. 26). Vide etiam D. Th. (q. 108. a. 2) ubi ait quod vindicta, si fiat ex fine recto, nempe ex animo a se removendi nocumenta, et se coercendo intra debitos limites, *est specialis virtus.*

Sed, quid si agatur de iniuriis non adeo gravibus, pro quibus ope tribunalium satisfactio obtineri nequit? Resp. En quid sentit Lessius (l. c. n. 23): « Permittuntur passim in republica « quaedam vindictae *parvae*, si fiant ex incontinenti, accepta « iniuria: hoc enim aliquo modo reputatur necessarium ad pu« blicam pacem, ut quisque a minoribus iniuriis, quae ad tri« bunalia non solent deferri, tutus sit. Hoc modo quidam Do« ctores eum qui percutit alterum alapa, pugno, vel baculo, « dicunt statim posse repercuti, ne alter audacior in posterum

« ad similia evadat : esse enim hoc genus quoddam defensionis ». Idem dicit Gury ( Casus T. 1. n. 217 ). Id tamen practice cum magna discretione intelligi debet ; prout mox ( n. 195. IV. ) explicabitur.

VIII° Sicut autem intra debitos limites potest quispiam iniurias sibi illatas vindicare ; ita potest etiam vindicare iniurias illatas proximo ( quas ex charitate reputat quasi suas ) ; et de hac vindicta dicit S. Thomas ( l. c. ad 2 ) quod *ex radice charitatis procedit.*

195. Quaeres quandonam sive in desiderio sive in gaudio de malo proximi, sive in vindicandis iniuriis acceptis, peccatum aderit ?

Resp. In praxi casus communiores sunt sequentes.

I°. Si id fiat ex causa turpi aut minime rationabili, v. g., ex invidia, prout faciebat Cain contra Abelem innocentem ; aut ex avaritia, prout faceret filius qui propter pinguem haereditatem mortem patri exoptaret vel de ea gauderet ; aut denique ex impatientia, taedio et ira, prout faciunt illi qui propriis coniunctis querulis, fastidiosis, infirmis etc. mortem exoptant.

II°. Si vindicta sit crudelis aut saltem excessiva ; si nempe inter iniuriam acceptam et quantitatem punitionis illatae aut exoptatae proportio non adsit ; v. g., signa indignationis nimis in longum producendo ; in obiurgationibus, in verberibus aliisve factis rationem vindictae habentibus nimis excedendo ; ei, qui damnum non adeo grave tibi intulit, gravissima mala, v. g., mortem, infernum etc. *ex corde* imprecando. Vide D. Th. ( q. 158. a. 2 ), et ( q. 159. a. 1 ).

III° Si vindicta sit quidem iusta, sed scandalum pusillorum inducat ; hoc enim in casu curandum erit ut ( ad minus rem declarando ) scandalum amoveatur.

IV°. Si vindicta auctoritate privata fieri velit, etiam in iis casibus in quibus id omnino non licet, nempe 1° si ope tribunalium obtineri possit ; 2° si nimis magna sit ; 3° si sit inutilis, si nempe non iam apta sit iura nostra tueri, sed potius novas iniurias provocare atque efficere ut discordiae et lites nunquam finem habeant, prout nimis frequenter in praxi contingit.

V°. Si vindicta fiat aut quaeratur vel ex profundo odio, vel ex fine non tantum obtinendi iurium propriorum reparationem et tuitionem, quantum se delectandi de poena proximi. Porro id nefas est. S. Thomas ( q. 108. a. 3 ) dixit vindictam esse quidem licitam, sed *non intentione nocendi*, bene vero dumtaxat *intentione removendi nocumenta.* Notandum est etiam quod delecta-

tio de poena proximi in saevitiam et feritatem degenerare potest. Vide eundem D. Th. (q. 159. a. 2).

196. Hic nonnullae quaestiones valde practicae superaddi debent.

Quaer. I°. Quid de iis qui contra proprios offensores imprecationes iaciunt?

Resp. Si ore dumtaxat, aut sine advertentia ad peccatum (ut saepe accidit) illas iaciant, tunc levis aut nulla culpa aderit. Aliqui notant culpam gravem nihilominus adesse propter scandalum, maxime si parentes coram filiis huiusmodi imprecationes proferant; sed (saltem apud nos), quum in rudibus imprecationes istae intelligantur prolatae non ex animo, et fere pro nihilo habeantur; atque insuper quum sint communissimae et passim audiantur; non apparet quomodo praecise ex imprecationibus a parentibus auditis gravis ruina spiritualis in filiis provenire debeat. Aliunde parentes hoc grave scandalum minime animadvertunt.

Si autem imprecationes, saltem in eo instanti in quo proferuntur, ex corde proveniant; tunc practice (si tamen advertentia ad culpam adsit) peccata mortalia esse solent. Ratio est quia ut plurimum vel ex perfecto odio proveniunt, quatenus offensus, quovis abrupto charitatis vinculo, omnia mala offensori desiderat, et ne in extrema quidem necessitate ei opem praebiturus esset; vel saltem vindictae graviter excessivae desiderium (ordinarie cum gaudio poenae coniunctum) includunt.

Quaer. II°. Quid de contumeliis, seu de verbis iniuriosis?

Resp. Advertendum est imprimis quod nonnulla verba, quae, si contra personam civilem dicerentur, gravissimam iniuriam continerent, inter rudes fere nihil considerantur. Iidem tamen rudes graviter indignari solent si *fures* vocentur, aut si res particulares et complices indicentur.

Supposito autem quod agatur de contumeliis quae graviter pungant (pungunt autem magis si aliis etiam audientibus proferantur; maxime vero si res secretae et valde probrosae improperentur); in hoc casu culpa mortalis certe aderit 1° si falsa improperentur; 2° si ab offensore contra eum qui nullam iniuriam ei intulit proferantur; 3° si proferantur quidem ab offenso, sed ita ut ille iustae indignationis limites valde praetergrediatur.

Quaer. III°. Quid de iis mulieribus quae in familiis mutuo se offendunt et sic in continua discordia vivunt?

Resp. Istae mutuae offensae, quamvis in se essent leves, magnum pondus habere possunt propter consequentias; possunt

enim 1° gignere et fovere graves malevolentias internas, et forte etiam odium habituale producere et sic vinculum charitatis omnino abrumpere; 2° pacem familiae graviter turbare, occasionem blasphemiarum maritis praebere, et forte etiam scandalum grave filiis dare. 3° Illa speciatim, quae discordiae potior causa est, gravem reatum contrahere potest propter ipsam turbationem, quam alteri mulieri praebet; turbatio enim continua quid valde molestum esse solet. In praxi tamen ut plurimum gravem reatum ex hoc ultimo capite foeminae non contrahunt, quia illum non advertunt. — Si autem ex una parte odium grave non adsit aut omnino deponatur; et ex alia parte pax aliorum graviter non turbetur; tunc peccatum mortale minime aderit.

Quaer. IV°. Quid de eo qui, post iniuriam acceptam aut rixam habitam, illum quem prius salutabat amplius non salutat?

Resp. Si a salutatione potius malum quam bonum expectari debeat, prout potest contingere si animus alterius sit adhuc exacerbatus, ita ut credendum sit quod ille, si salutaretur, novam rixam esset iniurus aut saltem salutationem non esset redditurus; tunc alia quidem reconciliationis media quaeri deberent; sed salutatio, utpote quae animos utrinque magis exacerbaret, sub obligatione cadere nequiret.

Si vero a salutatione nihil mali timeri possit (eo quod, v. g., offensor desiderium pristinam amicitiam renovandi ostenderit); tunc videndum qua ratione salutatio aut resalutatio dari nolit. Rationes satis iustae sunt duae, nempe 1° si perduret adhuc motivum iustam indignationem sic ostendendi, maxime si offensor in re gravi reparationem praebere debeat, et adhuc nullo modo aut non sufficienter illam praebuerit (id tamen difficile erit si offensor iuxta hypothesim iam se humiliet et ipse prior offensum salutet); 2° si salutatio (inspectis personarum circumstantiis) sit signum amicitiae specialis, quae prius quidem aderat, sed nunc velit interrumpi (maxime si id expediat aut oporteat); et proinde, ad offensorem a pristina familiaritate arcendum, hoc medium salutationem ei amplius non praebendi eligatur

Si vero salutatio sit signum commune (nempe si offensor pertineat ad classem illorum quos tu salutare indistinctim consuescis) et si iustae indignationis motivum amplius non subsistat; tunc in salutatione non praebenda peccatum aderit. Ad iudicandum autem an peccatum istud sit grave vel leve, inspiciendae sunt circumstantiae; et speciatim animi dispositio, temporis diuturnitas et personarum qualitas (v. g., an agatur de

inferiore erga superiorem); maxime vero considerari debet ratio scandali, quae interdum (v. g., si ageretur de Sacerdotibus, aut de Religiosis in eodem monasterio) potest esse tanti ponderis, ut etiam in casu iustae indignationis recusatio salutationis illicita evadere possit.

Sicut autem, excepto casu in quo iustam indignationem ostendere liceat, offensus non potest negare offensori salutationem, si haec sit signum commune; ita non potest eum excludere a quolibet alio beneficio vel officiositatis vel benevolentiae signo, quod omnibus aliis communiter praestat.

Quaer. V°. Quomodo reconciliatio fieri debeat?

Resp. Si discordia sit non adeo magna, ad ei finem imponendum ordinarie sufficit subtractio causarum; cessare scilicet a contumeliis aliisque iniuriis, et adhibere patientiam. Et, si agatur de vicinis, sufficere potest, v. g., si pacis desiderium aliquo modo ostendatur, si ope filiorum aliquid mutuum petatur etc.

Si vero discordia tam gravis et profunda sit, ut haec vel similia media deservire nequeant; tunc formalis reconciliationis (*far le paci*) procurandae necessitas et obligatio aderit. — Ordinarie offensor debet prior reconciliationem quaerere; et, si offensae fuerint mutuae, videndum an fuerint aequales an vero inaequales; in primo casu qui prior, et in secundo qui gravius offendit praeire debet. Si autem non constet quisnam prior iniuriam intulerit, tunc tenetur uterque.

Sed quid si reconciliatio absque petitione veniae obtineri nequeat?

Resp. Offensor ordinarie (nempe si deceat, et nisi prius, se humiliando aut se retractando aut poenam ferendo, sufficienter satisfecerit) ad veniam ipsam petendam tenetur; ex una enim parte offensus ad satisfactionem (iniuriae receptae et offensoris possibilitati proportionatam) ius habet; et ex alia parte in hac hypothesi hoc esset medium non solum utile sed necessarium ad concordiam obtinendam. Dixi *offensoris possibilitati proportionatam;* si enim ageretur de Superiore, hic non posset absque gravi suae auctoritatis detrimento veniam petere; et proinde irrationabiliter exigeretur, nisi forte de iniuria atroci res esset. Vide S. Lig. (L. 3. n. 984).

Quid demum si offensor reconciliationem non quaerat? Teneturne tunc offensus illam quaerere?

Resp. Si ipse offensus fuerit et non offenderit, et agatur de iniuria gravi; tunc certe non tenebitur aperte quasi reus prior pacem implorare, multo magis si ex hoc offensor audacior et in-

solentior evasurus esset. Tunc igitur tenebitur dumtaxat 1° odium a corde suo deponere ; 2° ab excessiva indignationis demonstratione abstinere ; 3° scandalum ( si quod adsit ) auferre meliori modo possibili ; 4° secreto et ope tertiae personae reconciliationem quaerere.

Si autem iniuria fuerit levis, aut si ipse offensorem aliis iniuriis affecerit ; tunc ( supposita spe boni effectus ) teneretur etiam modo aperto, si id necessarium esset, ipse prior reconciliationem quaerere. Porro charitas ( maxime si de publica inimicitia res esset ) hoc suaderet.

## PUNCTUM III.

### *De homicidio civili, seu de iniuriis contra famam proximi.*

197. In hoc puncto agendum est de detractione ; quae definitur : = Laesio bonae existimationis qua proximus gaudet apud alios =.

Obiectum detractionis esse possunt non solum delicta et peccata, sed etiam alii defectus proximi, v. g., mala indoles, ignorantia, infirmitates occultae etc. ; uno verbo ea omnia, quae displicere possunt proximo si de iis sermo habeatur. Ea itaque, quae in hac tractatione dicentur de revelatione delicti, de revelatione etiam aliorum defectuum ( proportione tamen servata ) intelligi debent.

Detractio interdum est contra iustitiam, interdum vero contra solam charitatem. Hinc duos paragraphos statuam, quibus addam tertium, in quo de illis qui detractionem audiunt sermonem habebo.

### § I.

### *De detractionibus, quae reatum contra iustitiam includunt.*

198. Primus reatus iniustus contra famam consistit in calumnia, quando nempe quis in proximi dedecus aut res falsas dicit, aut veras exaggerat, aut dubias tamquam certas propalat, aut demum bonas dotes ( quibus proximus revera est praeditus ) negat aut in dubium revocat. — Facta aliorum de errore aut de peccato culpare ( *biasimare le azioni altrui* ), si facta ipsa tales

notas non mercantur, ad calumniam reducitur : et haec potest esse gravis, v. g., si agens esset Superior, et si vituperator, sive quia magna existimatione gaudeat sive ex aliis adiunctis, notabilis infamiae causa esset.

Secundus consistit in revelatione delicti veri. Ut tamen hoc modo quis proximum iniuste laedat, duo sunt necessaria. I° Ut proximus ipse suam bonam existimationem possideat ; II° ut silentium rationabiliter exigere possit. Haec duo sunt explicanda.

199. Quoad primum, notari debet quod fama habet partes. Diffamatus de uno delicto, vel apud quasdam personas ; adhuc suam famam quoad alia delicta, et quoad alias personas possidere potest. Idem dic si delictum cognitum quidem fuerit ; sed imperfecte vel sub dubio ; et a fortiori si actio quidem innotuerit, sed reconditus actionis ipsius defectus omnes lateat. — Notari debet insuper quod fama amissa recuperari potest.

200. Quoad secundum, observandum est quod, sicut, si quis partem sui patrimonii amisisset non ideo liceret aliam partem ei auferre, nisi forte de hac ablatione esset irrationabiliter invitus ; ita accidit in illo qui famam suam in parte adhuc possidet. — Sed in praxi multae dantur circumstantiae, in quibus homo de bonae suae existimationis ablatione rationabiliter invitus esse nequit ; idque accidit praecipue in casibus sequentibus.

1° *Si delictum sit publicum publicitate facti*. Agitur, v. g., de grassatore publico, de concubinario vivente in eadem domo cum concubina et filiis, de peccante in platea etc. Idem dic si sit publicum publicitate *iuris*, iudicis nempe sententiâ iam affixâ in publicis locis, ut delinquens etiam infamiae poena multetur. Idem dic etiam si delictum sola quidem fama in vicinia innotuerit ; sed ita ut iam impossibile sit quod notitia restricta remaneat. In his casibus exigere silentium stultitia esset.

201. Sed quid si ex una parte agatur de locis aut personis, quibus difficile notitia esset perventura, et ex alia parte infamato valde et iure intersit ut silentium servetur ? Resp. Tunc ex iustitia silentium servari deberet. Audi sequentem casum. Petrus Aristidem nepotem suum valde diligebat eique suam pinguissimam haereditatem testamento reliquerat. Dum autem Petrus apoplexi correptus in suo cubiculo clausus semper degeret, miser iuvenis, caeteroquin optimus, fragilitate victus cum puella (quam mox in matrimonium ducturus erat) peccavit, eiusque lapsus publice innotuit, sed Petro semper occultus remansit ; Aristides enim eiusque parentes cum Petro habitantes summam curam habuerunt ne quidquam resciret. Sed ecce quidam invi-

dia et odio magno contra Aristidem aestuans accedit ad Petrum iam morti vicinum, illique nepotis lapsum manifestat, ut sic testamentum sine mora mutaret, prout reapse fecit. — Quum mihi hic casus propositus fuerit, dixi quod (praescindendo etiam a sententia Card. De-Lugo, qui, ut notat cl. Ballerini V. 1 n. 726. q. 2, censet iniustitiam semper adesse quando damnum tertii directe et immerito quaeritur, quamvis nec agatur de rebus ad quas ius strictum habeatur, nec media iniusta adhibeantur) in his circumstantiis iustitia violatur, quia Aristides ex una parte suam bonam existimationem apud avum adhuc possidebat, et ex alia parte rationabiliter exigere poterat, ne quisquam (et multo minus ex mero odio) tantum damnum illi inferret. Vide casum similem apud Gury (Cas. n. 431).

202. Eadem resolutio dari debet circa illos, qui defectus proximi, quamvis (ut ita dicam) grosso modo et in genere notos, subtiliter et lynceis oculo in singulis particularibus observant, atque incessanter proponunt observationi illorum, qui imprudenter proximo ipsi damnum inferre possunt; et tali modo, v. g., impediunt ne quis, caeteroquin dignus, assequatur officium, beneficium etc.; aut obtinent ut herus immerito famulum, ministrum, colonum etc. a proprio servitio expellat. — Et hic sedulo notari debet, quod interdum detractiones etiam leves, maxime si sint valde assiduae et accumulatae magnum damnum afferre possunt. Notandum est etiam quod, si crimen sit occultum et sub gravi occultandum, tunc nemo ex iis qui illud sciunt potest illud revelare, quamvis praevideat quod alii silentium non sint servaturi. Quis enim dicet quod praevenire alios in delicto licitum sit? Vide Lugo (De Iust. D. 14. Sect. 6. n. 91). — Sed redeamus ad casus in quibus silentium exigi nequit.

II° *Si revelatio ad publicum malum evitandum necessaria sit.* Agitur, v. g., de machinante contra religionem aut contra societatem, de corruptore iuventutis, de seductore puellarum etc. *Clamare contra lupum est charitas erga oves.* Ex hoc capite liceret etiam, imo oporteret, patefacere Episcopo (sed non aliis) secretam indignitatem clerici Sacrum Ordinem postulantis, vel Sacerdotis ad Paroeciam concurrentis etc. Idem dic si ageretur de secreta inhabilitate vel periculosa improbitate concurrentis ad publica officia sive medici, sive chirurgi, sive praeceptoris etc.

III° *Si aliquid revelari oporteat ad damnum tertii sive certum sive probabile (discretione tamen servata) evitandum*; speciatim si agatur de ruina spirituali, aut de damno avertendo

ab amico, consanguineo, benefactore etc., maxime vero si damnum a perfido insidiatore obventurum sit. — Casus huiusmodi contingunt 1° occasione puellae, quae servitium suae honestati ruinosum (dum illud tutum existimat) inire vellet; 2° occasione matrimoniorum; 3° occasione electionis novi famuli aut ministri. — Caute tamen procedi debet tum ne plus dicatur aut pluribus quam oporteat, tum ut secretum exigatur, tum vero maxime ut illi defectus, qui nullo modo nocent vel sunt satis tolerabiles, leves et communes, et qui nihilominus iniustae repulsae causa esse possent, minime manifestentur.

IV° *Si revelatio necessaria sit ad iuste nobis ipsis consulendum.* Dixi *iuste;* hic enim maxime (propter periculum hallucinationis) attente considerari debet quod circumstantiae sint ita dispositae, ut ille, cuius delictum revelamus, de hac ipsa revelatione rationabiliter invitus esse nequeat. Admittitur a Theologis id licere ex necessitate auxilium vel consilium secreto petendi. — Conceditur quoque ad animi levamen, dum quis, iniuriis aut aliis malis tractationibus lacessitus, amico rem secreto narrat, ut aliquod lenimentum experiatur. Et iure; nunquid enim iniquus innocentis oppressor rationabiliter exigere potest, ut ille lamentum non emittat? — Id concedi debet etiam ad iustam defensionem; qua de re scripsit Lessius (L. 2. c. 9. n. 130): « Si quis te infamet, nec tu possis infamiam alia ra-« tione avertere, potes aliquos defectus illius occultos aperire, « ne ipsi fides adhibeatur ». Cavendum tamen ne haec propalatio, potius quam ad tuam defensionem deserviat, detractorem ad amplius tuam famam denigrandam provocet. Cavendum est etiam ne, omnibus perpensis, magis malum quam bonum producat. Nihilominus, rigorose loquendo de sola iustitia commutativa, haec laedi non videretur; si enim detractor famam tuam inique oppugnare non cessat, non potest rationabiliter exigere ut tu nomini eius strictum respectum habeas. — Idem dic de illis venditoribus et artificibus, qui, secretis fraudibus utendo, adventores minori pretio allectos advocant ad se cum damno aliorum venditorum, qui honeste procedunt; isti enim ad se tuendos iniquas fraudes revelare possunt.

V°. *Si revelatio ad ipsius delinquentis correctionem conveniens sit.* Hinc licet omnino delictum occultum filii revelare patri; et idem dic de peccato subditi quod prudenti Praelato eundem utiliter corrigere valenti patefieri potest.

Sed, praescindendo ab his casibus, nempe toties quoties delinquens ex una parte apud personam cum qua loqueris bonam

existimationem possideat, et ex alia parte silentium rationabiliter exigere queat, ad suam famam strictum ius habet, et proinde, si illam laedas, veram iniuriam illi irrogas veramque iniustitiam committis.

203. Gradus culpae in hac laesione, quatenus est contra iustitiam, a solo gradu damni dimetiendus est. Dixi *quatenus est contra iustitiam*; si enim inspiciamus etiam charitatem, tunc ex animi quoque dispositione culpa dimetiri debet; et bene contingere potest quod peccatum contra iustitiam sit leve, et contra charitatem sit grave; idque accidit quando damnum non sit quidem magni momenti, sed ex animo valde adverso et malevolo illatum fuerit.

204. Inspiciendo itaque solam iustitiam, ad cognoscendum an in revelatione delicti peccatum sit mortale vel veniale, distinguendum est imprimis utrum haec revelatio publicam infamiam secum afferat, an vero ad paucas personas restringatur.

Publicam infamiam secum afferret, si crimen personis levibus et garrulis, maxime vero foeminis, tu manifestes, aut si passim cum his et illis de eo verba facias; et multo magis si libellum famosum conficias, si nempe aut typis crimen evulges, aut signa infamantia publice exponas. — His in casibus, supposita probri gravitate (sive tu sis fide dignus sive non; sive rem tamquam certam sive tamquam dubiam propales) a peccato mortali contra iustitiam nunquam excusari poteris.

205. Si autem aliquibus dumtaxat personis prudentibus silentium servaturis rem manifestes, tunc iniustitia erit gravis vel levis secundum quod delinquenti multum aut parum interest ne illam revelationem facias. Vide itaque an agatur de re (non tantum in se quantum considerata qualitate personae) valde dehonorante. Vide an audientes narrationi fidem praestent. Vide an res tamquam certa vel tamquam dubia tradatur. Vide an personam dehonoratam audientes cognoscant nec ne. Vide speciatim an agatur de solo damno famae, an vero alia damna superaddantur. Porro ex his et similibus circumstantiis arguendum erit, an detractio etiam coram paucis prudentibus personis facta grave vel leve detrimentum afferat, et an proinde iustitiam graviter vel leviter laedat. Notari potest quod detrahere de mortuo potest esse grave peccatum; sed, caeteris paribus, peius est detrahere de persona vivente quam de mortua (S. Lig. L. 3. n. 978). Theologi communiter dicunt quod revelare crimen occultum uni dumtaxat vel alteri viro prudenti veniale non excedit; sed haec sententia exceptionem patitur. Contingere enim

potest, ut quis malit sua crimina multis esse nota, quam illi uni; v. g., si hic esset illius praelatus, aut si cum eo assidue versaretur, aut si ab illo beneficia expectaret etc.

Qui famam proximi iniuste denigravit, tenetur ad reparationem tum quoad famam ipsam, tum quoad alia damna. Hic tamen nonnullae explicationes necessariae sunt.

206. Loquendo de sola fama, notandum est imprimis multos adesse casus in quibus nulla eam reparandi obligatio adest. Casus huiusmodi notent speciatim illi Confessarii, qui nimia facilitate hanc obligationem (caeteroquin non frequentem) poenitentibus imponunt. Hoc itaque onus minime adest in casibus sequentibus. I° Si detractio quidem locum habuerit, sed fama de facto, laesa non remanserit, eo quod audientes dictis tuis fidem non praestaverint nihilque aliis dixerint; prout contingere potest, v. g., si tu iam notus sis tamquam fide indignus, vel si ridendo aut in aestu irae verba protuleris. II° Si infamatus famam suam recuperaverit, eiusque innocentia satis innotuerit. III° Si infamatus famae suae reparationem rationabiliter exigere nequeat, eo quod ipse maiora debita habeat erga te, quibus mordicus satisfacere nolit. IV° Si famae reparatio iam impossibilis evaserit, eo quod, v. g., crimen verum iam nimis innotuerit, aut criminis et factae detractionis memoria lapsu temporis obliterata fuerit, ita ut nova illius recordatio potius detrimentum quam utilitatem allatura sit. V° Si famae restitutio absque talibus sacrificiis fieri nequeat, ut damnum passus rationabiliter eam exigere non possit, aut praesumi debeat quod iuri suo renuntiet. In hoc tamen casu qui nequit formaliter et expresse famam reparare, debet saltem meliori modo quo potest (v. g. laudando infamatum, de eo honorifice loquendo etc.) muneri suo satisfacere. — In dubio autem, si nempe retractatio nocere quidem nequeat infamato, sed dubites an stante tali vel tali causa ad illam amplius tenearis; videndum an agatur de re gravissima, quae clamet ut a parte tuta standum sit; an vero agatur de re non adeo gravi; tunc enim valere potest ratio quod debitum evasit incertum et quod debitum incertum solutionem certam exigere nequit. Vide S. Lig. (L. 3. n. 998).

Sed, exceptis his casibus, magna certe urget obligatio famam reparandi; *melius est enim bonum nomen quam divitiae multae;* maxime vero si infamia inhonorati in aliorum etiam detrimentum aut in publicum scandalum redundet; ut puta, si de Sacerdote, de Parocho, de Episcopo etc. res esset. — Qui publice famam denigravit (v. g., libello famoso) publica retra-

etatione et meliori modo possibili, non obstante propria infamia, illam reparare debet. Qui autem coram paucis personis dumtaxat de proximo suo detraxit, certe debet coram istis se retractare, quamvis crimen verum fuerit, idque facillime facere poterit, etiam absque ulla sua confusione, dicendo, v. g.: *Rogo te ne alicui referas id quod contra talem personam tibi dixi, quia postea cognovi me fuisse deceptum.* Sed quid si illi primi, quibus delictum revelasti, illud aliis revelaverint? Debesne tu famam reparare non solum coram illis, sed etiam coram istis? Resp. Si ab illis primis exegisti silentium, aut putasti omnino rem secretam fore remansuram; tunc ex iustitia non teneris nisi apud eos te revocare; infamia enim per illos irrogata, quum non fuerit a te praevisa, tibi imputari nequit. Secus vero si eos silentium non esse servaturos praevideris; tunc enim meliori modo possibili etiam quoad alios famam reparare teneberis.

207. Hucusque dicta valent quoad reparationem famae. Nunc dicendum est aliquid de reparatione aliorum damnorum. Supposita iniustitia detractionis, regula est sequens. Si damna cum detractione sunt stricte connexa (dixisti, v. g., famulum esse furem, et proinde herus illum eiecit); et tunc, sive illa praevideris sive non, ad reparationem teneris. Ratio est quia qui consentit in principale, consentit etiam in accessoria ordinaria. Si vero per accidens evenerint (dixisti, v. g., eundem famulum esse furem, et proinde herus legatum, quem statuerat in testamento ei assignare, minime reliquit); tunc distinguendum est. Aut damnum istud praevidisti et intendisti, aut non praevidisti. Si primum, ad reparationem teneris; si secundum, non. Vide Gury (V. 1. n. 726. q. 2).

208. Quaeritur hic demum, an qui inadvertenter et absque culpa theologica proximo detraxit, aut ei calumniam impegit, ad reparationem teneatur?

Resp. Affirmative; sed in hoc casu grave incommodum (saltem ordinarie) excusaret. Haec autem reparatio fieri debet quamprimum, si adsit periculum ne res divulgetur, aut alia damna subsequantur.

## § II.

### *De detractionibus quae continent dumtaxat reatum contra charitatem.*

209. Pauperes non habent ius ad substantias divitis; et nihilominus dives ex charitate pauperibus eleemosynam petentibus subvenire debet, quantum potest. Quid simile accidit in casu

miseri hominis publicae infamiae subiecti. Ille quidem non habet ius, ut taceamus; petit tamen in corde suo, et forsan enixe rogat, ut famae illius per quantum possumus consulamus. Silentium et compassio igitur sunt quaedam eleemosynae, quas saepe absque ullo sacrificio praestare possumus, a quibus proinde praestandis non de facili excusamur.

210. Illi dumtaxat qui publice peccarunt et in publico peccato adhuc perseverant, hanc eleemosynam minime petunt, imo ei renuntiare videntur. — Alii autem omnes tacite nos rogant, ut aut de eorum peccatis et defectibus non loquamur, aut, prout circumstantiae suggerent, in eorum favorem probrum diminuamus. Id autem fieri potest, v. g., vertendo in dubium dictorum veritatem, excusando intentionem, adducendo modo fragilitatem, modo ignorantiam, modo aetatem iuvenilem etc. Porro ad haec ex charitate tenemur; quamvis ordinarie sub levi. —

211. Dico *ordinarie;* si enim ageretur de Sacerdotibus, obligatio evadere posset gravis propter specialem scandali magnitudinem. — Advertendum est insuper quod in murmurationibus etiam publicis et publicissimis periculum aggravandi innocentem (aut etiam illum calumniandi, si res auditae non tamquam dubiae sed tamquam certae aliis referantur) fere nunquam aberit.

Si etiam res sit de miseris puellis de quarum lapsu serpit rumor, adverti debet quod non solum subiiciuntur infamiae, sed insuper aliis damnis gravissimis nedum temporalibus, sed etiam spiritualibus, nempe multis tentationibus virorum, qui, ex confidentia tantundem obtinendi, illas incessanter et diu obsidere solent. — Imo observari debet generatim, quod famae amissio efficere solet ut persona infamata (fraeno honestatis quo coercebatur sublato) liberior et impudentior ad peccandum evadat.

212. Advertendum est insuper quod murmurationes de rebus caeteroquin satis notis, ex aliis tribus motivis aggravari possunt; nempe 1° si fiant ex odio; 2° si provocent odia, dissensiones, rixas etc., prout nimis frequenter contingit; 3° si ideas turpes ex turpium rerum narratione necessario provocent.

213. Caeterum, si agatur de sola charitate, unusquisque noscit quod charitas debet esse ordinata atque insuper cum gravi incommodo nostro minime obligat. Hinc si expediat ut aliquod malum de proximo dicamus sive ad consulendum bono publico, sive pro necessitate habendi consilium, auxilium, animi levamen etc.; tunc, sicut contra iustitiam non deficimus (ut supra vidimus), ita nec charitati laesionem irrogamus.

## § III.

### *De illis qui detractionem audiunt.*

214. Distinguendum est inter detractiones apparentes, et reales.

Audiens detractionem iudicare debebit illam esse mere apparentem, non solum quando aperte deprehendat quod ex tali vel tali iusta causa fit ; sed etiam quando id probabiliter coniicere potest, quatenus, v. g., ille qui loquitur sit vir gravis, prudens Deique timorem habens, maxime si solus cum solo loquatur. In tali casu absque ullo scrupulo sermoni participare poterit, dummodo irrationabiliter rem non aggravet, sed meliori modo possibili tum erga infamatum tum erga loquentem charitatem exerceat.

215. Si autem, inspecta dictorum natura vel loquentis improbitate, levitate etc., credendum sit quod de reali detractione agatur ; tunc illam audiens peccare potest tripliciter, nempe 1° si consentiat : 2° si participet ; 3° si non impediat. Sed haec sunt explicanda.

*Si consentiat ;* nempe si exoptet ut detractio fiat aut continuetur. Ob plura motiva id contingere potest ; inter quae gaudium de malo proximi pessimum erit, si videlicet audiens gaudeat quod proximi fama sic denigretur. Utcumque tamen, si detractio sit contra iustitiam, tunc contra iustitiam saltem affective peccabit. Dixi *saltem affective ;* si nempe extrinsecus detractioni non participet. Peccatum autem erit mortale vel veniale, iuxta detractionis diversitatem.

*Si participet,* nempe si active (v. g., risu, plausu, verbis) concurrat. Participatio locum habere potest non solum si modo praedicto consentiat, sed etiam si detractionem in corde suo detestetur ; nempe 1° si ad detractionem ipsam audiendam immoretur, quasi ad instar illorum, qui rixam non approbantes illam aspiciunt ; 2° si de narratione rerum risum provocantium subrideat ; 3° si ex respectu humano signa approbationis, aut verba immisceat. — Ex hoc capite, supposita gravitate detractionis, participatio cum consensu semper peccatum mortale constituet ; participatio autem sine consensu erit mortalis si (eo quod, v. g., alii sint praesentes et ex tua participatione credant, secus non crediturі) tuus influxus sit magnus et non excusabilis, et tunc ad reparationem famae et damnorum teneri poteris ; erit vero venialis aut etiam quavis culpa expers, si

tuus influxus sit levis vel sufficienti causa excusabilis. Notandum est enim quod persona, cuius fama laeditur, in multis casibus potest quidem esse invita contra eos qui detrahunt, non vero contra eos qui ex quadam necessitate detractionem audire aut etiam illi nonnihil participare coguntur, dummodo de calumnia non agatur.

*Si non impediat*, nempe si detractorem non corrigat, quatenus illum corrigere debeat. Hoc in puncto pro praxi notanda sunt sequentia.

1°. Correctio fieri potest duplici modo. Primus est si audiens detractionem directe et aperte detractorem reprehendat. Secundus est si discedat, vel sermonem ad alia divertat, vel infamatum defendat, excuset etc., vel demum si tristem faciem ostendat.

2°. Oportet ut correctio utilis praevideatur. Sed saepe inutilis erit; quando enim, detractione coepta, proximi honor iam laesus fuit, ad quid deserviet correctio? Id maxime verum est si audiens nullius auctoritatis esset, et sic illius correctio nihil attenderetur. Non raro esset etiam damnosa; idque contingit, v. g., quando melius est pro fama proximi ut detractio sinatur absolvi, ne audientes peius suspicentur; item quando reprehensio effectura sit ut detractor ex correctione indignatus peiora dicat et detractionem magis magisque confirmet, quod de facili accidit si coram aliis corrigatur.

3°. Regulariter oportet etiam ut correctio sine notabili incommodo fieri queat. Hinc excusare potest nimia verecundia, timor offendendi detractorem, periculum damnorum etc.; v. g., si audiens esset subditus, famulus etc. Ex hoc capite excusantur semper scrupulosi. Excusantur etiam alii toties quoties agitur de detractionibus levis vel levissimi momenti; corrigere enim detrahentes in casibus istis adeo frequentibus, iam hoc ipsum nimium incommodum esset.

216. Dixi *regulariter;* dantur enim casus extraordinarii in quibus cum notabili etiam incommodo et quidem sub gravi correctio fieri debet; v. g., si ageretur de detractione (et speciatim de calumnia) enormi aut valde scandalosa, maxime si haec contra Sacerdotem optimum, contra Parochum etc. cum periculo publicitatis dirigeretur. Specialis obligatio adesset quoque si parentum aut propinquorum bonum nomen pessumdaretur. — Notandus est demum casus Superioris, qui ex proprio munere seu officio corrigere debeat; v. g., si pater filium, Parochus parochianum detrahentem vel calumniantem audiret. Vide Lugo

( De Iust. D. 14. Sec. 8 ). — Sed si Superior muneri suo non satisfaceret et taceret, teneretur ne ex iustitia ad famae et damnorum reparationem ?

Resp. Negative, quia ipsi non iam temporalium sed dumtaxat spiritualium bonorum tutela pertinet. Unde tenetur quidem corrigere ; sed solum quatenus correctio necessaria sit ad bonum spirituale subditorum, non autem quatenus ad bonum temporale alicuius deserviat. Secus enim Parochi tenerentur ad restitutionem toties quoties Parochianos in debitorum solutione morosos corrigere negligunt. Id autem nunquam auditum est. Parochus tamen ( sive praesens fuerit detractioni sive non ) teneretur consulere famae sui parochiani, si haec ad avertendum eum a peccatis necessaria esset ; sed etiam in hoc casu, si id negligeret, et si damna temporalia parochiano infamato provenirent, ad haec reparanda minime teneretur. Vide Gury ( V. 1. n. 692 ).

217. Quid si agatur de detractione dubia, si nempe audiens prorsus ignoret, an ille qui loquitur iustam nec ne ita loquendi rationem habeat ?

Resp. In hoc casu audiens detractionem, imo etiam aliquod verbum immiscens ( servata tamen charitate meliori modo possibili ), facilius excusatur. Excusatur, inquam, ob incommodum et propter praesumptionem quod persona, de qua male dicitur, ei ignoscat. Grave enim esset expresse vel tacite exprobrationem irrogare ei, qui forsan iure et rationabiliter ita loquitur ; maxime quando non adhuc apparet quo sermo illius tendat. Id multo magis dicendum est si agatur de rebus levibus aut publicis, de quibus ( ut supra dixi ) nimis frequenter sermo occurrit.

218. Petes demum an qui ex mera negligentia detractorem corrigere omittit ( quem utiliter corrigere posset ) peccet mortaliter ?

Respondeo cum D. Th. ( 2. 2. q. 73. a. 4 ) : « Si vero non « placeat ei peccatum, sed ex timore, *vel negligentia*, vel etiam « verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat « quidem, sed multo minus quam detrahens, et plerumque ve- « nialiter ».

## APPENDIX

### DE IUDICIIS, SUSPECTIBUS ET DUBIIS TEMERARIIS

219. Sicut detractio laedit existimationem proximi apud alios, ita iudicia, suspectus et dubia temeraria existimationem eandem apud nosmetipsos laedunt.

Dubia, suspectus et iudicia possunt esse prudentia et temeraria. Idque sic explico :

De viro plane incognito dubito an sit probus vel improbus : hoc est dubium prudens fundatum in hoc quod in mundo homines partim sunt boni et partim mali. — E contra si de famuli probitate, qui semper suae honestatis signa luculentissima mihi praebuit, adhuc dubitarem ; hoc dubium temerarium esset.

De iuvene frequentante domum foeminae, quae apud populum male audit, suspectum concipio : en suspectus prudens. E contra video integerrimae famae Religiosum loquentem cum adolescentulo, et suspicor illum esse sodomitam : en suspectus temerarius.

Persona fide digna mihi dixit se propriis oculis vidisse Titium ad lupanar saepe divertentem ; et ego iudico Titium esse impudicum : en iudicium prudens. E contra video Caium ad viam ubi adest lupanar divertentem, et ex hoc solo indicio intra me dico : Caius vadit ad lupanar. En iudicium temerarium : nonne enim ille potest habere necessitatem ad illam viam divertendi pro suis negotiis honestis ?

220. Temeritas itaque in iudiciis, suspectibus et dubiis locum habet quando consideramus id quod est contra, et non id quod est pro ; et quando indiciis aut rationibus proximo nostro contrariis plus ponderis, quam revera habeant, damus ; unde vel iudicamus probabile quod est dumtaxat possibile, vel certum quod est dubium ; vel grave quod est leve ; vel continuum quod forsan semel fuit commissum ; vel denique malitiosum quod forte inadvertenter aut etiam rationabiliter et ex rectissimo fine factum fuit.

221. His dubiis, suspectibus et iudiciis temerariis proclives esse solent speciatim 1° qui malevolentiam contra aliquem nutriunt, imo quicumque magnis passionibus, v. g., avaritiae, invidiae, amoris etc, obnoxii sunt ; 2° qui magnam malitiam habent, speciatim senes et qui ab ipsa natura indolem malignam habent, maxime vero qui valde vitiosi sunt ; ex hoc enim ipso quod conscii sunt malitiae propriae, faciliter de aliis male opinantur.

222. Vera datur obligatio cavendi ne passiones et sive naturalis sive habitualis ad temere iudicandum proclivitas ita nos hallucinent, ut quae proximo favent considerare nolimus, sinistra autem conspiciamus, eaque per vim imaginativam transformemus et augeamus eisque alia imaginaria superaddamus ; unde sic aut plus aequo aut inique prorsus bonam proximi nostri

existimationem apud nos ipsos destruamus. Contra huiusmodi enim agendi rationem clamat iustitia, quia unusquisque ad suam bonam existimationem apud quemcumque ius habet ; clamat etiam charitas ; quod enim tibi non vis, alteri ne feceris.

223. Notandum quod si sinistri suspectus consequentias practicas in magnum proximi gravamen habituri sint ( v. g., si ageretur de Superiore qui sine tali suspectu beneficium tali Sacerdoti collaturus esset ; aut de hero qui propter suspectum eiecturus esset famulum e proprio servitio cum maximo eius damno ) ; tunc non sufficit cavere ne ea indicia, quae sunt contra, per imaginationem augeantur ; et ne ea, quae sponte se praesentant pro, voluntarie respuantur ; sed oportet insuper ut pro rerum gravitate et possibilitate inquisitiones fiant ut veritas dignosci possit.

224. In dubiis et suspectibus atque etiam in iudiciis temerariis culpa modo est gravis et modo levis. Gravis est in sequentibus duobus casibus. I° Quando personae, contra quam huiusmodi suspectus aut iudicia efformantur, valde interest ne efformentur ; et in hoc non respicitur an suspectus sit de peccato mortali vel veniali ; potest enim quis valde aegre ferre si de eo suspiceris quod exigua furta commiserit, et non curare si de eo iudices quod blasphemaverit ( Lugo De Iust. D. 14. S. 2. n. 23 ). II° Quando iudicia temeraria ex gravi odio concipiantur, aut magnam malevolentiam accendant, aut Superiorum contemptum pariant, aut quaslibet alias valde malas consequentias producant. — Oportet tamen semper ut qui sic iudicat, peccati sui gravitatem advertat.

225. Suspectus et iudicia contra proximum possunt aliquo modo esse peccata quamvis non sint temeraria ; idque accidit quando quis de defectibus et vitiis aliorum libenter cogitat ( maxime si de illis studiose inquirat ) absque ulla ratione aut excusabili motivo ; huiusmodi enim cogitationes sunt contra charitatem ( « Charitas non cogitat malum » Cor. 13 ), aversiones gignunt, et ab aliqua passione fomentum habent.

226. Tunc itaque solum huiusmodi suspectus, iudicia et dubia prorsus licita erunt, quando ex una parte non sint temeraria, et ex alia nec contra charitatem sint nec ex ulla passione retineantur. Hinc patres, matres et Superiores, qui de filiis et subditis timent eisque invigilant, non iam peccant sed rectissime se gerunt. Idem dic de heris quoad famulos, maxime quando sufficientem eorum fidelitatis experientiam adhuc non sumpserint. Idem dic a fortiori de illis qui cavent si forte vir ignotus

in eorum domo commoretur, maxime vero si illius fidei rem alicuius momenti committere debeant.

## PUNCTUM IV.

### DE HOMICIDIO SPIRITUALI, SEU DE SCANDALO

227. Scandalum communiter definitur: = Dictum vel factum minus rectum praebens proximo occasionem ruinae spiritualis =. Non solum tamen dicta vel facta, sed etiam omissiones scandalum dare possunt, v. g., si paterfamilias cum scandalo filiorum Missam diebus festis non audiret.

Ad scandalum itaque constituendum duo sunt necessaria, nempe 1° ut adsit occasio ruinae spiritualis; 2° ut actio, quae huius ruinae occasionem praebet, non sit recta, aut saltem sit minus recta.

228. Hinc scandali peccatum non adest 1° si quis peccet coram valde virtuosis, v. g., blasphemando coram Presbyteris; 2° si quis peccet coram valde vitiosis et paratis ad idem peccatum committendum (pergit, v. g., quis ad meretrices videntibus aliis qui pariter ad illas divertunt). Porro in his duobus casibus (prout observant etiam Suarez, Lugo, Sanchez, S. Lig. aliique communissime) occasio ruinae minime adest. Si tamen quis intentionem haberet provocandi ad malum personam, quae de facto nunquam consensura sit; tunc scandalum non in re sed in affectu adesset.

229. Scandali peccatum pariter non adest, si actio praebeat quidem occasionem ruinae; sed, hoc non obstante, recta et irreprehensibilis sit, eo quod ex necessitate vel alia causa legitima excusetur. Exemplum habes in muliere infirma quae necessitatem habeat proprium corpus ostendendi medico, quamvis sciat hanc ostensionem medico ipsi turpium cogitationum occasionem esse daturam. Secus dicendum esset si haec mulier satis commode alium medicum advocare posset; quando enim ex una parte occasio ruinae subsistit, et ex alia parte nulla excusatio adest, iam ex hoc ipso actio minus recta evadit. — Sed haec melius declarabuntur infra. Nunc veniamus ad principaliores scandali distinctiones.

230. Scandalum considerari potest in principali agente, et in agentibus secundariis. Est in principali agente, si, v. g., Petrus seducere velit puellam ut secum peccet. Est in agentibus secundariis, si, v. g., Paulus famulus Petri ad puellam ipsam

seducendam herum adiuvet; ille enim occasionem peccandi tum puellae ipsi, tum hero suo praeberet. Scandalum in principali agente, est scandalum proprie dictum; scandalum autem in agentibus secundariis cooperatio peccatis alienis communiter appellatur.

## § I.

### *De scandalo proprie dicto.*

231. In hoc paragrapho agam 1° de scandalo directo; 2° de scandalo indirecto; 3° de gradu culpae in scandalo; 4° de differentiis specificis in scandalo; 5° de obligatione quam habet ille qui scandalum praebet. Sit itaque

#### QUAESTIO I.

#### *Quandonam accidat scandalum directum?*

232. Hoc accidit quando quis proximi peccatum proprie vult, intendit et quaerit; v. g., si quis foeminam (sive vi, sive metu, sive dolo, sive etiam simplici petitione, prece, vel consilio) ad secum peccandum sollicitet. Hoc modo peccant mortaliter etiam lenae et lenones ad concubinatum vel meretricium miseras puellas quaerentes et inducentes. Idem dic de illis cauponarum aut aliorum hospitiorum dominis, qui, ut plures adventores alliciant, inverecundas procacesque foeminas praesto habent; id enim est peccata quaerere et ex peccatis mortalibus quaestum facere. Secus si foeminae pulchrae quidem essent sed omnino honestae; tunc enim non aliorum peccata, sed quamdam dumtaxat naturalem simpathiam, in qua peccatum saltem mortale reponi nequit, tamquam medium ad concursum obtinendum intenderent. Caeterum in hoc quoque casu circumstantiae particulares considerari deberent, quae scandalo non quidem directo, sed indirecto adeo locum dare possunt, ut speciosarum puellarum praesentia omnino non conveniat. — Notari potest quod si quis peccatum proximi procuraret, non ad satisfaciendum alicui passioni propriae, sed ex mero desiderio proximum ipsum pervertendi; tunc scandalum esset non solum directum sed *diabolicum*.

233. Quid si proximus ad malum, v. g., ad tactus obscoenos, invitatus, bona fide existimet eosdem tactus esse licitos? Resp. Tunc aderit quidem peccatum contra castitatem et contra legem

divinam, quae vetat ne hanc inordinationem neque in nobis ipsis neque in aliis quaeramus; sed peccatum scandali (ad quod spiritualis ruina exigitur) minime locum habebit; nisi tamen formidari debeat ne ex occasione ista spiritualis ruina in posterum secutura sit; prout ordinarie contingit in pueris et iuvenibus, qui, postquam bona fide hos tactus facere incoeperint, in eis, malitia etiam cognita, perseverare solent.

231. Quid si quis inducat quidem alium ad peccandum, sed quia hoc est medium necessarium, ut sic illum efficaciter corrigere et emendare possit? Resp. Hoc contra charitatem esse nequit; quaereretur enim ruina minor ad evitandam maiorem. Scandali itaque malitia hic non adesset. Sed aderitne peccatum contra illam virtutem, quam proximus sic offendet? Distinguendum est. Qui sic facit, aut vult ut proximus in consensum incidat, aut hunc consensum simpliciter desiderat. In primo casu peccatum aderit sine dubio; idque contingeret, v. g., si quis ad peccandum foeminam ficte quidem sed serio invitaret et sollicitaret; ut postea, consensu habito, efficacem correctionem ei facere vel procurare possit. Porro non sunt facienda mala ut eveniant bona. In secundo autem casu nullum peccatum aderit. Exemplum habes in hero, qui, ad famulum de furto suspectum efficaciter corrigendum, arcam pecuniae apertam relinqueret. Quod reapse peccatum proximi desiderare propter utilitatem praeponderantem, atque etiam peccati ipsius simplicem occasionem ope rei de se indifferentis ponere, licitum sit, luculenter patet ex facto Iudith (Cap. 9. et 10); et confirmatur ex De Lugo, qui, (De Poen. D. 5. Sec. 3. n. 35) scripsit: « Possum « ego licite desiderare amico, ut incidat in aliquod peccatum, « ad hoc ut caveat a multis aliis, quae postea committeret, « si nunc non caderet ».

235. Quid si parato obstinate ad maius malum committendum, quis consilium praebeat ut malum minus committat? Resp. Quod hoc etiam in casu scandalum non adsit, manifestum est. An autem huiusmodi consiliarius contra Dei legem peccet, id decidendum est ex modo quo alium ad minus malum committendum inducit. Et hic redit distinctio facta in casu praecedenti; distinguendum est nempe inter voluntatem et desiderium. Titius, v. g., obstinate paratus est peccare cum puella honesta. Si ego dicerem ei: *Si vis omnino peccare, pecca potius cum meretrice*; tunc profecto consilium esset rectum; sensus enim esset: si vis omnino peccare, *desidero* ut pecces potius cum meretrice. Sed si ego, videns illum sic paratum, ad quamdam meretricem

eum ducerem et omni nisu ita eum ad peccandum sollicitarem, ut illius peccatum nedum desiderio sed voluntati meae efficaci esset omnino attribuendum; tunc ego quoque reus essem. Idem dic a fortiori si meretrix, ut averteret iuvenem a praedicto proposito, ei diceret: *pecca mecum*. Uno verbo: peccatum alienum desiderare, ponendo etiam (ope rei de se indifferentis) occasionem, interdum licet; sed velle peccatum illudque praecise exposcere semper malum erit; et, repeto, non sunt facienda mala ut eveniant bona.

QUAESTIO II.

*Quandonam accidat scandalum indirectum?*

236. Hoc accidit quando quis praevidet quidem ex sua actione spiritualem proximi ruinam esse secuturam; attamen illam nec intendit nec quaerit, sed ex alio fine agit.

Scandalum huiusce generis oriri potest 1° ex factis suapte natura malis; 2° ex factis suapte natura habentibus speciem mali; 3° ex factis suapte natura bonis et habentibus speciem boni.

*Scandalum quod ex factis suapte natura malis provenit.*

237. Facta huiusce generis imprimis sunt ea, quae, etiam si scandalum non adesset, in se mala essent et aliis legibus prohiberentur. Huiusmodi sunt mala exempla quae dantur, v. g., ab iis qui blasphemant, vel in concubinatu vivunt, vel sine causa excusante comedunt carnem die veneris et sabbati, non audiunt Missam aut laborant diebus festis, vel quovis modo cum scandalo aliorum malam vitam ducunt. Huiusmodi sunt etiam denegatio debiti matrimonialis (quae diversis peccatis coniugem exponere potest), petulantiae et inobedientiae uxorum (unde saepe mariti blasphemant), profanationes Ecclesiae, retentio officiorum vetitorum etc. Idem dic de iis omnibus peccatis, quae sunt in causa cur alii obmurmurent, Dei timorem amittant, bonam Superiorum existimationem amplius non habeant etc.; nihil enim interest si peccatum, quod scandalum dat, peccatis eiusdem vel diversae speciei occasionem praebeat.

238. Facta suapte natura mala sunt etiam ea quae ex solo scandalo malitiam ita sumunt, ut ab iis abstinendum sit, ex

quod nulla causa rationabilis excuset. Exemplum habes in coniugibus qui, aliquo praesente et vigilante, copulam coniugalem exercerent.

239. Sed quaenam sunt causae rationabiles, quarum intuitu facta ex solo scandalo malitiam habentia non amplius mala sint?

Resp. Decisio pendet a circumstantiis adeo variis et intricatis, ut regulae generales vix dari possint; unde hoc in puncto casus particulares resolvi debent iuxta sensum communem, qui naturalis legis interpres tutissimus est; quod enim totum genus humanum in errore conveniat, esse nequit. Aliquod tamen lumen etiam sequentia principia dare possunt. I° Optima causa excusans est, *si secus maiora mala spiritualia sequerentur*. Hinc porro licet, v. g., tractatus de lubricis materiis in libris Theologiae moralis conscribere, theatro aliisque publicis spectaculis non parum periculosis (ubi sunt in usu) populum detinere etc. II° Secunda causa est *si secus talia incommoda temporalia sequerentur quae legem divinam nimis rigidam et intolerabilem redderent*. Hinc occasiones de se leves, ob quas alii ex nimia malitia propria peccare possunt, semper licent quamvis haec peccata *in confuso* praevideantur; huiusmodi enim occasiones sunt adeo frequentes ut, si ab illis cavere deberemus, iam hoc ipsum quid intolerabile esset. Aliqua vero specialis causa exigitur si peccata aliorum manifeste conspiciamus, aut si occasio de se graviter influat; et tunc quo maior est ruina proximi et occasionis gravitas, eo maior causa et necessitas ad excusandum exigitur.

240. His praemissis, nonnullos casus particulares expono.

I°. Mulieres (quamvis in confuso praevideant quod alii ex earum pulchritudine scandalizentur) nedum possunt in publicum prodire, sed etiam decenter se ornare iuxta proprium statum et conditionem (maxime si viris, quos habent vel habere debent, placere indigeant); secus enim nimiis incommodis, scrupulis et anxietatibus subiicerentur. Attamen ab iis nuditatibus, quae in loco illicitae reputantur, abstinere tenentur; et in hoc de facili graviter peccare possunt. De peccato tamen saltem gravi non sunt damnandae si coram aliis foeminis (malitia seclusa) illam proprii corporis custodiam non habeant, quam, viris praesentibus, habere debent. — Matres, quae coram viris familiaribus ubera detegere solent dum filios lactant, communiter minus probantur; sed in rigore de peccato incusandae non videntur, tum ob incommodum, tum ob rei levitatem, tum denique quia secus agendo peius esse potest. (Certe tamen apud nos culpa

adesset, si coram viris familiae extraneis, et multo magis si in publico, maxime vero si in Ecclesiae atrio hac in re cautelam non adhiberent). Iisdem de causis matres infantulos masculos filiabus aut famulabus tradere possunt, ut illos vestiant, et lavent (dummodo de eorum partibus genitalibus sermonem non ingerant, prout aliquae stultissimae et levissimae matres faciunt). Ex praxi constat 1° quod filiae sine malitia et cum indifferentia haec officia praestare solent; 2° quod vetitum fere nihil impediret; quum hos infantulos fere semper in ulnis habeant eorumque pudenda saepe saepius videant; 3° quod vetitum ipsum curiositatem et malitiam acueret et magis magisque augeret. Si autem pueri iam grandiores evaserint; aut si ageretur de masculis quibus mater puellulas vestiendas aut lavandas traderet, tunc non ita facile id permitti posset.

II°. Coniuges tenere possunt filios in proprio cubiculo si usum rationis adhuc non habeant; sed postea non. Excipe nisi necessitate seu causa rationabili excusentur; quo casu non quidem a copula abstinere tenentur (tunc enim ad unum evitandum periculum inciderent in aliud), sed cautelas periculo (seu filiorum aetati et malitiae *) proportionatas adhibere debent. — Attamen non sunt damnandi si duos vel tres filios eiusdem sexus simul dormire sinant. Ratio differentiae videtur esse quia unusquisque magis tenetur ad scandalum non dandum, quam ad scandalum impediendum. Si tamen genitores adverterent filios de facto peccare, tunc separationem (si possibilis sit) procurare tenerentur. — Sexuum autem separatio quantum necessaria sit unusquisque cognoscit. Si tamen propter extremam paupertatem haec totaliter servari nequeat, tunc coniuges ad minus curare debebunt, ut, v. g., puer ad caput et puella ad pedes dormiant: atque ut post quintum aut sextum annum separatio quovis pacto locum habeat. — Sed quid si coniuges secum in proprio lecto filios retinerent? S. Lig. (Prax. n. 211) id permittit usque ad sextum annum; sed in multis casibus miseria est talis ac tanta ut etiam post talem aetatem filios secum retinere cogantur. Tunc omnem lapidem movere debent ut ope eleemosynarum a Parocho vel aliis obtentarum lectulos filiis procurare possint. Interim, si possibile sit, die potius quam nocte matrimonio utantur; masculos ad latus patris et foeminas ad latus matris retineant; aut, si omnes sint eiusdem sexus, ad

* Masculi hoc in puncto magis malitiosi esse solent.

pedes. Efficiant demum ut mane, ipsis e lecto assurgentibus, filii etiam (si sint diversi sexus) assurgant et modeste vestiantur.

Quid si mulier extranea nocte remaneat in aliqua domo, ubi nonnisi in lecto coniugum dormire possit? R. Tunc maritus alibi dormire debebit; et, si hoc fieri nequeat, saltem oportebit 1° ut illa mulier ad latus uxoris remaneat; 2° ut coniuges ea nocte matrimonio non utantur, modestiamque servent.

In praxi dantur etiam casus in quibus, v. g., pater cum propria filia iam adulta dormire cogitur. Porro tunc considerandum erit quanta sit necessitas, quantumque sit periculum. Si autem necessitas sit extrema et ineluctabilis, dicendum erit 1° necessitas non habet legem; 2° unusquisque sibi caveat.

III°. Illi, qui fotographias, picturas, vel statuas obscoenas aut saltem minime verecundas publice aut in domo propria expositas retinent, a scandali peccato excusari non possunt. Idem dic de iis qui libros aut diaria impia vel obscoena aliis tradunt, aut ita retinent ut etiam ad aliorum manus facile pervenire possint.

Non tamen oportet ut omnia opera plus vel minus scandalosa destruantur aut perire sinantur. Et hoc in puncto sic dico. Equidem auctor, qui in opere suo turpia vel periculosa absque necessitate immiscuit, certe peccavit. Id tamen non impedit quominus eius opus (si ad aliquem bonum finem deservire queat) conservari, aut etiam interdum (si agatur de libro ab Ecclesia non damnato) reproduci possit; multo magis si, quamvis infectum, pretiosa contineat et publicae utilitati valde deserviat: sed tunc speciales cautelae (inter quas Ecclesiae licentia primum locum tenet) necessariae sunt. Hinc regula VII Indicis dicit: « Libri qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, o-« mnino prohibentur. Antiqui vero et ab ethnicis conscripti, « propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur: « nulla tamen ratione pueris praelegendi erunt ».

IV°. Quamvis meretrices rei intrinsece malae indulgeant, et sic ipsae gravissime peccent; nihilominus alicubi (quod tamen non de facili credendum est) ad maiora mala praecavenda (ne scilicet viri effraenati honestas mulieres nimis obsideant) tolerari poterunt; dicente D. Th. (De Regim. Princ. Op. 20. c. 14): « Hoc facit meretrix in mundo, quod cloaca in palatio. Tolle « cloacam et reples foetore palatium ». Quum tamen in hunc finem sufficiat, si ipsae in aliquo viliori populosae civitatis loco reperiantur; tolerari nequit nec ut in locis satis honestis stabiliantur, nec ut ipsae viros invitent, nec ut per civitatem et

agros discurrant et se ostendant, nec ut cauponarum aut aliorum hospitiorum domini illas praesto habeant ; tunc enim non iam de satisfaciendo effraenatis, sed de praebendo gravissimo illicio et scandalo viris honestis ageretur. — Magistratus itaque, ad mala huiusce generis tollenda aut saltem minuenda, facere debent quidquid possunt. Caeterum recte scripsit Bouvier, absolvendos esse magistratus urbium, qui bona fide asserunt, se mala ista tollere non posse. In dubiis namque non Confessarii est decernere quid agere debeant ii, quibus difficilia commissa sunt negotia, prout sunt magistratus, reges, aut ministri.

V°. Quid de procurantibus *club*, bibliothecas populares librorum romanticorum, theatra, publicas choreas aut alia huiusmodi ?

Resp. Qui sponte haec primitus alicubi introducunt magnum malum faciunt ; agitur enim de rebus valde scandalosis et periculosis, quae ut plurimum pagorum et urbium quoad fidem et mores ruina esse solent. Dixi *sponte ;* illi enim, qui moraliter coacti ad huiusmodi institutiones pecunia concurrunt, saltem si recusatio nihil impediret et eorum concursus admirationem et scandalum non producat, a peccato excusari possunt. Porro non ut faveant, sed ut a molesta vexatione se liberent, aliquid contribuunt. Adhuc facilius excusari deberet persona proba et influens, quae rebus istis participaret ut maioribus excessibus, qui secus locum haberent, efficaciter obicem poneret. — In locis autem ubi haec iam sunt instituta, ii qui praesunt saltem curare debent prout possunt, ne in bibliothecis libri prohibiti exponantur, et ne in theatris actores obscoenitatibus publicum pudorem aut impietatibus religionem offendant.

VI°. Quid de dominis hospitiorum ( vulgo *caffè*, *trattorie*, *farmacie* etc. ), qui diaria plus vel minus infecta retinent ? Resp. Si haec diaria sint ab Ecclesia prohibita ; aut etiam, praescindendo a prohibitione ( eo quod, v. g., nunc primum prodierint vel Ordinarius in hoc non vigilet ), si nimis frequenter nimisque efficaciter Religioni aut bonis moribus noceant ; tunc retineri nequeunt. — Si vero diaria sint ab Ecclesia tolerata et tolerabilia ; tunc praedicti domini ordinarie non erunt culpandi, si ea ( quamvis aliqualiter infecta ) retineant. Ratio est quia sine ullo fructu adventores ea requirentes vel desiderantes amitterent ; et aliunde unusquisque sibi cavere poterit. Dixi ordinarie ; si enim diaria nullatenus infecta commode retinere et lectionem aliorum diariorum efficaciter impedire possent ( prout de facili accidit in parvis oppidis ubi unum dumtaxat ex huiusmodi ho-

spitiis adest); tunc, si diaria aliqualiter infecta retinere vellent, a gravi culpa excusari nequirent; illa enim sensim sine sensu magnum malum producerent.

*Scandalum, quod ex factis suapte natura speciem mali habentibus, provenit.*

241. De hoc exempla dari possunt 1° si quis (speciatim Ecclesiasticus) ex fine quidem recto sed occulto domum foeminarum (maxime si istae sint malae famae) frequentet. 2° Si quis ancillam, cum qua notorie peccavit, adhuc retineat, quamvis (secus ac populus credit) nullum peccatum amplius locum habeat. 3° Si quis, occulta causa excusatus, coram aliis carnem comedat diebus vetitis, aut die festo laboret.

*Scandalum, quod ex factis suapte natura bonis et speciem boni habentibus, provenit.*

242. Exempla de hoc casu sunt sequentia. 1° Si iuvenis peccandi occasionem sumat, eo quod aliqua foemina, v. g., decenter se ornet, vel sive publicis deambulationibus sive honestis spectaculis se praesentet, vel ad Ecclesiam pergat. 2° Si maritus, eo quod propriam uxorem in lecto habeat, onanismum committat aut sodomiam attentet; item si maritus ipse, eo quod uxor opera pia moderate exerceat, blasphemet. 3° Si filius, propter convenientem patris sui correctionem; aut operarius, eo quod mercedem ultra debitum obtinere nequeat; pariter blasphement. 4° Si Sacerdos, propter foeminas confessionem aut alia Sacramenta petentes, turpiter peccet. An autem scandalum huius tertii generis attendi debeat, infra videbimus.

QUAESTIO III.

*Quandonam scandalum sit peccatum mortale?*

243. Principalis casus est, si in re gravi et valde noxia scandalizentur innocentes, v. g., malitiam contra sextum praeceptum pueros docendo. Et idem dic si quomodocumque magna proximi ruina timeatur; vel si persona a peccato aliena quasi per vim ad peccandum mortaliter pertrahatur. Id patet a sensu communi, et a verbis Christi: « Si quis scandalizaverit unum « ex pusillis istis..., expedit ei ut suspendatur mola asinaria in « collo eius et demergatur in profundum maris ».

244. Sed quid si occasio aliquod peccatum committendi peccatoribus praebeatur?

Resp. In hac hypothesi sensus communis Christi fidelium scandalum grave ordinarie non percipit; unde si ipsi, v. g., turpiter loquantur, credunt quidem scandalum esse grave, si pueri adsint; non vero si cum eiusdem furfuris sociis conversentur. Item, si ad publicam meretricem divertant, cognoscunt quidem se peccare graviter contra castitatem et consentire tum proprio tum meretricis peccato; sed non credunt se meretrici grave scandalum inferre; bene vero scandali gravitatem perciperent, si mulierem honestam a peccato valde abhorrentem assidua tentatione, et quasi (ut supra dixi) per vim, ad peccandum inducerent. Aliud exemplum dari potest in uxore, cuius occasione maritus blasphemet; si enim uxor sit adeo procax et insolens ut virum etiam patientissimum ad blasphemias provocet, tunc scandalum censetur grave; secus vero si vir ex qualibet levi uxoris inobedientia vel arrogantia irascatur et blasphemet.

Ab hoc sensu communi Theologi prima fronte dissentire videntur; absque ulla enim distinctione dicunt scandalum esse grave, si peccati mortalis occasionem praebeat; sed, si bene considerentur, plures reperiuntur qui minime dissentiunt. Id ex resolutionibus, quas dant casuum particularium, satis manifeste patet. Sanchez (Dec. L. 1. c. 6. n. 17) scripsit; « Mulieres « se *superflue* ornantes non peccant mortaliter iuxta commu- « nem sententiam; cum tamen luce meridiana clarius eis pateat, « fore ut ob id a plerisque iuvenibus turpiter amentur ». Lugo (De Poen. D. 16. Sec. 4. n. 165) dixit, « tunc solum contrahi « malitiam mortalem scandali, quando nostro facto, aut verbo « coniicimus proximum in gravem difficultatem et tentationem « cui difficillime possit resistere... Certum est autem quod regu- « lariter colloquia turpia non inducunt audientes in adeo gravem « tentationem peccandi, cui non nisi difficillime possint resi- « stere ». Palao (De Char. D. VI. p. 10. n. 5): « Dicunt Ca- « ietanus et Navarrus esse solum peccatum veniale petere mu- « tuum ab usurario, si ad expendendum *in ludis et negotiatione* « *superflua* peteres ».

Ratio autem est quia in homine peccatore, qui iam habitualiter est paratus plurima peccata committere, hoc vel illud peccatum externe commissum ruinam eius spiritualem parum auget; unde dixit Suarez (De Char. D. 10. Sec. 3. n. 4): « Fere « nihil ea ratione peccat », et Lugo (De Sacr. D. 8. Sec. 11.

n. 184) : « Minoris fiunt ea mala quae simul cum aliis multis « eiusdem generis adveniunt ». Observari potest etiam quod, quum peccatores ad peccandum soleant esse adeo proni, ut quaelibet levissima occasio ad id sufficiat ; lex divina nimis rigida evaderet, si de peccato mortali rei essemus, toties quoties ex levi vel levissima occasione nostra improbos homines lethaliter peccare conspicimus. Hinc a mortali scandali peccato excusarem non solum praedictam uxorem cuius maritus ex qualibet levissima occasione blasphemat, sed etiam ( secus ac sentit Gury Cas. n. 227 ) puellam quae, dum viri turpia effutiunt, ex mero respectu humano identidem subrideat. Imo in praxi istae puellae credunt quidem se contra modestiam et fortitudinem aliqualiter peccare; sed scandali malitiam a parte sui nullo modo advertunt.

245. Sine dubio tamen dantur casus, in quibus magno etiam peccatori grave scandalum dari potest ; si enim mortale peccatum committi potest in non corrigendo peccatore, quanto magis, in dando ipsi impulsum ad peccatum, mortaliter delinqui poterit ? Id accideret si emendationis probabilis spes affulgeret ; tunc enim correctionis fraternae obligatio adesset ; unde si loco adiuvandi peccatorem ad emendationem, ei ad perseverandum in peccatis impulsus daretur ; ( multo magis si peccator, v. g., occasione Missionis ad conversionem inclinaret, aut iam ad Deum sincerâ poenitentiâ conversus fuisset ) tunc certo certius gravissimum scandali peccatum committeretur ; a quo proinde illi lenones qui miseras puellas, ut ut paratas, ad peccandum impellunt, excusari non possunt. Gravissime pariter non solum contra castitatem sed etiam contra charitatem delinquunt illae mulieres, quae, dum percipiunt turpiter adamari ab aliquo viro, studiose illius conspectui se offerunt variisque modis ei blandiuntur, non ut consentiant, sed ut iugiter de ipso iocum sumant. Quamvis enim agatur de peccatore, attamen tot peccata provocare idque ex mero ioco, nedum scandalum sed quaedam spiritualis crudelitas est.

### QUAESTIO IV.

*An et quomodo circumstantiae speciem mutantes in scandalo adesse possint ?*

246. Resp. Non est dubitandum quin circumstantiae mutantes speciem, et proinde in confessione declarandae, in scandalo adesse possint. Id autem contingit in sequentibus casibus.

1°. Si pater propriis filiis scandalum praebeat; ille enim pietatem violaret.

2°. Si Parochus vel quivis alius Superior, qui ex officio subditos corrigere eisque bonum exemplum dare debet, scandalo eis sit. Ille enim iustitiam violaret.

3°. Si quis alios ad peccandum inducat vi, metu, aut dolo. Ille enim etiam contra iustitiam delinqueret.

247. Quaeritur an scandalum sumat species diversas iuxta diversa peccata quae a scandalizato committentur?

Huic quaestioni, quae in praxi momentosa est, sic respondeo.

Si agatur de scandalo directo, nempe si quis mandato, consilio, aut prece inducat alium ad tale vel tale peccatum committendum; tunc sine dubio huiusmodi scandalum ab hoc etiam peccato speciem sumit. Idem dic si quis proximi peccato cooperetur formaliter seu cum consensu (sed hoc pertinet ad cooperationem, de qua agam infra). In his itaque casibus poenitens non satis se accusaret dicendo se dedisse scandalum, sed etiam explicare deberet an, v. g., fornicationes, vel adulteria, vel sacrilegia, vel furta etc. provocaverit; et, si peccata contra iustitiam fuissent, ad restitutionem teneretur.

Si autem agatur de scandalo indirecto, nempe si quis proximi peccatum non quaerat neque ei consentiat, attamen illud praevideat; tunc est iterum distinguendum. Si scandalum istud sit vera causa seu vim coactivam habeat (exemplum habes in uxore instanter exigente vestes superfluas a marito, qui difficillime eas comparare possit, nisi furtis recurrat); tunc scandali auctor de peccatis hoc modo causatis reus erit; unde in hoc casu redeunt consequentiae supra dictae. Si vero scandalum sit solum occasio peccatorum (ut puta, si praedicta uxor praevideat quidem furta mariti, sed simul advertat quod maritus etiam sine furtis, prout ipsa intendit, satis commode vestes comparare posset), tunc scandali auctor poterit quidem in pluribus casibus (V. supra n. 243, 245) peccare graviter contra charitatem: sed leviter dumtaxat peccabit contra alias virtutes, quas forte scandalizatus offendet. Ratio est quia obligatio impediendi peccata aliorum ex lege charitatis vel officii, non vero aliunde provenire potest. Verum est quod scandalum praebet etiam impulsum; sed, quum hic impulsus supponatur levis, nullam gravitatem superaddere potest. Secus enim dicendum esset quod Parochi, Patresfamilias, et quilibet alii, si dent prava exempla, et si hoc modo furandi vel aliter iustitiam laedendi occasionem praebeant, ad restitutionem tenerentur; quod quidem esse ne-

quit. Vide Lugo (De Poen. D. 16. n. 157-168), ubi etiam observat non esse de necessitate confessionis ut, qui turpia loquutus est, explicet an audientes fuerint, v. g., mulieres coniugatae. aut viri religiosi etc.; quod ego quoque admitto si de dictenis neque directe neque valde ad peccatum cogentibus agatur.

248. Maioris claritatis gratia exempla sequentia superaddo.

Titius, postquam a multis annis puellam orphanam et ab omnibus derelictam adamaverit, illam sine ulla causa deserit, praevidens ex manifestis indiciis eandem extrema desperatione victam laqueo se esse suffocaturam. — In hoc casu Titius non solum peccat graviter contra charitatem, sed etiam de puellae suicidio reus est.

Sempronius puellam quam maxime cerebrosam adamans, levem offensam ei facit, et ex hoc praevidet eam ad lupanar esse advolaturam. — In hoc casu huius puellae meretricium non nisi levissime imputari potest Sempronio; sed ille nihilominus contra charitatem graviter peccat.

Terentius puellam valde iracundam adamat, et propter levissimam offensam ei factam praevidet illam more suo esse blasphematuram. — In hoc casu blasphemiae non nisi levissime imputari possunt Terentio, qui etiam non nisi leviter contra charitatem peccat.

### QUAESTIO V.

### *Ad quid teneantur scandalosi?*

249. Recolenda est distinctio inter scandalum ex factis suapte natura malis, et scandalum ex factis suapte natura speciem mali habentibus, et demum scandalum ex factis suapte natura tum bonis tum habentibus speciem boni.

Loquendo itaque prius de scandalo ex factis suapte natura malis, evidens est quod ab huiusmodi factis, aut a circumstantiis quae ea mala reddunt, oportet omnino cessare.

Sed id eritne semper sufficiens, vel tenebiturne aliquando scandalosus ad aliquid aliud?

Resp. Pro praxi distinguendum est inter scandalum privatum et scandalum publicum.

Si agatur de scandalo privato, de facili aderit obligatio non solum cessandi ab opere malo, sed etiam adhibendi alia media ut scandali influxus destruatur. Ratio est quia unusquisque tenetur spiritualem proximi ruinam impedire toties quoties satis

efficaciter et commode illam impedire potest. Certum est autem quod auctor scandali, qui huius ipsius ruinae occasio fuit, hac obligatione strictius et gravius urgetur; unde contingere potest quod, dum alii ad fraternam correctionem nullo modo aut leviter tenerentur, scandali auctor (inspecta tum maiori obligatione tum maiori facilitate et opportunitate) ad illam et forsan sub gravi teneatur. (Vide Lugo De Iust. D. 9. Sec. 1. n. 15). Id valet speciatim si agatur de mandato vel consilio, cuius executio in futurum pendeat; maxime vero si minae vel dolosae deceptiones intercesserint; tunc enim nedum ex charitate sed etiam ex iustitia minae et deceptiones retractari deberent; imo si peccatum a proximo coacto vel decepto iam fuerit commissum, et si exinde damna ei obvenissent; scandali auctor ad haec ipsa damna reparanda (ut patet exemplo virginis stupratae vel iuvenis a pravo socio decepti et corrupti, et hac de causa a Superioribus e collegio electi) ex iustitia teneretur. — Caeterum (praescindendo ab his damnis) si agatur de simplici scandalo non hic et nunc, sed olim dato; tunc (quum ex una parte praesumi debeat quod scandalizatus multas iam habuerit occasiones sibi consulendi, si voluerit; et ex alia parte valde molestum esse soleat de huiusmodi rebus antiquis sermonem ingerere) nulla ulterioris reparationis obligatio remanebit.

250. Sed quid si scandalum fuerit publicum?

Resp. Interdum necessaria est publica retractatio; idque contingit in duobus casibus.

Primus est si quis doctrinas falsas et perniciosas typis evulgaverit. Dices: secuta Ecclesiae damnatione, auctor operis non potest teneri ad retractationem nec intuitu catholicorum, qui librum non sunt lecturi; nec intuitu illorum qui Ecclesiam non audiunt, scienti enim et volenti non fit iniuria. — Resp. Ratiocinatio ista ad summum probaret quod retractatio non exigitur ex iustitia. Sed nonne remanet charitas? Nunquid fratres errantes in errore confirmare licitum erit? Nunquid Ecclesiae vulnera inferre non erit nefas? Non obstante itaque damnatione Ecclesiae, impius liber magnam ruinam inferre poterit; et ruinam istam impedire ad libri ipsius auctorem spectat; qui solus ope publicae retractationis ictum lethalem doctrinae suae infligere potest.

Secundus casus in quo retractatio (vel aliqua alia satisfactio) omnino exigi debet, est quando publicus peccator Sacramenta recipere vult, et Christifideles retractationem vel aliquam satisfactionem adeo expectant, ut, si haec locum non haberet,

aut de ipsa Ecclesia administrante Sacramenta scandalum sumerent, aut ea quae illicita sunt iam esse licita, vel quae praestari debent iam non esse praestanda, credere inciperent. Exemplum habes in quibusdam publicis excommunicatis, de quibus iam publice notum sit quod ante SS.mi Viatici sumptionem sive proprio officio illicito renuntiare, sive quibusdam Ecclesiae mandatis satisfacere debent. In huiusmodi tamen casibus sufficit si ex una parte infirmus extra confessionem iuxta ecclesiasticas dispositiones ( etiam secreto ) muneri suo satisfaciat, et ex alia parte in genere divulgetur eundem ea omnia peregisse quae peragere debebat. Vide Berengo ( Ed. 2ª n. 110, nec non pag. 524 et 534 ). — Haec omnia intellige si bonum publicum omnino clamet ut peccator alicui suae obligationi satisfaciat ; si enim ex una parte obligationem suam ignoraret, atque de illa admonitus non esset obtemperaturus, et ex alia parte propter talem omissionem nullum publicum et grave inconveniens oriretur ( prout de facili contingere potest si agatur de facto antiquo, ita ut publice supponi possit quod obligationibus suis in antecessum iam satisfecerit. Scavini V. 4. n. 63. versus fin. ); tunc iuxta regulam generalem in sua bona fide relinqui deberet.

Praescindendo autem ab his duobus casibus, si nempe scandalum in sola morum perversitate situm fuerit, tunc, sin minus sola ab iniquis moribus cessatio sufficiet, saltem nihil aliud quam discreta bonorum operum ostensio exigi poterit. Gousset n. 399.

Hucusque dicta valent pro casu scandali, quod ab actionibus suapte natura malis provenit. Sed

251. Quaenam aderit obligatio, si scandalum ab actione suapte natura non mala, sed speciem mali habente proveniat?

Resp. In huiusmodi casibus necessaria est declaratio, quatenus nempe ille, qui est occasio scandali, actionis suae honestatem declaret, et ( si oporteat ) sufficienter evulget. Ratio est quia, ut ait Suarez ( De Char. D. 10. S. 3. n. 4 ), « tenemur « recte operari non solum coram Deo, sed etiam coram homi« nibus ». Si autem, declaratione non obstante, scandalum perseveret ; tunc, si hoc scandalum apud improbos et temerarios dumtaxat remaneat, de illo ( quod tunc *pharisaicum* appellatur ) non erit curandum ( Vide D. Th. 2. 2. q. 43. a. 7 ); si vero etiam apud bonos fideles, propter eorum ignorantiam atque infirmitatem, subsisteret ( quo casu scandalum dicitur *pusillorum* ) ; tunc ab actione illa, si satis commode fieri possit, ex charitate et quasi pro eleemosyna spirituali cessandum esset. Dixi *si satis commode fieri possit ;* hic enim maxime valet ef-

fatum « Charitas non obligat cum gravi incommodo » ; idque confirmatur ex declaratione Congr. S. Officii die 2. Iul. 1827, in qua haec verba prostant : « Ex lege charitatis nemo tenetur « cum gravi suo damno scandalum istud (pusillorum) remove- « re ». (Vide Scavini V. 2. n. 958). Unde in praxi, declaratione facta, huiusmodi obligationes vix unquam locum habebunt.

252. Quid demum si scandalum a factis suapte natura tum bonis tum speciem boni habentibus proveniat?

Resp. In casibus huiusmodi, interdum non agitur dumtaxat de scandalo, sed etiam de aliis consequentiis quae considerationem merentur. Id contingit praecipue in casu mariti blasphemantis, si uxor ad pia exercitia ex mera devotione incumbat. Porro tunc non de blasphemiis dumtaxat, sed de discordia domestica et de scandalo filiorum agitur ; quarum rerum intuitu bene contingere potest, quod uxor ab illis exercitiis abstinere debeat, considerando etiam quod, abstinendo, meritum non amittet, et de facili internis aut privatis (saltem absente marito) exercitiis supplere poterit. Vide Gury (V. 1. n. 235. not. d). Si tamen maritus etiam ab adimplendis praeceptis ecclesiasticis uxorem arcere vellet ; tunc potest esse quod, non obstante discordia, uxor ipsa suis religiosis obligationibus satisfacere debeat. Lex Ecclesiae, necessitas propria spiritualis, bonum exemplum familiae, scandalum viciniae, spes quod tyrannica mariti agendi ratio cessabit; haec omnia simul sumpta discordiae ipsius damnis bene praevalere possunt. Pro casu autem extremo, vide dicta (n. 68).

Si vero non de discordia aut similibus aliis inconvenientibus, sed de solo scandalo agatur, distinguendum est inter scandalum *pharisaicum* et scandalum *pusillorum*. Si sit pharisaicum (ut in casu operarii blasphemantis quia mercedem ultra debitum obtinere nequit), de eo non est curandum ; unde scripsit D. Th. (l. c.) : « Propter eos qui sic scandala concitant, non sunt « temporalia bona dimittenda : quia hoc et noceret bono com- « muni : daretur enim malis rapiendi occasio ; et noceret ipsis « rapientibus, qui, retinendo aliena, in peccato remanerent ». Si vero sit scandalum pusillorum (ut in casu mulieris cuius aspectus alicui viro est occasio libidinis), videndum an satis commode hoc scandalum impediri possit, v. g., aliam viam tenendo, aliam Ecclesiam vel aliam Missam adeundo etc. Et quatenus ita sit, scandalum praecavendum est. Secus si secus ; nimis enim durum esset si peccata aliorum, etiam privando nos actionibus honestis et quidem cum gravi incommodo, impedire

deberemus. Vide Gury (n. 326). Notari potest quod grave incommodum semper adesset, si huiusmodi cautelae frequentes esse deberent.

## § II.

### *De cooperatione.*

Cooperatio 1° potest esse illicita formaliter, nempe ex fine cooperantis; 2° potest esse illicita materialiter, nempe ex malitia operis praestiti; 3° potest esse licita.

#### QUAESTIO I.

*Quandonam cooperatio ex fine cooperantis illicita sit?*

253. Resp. Quando cooperans habet eundem finem qui est in agente principali. Id autem accidit praecipue in duobus casibus.

Primus est si quis ex corde actioni pravae cooperetur. Exemplum habes in illo qui haereticos adiuvaret, eo quod de haeresis propagatione gauderet; aut volenti occidere inimicum opem ferret, eo quod et ipse homicidium illud exoptaret. Idem dic de illo qui arma iniquo aggressori venderet, sed innocenti vendere nollet.

Secundus casus est, si quis non quidem ex corde, sed, v. g., ad satisfaciendum amico vel ad praemium seu mercedem iniquitatis obtinendam, complicem se reddat. Exempla sunt sequentia.

Puella dives ex delicto gravida medicum advocat, eiusque cooperationem postulans dicit: — En centum aurei: affer mihi pharmacum foetus expulsioni aptum —.

Latro cuidam fabro dicit: — Confice mihi claves falsas; illis enim ad furandum uti volo. En tibi decem aurei —.

Grassator dicit cuidam: — Veni mecum, quia talem grassationem efficere volo; et, dum ego illam exequar, tu a longe tergum mihi serva; et, si aliquem supervenire adverteris, sibilo me admone. Ad hoc servitium non equidem te cogo; sed pro opere tuo largam mercedem tibi dabo —.

Herus vult stuprare virginem; sed haec ianuam claudit. Tunc herus ipse dicit famulo: — Si tu me adiuves ut per fenestram ascendam, salarium tibi augebo —.

Herus dicit famulo: — Perge ad plateam, ubi rusticae mu-

lieres mercatum faciunt ; et, postquam a puella magis pulchra id quod venale habet emeris, effice ut ipsa rem emptam ad me portet. Iam intellexisti quid facere volo. Pro re bene gesta magnam pecuniae summam tibi dabo ⁂.

Herus, habens concubinam extra propriam domum, famulo lenone utitur. Famulus itaque fere semper munera, epistolas, et internuncia concubinae defert (dicendo ei, v. g., herus meus tali hora et in tali loco te expectat) ; et pro his servitiis hero charissimus est, ab eoque saepe saepius aliquid ultra salarium accipit.

Iuvenis, ut furta domestica committat, atque ut cum quadam puella (insciis parentibus) passionibus suis satisfaciat, amici auxilio indiget ; et amicus modo invenit locum ubi res furtivae abscondantur, modo cubicula secreta quaerit et parat, modo vigilat ne iuvenis in flagranti inveniatur etc.

Petrus dicit Terentio : ⁂ Volo occidere Sempronium proxime ab hac civitate abiturum. Tu scis ubinam hac hora immoretur. Dic itaque mihi ubinam nunc Sempronius sit. En tibi decem aurei ⁂.

Unusquisque videt quod cooperatores isti, quamvis non ex toto corde sed ex solo fine lucri agerent ; nihilominus essent veri complices, propriamque operam praestarent eo fine ut principales agentes delictum consummare possint. Id a fortiori verum esset si non iam opera aliquo modo de se indifferentia, sed intrinsece mala praestarent ; v. g., si famulus iussu heri homicidium committeret, aut puellam ad peccatum disponeret etc.

### QUAESTIO II.

*Quandonam cooperatio ex malitia operis praestiti illicita sit ?*

251. Id accidit non solum quando ipsum opus praestitum est intrinsece malum, sed etiam quando in praesentibus circumstantiis malitiam habeat seu a malitia non seiungatur ; ita ut cooperator, quamvis principalis agentis fini forte non adhaereat, adhuc tamen contra leges sive iustitiae, sive charitatis, sive alterius virtutis delinquat ; quatenus hae leges in iisdem circumstantiis non solum cooperationem directam et formalem, sed etiam indirectam et materialem prohibeant. Exempla sunt sequentia.

I°. Si Ecclesiae hostes, postquam magnam perniciem Reli-

gioni felici successu intulerint, cantum hymni *Te Deum* a Sacerdotibus exigant. — In hoc casu, quamvis Sacerdotes intenderent gratias agere Deo ex alio fine (v. g., quia cessavit tumultus, vel quia mala peiora non acciderunt); nihilominus, ut ut gravibus minis deterriti, abstinere deberent; huiusmodi enim canticum Ecclesiam ipsam ad extremam humiliationem vilissime reduceret, et publicum scandalum inferret.

II°. Si Sacerdotes, quamvis non ex pravo fine sed ex mero solatio, subversivis aut quomodolibet execrandis demonstrationibus interessent; aut si personae magnae auctoritatis sive impiis petitionibus (*indirizzi*) propriam subscriptionem, ut ut ficte, praestarent; sive collectis ad pravum finem ordinatis concurrerent, quamvis non ad favendum, sed ad se eripiendos ab aliqua molestia seu ex mero respectu humano, id facerent. — In his quoque casibus cooperatio propter scandalum et malas consequentias illicita remaneret.

III°. Si architectus catholicus templum pro Protestantibus apud nos aedificaret. — Quamvis ex solo fine consuetae mercedis fabricam conficeret, nihilominus ad minus propter magnum scandalum gravissime peccaret.

IV°. Si quis furtum vel homicidium committere volenti ex metu seu causa non satis gravi arma praeberet. — Quamvis enim delictum detestaretur et solum ad se redimendum ab iniusta vexatione arma praeberet, nihilominus contra iustitiam, aut saltem contra charitatem delinqueret. Vide Gury n. 686. et seqq.

V°. Si quis advertat actionibus suis honestis alium abuti, et de facili possit ab actionibus istis abstinere. — Tunc enim ex charitate (quamvis ut plurimum solum sub levi) abstinere deberet. Id contingere potest, v. g., in venditoribus, cauponibus, famulis, sarcitricibus etc. si forte facili negotio, ad peccatum impediendum, aliquid recusare possint.

VI°. Si quis sufficientem quidem habeat causam cooperationem ponendi, sed ita ut ad scandalum evitandum protestatio aut difficultatis et aequi animi ostensio necessaria sit; et nihilominus, v. g., ex respectu humano, has cautelas omittat.

### QUAESTIO III.

*Quandonam cooperatio tamquam omnino licita habenda sit?*

255. Resp. Id contingit quando in cooperante neque a parte actionis neque a parte intentionis quidquam illiciti reperitur.

256. Nihil illiciti reperitur a parte actionis, quando haec sufficienti necessitate excusari valet et de facto excusatur.

Pro praxi notare iuvat, quod de facili excusantur actiones quae in se sunt valde indifferentes, et naturam auxilii ad peccatum minime habent; si enim nos ab actionibus nostris honestis abstinere deberemus cum incommodo toties quoties alii ex propria malitia illis abutuntur; id profecto nimium esset. Excipe nisi de delicto tum enormi tum certe et hic et nunc committendo ageretur. Hinc de facili excusantur ut plurimum

1°. Famuli qui herum ad domum concubinae comitantur, aliquam epistolam ipsi concubinae deferunt, vel ei advenienti ianuam aperiunt, coenam parant, et similia praestant indifferentia, quae non iam lenocinii sed famulatus rationem habere videntur.

2°. Venditores, qui, v. g., carnem, arma, aleas, fucos, larvas, chartam, atramentum, libros moderate romanticos etc. vendunt etiam iis, qui (prout suspicantur aut sciunt) rebus ipsis abusuri sunt.

3°. Caupones, qui vinum omnibus illud petentibus suppeditant, quamvis videant plerosque se esse inebriaturos.

4°. Sonantes pro choreis, quamvis in choreis ipsis peccata non deesse conspiciant.

5°. Pictores et Photographi, qui iuvenum et puellarum imagines (intellige non obscoenas) efficiunt, quamvis sciant plures ex his imaginibus inhonestis amoribus fomentum esse praebituras.

6°. Uxor quae viro onanistae debitum reddit, aut etiam hoc ipsum debitum ab illo petit.

8.° Mulier quae cum viro in gratia Dei minime existente matrimonium contrahit.

8°. Christifidelis qui a Sacerdote peccatore Sacramentum petit.

9°. Sarcitrices, quae vestes splendidas (dummodo sint decentes aut facile honesto modo adhiberi possint) etiam illis foeminis conficiunt, quae ex propria malitia vestibus ipsis abusurae sunt.

10°. Petentes pecuniam ab usurario.

11°. Locantes domum meretrici; dummodo, intuitu scandali in vicinia honesta, haec locatio evitari non debeat.

12°. Restituentes obiecta mala dominis suis, quamvis sciant quod hi domini obiectis ipsis abutentur; dummodo de abusu proximo et in re enormi non agatur. Vide Scavini (V. II. n. 958. 6).

13°. Dantes proprii scrinii clavem aut pecuniam latroni seu iniquo exactori, ut ab iniusta vexatione vel etiam dumtaxat ab aliqua molestia se liberent.

257. Sed quid si agatur de cooperatione, quae auxilii ad peccatum speciem praeseferat?

Resp. Dantur aliqui casus in quibus haec quoque cooperatio de facili excusatur; si nempe vel parum influat, et, si recusaretur, haec recusatio nihil impediret; vel de re non adeo damnosa et enormi agatur. Exemplum habes in concursu ad quasdam collectas, de quibus verba feci supra (n. 240. V.). Aliud exemplum dari potest in uxoribus rusticanis, quae maritis aliquid domino fundi clam surripientibus opem ferre coguntur. Ratio est quia ordinarie 1° non agitur de furto certo (quatenus mariti iustam se compensandi rationem habere possent); 2° non agitur de consummatione furti, sed de exportatione rei ex area ad domum; 3° auxilii recusatio maiorem quidem difficultatem produceret, sed factum non impediret; 4° dominus fundi potest quidem esse rationabiliter graviterque invitus contra maritum, sed vix aut certe multo minus contra miseram uxorem, quae nolens minisque deterrita auxilium praestat. — Petes an liceat propriam domum externis luminibus ornare occasione inaugurationis novi gubernii (inique intrusi) aut alio simili eventu: item an liceat uti insignibus dicti gubernii, cuiusmodi sunt *coccarde*, et similia? S. Poenitentiaria die 10 Decembris 1860 respondit: « Negative, dummodo non immineant gravia damna. « et absit scandalum ».

258. Sed ordinarie huiusmodi cooperationes auxilii naturam habentes (ut ut in se non intrinsece malae) propter rerum enormitatem difficile aut difficillime excusantur; unusquisque enim ab operibus, quae lenonibus aut complicibus in rebus enormibus spectant, quam maxime abhorrere debet; et tunc sola coactio et quidem gravissima excusare poterit.

Hinc excusabis quidem militem, qui metu mortis coactus in bello etiam evidenter iniusto hostem inquirit, inventumque indicat, bombardas applicat, muros destruit, domos spoliat * etc. (dummodo innocentes non occidat); sed (nisi forte tunc etiam mors aut aliud gravissimum malum recusanti immineat) non excusabis nec medicum pharmacum abortivum puellae indicantem; nec fabrum ferrarium claves falsas aut alia arma prohi-

* Porro milites qui metu mortis coacti haec damna in bonis fortunae afferunt, in extrema necessitate versantur, in qua omnia sunt communia.

bita grassatori praebentem ; nec famulum opem ad stuprandam virginem hero suo praebentem ; nec typographum typos suos ad libellum famosum aut alia opera sive impia sive obscoena adhibentem ; nec pictorem imagines cultus superstitiosi proprias haereticis pingentem : nec demum concurrentem ad collectas quae, v. g., ad fabricandum templum protestanticum, vel ad erigendam statuam impiorum vel haereticorum Coryphaeo etc. dirigantur.

259. Dixi autem quod, ut cooperatio licita sit, necesse est etiam ut nihil mali adsit a parte intentionis. Nihil porro mali ex hoc capite aderit, si cooperans intendat praestare opus, quo principalis agens posset ad bonum finem uti aut nullo modo uti, aegre ferens quod opere ipso ad malum usum abutatur. — Hinc excusabis etiam famulam quae iussu heri vigiliam violaturi cibos minime esuriales invito animo parat et in mensa collocat; speciatim si ipsa de spirituali filiorum et familiae bono sollicita sit, et hoc modo cooperationem illam abundanter compenset : maxime vero si hero ipsi quoad legum divinarum et ecclesiasticarum observantiam et quoad animae salutem utilis esse procuret.

260. Notandum est demum quod, speciatim in publicis perturbationibus (*rivoluzioni, sommosse popolari etc.*), et quando Reipublicae Moderatores ad pravum finem quaedam exigunt, magnae difficultates insurgere solent, ita ut quid agere oporteat vix percipiatur. Porro tunc, si res moram patiatur, necesse est ut nemo nodum iudicio proprio expediat. Fideles adeant Sacerdotes, qui sunt magistri in Israel ; Sacerdotes Parochos consulant ; Parochi ad Episcopos confugiant. Episcopi autem tempestive casum praevideant, et, si rei gravitas et difficultas id expostulet, Romae recurrant.

Plurimae iam adsunt S. Sedis decisiones, quae implicatos cooperationis casus (sive quoad publicas perturbationes sive quoad alios eventus) respiciunt. Illas, ubi de statibus particularibus agam, opportune referam.

## ARTICULUS VI

### DE PRAECEPTIS SEXTO ET NONO

261. « Non moechaberis... Non desiderabis uxorem (alienam) ». In his itaque praeceptis tum externa tum interna luxuriae peccata prohibentur.

De hac materia agere nollem; sed quum adeo frequenter in praxi occurrat, necesse est omnino ut de ea etiam tractem. Lector sibi consulat, ne ex hac lectione detrimentum patiatur.

Agam 1° De peccatis luxuriae quae sumunt speciem dumtaxat a diverso modo laedendi castitatem; 2° De peccatis quae non solum castitatem sed alias quoque virtutes offendunt; 3° De licitis et illicitis inter coniuges; 4° De debito coniugali.

### PUNCTUM I.

#### DE PECCATIS LUXURIAE QUAE SUMUNT SPECIEM DUMTAXAT A DIVERSO MODO LAEDENDI CASTITATEM

262. Peccatum luxuriae intervenit quando quis praeter ordinem a Deo statutum carnalibus delectationibus indulget. Hic autem ordo sic se habet. Delectationes venereae et desideria carnalia sint dumtaxat propter concubitum naturalem inter masculum et foeminam; hic autem concubitus in solo matrimonio esse potest. Ordo huiusmodi diversis modis inverti potest; et proinde sequentes peccatorum species locum habent.

1°. Concubitus, non servata natura humana, (nempe bestialitas et concubitus cum Daemone).

2°. Concubitus, non servato sexu debito, (nempe sodomia propria).

3°. Concubitus, servato quidem sexu debito, sed extra matrimonium, (nempe fornicatio).

4°. Concubitus, non servato vase debito, (nempe speciatim sodomia impropria).

5°. Concubitus, non servato modo debito, (nempe speciatim onanismus).

6°. Pollutio et motus impudici sine concubitu.

7°. Desideria venerea extra matrimonium. — Vide Th. 2. 2. q. 154. a. 11.

Inordinationes istae luxuriam continent essentialiter, quatenus bestialitatem, sodomiam, onanismum, fornicationem, pol-

lutionem etc. velle committere nunquam licet. Sed adsunt etiam actus, qui luxuriam essentialiter minime continent; et sunt sequentes, nempe

1°. Tactus; 2° Oscula et amplexus; 3° aspectus; 4° sermones; 5° lectiones; 6° cogitationes turpes.

Quod reapse hi actus luxuriam essentialiter non contineant; patet quia velle tangere, aspicere, dicere, legere, cogitare turpia interdum licet; si nempe ex necessitate et ex recta intentione haec peragantur.

263. Antequam veniamus ad particularia, utile est declarare 1° quid sit concubitus? 2° An concubitus sine ulla vasis penetratione a simplici tactu specie differat?

Resp. ad I. Concubitus locum habet, non quando quis manu vel pede alium tangit aut ab alio tangitur; sed quando magna corporis coniunctione alteri adhaeret, ita ut, saltem a parte unius, venerea genitalis membri applicatio interveniat.

Ad II. Salmanticenses (c. 7. n. 85), Potestas (n 2172), Diana (Tom. 1. Tr. 7. res. 140) et alii dicunt, concubitum sine alicuius vasis penetratione ad simplicem tactum reduci; sed ego censeo specie differre: horum enim duorum actuum deformitas est nimis diversa. Praeterea simplex tactus indicat affectum ad simplicem pollutionem; concubitus vero affectum sive fornicarium sive sodomiticum prodit. Adde demum quod poenitens, qui concubuit, si diceret: *tetigi aut permisi ut alter me tangeret*, diceret quid pro quo; Confessarius enim non iam concubitum perpetratum, sed simplicem tactum intelligeret.

His praemissis, ad casus particulares venio.

## § I.

### *De Actibus qui luxuriam continent essentialiter.*

#### CASUS I.

#### *De concubitu, non servata natura humana.*

264. Quaer. 1°. An concubitus cum bellua a concubitu cum Daemone specie differat?

Resp. Quatenus tam bellua quam Daemon sunt entia quae naturam humanam minime habent, non est cur inter hos duos concubitus specificam differentiam ponamus. Nihilominus concubitus cum Daemone specie differt a concubitu cum bellua propter

alia motiva; nempe 1° quia Daemon est horribilis nostri et Dei inimicus; 2° quia Daemon, iuxta desiderium eorum qui illum invocant, apparere solet sub forma viri foeminis, et sub forma foeminae viris; et sic concubitus cum ipso ab affectu saltem fornicario vix unquam seiungitur. Vide S. Lig. (n. 475).

Quaer. 2°. An concubitus cum bellua sit semper eiusdem speciei sive vas penetretur sive non?

Resp. Affirmative; tota enim malitia huius facinoris in accessu ad belluam residet; et in genere moris parum refert cuiusnam sexus haec sit, vel in quanam eius parte concubitus habitus fuerit. S. Lig. (n. 474).

### CASUS II.

*De concubitu, non servato sexu debito.*

265. Hic concubitus accidit quando masculus super masculum, et quando foemina super foeminam concumbit. Concubitus foeminarum saepe contingit se invicem amplectendo et vertendo muliebria contra muliebria; dum foemina agens se gerit quasi vir super foeminam patientem, et interdum non solum concumbit sed aliquo instrumento, quasi membro virili, utitur. — Concubitus autem masculorum ordinarie accidit penetrando vas praeposterum; sed interdum accidit etiam alio modo, v. g., virilia contra virilia vertendo.

Quaer. 1°. An concubitus activus (seu in agente) specie differat a concubitu passivo (seu in patiente)?

Resp. Negative per se; sicut enim fornicatio viri a fornicatione mulieris specie non differt; ita et in casu. Differentia tamen adest ratione pollutionis quae in patiente satis frequenter deest, ut ex praxi patet. Hinc Confessarius non inquirat an poenitens fuerit agens vel patiens; bene vero an pollutio seu libidinis satisfactio a parte sui locum habuerit. Gury (n. 434) et S. Lig. (n. 466).

Quaer. 2°. An concubitus in vase a concubitu aliter peracto specie differat?

Resp. Quum in hoc concubitu deformitas principalis consistat in accessu ad sexum indebitum, scilicet masculi ad masculum et foeminae ad foeminam; et quum proinde differentia partium, in quibus concubitus peragitur, in hoc casu quid secundarium appareat; probabiliter sustineri potest quod haec ipsa differentia, ut ut in se specifica, in facti specie veluti evane-

scat, iuxta ea quae diximus supra (n. 36). Ita reapse sentiunt multi apud S. Lig. (l. c.); unde in praxi, si vir in confessione dicat: *concubui cum viro*, non est necesse ut Confessarius inquirat, an hic concubitus in vase praepostero, an super carnem nudam, an super vestes etc. peractus fuerit.

Advertendum tamen quod concubitus in vase, maxime quoad foeminas, malitiam fornicationis affectivae de facili comitem habet: foemina enim patiens, dum foeminam agentem ad hoc scelus provocat, dicere solet; « Fac mecum sicut vir ». Confessarius itaque, potius quam de vase, de hac fornicationis malitia aliquam prudentem inquisitionem facere poterit.

Quaer. 3°. An hi omnes concumbendi modi veniant sub nomine sodomiae (quae ordinarie inter casus reservatos recensetur)?

Resp. Multi affirmant et plures negant. Vide Ballerini (not. ad n. 434). Sed, quidquid sit de hoc, pro praxi inspicienda sunt verba, quibus sodomia reservatur. Si reservetur sodomia absque ulla explicatione, haec intelligitur *perfecta*, et talis non est nisi semen iniiciatur *intra vas*. (Vide Sanchez De Matrim. L. 10. D. 5. n. 13). Aliqui Auctores notant quod sodomia perfecta contingere potest etiam inter foeminas (Salm. c. 7. n. 80. Sanchez De Matr. l. c. n. 5. Scavini n. 785); sed hoc, nisi foeminae uteri morbo laborent, difficile videtur; ipsae enim (ut passim Auctores indicant) non extra sed intra matricem proprium semen effundunt. Vide Scavini n. 778. not. 4; Elbel apud S. Lig. n. 466; et Ballerini ad n. 434.

### CASUS III.

*De concubitu, servato quidem sexu debito, sed extra matrimonium, nempe de fornicatione.*

266. Quaer. 1°. Ad quid teneatur foemina, quae a viro procaci per vim aut metum opprimatur?

Resp. Tenetur 1° casum huiusmodi (si illum praevideat), per quantum potest, evitare.

Tenetur 2° non solum in corde suo repugnare (quod semper necessarium est), sed etiam extrinsecus resistentiam opponere. Haec tamen resistentia est duplex. Prima est *ordinaria*, dum mulier manibus, per quantum potest, se defendit, se agitat etc. ut foedum congressum evitare conetur. Secunda est *extraordinaria;* et haec contingeret, v. g., si mulier non obstante

gravi infamia clamaret, aut aggressorem graviter vulneraret, aut e fenestra se praecipitaret etc. — Ad hanc secundam resistentiam mulieres non tenentur; sed omnino obligandae sunt ad primam, si physice possibilis sit, excepto casu quod mortis aut mutilationis imminentis metu immotae remanere cogerentur. Causae minores approbari nequeunt; secus enim fornicationibus et adulteriis ianua latissima aperiretur, quod profecto stare nequit. Vide *De Occasionariis* (n. 247-258), ubi de hoc puncto diffuse egi.

Pro praxi notandum est quod casus mulieris oppressae absque culpa propria non adeo frequens est. Viri evadunt audaces quia mulieres, relicta modestia et gravitate, confidentiam praebent; et non ita facile contingit quod vir delectationem turpem ab invita omnino, lugente et reluctante captare velit aut possit. Caeterum naturalis faeminarum timiditas, et saepe confusio ex casu improviso, efficere possunt ut mulier magnam et virilem resistentiam non opponat, et nihilominus a culpa saltem formali immunis sit.

Quaer. II° An meretrix aut concubina debeat non solum accusare fornicationes quas commisit, sed etiam explicare se esse meretricem aut concubinam?

Resp. Quamvis meretricium aut concubinatus peccatis particularibus circumstantiam mutantem speciem per se minime superaddant, ut communiter notant Auctores; nihilominus voluntas se dandi aut redeundi sive ad meretricium sive ad concubinatum constituit peccatum in confessione patefaciendum. Hinc mulier, quae concubinatum iniverit, sed paucis vicibus peccaverit cum concubinario (eo quod ille, v. g., post breve tempus mortuus fuerit), confessioni suae non satisfaceret dicendo dumtaxat se paucis vicibus fornicationem commisisse; sic enim intentionem, quam habebat fornicandi innumeris aliis vicibus, minime accusaret. Hinc etiam meretrix, quae post duas vel tres fornicationes morbo correpta lupanar deseruit, si accusaret dumtaxat illas duas vel tres fornicationes, utique non satis se exprimeret; dum enim lupanar adiverat, iam ad innumera fornicationis, adulterii, sodomiae et cuiuslibet speciei peccata committenda erat disposita; quae quidem dispositio in praedicta confessione non significaretur. Ut plurimum tamen ex ipsa accusatione innumerabilium peccatorum, quam huiusmodi foeminae faciunt, satis arguitur quod de meretricibus vel de concubinis agitur; et tunc non erit de necessitate confessionis, ut exprimant id quod iam implicite expressum fuit.

CASUS IV.

*De concubitu, non servato vase debito.*

267. Hic concubitus accidit quando masculus coniungitur cum foemina, sed non in vase naturali.

Si ad vas praeposterum divertat, tunc sodomia, quae a Theologis *impropria* appellatur, locum habet.

Si vero ad nullum vas divertat, tunc adest peccatum distinctum specie tum a simplici tactu, tum a dicta sodomia. — Quod sit distinctum a simplici tactu, id iam demonstravi supra (n. 263). — Quod autem sit distinctum a dicta sodomia, patet quia concubitus in vase praepostero a concubitu in alia parte nimium differt; et haec differentia in facti specie non iam videtur quid secundarium (prout quando masculus cum masculo concumbit), bene vero quid principale apparet, enormiterque resultat.

Sed in praxi concubitus in vase praepostero faciliter accidit quidem inter coniuges, sed non inter solutos. Hinc, quando iuvenis se accusat de concubitu cum puella, supponendum est dumtaxat aut quod intra vas naturale semen effuderit (et sic veram fornicationem commiserit); aut quod, ex timore illam gravidam reddendi, se retraxerit (et sic onanismum fecerit); aut demum quod, ex eodem timore, nullo modo vas penetraverit, sed circa ipsum se polluerit. In hoc ultimo casu habetur peccatum specie distinctum a primis duobus, quod a parte desiderii est fornicatio, et a parte rei est concubitus absque alicuius vasis penetratione. Ut autem Confessarius cognoscat cuiusnam ex his speciebus poenitentis peccatum fuerit, illum interrogare poterit: an puella remanserit gravida? Et respondenti negative subiungere poterit: cognoscisne causam? Quum autem intellexerit quod iuvenis vas non penetravit, non debet inquirere quomodo concubitum peregerit. Male profecto se gerunt illi Confessarii, qui interrogant, v. g., an inter crura, an inter brachia, an inter ubera, an ad latus, an super carnem, an super vestes etc. huiusmodi facinus acciderit? Hae porro circumstantiae (quando iam poenitens dixit se vas non penetrasse) speciem non mutant. Vide S. Lig. n. 466.

CASUS V.

*De concubitu, non servato modo debito.*

268. In hoc paragrapho agendum esset de onanismo, et de quibusdam aliis concumbendi modis, qui plus vel minus natu-

rali legi disconveniunt; sed de his, quia ut plurimum in usu matrimonii accidunt, agam infra, ubi de licitis et illicitis inter coniuges sermonem habebo.

Hic noto dumtaxat quod in praxi circumstantia onanismi inter solutos non ut delictuosa, sed potius ut culpam imminuens apprehendi solet, ut recte observat Sporer (De Pecc. coniug. n. 490).

CASUS VI.

*De pollutione et impudicitia.*

269. Pollutio est = Completa libidinis satisfactio usque ad spermatis effusionem sine concubitu =. Hoc sperma in masculis non eviratis verum semen est; non item in foeminis et in spadonibus. Vide Scavini (V. III. n. 923. et V. 1. n. 778), et Sanchez (De Matrim. L. VII. d. XCII. n. 17).

Saepe contingit ut homo motus carnales habeat aut sibi procuret, quin pollutio adsit. Id autem fit duplici modo.

Primus est si motus carnales, quamvis spermatis effusione destituti, tamen ad terminum naturaliter possibilem ita perveniant, ut, libidine perfecte sedata, pro tunc nihil amplius ea in re fieri possit. Peccatum huiusmodi non dicitur pollutio; sed *impudicitia;* et speciatim in pueris, in impuberibus, in frigidis et debilibus, nec non in senibus locum habet.

Secundus modus est si motus carnales ad praedictum terminum minime pervenerint; et tunc dicuntur simpliciter motus impudici, delectationes venereae, pollutiones inchoatae etc.

In pollutione (et idem dic de aliis impudicitiis) peccatum adesse potest 1° si quis directe eam quaerat; 2° si quis ei consentiat; 3° si quis non sufficienter ei repugnet; 4° si quis culpabiliter causam ei praebeat.

*De pollutione et impudicitia, quam quis directe quaerit.*

270. Pollutio et quaelibet alia sive completa sive inchoata impudicitia, si directe quaeratur, est peccatum mortale; et quidem ita ut hac in re nec parvitas materiae dari possit, nec ullus casus excipi queat. Rationes sunt sequentes. 1° Agitur de turpitudine quae in extremam abiectionem humanae voluntatis dignitatem coniicit; unde homo iumentis insipientibus comparatur, tamquam equus et mulus evadit, et tamquam sus in luto volutatur. Tanta autem abiectio, nisi maximis matrimonii bonis compensetur, graviter illicita esse debet. 2° Homo

non iuxta passionem sed iuxta rationem agere debet. Aliquae passiones sunt tales, ut absque peccato mortali quis iuxta illas se gerere possit, prout contingit, v. g., in vanagloria, in acedia etc.; sed passio libidinis est adeo vilis, brutalis, effraenata et furibunda, ut usus illius praeter rationis dictamen et naturae ordinem sub gravi interdici debeat. Ordo autem naturae est, ut actus carnales et multo magis seminis effusio, in sola copula matrimoniali adhibeantur. 3° Quod autem nec ulla exceptio fieri debeat nec parvitas materiae dari possit, patet quia (tum ex natura passionis adeo delectabilis, tum ex hallucinatione quae hac in re adeo facilis est) maximum semper procedendi ad peiora periculum aderit; unde lex, quae impudicitiam directam in aliquibus casibus permitteret, pessimas consequentias haberet et valde ruinosa esset. Bene scripsit Sporer (Theol. Sacr. p. 4. n. 706): « Rationem fundamentalem..... petendam « esse non a damno actuali quod afferunt *semel facta;* sed a da- « mno habituali et consecutivo, quod adferrent *semel licita* ». Adde damnationem quam Alex. VII sequenti propositioni inflixit: « Est probabilis opinio quae dicit esse tantum veniale osculum « habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex « osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollu- « tionis ». Porro in praxi non nisi ex hallucinatione hoc periculum abesse quis credere potest (Vide Viva n. XI). Adde etiam verba S. R. Inquisitionis: « Cum in rebus venereis non detur « parvitas materiae etc. » (4 Febbr. 1611). — Id tamen intelligi debet de venerea delectatione presse sumpta (seu de motu sensibiliter carnali et intento), cuius gravis inordinatio in omnium oculos incurrit; nimium enim esset si de peccato mortali accusare velles, v. g., iuvenes ex hoc solum quod libentius cum mulieribus quam cum viris choreas ducant, quin motus carnales ullo modo intendant; maxime vero si motus huiusmodi sensibiliter carnales minime sint. (Vide Frassinetti not. 58. ed. 5ª). 4° Praescindendo etiam a praedicta voluntatis degradatione, malitia gravis reperitur, quia huiusmodi foeditates magnam naturae humanae iniuriam irrogant. Id patet quia sensus intimus clamat, quod polluere personam dormientem, ebriam, doli incapacem, aut dementem, grave non solum contra iustitiam sed etiam contra castitatem nefas est *.

* Omitto rationem passim adductam; quod nempe homines, si pollutio liceret, de matrimonio non curarent. Dicit Lecomte (De l'ovulation P. 2. Sec. 1. C. 3. § 2): « Num istud matrimonii fastidium, quasi generaliter e voluptatibus

271. Sed quid de illis matribus et nutricibus, quae, ut infantem (quem nullo modo a fletu compescere possunt) tandem quiescere faciant, tantillum delectationis ei procurant, illius genitalia tangendo? Resp. Id, si saepe fieret, pessimas consequentias haberet; an autem in aliquo casu raro factum naturae humanae valde iniuriosum sit et de mortali peccato (ratione libidinis directe procuratae) incusari debeat, iudicent alii.

272. Petes an, inter pollutionem et impudicitiam completam sine pollutione, differentia specifica adsit?

Resp. Plures Theologi censent quod non solum haec impudicitia, sed etiam pollutio cunuchorum a vera pollutione (seu emissione seminis prolifici) specie differat. Vide Ballerini (Edit. IV. not. ad n. 429). Sed S. Alph. (qui de caetero quoad consequentias sibi non satis cohaeret) n. 476 aperte dicit: « Pol-« lutio spadonum et puerorum.... nihil differt a pollutione a-« dultorum ». Atque ita ego quoque censeo; substantialis enim huius inordinationis malitia non tantum in externa humoris prolifici effusione, quantum in foeda satisfactione libidinis reponi debet, quocumque demum modo libido ad suum foedum complementum pervenerit. Sola differentia inter actum completum et incompletum adesse potest; quatenus aliud est aliquem motum provocare, et aliud naturam usque ad finem sollicitare. Quando autem constat quod homo ad actus consummationem fecit quidquid potuit, nihil refert ut sciatur quomodo haec consummatio acciderit. Notari potest etiam quod, dicente poenitente *me tetigi malitiose*, praesumendum est quod actum ad finem naturaliter possibilem perduxerit; et quod proinde tunc (sive de viris sive de foeminis agatur) quaevis interrogatio circa actus complementum praeteriri possit. Verum est quod aliqui actum interrumpunt, idque quamvis malitiose illum incoeperint; sed per hoc Confessarii obligari nequeunt ut omnibus et singulis, qui se tetigisse confitentur, circa hanc ipsam interruptionem in confessionibus ordinariis interrogationem superaddant. Vide Frassinetti Diss. XI. n. 14. — Sed veniamus ad alia.

273. Pollutio, quae procuratur sive propriis manibus, sive concumbendo super obiectum inanimatum, sive utendo aliquo

« venereis extra matrimonium inventis sequeretur, affirmari potest? Minime « sane. Qui enim prae fragilitate, prout fit, in miserias libidinis venereae la-« buntur, nedum matrimonium inde fastidiant, illud passim vividius exoptant... « Ipsaemet voluptates quibus inhiant, eos ad matrimonium vehementer alliciunt, « cum copula coniugalis illas facilius, plenius et ad votum naturae suppeditet. « Haec praxi quotidiana constant ».

instrumento, sive simpliciter proprio corpori impulsum dando, sive ex industria et in hunc finem de rebus venereis cogitando, est semper eiusdem speciei. — Nihilominus differentia specifica adesset, si in eo actu, v. g., vir foeminam desideraret, et multo magis si particularem personam (quae posset esse coniugata, consanguinea, Deo dicata etc.) concupisceret. — Advertant tamen Confessarii quod desideria ista faciliter accidunt quidem in adultis; non vero in adolescentibus, qui ideo hac de re, speciatim explicite, interrogari non debent; ne in hanc malitiam coniiciantur. Dixi *speciatim explicite*; quando enim, v. g., ad decimum-quintum annum pervenerunt, bene erit si in genere interrogentur, an aliquam cogitationem pravam tunc in mente habuerint?

274. Pollutio non raro etiam tactibus alienis procuratur. Casus magis practici sunt 1° quando quis se polluit manu alterius personae eiusdem sexus; 2° quando idem facit manu personae diversi sexus (sive sui compotis sive non); 3° quando quis pollutionem directe in se procurat, tangendo aliam personam (pariter eiusdem vel diversi sexus) aut genitalia brutorum; 3° quando (proh nefandum!) mulier lingua viri, et vir foeminae labiis se polluunt (hic tamen modus rarissime accidit); 4° quando foemina (horribile dictu sed non adeo rarum!) efficit ut canis sua lingua eam polluat. — Theologi pro certo habent quod pollutio tactibus propriis procurata, a pollutione, quae tactibus alterius personae *sui compotis* procuretur, specie differat. Quoad alia non conveniunt. Sed, quidquid sit de hoc in theoria, in praxi certum est quod poenitentes, omnes supradictos modos distinguere solent; unde videtur quod (attenta hac communi Christifidelium conscientia) modi isti tamquam specie distincti considerari debeant; multo magis quia Theologi etiam magni nominis ita sentiunt. Vide Salm. (c. 7. n. 9); Sporer (n. 637); S. Lig. (n. 474) et Diana (T. 1. Tr. 7. Res. 142).

275. Sicut seipsum, ita et aliam personam polluere mortale est. Hinc 1° qui sinit ut ab alio polluatur, et vicissim alium polluit, non unum sed duo peccata committit. 2° Medici pharmacum ad pollutionem procurandam directum (quamvis aegroti medela id forte exigeret) dare non possunt. Vide Diana (T. 8. tr. 6. Res. 15).

*De impudicitia et pollutione cui quis consentit.*

276. Saepe accidit quod motus venerei, quamvis non quae-

rantur, sponte sua insurgant: et tunc accidere potest quod homo delectatione seductus illis consentiat; quod quidem mortale nefas est.

277. Sed quomodo cognoscitur consensus?

Resp. Practice qui consentit aut manibus utitur aut saltem naturae aliquem impulsum praebet (Vide Sporer Theol. sacr. P. 4. n. 767). Si itaque poenitens fateatur se nihil huiusmodi fecisse; tunc bene de ipso praesumendum est. — Sed quid si poenitens dicat se naturae impulsum dedisse, aut manibus se usum fuisse? Tunc de consensu non est dubitandum; exceptis duobus casibus, qui sedulo a Confessariis prae oculis haberi debent. Primus casus impulsum, secundus manuum usum respicit.

Quoad impulsum itaque considerari debet, quod interdum vis naturae est tanta, ut motus non solum in partibus genitalibus sed etiam in toto corpore accidant et rem ad suum terminum perducant, quin voluntas ullo modo deliberate concurrat. Tunc itaque impulsus erit quidem physicus sed non deliberatus, illique motus erunt quidem in corpore, sed ex voluntatis imperio seu consensu minime provenient.

Quoad manuum usum, interdum accidere potest quod non propter delectationem, sed propter aliquam necessitatem (v. g., ad munditiem procurandam vel ad pruritum sedandum) partibus genitalibus manus applicentur; et tunc praeter intentionem pollutio accidat. Accidere etiam potest quod manus actu primo-primo et prorsus indeliberato illuc accedant; et, quamvis statim amoveantur, pollutio subsequatur. — Haec, repeto, prae oculis habeant Confessarii, ne illos pios poenitentes, qui ex una parte, sive ex seminis abundantia sive ex fibrarum relaxatione sive ex quibusdam aliis morbis, huic miseriae assidue subiiciuntur, et ex alia parte sensum cum consensu confundunt; de peccato mortali indistinctim damnent et in desperationem coniiciant. — In praxi, ad distinguendum an aliquis ex his poenitentibus de culpa incusandus sit necne, prodest eum sic interrogare: Cognovistine te male facere; et nihilominus erasne sic dispositus ut in corde tuo quasi diceres: quamvis hoc sit malum, illud facere volo? Huic interrogationi poenitens, respondere potest affirmative, aut negative, aut sub dubio. In primo casu iudicandum erit adfuisse consensum; in secundo non; in tertio conscientiam poenitentis fuisse obnubilatam et confusam, ita ut peccatum mortale minime adfuerit.

278. Magnam anxietatem interdum ostendunt piae foeminae dicentes: = mihi videtur quod libentius cum viris quam cum

foeminis immorer: et quod libentius apud meum ordinarium confessarium quam apud alium confessionem faciam =. Item pii Sacerdotes interdum dicunt in confessione: = mihi videtur quod libentius mulierum quam virorum confessiones audiam, et quod quasdam materias libentius audiam aut legam quam alias =. Credendum ne est quod isti sic affecti delectationibus carnalibus consentiant?

Resp. Si personae istae carnalibus delectationibus consentire in aliis occasionibus non consuescant, et si ex necessitate vel convenientia et cum debita discretione praedictis actionibus incumbant; si demum fateantur quod a motibus carnalibus (si forte insurgant) abhorrere nituntur; tunc nullum adesse consensum decidendum erit. Rectissime scripsit cl. Ballerini (n. 173. 2°. not. a): « Quod quis propensius versetur etc..., id non « deliberatae delectationis indicium est, sed humanae infirmi- « tatis: et licet reiiciatur delectatio, qua appetitus inferior « sollicitatur, hoc non impedit quominus infirma natura ad « eiusmodi magis quam ad alias materias versandas inclinetur »: et notat quod haec infirmae naturae inclinatio in iis, qui proprias passiones sub fraeno tenere solent, vividior esse consuescit.

### *De impudicitia cui quis non sufficienter resistit.*

279. Si motus sensuales sint parvi momenti (videlicet nec intensi nec diuturni); tunc de iis non est curandum, et melius erit eos contemnere, ut recte dixit S. Alph. (L. 5. n. 8). Ratio est quia ex una parte motus carnales, imo et ipsa pollutio, (quando voluntas in iis non implicatur) non sunt inordinationes adeo perniciosae, ut cavendum sit ne accidant eodem modo quo caveri deberet si ageretur, v. g., de homicidio (Vide Lessium L. 4. C. 3. d. 14. n. 101); et ex alia parte quando motus sunt leves, sollicitudo eos impediendi phantasiam excitaret, et sic de facili illos non iam diminueret sed augeret. (Vide Croix L. 5. n. 111).

Si vero motus carnales essent vehementes aut diuturni, tunc periculum grave consensus, quod in tali casu vix aberit, omnino clamaret ut homo sollicitudinem adhibeat, congruis praesidiis sibi consulat, et resistentiam apponat.

280. Sedulo notari debet quod haec resistentia est duplex, nempe interna et externa. Interna consistit praecipue 1° in removendis pravis cogitationibus, si forte adsint, et in applicanda

mente ad alia ; 2° in petendo divinum auxilium ; 3° in concipiendo abominationem et horrorem, cogitando nempe quod de turpitudine brutali et de magno periculo peccandi mortaliter res est. — Resistentia autem externa consisteret v. g. in mutatione loci, in faciendo vim contra naturam, in verberatione corporis etc. Hac distinctione praemissa,

Dicendum est 1° quod ( supposito periculo gravi consensus ) resistentia interna est adeo necessaria, ut eam omittere mortalis culpa sit. Si autem tepide adhibeatur. tunc peccatum erit mortale vel veniale pro ratione periculi. Si tamen tentatio diu duraret, quovis momento actus contrarios elicere necessarium non esset, ut bene observat Croix ( n. 110).

Dicendum est 2° quod resistentia externa seu physica ordinarie sub obligatione minime cadit. Ratio est quia ex una parte resistentia interna ut plurimùm sufficit ut periculi gravitas destruatur ; et ex alia parte resistentia externa ordinarie inutilis esset ; quando enim motus, ex seminis abundantia vel ex semine iam e lumbis deciso, sunt vehementes; si forte reprimantur, post breve tempus iterum atque iterum insurgere solent, donec tandem natura satisfactionem habeat. Sic periculum, quod sub uno respectu diminueretur, sub alio ( nempe propter maiorem tentationis diuturnitatem ) adaugeretur. Adde quod obligatio huiusmodi infinitis scrupulis ianuam aperiret ( Vide Sporer n. 656, et Voit n. 749 ).

Dixi *ordinarie ;* si enim contingeret quod poenitenti aliqua physica satisque tolerabilis resistentia vere utilis, omnibus perpensis, iudicanda esset ( et talis est non raro mutatio loci, si pro una vel altera vice in gravioris commotionis initio fiat ) : tunc resistentia huiusmodi ad minus erit valde consulenda. Imo si non solum utilis, sed etiam ad evitandum periculum consensus necessaria videatur, tunc sub vera obligatione cadere poterit. Vide S. Lig. ( L. 3. n. 439 ).

*De impudicitia, cui quis aliquâ suâ actione ex alio fine factâ occasionem praebet, sine periculo consensus.*

281. Quantum oportet ut impudicitia directe intenta severissime interdicatur, tantundem necessarium est ut quoad impudicitiam ipsam praeter intentionem contingentem mitius procedatur ; secus enim, quum ex plurimis actionibus necessariis, utilibus, honestis aut leviter inhonestis, motus carnales vel pollutiones oriri possint, lex divina nimis dura et via salutis nimis im-

pervia evaderet. Adde quod in huiusmodi impudicitia indirecta voluntas non implicatur, et sic deformitas est valde minor. Adhuc tamen remanent casus, qui ex una parte magnam deformitatem praeseferre pergunt, et ex alia de facili evitari possunt; unde in casibus huiusmodi peccatum mortale adhuc remanet.

282. Ex his principiis sequentes regulae deduci debent.

Regula I[a]: *Si actio sit honesta et omnino irreprehensibilis, tunc pollutio ex ipsa proveniens, quamvis praevisa, nullum peccatum est.* Exempla habemus 1° in medicis et in chirurgis qui foeminis medentur; 2° in confessariis qui in proprio ministerio turpissima audire coguntur; 3° in studio anathomiae, obstetriciae, et picturae: item in studio circa sextum praeceptum et usum matrimonii; 4° in iis quibus cura incumbit inserviendi sive infirmis sive in balneis; 5° in visione minime curiosa concubitus animalium quoad pastores aut illos qui equos vel tauros coniungunt; 6° in colloquiis moderatis et cautis cum personis diversi sexus ex necessitate vel urbanitate vel sine ulla malitia; 7° in osculo, vel amplexu, vel manus apprehensione ex more patrio; 8° in choreis aut aliis iocis honestis ex convenienti recreatione habitis; 9° in equitatione; 10° in illis qui pollutionem patiuntur, eo quod ex sincero motivo commodius quiescendi supini vel proni decumbant, et tanto magis si secus dormire nequirent; 11° in illis qui propter convenientem (quamvis lautam) coenam in somno polluuntur; 12° in actionibus quae ob proprii corporis necessitates peraguntur, v. g., ad munditiem procurandam; vel ad molestum pruritum, ex sanguinis acrimonia provenientem, extinguendum; 13° in illis qui tantam sensibilitatem habent, ut in fere omnibus actionibus per se indifferentibus motuum carnalium aut pollutionis occasionem inveniant. — Haec regula est iuxta doctrinam S. Ligorii, qui (n. 483) scripsit: « Si actiones (etiam graviter influentes) « ponantur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti ani- « mae aut corpori; tunc pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc « praevisae, non sunt peccata, dummodo absit consensus, vel « eius periculum (intellige *grave*) ».

Regula II[a]: *Si actio sit inhonesta, et quidem ita ut sit graviter libidinosa, et in subiecto graviter influat; tunc pollutio subsequens, quamvis non intenta, ad mortalem culpam imputatur.* Exemplum habes in iis qui polluuntur, v. g., dum ex mera curiositate personam nudam diversi sexus coitumve humanum inspiciunt; aut dum puellam ad vanam amoris ostensionem mo-

rose deosculantur, amplectuntur, eiusve manum iugiter constringunt; aut dum ex mero solatio turpissima loquuntur, de turpissimis sermonem protrahunt, turpissimas imaginationes in mente volutant etc. — Ita sentiunt Theologi omnes.

Regula III$^{a}$: *Si actio sit quidem de sui natura graviter inhonesta, sed nihilominus leviter influat; tunc pollutio, quae forte interdum sequatur, ad culpam mortalem minime imputabitur.* Hic casus contingere potest 1° ex speciali alicuius temperamento, et maxime in frigidis et senibus; prout docent Salmanticenses (tr. 26. c. 7. n. 41). 2° Si quis deliberate quidem sed fugaciter et brevissime fornicationem desideret aut foeminam tangat; unde pollutio potius ex fortuita naturae dispositione quam ex his causis provenire videatur; prout docent Sporer (n. 454) et Sanchez (l. c. n. 20). Ratione tamen pravi desiderii peccatum mortale adesset, ut per se patet.

Regula IV$^{a}$: *Si actio sit quidem inhonesta, sed leviter; tunc etiam pollutio subsequens ad mortalem culpam non imputabitur; nisi tamen de re frequenti agatur.* Exemplum habes 1° in lectione de rebus eroticis; 2° in aspectu curioso leviter turpi; 3° in verbis affectuosis et amatoriis; 4° in colloquio nimis protracto cum persona sympatica sive diversi sive eiusdem sexus; 5° in osculo aut tactu superficiali cum persona diversi sexus ex levitate aut ad vanam ostensionem amoris; 6° in nimia osculorum vel aliarum blanditiarum repetitione cum puero aut cum persona eiusdem sexus; 7° in puella quae propria ubera ex levitate vel curiositate contrectet; 8° in foemina quae ex quadam timiditate manum non retrahat a viro, qui paullo morosius manum ipsam costringit.

Porro si casus isti raro accidant, aut si ex ipsis saepe contingentibus pollutio raro sequatur; tunc censeo cum sententia communi quod pollutio ipsa venialis erit. Vide Diana (V. 1. Tr. 4. R. 37). Sed si hi casus saepe repetantur aut valde continuentur, et si pollutiones aut motus venerei vehementes locum habeant frequenter; tunc (cum S. Lig. n. 484) peccatum mortale adesse existimo; magna enim deformitas tunc apparet, maxime si hae pollutiones non in somno sed in vigilia accidant; in vigilia enim pollutio valde magis mentem turbat atque ad malum allicit. Vide etiam Sanchez (De Matr. L. 9. D. 45. n. 21), Lessium (L. 4. C. 3. n. 100), et Salm. (c. 3. n. 22), qui hac de causa colloquia nimis frequentia nimisque protracta Religiosorum cum foeminis spiritualibus, facile mortalia esse iure decernunt. Oportet tamen ut de re non obvia sed faciliter evitabili res sit.

Regula V$^{a}$: *Si actio sit graviter inhonesta, sed non in genere luxuriae, tunc pariter pollutio subsequens non erit mortalis.* Exemplum habes in pollutione quae, ex praecedenti ebrietate vel gravi intemperantia aut ex esu carnium die vetito, in somno accidat. S. Lig. (n. 484. *Infertur* 2°).

283. Summatim autem dici potest quod pollutio praeter intentionem subsecuta ad peccatum mortale imputatur ex duplici capite, nempe 1° ex gravi indecentia causae luxuriosae coniuncta cum gravi influxu, deficiente necessitate; 2° ex frequentia pollutionis quae a causa faciliter evitabili oriatur, et non in somno sed in vigilia accidat: dummodo causa ipsa inhonestate aliqua redoleat. — Ab his autem duobus casibus praescindendo, pollutio (secluso periculo consensus) leve peccatum erit; imo nullum omnino, si eius causa ex necessitate vel ex rationabili motivo ponatur. Sed quid si grave consensus periculum adsit? Ex iis quae mox dicam responsio patebit.

### *De impudicitia cui quis occasionem praebet cum periculo consensus.*

284. Quando occasio, quae pollutioni occasionem praebet, attenta sive gravi ipsius inhonestate sive frequentia pollutionum, etiam independenter a periculo consensus, peccatum mortale sit, a fortiori peccatum mortale erit si huc periculum superaddatur.

Difficultas itaque reducitur ad casus, in quibus occasio *per se* 1° aut sit licita et necessaria; 2° aut sit licita sed non necessaria; 3° aut sit leviter illicita.

285. Si sit licita et necessaria (prout in medicis, in chirurgis, in confessariis, in satisfacientibus necessitatibus corporalibus, atque in illis qui ex fere omnibus levissimis et per se innocuis causis polluuntur); tunc extenuari quidem debebit periculum consensus aliis mediis; sed vix unquam occasionem ipsam evitandi obligatio aderit.

286. Si sit licita sed non necessaria (prout contingere potest in equitatione ex solatio, in choreis, in iocis, in osculandis pueris etc.); tunc videndum an periculum aliis mediis, et maxime petitione divini auxilii, destrui queat; et, quatenus negative, occasio evitari debebit.

287. Si demum sit leviter illicita (prout contingere potest in lectionibus eroticis, in colloquiis affectuosis etc.); tunc, quum Dei auxilium male sperari possit, supposita periculi gravitate, occasio sub gravi evitanda erit.

288. Aliqui Theologi dicunt periculum grave consensus adesse posse in pollutione quae in vigilia, non vero in ea quae in somno contingit (vide Croix L. 1. p. 1. n. 931); idque verum est si totaliter in somno consummetur; non autem si in somno incipiat et in vigilia perficiatur.

### CASUS VII.

*De complacentia, desiderio, voluntate et gaudio rerum venerearum in personis solutis.*

289. Cogitans de re venerea (v. g., de pollutione, de copula etc.), si intra se dicat aut quasi dicat *haec res mihi placet*, tunc habet complacentiam; si illam exoptet, tunc habet desiderium; si illam de facto procurare velit, tunc habet voluntatem; si demum de illa iam facta gaudeat, tunc habet gaudium.

Quoad complacentiam, desiderium, voluntatem et gaudium, sequentia notari debent.

I. Voluntas deliberata aliquid mali committendi totam actionis intentae malitiam necessario includit. Idem dicendum est de complacentia, desiderio et gaudio, si sint absoluta, ut dixi supra (n. 34); sed haec possunt esse conditionata, v. g., *mihi placeret peccare cum Olympia, idque desiderarem, si non esset coniugata; ab adulterio enim abhorreo;* vel *gauderem de peccato commisso cum Bertha, si non esset monialis; quod enim tantum sacrilegium commiserim mihi displicet.* Et in his casibus conditio apposita partem malitiae excludit, ut per se patet. Lugo (De Poen. D. 16. n. 384).

II. Conditiones appositae in desiderio (et idem dic de complacentia et gaudio) interdum omnem malitiam *a parte obiecti* excludere possunt; et sic efficere ut desiderium ipsum pro obiecto rem licitam habeat; ut puta, si quis diceret: = Si non essem coniugatus, Liviam ducerem =.

III. Sed, ut desiderium a gravi culpa immune sit, non sufficit ut pro obiecto rem licitam habeat; verum etiam exigitur ut nullum malum praesens sub gravi evitandum producat. Id facile est in aliis materiis, ut puta, si Sacerdos diceret: = Si non essem clericus, heu quantum mihi placeret militiam exercere et contra Ecclesiae inimicos iusto praelio dimicare! = Sed in materia, de qua agimus, non est ita. Desideria, ut ut copulam matrimonialem respicerent, magnum malum praesens, magnas nempe commotiones magnumque periculum his ipsis consentien-

di, producere solent; et sic ex hoc capite, ut plurimum, valde illicita evadunt; unde Caietanus (v. *Cogitationis peccata*) merito dicit has esse tentationes fatuas et diabolicas. Dixi *ut plurimum*; dari enim possunt casus, in quibus neque a parte obiecti neque a parte periculi praesentis grave malum adsit. Hinc iuvenis qui futuram in matrimonio copulam desideret, aut viduus qui de copula olim habita gaudeat; si leviter, obiter et raro, absque fine malo haec in mente habeant, a gravi culpa de facili excusari poterunt; secus vero si frequenter, aut reflexe et morose (prout in praxi contingit) de his recogitent, et non copulam in confuso sed delectationem ex copula provenientem cum mora considerent. Haec omnia sunt iuxta doctrinam Card. De-Lugo (l. c.).

290. Petes I° An liceat optare circumstantias, in quibus delectationes carnales sentiantur absque culpa; quod nempe suscitentur sive naturaliter sive ex causis quas declinare non tenemur?

Resp. Negandum est omnino. Delectationibus enim carnalibus (quae matrimonii bonis minime compensantur) consentire, tamquam quid indignissimum, mortale peccatum est. Hic autem consensus, et quidem anticipatus, adesset. Adde periculum; qui enim sic faceret, quando de facto delectationes optatae suborientur, quomodo a consensu abstinebit? Ita Lugo (l. c. n. 389), Sanchez, (Dec. L. 1. C. 2 n. 18), Diana (V. 8. Tr. 6. R. 16 et 17) etc.

Interdum tamen personae devotae de hoc se accusant, et reatum huiusmodi non contraxerunt, quia sensum cum consensu confundunt, et meram naturae corruptae inclinationem (magno caeteroquin Dei timore refraenatam) patefacere intendunt; sicut accidit in illis qui dicunt: = Si Dei timor me non refraenaret, heu quot mala committerem! =.

Petes II° An liceat optare ut non delectatio sed pollutio accidat? Item an liceat de illa iam secuta gaudere?

Resp. Si agatur de pollutione formaliter culpabili; tunc certe desiderium et gaudium ipsius illicitum est. Gaudere quidem possumus de bono effectu, qui forte ex aliquo peccato (etiam nostro) ortus fuerit; sicut gaudere possumus quod Deus propter suam infinitam bonitatem ex ipso malo bonum eruat; sed gaudere de ipso peccato propter bonum effectum, nullo modo licet. Certissimum est enim quod de peccatis a nobis commissis poenitere debemus; sed gaudium cum poenitentia quomodo stare potest?

Si autem agatur de pollutione, quae sine culpa et materialiter eventura sit aut evenerit; tunc, quum desiderium et gaudium nec Dei offensam nec foedam delectationem pro obiecto habeant, deformitas et periculum quam maxime diminuuntur; unde, si huiusmodi desiderium et gaudium, intuitu notabilis boni effectus (eo quod, v. g., pollutio sive ad morbum impediendum, sive ad magnam tentationem sedandam necessaria sit, concipiantur, a gravi et interdum etiam a levi culpa excusari possunt. Porro Theologi hoc in puncto mitissime loquuntur. De pollutione mere naturali scripsit S. Lig. (L. 5. n. 20): « Cum « illa non sit obiective mala, licet sibi complacere, non quidem « de delectatione ex ea causata, sed de exoneratione ob illam « obtenta ». — Sanchez (Dec. L. 1. C. 2. n. 19) id extendit etiam ad pollutionem provenientem « ex accidenti, ex aliqua « causa habente alium effectum, quam non tenetur homo vitare « ratione pollutionis subsequendae, licet inde illam subsequi « novit », prout contingeret si ex coena moderata, ex studio utili etc. subsequeretur. — Cl. Ballerini ulterius progreditur et (n. 172. not. 6) censet, quod iuxta D. Thomam liceat gaudere de pollutione in somno obventa, quamvis non mere naturaliter, sed ex turpi somnio, motibus et tactibus somnium ipsum consequentibus acciderit. — Demum Card. De-Lugo (De Poen. D. 16. n. 389) eo usque processit ut dixerit: « Potes ad « finem sanitatis gaudere de illa in somno habita; imo et de « illa procurata absque culpa propter ignorantiam invincibilem »; firmâ tamen manente doctrinâ, quod « non liceat delectari de « pollutione propter voluptatem quam attulit ». Unusquisque tamen videt, cavendum esse ne huiusmodi desideria et gaudia sint adeo intensa ut grave et omnino evitandum periculum inducant.

## § II.

### *De actibus qui ad luxuriam quidem spectant, sed non essentialiter.* *

#### CASUS I.

*De tactibus impudicis aut minus pudicis.*

291. Hi tactus contingere possunt sine necessitate vel cum necessitate 1° in proprio corpore : 2° cum persona diversi sexus : 3° cum persona eiusdem sexus ; 4° cum bruto ; 5° in foemina quae non tangit, sed tactum patitur.

*De tactibus in corpore proprio sine necessitate.*

292. Qui se tangit *in pudendis* sine necessitate, ordinarie id facit ex malitia, nempe ad pollutionem procurandam vel delectationem veneream sentiendam ; et hoc est peccatum mortale, de quo satis dictum est supra.

Hac autem malitia seclusa, si nempe quis natura frigidus ex quadam consuetudine sine ullo delectationis sensu circa partes illas, quando iacet in lecto, manum teneret ; aut si quis, ex mero ioco, levitate aut curiositate minime libidinosa, manum illuc admoveret ; tunc venialis quidem culpa, propter indecentiam, aderit ; non vero peccatum mortale ( Sanchez De Matr. L. 8. D. 46. n. 14 ). Excipe nisi, existente commotione, haec fierent, aut, v. g., ex mora, ex frequentia vel ex complexione valde libidinosa, commotionem ipsam ( et maxime si cum periculo consensus ) causarent. S. Lig. n. 419. — Cum pueris autem, quamvis delectationem nec quaerant nec sentiant, rigorose procedendum est ; et ipsi a consuetudinibus huiusce generis ( quae in posterum in mortalium peccatorum abyssum eos coniecturae essent ) quam maxime deterrendi sunt.

293. Quid de puellis propria ubera tangentibus ?

Resp. Hi tactus speciatim in adolescentia ex tribus causis dumtaxat provenire solent, nempe 1° ex curiositate ( hac enim partes ex pluribus diversi generis motivis puellarum curiosita-

* Lector reminiscatur differentiam quae inter actus praecedentes, et istos de quibus hic agitur, intercedit. Illos enim directe velle et facere sub gravi semper interdicitur ; istos vero velle et facere interdum grave, interdum leve, et interdum nullum peccatum est.

tem acuere solent); 2° ex vanitate, eo quod vanissimam illam appariscentiam desiderent; 3° ex quadam delectatione, quae tamen in ea aetate minime venerea esse solet, et in illis ipsis partibus sistit. Et quatenus ita sit, *per se* de veniali peccato dumtaxat res est. Interdum tamen adolescentulae ad quasdam indecentias in hoc ipso genere paullo maiores (ore nempe sive proprio sive pueri lactentis utendo) procedunt. Nihilominus hae quoque indecentiae a prima et tertia ex supradictis causis tantummodo oriri solent; et proinde *per se* ad peccatum mortale non pertingunt.

In virginibus autem adultis huiusmodi tactus raro accidunt: sed quando accidunt (intellige morose) multo magis periculosi, imo graviter malitiosi esse solent. Causae sunt duae 1° quia de facili imaginantur et desiderant viros, quasi illi essent praesentes eosdemque tactus facerent; 2° quia in ea aetate huiusmodi tactus morose peracti vi propria motus carnales excitare solent; unde ipsae in hunc pravissimum finem eos peragere possunt; maxime si sint de illis quae naturaliter ita sunt dispositae, ut, si hoc medio non uterentur, vix aut ne vix quidem commoverentur. Verissimum est id quod scripsit Clemens Alex. (Paedag. L. 1. C. 6. n 44): « Ex omnibus membris maximum ha« bent consensum ubera cum matrice ».

*De tactibus in corpore proprio cum necessitate*

294. Tactus, qui ex indeclinabili necessitate habentur, nempe ad infirmitatem curandam vel ad corporis sordes abstergendas (quae necessitas in foeminis post fluxum menstruum semper adest) omnino liciti sunt; et, si forte venerea delectatio suboriatur, ab illa quidem abhorrendum erit et expeditius procedendum; sed, ea non obstante, necessitati satisfieri poterit. — Idem dic de clysteriis uterinis iussu medici peragendis. Haec tamen, speciatim virginibus (quae etiam, nisi caute procedant, virginale signaculum rumpere possunt), valde periculosa esse solent; unde speciales cautelae necessariae sunt; maxime vero ut, quoad fieri potest, illae horae evitentur in quibus naturae commotio facilius accidit, prout ordinarie post prandium contingere consuescit.

295. Lotiones et balnea, quae non quidem ex indeclinabili necessitate sed ex fine honesto peraguntur, pariter licent; sed quoad ista, maxime si gravia pericula suboriantur, discretio haberi debet; et ad minus frequentia erit moderanda.

296. Quid de tactibus ad pruritum ex sanguinis acrimonia provenientem abigendum ?

Resp. Si nulla commotio carnalis suboriatur, qui illum sic abigunt nihil mali faciunt. Si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant : idque propter periculum, quod in posterum suboriri potest, maxime si agatur de puellis.

Si autem commotio carnalis suboriri soleat ; tunc casus magna prudentia dignus esse potest. Sciendum est quod aliquae foeminae, acrimoniam huiusmodi *interius* sentientes, eosdem pene faciunt actus quos facerent si se polluere vellent ; unde res eo devenit ut vehementi delectationi aperte consentiant, aut saltem maximis conscientiae turbationibus perpetuo subiiciantur. Si forte itaque confessarius intelligat quod de actu adeo periculoso res sit, illum impedire pro viribus curabit ; imo semper ac commotio carnalis adest, nedum de onere adhibendi abominationem admonebit, sed etiam operam dabit ut misera foemina potius aliis mediis pruritum extinguere satagat. — Sed qualia sunt media ista ? Hac in re medicum valde doctum consului, qui mihi sequentia dixit. Pruritus huiusmodi duas causas habere solet. Prima et communior est defectus munditiei. Secunda est inflammatio uteri, ex quo fluxus (medice *gonorrea*, vulgo *flores-albi*) procedit. In primo casu frequentes lotiones cum simplici aqua iuvabunt. In secundo autem remedia radicalia sunt 1° balnea ; 2° potio aquae ferruginosae *.

* Balnea (nempe usque ad medium corpus) tempore aestivo in aqua simplici et tepida, videlicet minime frigida. Aliquod lenimentum etiam ex balneis exiguis (ope panniculi aqua aceto tincta madefacti) haberi poterit.

Aqua ferruginosa vulgo *marziale, del Peio, civilina*. Hae duae ultimae sumi debent ter in die paullo ante commestiones in dose 33 gr. singulis vicibus. — Etiam pulvis ferreae bucella ter pariter in die sumpta bonum effectum habere solet.

Haec indicare volui quia ex una parte bonum spirituale non raro clamat ut huiusmodi morbo remedium apponatur ; et ex alia frequenter accidit quod virgines pudicae variis de causis medicum consulere nequeant. — Hae itaque notitiae prudentibus Confessariis utiles esse poterunt. Dixi *prudentibus ;* certe enim de praedicto fluxu inquisitiones facere non debent ; et quando intellexerunt munditiem servari et morbum nihilominus subsistere, iam de hac re agi satis intellexerunt.

Si demum praedicta remedia (v. g. per mensem adhibita) nihil prosint, tunc medicus necessarius est ; non ita tamen ut puella pudica visitationes (a quibus forte quam maxime abhorreat) acceptare teneatur, ut alias notavi.

### *De tactibus cum persona diversi sexus sine necessitate.*

297. In praxi distinctio magis necessaria est sequens; nempe si tactus sint morosi aut cum gravi malitia (videlicet sive ad sentiendam delectationem carnalem sive ad provocandam foeminam ad malum), tunc sunt mortales; si e contra leviter et obiter ex ioco fiant, tunc veniales supponi debent. Ratio est quia inordinatio gravis sive quoad finem sive quoad periculum et scandalum adest in primo casu; et ordinarie deest in secundo. Audiantur Theologi.

Gousset n. 636: « Tactus in partibus honestis (foeminae « ex levitate, ioco, curiositate non excedunt peccatum veniale. « si aliunde absit affectus libidinis. Hinc venialiter tantum pec- « cat vir, qui huiusmodi causa osculatur foeminam in facie. « aut faciem eius manu tangit, manum comprimit, digitos aut « brachia (*intellige obiter*) contorquet, et similia ». Idem dicunt Sanchez (De Matr. L. 9. D. 46. n. 15), Gury (n. 413) et alii.

Scavini (V. 1. n. 794): « Tactus uberum, foeminae prae- « sertim iam puberis, sunt mortales cum sunt pressi et morosi: « veniales vero, si fiant obiter, superficialiter sineque affectu « libidinoso ». Idem dicit Sporer (Theol. Sacr. p. 4. n. 686).

Salmanticenses (Tr. 26. C. 3. n. 49): « An tactus in veren- « dis sine iusta necessitate facti sint peccata mortalia, quando « habentur inter personas diversi sexus? Ad hoc respondetur « affirmative... Excipiunt tamen Sanchez, Filliuccius, Navar- « rus, Busembaum et alii communiter cum Diana, si dicti tactus « supra vestes habeantur, et fiant absque delectatione ex ioco « aut levitate animi ». Alii tamen, magnam huius actus indecentiam considerantes, illum, si sit deliberatum, a peccato mortali nunquam excusant. Vide Tamburini (Dec. de 6° C. 8. § 2. n. 4), Giribaldi (n. 81), Gousset (n. 637) etc. Certe in praxi doctrina ista ad minus coarctanda est ad illos nebulones, qui cum foeminis perfractae frontis leviter et obiter ex ioco rem istam cum exiguo hinc inde scrupulo faciunt; si enim de puella honesta ageretur, saltem ex scandalo aut ex gravi iniuria, actus huiusmodi a gravi peccato excusari nequiret. Facilius a culpa mortali excusari possunt ancillae quae, dum infantulos vestiunt vel spoliant, partes eorum pudendas interdum et obiter ex levitate tangunt, ut notat Scavini (n. 790); hic enim actus ex una parte sine libidine fieri solet, et ex alia nullum scandalum praebet.

*De tactibus cum persona diversi sexus ex necessitate, vel fine honesto.*

298. Practice hic casus contingit 1° in medicis, qui foeminas in partibus secretioribus curant: 2° in praedictis ancillis, quae pueros lavant; 3° in apprehensione manus ad modum salutationis ex more patrio, vel in choreis.

Quoad haec advertendum 1° ne hi tactus ultra necessitatis seu honestatis limites procedant: 2° si forte vehementes motus carnales excitarentur, tunc resistentia interna et maior cautela necessaria esset.

*De tactibus cum persona eiusdem sexus.*

299. Hic quoque fieri debet distinctio inter tactus sive graviter malitiosos sive morosos, et tactus minime morosos sine gravi malitia factos.

Notabilis tamen adest differentia, quatenus, quando agitur de personis eiusdem sexus, non statim ac aliqua mora deprehenditur, id sufficit ut mortale peccatum constituatur (sicut sufficeret si essent sexus diversi); indecentia enim, periculum secluso fine libidinoso et scandalum longe minora sunt.

Hinc a peccato mortali facilius excusabis cum Sanchez (l. c. n. 12) et Scavini (n. 790) pueros qui ex mero ioco in partibus pudendis se tangerent, et adhuc facilius tenerae aetatis puellas, quae ex mera curiositate aut levitate, etiam cum aliqua mora, se invicem in uberibus contrectarent. — Unusquisque tamen videt quod, speciatim si agatur de partibus pudendis, mora et pressio potest esse tanta; ut, secluso etiam fine libidinoso, peccatum mortale tum ex nimia indecentia, tum ex gravi pollutionis et consensus periculo, tum ex gravi scandalo (maxime si invicem amore aestuent) oriatur.

*De tactu cum bruto.*

300. Tangere et perfricare genitalia bruti certe est quaedam indecentia, quae ab aliqua culpa excusari nequit. Peccatum autem mortale nonnisi ex malitia vel periculo, in quod ipse tangens se coniicit, oriri potest. Hoc tamen grave periculum vix aberit, si tangens sit adultus, et tactus valde continuatus, maxime si animal non sit exiguum. Vide Tambur. (l. c. C. 8. § 2. n. 5); et Sporer (n. 697).

Quoad mulieres de tactu cum animali se accusantes adverti potest, quod non semper de magna malitia agitur; sciendum est enim quod foeminae in genitalibus morbo laborantes, interdum animalis lambitum sibi procurant, quia lambitum istum contra eundem morbum utilem esse audierunt.

*De foemina quae non tangit sed tactus patitur.*

301. Distinguendum est inter tactus graviter indecentes, leviter indecentes, et omnino decentes.

Si agatur de tactibus sive graviter sive leviter indecentibus, foeminae illos respuere debent; primos quidem sub gravi, secundos *per se* sub levi; et in hunc finem ad resistentiam ordinariam ipsisque connaturalem (verbis scilicet, manibus, corporisque agitatione utendo) certe tenentur; et quidem ita ut nec spe lucri nec timore damnorum tactus huiusmodi permittere queant, sed maiori qua possunt efficacia illos impedire debeant. Vide supra (n. 266, 244 in fin., et 282. Reg. IV. 8).

Si autem agatur de tactibus omnino decentibus, nempe externe honestis (quales essent, v. g., manus apprehensio ex more patrio, vel occasione choreae; tactus medici occasione infirmitatis etc.); tunc peti potest, ad quid teneatur foemina si ex modo tangendi paullo pressiori vel ex aliis indiciis viri malitiam plus vel minus aperte advertat? Respondent Theologi foeminam non habere obligationem hos tactus impediendi, nisi ex charitate si commode possit. Hinc ordinarie hos tactus impedire non tenetur 1° si de malitia viri non sit certa; redarguere enim et offendere eum qui forsan id nullo modo meretur, quid valde grave profecto est; 2° si foemina sit valde timida; unde virum de interna sua malitia reprehendere non audeat; 3° si casus accidat in praesentia aliorum, ita ut, quin virum ipsum coram adstantibus infamet, tactum impedire nequeat. Vide Filliuccium (n. 197), Bonacinam (p. 9. n. 10), Lessium (L. 4. c. 3. n. 64), Giribaldi etc.

CASUS II.

*De osculis, et amplexibus cum persona diversi sexus.*

302. Oscula (et idem dic de amplexibus) valde indecentia, nempe nimis morosa, nimis pressa, et nimis frequentia; et multo

magis si linguâ introductâ aut in partibus insolitis peragantur, sunt semper peccata mortalia; idque, sin minus ex fine, saltem ex periculo et ex scandalo.

Oscula omnino decentia (nisi ex pravo fine habeantur) sunt licita. Sed qualia sunt haec oscula decentia? Respondet S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4) esse illa quae habentur « propter consue-« tudinem patriae, vel propter aliquam necessitatem aut ratio-« nabilem causam ». Idque probat etiam S. Lig. (n. 417), et addit haec esse licita « etiamsi delectatio venerea suboriatur, modo « in eam non consentiatur ». Opportune tamen advertit Lessius n. 56), oscula huiusmodi decentia quidem esse posse in saecularibus, sed non quoad ecclesiasticos: « non enim decet viros « ecclesiasticos hoc modo testari amicitiam erga foeminas ».

Si demum oscula decentiae et convenientiae limites excedant quidem sed parum (et finis libidinosus minime adsit, eo quod, v. g., ex ioco vel levitate dentur); tunc venialis culpa locum habebit.

Quoad foeminam autem oscula permittentem applicari debent mox dicta n. 301.

303. Quaeritur, an in sponsis de futuro causa ostendendi specialem benevolentiam sit satis rationabilis, ut oscula, amplexus, manuumque constrictiones inter se habere possint?

Resp. Attento nimio periculo, practice negandum est ordinarie. Caeterum, si propter aliquam extraordinariam necessitatem sincerum amorem ostendendi in aliquo casu raro osculum detur aut reddatur, nullum peccatum adesset. Id porro admittitur a Theologis communiter. Vide etiam Roncaglia (De 6° c. 1. q. 6).

### CASUS III.

*De aspectibus impudicis aut minus pudicis.*

304. Quoad aspectus, peccatum mortale de regula ordinaria adest in duobus casibus, nempe 1° in aspectu concubitus humani: 2° in aspectu personae nudae diversi sexus, si nulla eam aspiciendi necessitas adsit. Gravis indecentia ut plurimum coniuncta cum gravi tum pollutionis tum consensus periculo efficit, ut ordinarie huiusmodi aspectus a peccato mortali excusari nequeat. Dixi *ordinarie;* si enim, v. g., vetula coniugata aspiciat puerum nudum, aut senex infantulam, aut puer propriam matrem, utique contingere potest quod nullum neque pollutionis neque

pravi consensus periculum adsit. Idem dic si quis in magna distantia aut obiter foeminam nudam aspiciat, maxime si haec sit vetula et deformis, aut si ille sit natura frigidus. — Pueri tamen et puellae sibi invicem verenda ostendentes ab his procacitatibus (quatenus ruinosissimae malitiae principium sunt) graviter deterreri debent. Vide Salmant. C. 3. n. 12.

305. Sed quid de viro aspiciente faciem foeminae pulchrae, aut etiam ubera nuda mulieris? Quid de muliere aspiciente pudenda viri turpiter commota, sed supra vestes? Quid de aspiciente personam nudam eiusdem sexus, aut proprium corpus nudum, aut concubitum animalium, aut picturas plus vel minus obscoenas, aut demum spectacula seducentia?

Resp. In his regula ordinaria assignari nequit. In praxi Confessarius observet 1° intentionem agentis, utrum scilicet propter necessitatem (in qua nihil mali), vel propter curiositatem, aut simplicem delectationem visus (in quibus culpa venialis), vel demum propter delectationem sensibiliter veneream (in qua mortalis culpa adest) res huiusmodi aspiciat. (Aliud tamen est aspicere propter delectationem, aliud vero cum delectatione, ut notat S. Lig. n. 416). Observet 2° gradum indecentiae non solum quoad obiectum, sed etiam quoad durationem; aliud enim est, v. g., casu, obiter, raro; aliud vero studiose, morose, et frequenter inspicere. Observet 3° gradum periculi sive turpis commotionis sive pravi consensus; aliqua enim multo maiorem faciunt impressionem iuvenibus quam senibus; virginibus quam coniugatis; extraneis quam domesticis. Observet 4° an scandalum interveniat, nec ne; aliud enim est, v. g., aliquam nuditatem inspicere fortuito; aliud autem foeminam ad huiusmodi provocare. Observet 5° commoditatem vel difficultatem ab aspectu abstinendi; si enim agatur de rebus quae saepe sub oculis habentur, difficultas aspectum evitandi culpam sin minus auferre saltem valde diminuere potest; secus enim anxietatibus et scrupulis aditus nimis aperiretur, et lex divina nimis dura evaderet. — Propter tot ergo circumstantiarum diversitates Confessarii prudentiae relinqui debet decernere utrum hic vel ille ex recensitis aspectibus sub gravi, an vero solum sub levi interdicendus sit.

306. Facio duas reflexiones.

I°. Aliud esse videre, aliud vero aspicere. Primum sine culpa est; secundum autem (si agatur de obiectis periculosis quorum inspectio commode evitari possit) culpae plus vel minus obnoxium erit.

II°. Aspectus lascivi probabiliter specie inter se non distin-

guuntur, nisi quatenus cum desiderio aut scandalo coniungantur; ratio est quia, quando agitur de meris aspectibus, praeter castitatem nulla alia virtus offenditur, neque tunc in laesione castitatis ulla differentia substantialis reperitur. Croix (L. 6. P. 2. n. 1030). S. Lig. (n. 421). D'Annibali (Summula V. 2. n. 73).

CASUS IV.

*De sermonibus impudicis.*

307. Sermones impudici reatum induunt 1° ex affectu expresso; 2° ex fine intento; 3° ex periculo quod in ipso loquente ingerant; 4° ex scandalo audientium; 5° ex alia malitia accidentaliter connexa. Singula breviter explico.

*Ex affectu expresso;* nempe si quis non ficte et ludiere, sed vere sensum gaudii et iactantiae de malo commisso aut desiderii de malo committendo exprimat. Iuvenis, v. g., gaudens narrat id quod fecit cum tali foemina; aut dicit: quam libenter facerem hoc vel illud etc.

*Ex fine intento;* nempe si quis foeminam vel socium ad malum expresse vel tacite provocet, aut ea intentione loquatur ut libido in se vel in audiente excitetur aut foveatur. Et haec intentio adesse potest quamvis sermones in se turpes non essent, sed solum affectuosi; imo quamvis de rebus bonis et spiritualibus ageretur.

*Ex periculo;* nempe si ipse loquens in periculum consentiendi turpibus delectationibus se coniicit; quod periculum eo maius est quo magis particularia describuntur, quo magis sermo in longum protrahitur, et demum quo maior simpathia inter colloquentes intercedit.

*Ex scandalo;* nempe si sermo tentationem efformet, et speciatim si haec tentatio sit adeo magna ut audientes difficillime resistere possint; maxime vero si pueri aut aliae personae innocentes in gravem malitiam coniiciantur.

*Ex alia malitia accidentaliter connexa.* Frequentissime immiscentur detractiones; narrando scilicet quod talis vel talis persona peccatum carnale commisit; quae narratio eo gravior est quo magis rem secretam aut calumniam sapiat, maxime vero si de lapsu personae ecclesiasticae sermo habeatur. Non raro etiam immiscentur haereses, dicendo, v. g., fornicationem esse licitam, vel non adesse infernum etc.

Haec sunt quinque capita, et in unoquoque ex his peccatum mortale et peccatum veniale adesse potest ; quatenus in affectu expresso, in fine intento, in periculo, in scandalo, et in detractione modo gravitas et modo levitas dumtaxat aderit. Vide Lessium ( L. 4. c. 3. n. 63 ), Voit ( n. 731 ), et Frassinetti ( n. 152 ).

Nunc dicendum est aliquid in particulari de sermonibus 1° virorum cum mulieribus ; 2° virorum cum aliis viris ; 3° foeminarum cum aliis foeminis ; 4° puerorum vel puellarum cum aliis pueris vel puellis.

308. *Sermones virorum cum mulieribus.* Quando vir in confessione dicit : = feci turpem sermonem mulieri =, vel = turpiter locutus sum cum mulieribus =, Confessarius fere certus esse poterit huiusmodi sermones tum ex affectibus expressis, tum ex fine intento, tum ex periculo et non raro etiam ex gravi scandalo atque ex aliis malitiis, mortaliter peccaminosos fuisse.

Si autem vir dicat : = facoctias protuli cum mulieribus =, tunc peccatum mortale facilius aberit ; imo certe pro peccato veniali habenda sunt verba ( uti aiunt ) volantia ex ioco prolata coram talibus foeminis quae non valde scandalizari possint.

309. *Sermones virorum cum aliis viris.* Si uxorati cum aliis uxoratis loquantur, tunc difficile peccatum mortale reperitur ; quamvis interdum, speciatim propter expressionem alicuius affectus turpis, adesse possit. Idem dic si, absentibus personis quae graviter scandalizari queant, viri ( dum simul laborant ) ex ioco aliqua turpia dictitent. Dixit S. Lig. ( n. 426 ), « dicteria « turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mu- « lionibus, non esse mortalia ». Si autem iuvenes cum aliis iuvenibus confidenter loquantur, tunc valde facilius peccatum mortale adesse solet ; quod certe non deerit in pueris et adolescentulis, tum quando socios in malitiam coniiciunt aut ad malum provocant, tum quando malitiam ipsam ( si forte illam adhuc parum cognoscant ) prava conversatione addiscunt ; tum denique quando ( licet omnes malitiosi sint ) de turpissimis loquuntur.

310. *Sermones foeminarum cum aliis foeminis.* Coniugatae cum aliis coniugatis loquentes ut plurimum peccatum veniale non excedunt. Ut plurimum enim vel de aliquo publico dicterio loquuntur ; vel una loquitur de modo agendi proprii mariti non ex fine valde pravo sed ex mera levitate vel curiositate, ut scilicet alia modum agendi sui mariti ei revelet. Sermones isti in foeminis innuptis essent mortales ; sed in coniugatis non de

facili tales sunt, tum quia periculum et scandalum est multo minus, tum quia commotiones carnales in personis coniugatis a proprio statu multo magis excusantur, ut suo loco videbimus. — Interdum tamen sive ex descriptione nimis minuta et ex consequenti periculo pollutionis, sive ex mixtione alicuius gravis detractionis, sive ex aliquo iniquo consilio (v. g. onanismi) etc. peccatum mortale intervenire potest. — Nihil dico de coniugata quae puellae innuptae huiusmodi confidentias faceret.

Foeminae innuptae iam matrimonio proximae cum aliis eiusdem aetatis foeminis loquentes, interdum quidem de meris levitatibus (v. g., de pulchritudine talis iuvenis, vel de aliqua levi scurrilitate audita, vel de osculo habito, vel de aliquo publico dicterio) verba faciunt; sed non raro turpissima sive a se audita, sive sibi obventa, sive a se perpetrata, descendendo ad particularia valde commoventia, narrant; vel graves detractiones de rebus secretis immiscent; vel circa verenda virorum et circa coitus delectationem sermonem protrahunt; vel turpia desideria exprimunt; vel simpliciores in malitiam coniiciunt; vel socias ad malum provocant. Istarum itaque puellarum sermones, quamvis veniales esse possint, tamen valde facile est quod etiam mortales sint.

311. *Sermones puellarum cum aliis puellis tenerioris aetatis.* Quando hae puellae dicunt, se turpia verba aut malos sermones protulisse, caute procedat Confessarius; interdum enim de peccatis levis momenti, et interdum de rebus valde periculosis et scandalosis agitur. — Per turpia verba ut plurimum intelligunt verba inurbana; per malos autem sermones de rebus diversissimis agi potest. Aliquando de rebus etiam turpissimis loquuntur, sed quin earum malitiam cognoscant; quia nempe res ipsas viderunt vel audierunt, et ex mera simplicitate de iis cum aliis sermones habent; de ipsis autem confitentur, quia eos esse sermones malos, et in confessione accusandos casu resciverunt. Interdum de rebus ipsis sine malitiae cognitione ex quadam curiositate, pueris et puellis innatâ, loquuntur; et explicationem expostulant. Porro id periculosissimum est, ut per se patet. — Speciatim in civitatibus et maxime dum multae puellae occasione scholae simul conversantur, imprimis sermonem habent de partu (occasione sumpta ut plurimum a propria matre quae dum peperit convenientes cautelas non adhibuit); saepissime autem (maxime intra duodecimum et decimum septimum annum) loquuntur de menstruis, et non raro de uberibus. Hi omnes sermones, si intra hos limites sisterent, gravitatem non prae-

seferrent ; sed, si inter puellas sic colloquentes aliqua (ut saepe accidit) socia malitiosior adsit ; tunc cuiuslibet malitiae origo sunt. — Sermones enim de uberibus, istorum mutuam ostensionem, mutuosque tactus, et hinc amissionem verecundiae, confidentiam magnam, delectationesque carnales producere solent; unde interdum miserae puellae ad tactus omnino obscoenos tandem divertunt. — Sermones de menstruis, pudendarum partium ostensioni, inspectioni et tactui saepe saepius aditum faciunt ; atque interdum hoc est principium ex quo se esse ad generationem aptas intelligunt ; et sic de facili in omnem malitiam proruunt. — Sermones denique de partu, praebent occasionem tum loquendi de praegnatione et de eius causa, tum fingendi partum ope ioci satis antiqui et communis, quo una puella parturientis, et alia obstetricis partes agit ; unde aspectus, tactus, et sermones, qui iterum cuiuslibet malitiae initium sunt.

Sed in praxi Confessarius difficiliter cognoscere potest an de sermonibus graviter vel leviter pravis agatur ; nec certe prudentia patitur quod Confessarius ipse puellas interroget an de hac an de illa re sermonem iniecerint. Ipse itaque dicere poterit : *de quibus rebus locuta es ?* Si levitates patefaciat, subiungat : *Ex his levitatibus processistine ad res magis malitiosas?* Si vero respondeat se locutam esse de tali vel tali re indecentissima, tunc, si illa sit aetatis valde tenerae, subiungere poterit : *Cognoscebasne, te valde male loqui,* vel: *quis tibi dixit hos sermones esse malos?* — Si autem puella interrogata de quibus rebus locuta sit sileat vel confusa remaneat, tunc si confessarius aliunde iam deprehenderit illam esse valde malitiosam, inquirere poterit an suam malitiam socias docuerit, vel an de rebus valde turpibus sive a se sive ab aliis factis sermonem cum aliis puellis in longum protraxerit? Si vero puellam ipsam minime esse malitiosam cognoscat ; tunc dicere debebit dumtaxat an sociae, cum quibus eos sermones fecit, valde malitiosae sint? Si affirmet, de peccato mortali adeo timendum erit ut fuga ab iisdem, per quantum fieri poterit, gravibus verbis indici debeat ; puella enim innocens, si cum valde malitiosis conversari pergat, cito innocentiae suae iacturam faciet. Si vero neget ; tunc Confessarius, consiliis et exhortationibus utens, mitius loqui poterit.

312. Quid de illis qui turpem sermonem (in quo peccatum mortale adest) audiunt ?

Resp. Si hunc sermonem quaerant, aut studiose provocent (prout faciunt interdum etiam mulieres), aut illum, quatenus

est turpis, gratum habeant: tunc certe eadem culpa, qua pravi colloquii auctor reus est, ipsi quoque rei erunt. Idem dic si sermoni ipsi valde participent. — Si autem ex mero respectu humano audiant, aut aliquod verbum immisceant; si ex eodem respectu humano aut ex modo lepido, quo aliquid narratur, subrideant; si ex mero solatio praesentes maneant, dum tamen optarent ut potius de rebus honestis sermo haberetur; tunc venialem dumtaxat culpam committunt, nisi a parte periculi, vel scandali, vel specialis obligationis sermonem impediendi (ut puta si ageretur de patrefamilias coram filiis) aliqua gravitas appareat. S. Lig. n. 426.

#### CASUS V.

*De lectionibus et comoediis impudicis.*

313. Lectio libri obscoeni *ex professo* iure naturae interdicitur sub gravi: et vix ulla exceptio in hoc fieri potest.

Quoad lectionem librorum romanticorum in praxi distingui debet inter lectionem assiduam seu frequentem, et fortuitam seu raram. Prima, speciatim quoad iuvenes, ut plurimum sub gravi interdici debet; secunda non item, saltem ordinarie.

Assistentia comoediis prorsus turpibus sub gravi evitanda est.

Si autem comoediae sint heroticae dumtaxat aut leviter turpes, tunc, secluso periculo speciali, causae satis ordinariae a quovis aut saltem a mortali culpa excusare poterunt. S. Lig. n. 427.

#### CASUS VI.

*De cogitationibus turpibus aut periculosis.*

314. Cogitatio turpis ut plurimum cum desiderio aut complacentia coniungitur; et de hoc casu iam egi supra (n. 289).

Sed interdum sola cogitationis delectatio locum habet; quando scilicet homo libenter quidem rei malae imaginationem in mente retinet, sed ipsam rem malam nec desiderat nec ullo modo approbat.

Si talis cogitatio ex necessitate et fine recto (v. g. causâ studii) in mente retineatur, tunc nihil mali aderit; et solum de obligatione discretionis et cautelae sermo esse poterit.

Si autem ex fine vano aut pravo retineatur; tunc ex ma-

iori vel minori finis pravitate, cogitationis ipsius indecentia, et gradu periculi, culpae quantitas dimetiri debebit. Aliud enim est, v. g., de peccato commisso a Titio cum Bertha cogitare breviter, superficialiter, et ex quadam otiositate, sine periculo commotionis et consensus; aliud vero copulam aliasque blanditias imaginari morose, singillatim, cum carnali commotione, cum periculo consensus, maxime vero ex intentione formali delectationem carnalem sentiendi.

In praxi, dicente poenitente se habuisse cogitationes turpes, Confessarius illum interrogabit an cognoverit se male agere et nihilominus cogitationes retinere voluerit? Et quatenus affirmative, an fuerint desideria? Et quatenus negative, an imaginationes valde turpes et morosae fuerint?

## PUNCTUM II.

### DE PECCATIS QUAE NON SOLUM CASTITATEM SED ALIAS QUOQUE VIRTUTES OFFENDUNT

Haec sunt adulterium, stuprum, raptus, (quae offendunt iustitiam); incestus (qui laedit pietatem seu reverentiam proprio sanguini debitam); denique sacrilegium (quod religionem violat). De singulis aliqua breviter.

#### *Adulterium.*

315. Adulterium est violatio proprii vel alieni thori; et contingit 1° dum persona soluta cum persona coniugata peccat; 2° dum coniugatus cum coniugata peccat. Et hoc secundum est adulterium duplex specie differens a primo.

Si forte maritus consentiat ut uxor cum alio viro peccet, huiusmodi consensus malitiam adulterii non tollit, neque efficit ut peccatum uxoris ad simplicem fornicationem reducatur; semper enim iniuria Sacramento bonisque coniugii et prolis infertur; idque patet etiam ex prop. 50 damn. ab Inn. XI. Censet tamen Lugo, adulterum in tali casu iniuriam marito praecise non irrogare, quia scienti et volenti non fit iniuria; et proinde adulterium, consentiente marito, ab adulterio ordinario specie differre (De Iust. et Iur. D. 8. n. 10).

Quamvis adulterium proprie consistat in copula; nihilominus tum desideria, tum etiam tactus matrimonium offendunt; unde tactus adulterini a tactibus fornicariis specie differunt. Sanchez (De Matr. 9. 46. 17).

Idem dic de quocumque peccato carnali a persona coniugata perpetrato ; ipsa enim, dum matrimonium contraxit, « interdixit « sibi usum corporis sui, nisi ad finem matrimonii », ut optime scripsit Lugo ( De Poen. D. 16. n. 387 ). Hinc pollutio coniugati a pollutione soluti specie differt, ut cum eodem Lugo etiam Salmant. ( c. 7. n. 100 ) notant.

In praxi tamen, quando agitur de simplicibus tactibus sive in proprio corpore sive etiam cum alia persona habitis, malitiam adulterii Christifideles generatim non percipiunt ; unde hoc in puncto interrogationes facere non oportet.

Coniugatus, qui aliam foeminam alloquitur, vel conspicit, vel imaginatur ( intellige turpiter ), in rigore, propter periculum eam desiderandi et se polluendi, non solum contra castitatem, sed etiam contra fidem suae uxori datam peccat. Dixi in rigore, quia rudes in hoc etiam casu ad hanc specificam differentiam attendere non videntur.

316. Quid si iuvenis aut puella post sponsalia cum tertia persona fornicetur ?

Resp. Haec fornicatio *per se* speciem non mutat, quia sponsalia obligant ad matrimonium et non ad aliud. Dixi *per se ;* si enim res sit de sponsa, et si fornicatio inducat grave periculum ne sponsus prolem alienam alere cogatur, tunc iustitiae laesio locum haberet. Considerandum est etiam periculum ne matrimonium exitum infelicissimum habiturum sit, si forte sponsae lapsus a marito postea resciatur ; quod quidem periculum, si sit grave, ex charitate tum erga se tum erga sponsum evitari debet.

### *Stuprum.*

317. Stuprum in sensu iuris canonici est *iniusta virginis defloratio ;* sed in sensu theologico et quatenus speciem distinctam constituit, est quodvis peccatum carnale commissum cum iniustitia contra personam cum qua peccatum ipsum perpetratur. D' Annibali V. 2. n. 73.

Hoc itaque sensu nihil refert an persona cum qua peccatum committitur sit puella, aut foemina adulta, aut mulier coniugata, aut vidua ; aut puer, aut adolescentulus, aut vir maturae aetatis. Exigitur dumtaxat ut iniustitia locum habeat.

Iniustitia consistit in modis iniustis, cuiusmodi sunt 1° Aperta vis ; 2° Metus cadens in puellam, aut foeminam, aut puerum, aut virum constantem ; 3° Metus reverentialis ; 4° Preces ita

importunae et diuturnae ut moralem violentiam constituant : 5° Fraus et dolus ( v. g., falsa matrimonii aut magnae dotis promissio ), nisi tamen persona seducta fraudem et dolum de facili percipere debuisset. — Iniustitia adest quoque si cum persona amente, ebria, vel dormiente peccatum committatur ; unusquisque enim ius habet ne tanta iniuria sine proprio consensu afficiatur, et censetur interpretative repugnare Idem dic si quis cum puella innocente ( quamvis adulta ), quae nesciat de qua re agatur, eius simplicitate abutendo, peccatum committat. Illa enim vendenti aut donanti gemmam pro vitro assimilari potest.

318. Petes an stuprum foeminae honestae a stupro mulieris malae famae specie differat?

Resp. Affirmative, si ex stupro gravia damna timeri debeant. Ratio est quia tunc foemina non solum in pudicitia sed etiam in honore aliisque bonis iniuste laeditur. Haec autem damna sunt praecipue 1° si gravida reddatur ; 2° si res evulgetur ; 3° si virginitatis amissio sequatur. Quamvis ageretur de sola ablatione virginitatis, stuprum miserae puellae ( maxime si esset honestioris conditionis ) immane damnum afferret ; pretiosissimo enim bono illam privaret, eamque quoad nuptias gravissimae difficultati aut saltem infelicitati exponeret.

### *Raptus.*

319. Raptus est iniusta abductio personae ex loco tuto ad locum non tutum ( in quo nempe sub potestate raptoris maneat ) ad finem libidinosum. Sic peccatum istud duas malitias continet, nempe 1° luxuriam in intentione, 2° iniustitiam in facto.

Iniustitia autem locum habet 1° si puella, seu quaelibet alia persona, sive vi, sive metu, sive mendaciis, sive insidiis, sive dolosis sollicitationibus, sive per eius ignorantiae et simplicitatis abusum abducatur ( Vide Gury V. 1. n. 427, et V. II. n. 857 ); 2° Si, quamvis ipsa sciens et volens consentiat, abducatur faciendo vim vel utendo fraude contra eos qui ius strictum eam custodiendi habent, quales sunt maritus, et ( si ipsa sit *minor* ) parentes, tutores et curatores. Idem dic si contra illos, qui nomine parentum aut tutorum etc. foeminam custodiunt, vis inferatur; 3° Si aliis, quorum potestati puella stricte non subest, v. g., eius fratribus nomine proprio agentibus, *ultra moderamen* violentia fiat ; aut si ipsi in hunc finem fraudibus circumveniantur.

Nulla autem iniustitia adest, si de mera seductione absque vi et dolo agatur, et puella, etiam minor, insciis quidem aut etiam contradicentibus parentibus cum amasio fugiat, sed illis vis non inferatur. Tunc enim non iustitia sed sola pietas, nempe reverentia vel obedientia parentibus debita, offenderetur. Porro sensus communis dictat quod inobedientiae filiorum (etiam adhuc minorum), seclusa vi et fraude, iniustitiae stricte dictae reatum minime continent; unde in casu amasius inobedientiae quidem sed non iniustitiae particeps esset. Vide Lugo (De Iust. D.1. n. 7).

Notari potest quod raptus de quo hic agitur, ab illo qui impedimentum matrimonii constituit, diversus est.

320. Notari potest demum quod non solum adulterium, stuprum et raptus sunt contra iustitiam, sed etiam *fornicatio simplex, quando quis morbo gallico occulte laborans cum persona de hoc non suspicante illam committit*; idem enim est ac si de merce occulto et valde noxio defectu vitiata agatur. Hinc bene ait Bossius quod dupliciter peccat qui laborans morbo gallico fornicationem committeret, et teneretur expensas compensare pro curatione alterius partis. Probabiliter tamen excusat meretrices (diplomate carentes), nisi ipsae requisitae fraudulenter suum morbum tegerent; cum viri ad istas personas accedentes bene de hoc dubitare debeant.

### *Incestus.*

321. Incestus est peccatum luxuriae inter personas cognatione sibi invicem coniunctas. — Haec cognatio a consanguinitate, ab affinitate, ab adoptione legali (usque ad omnes gradus in quibus Ecclesia matrimonium vetat), nec non a sponsalibus provenit; et sic latissime extenditur. Sed pro praxi notari debet quod malitia incestus, saltem quatenus est gravis, iure naturae valde restrictior est; et Christifideles illam gravem malitiam quae solum ab Ecclesiae legibus promanat, maxima ex parte ignorant; illamque proinde non contrahunt.

Loquendo itaque dumtaxat de casibus practicis, in quibus incestus malitia gravis passim apprehendi solet, sequentia noto.

I. Si poenitens dicat: rem habui cum persona propinquitate mihi coniuncta, interrogari debet utrum haec propinquitas sit stricta an vero lata. Si respondeat esse latam, non oportet interrogare nec circa gradum, nec an de consanguinitate vel affinitate agatur (S. Lig. De Poen. n. 469). — Si autem respondeat propinquitatem esse strictam, tunc Confessarius prudenter curabit

intelligere an agatur de primo gradu, et proinde an peccatum inter patrem et filiam, vel inter privignum (*figliastro*) et novercam (*matrigna*), vel inter socerum et nurum, vel inter fratrem et sororem, vel demum inter cognatum et cognatam, commissum fuerit. — Quod reapse hi casus a peccatis commissis in gradibus remotioribus (et forte etiam inter se) specie distinguantur, tum Theologi tum Christifideles passim existimant. Vide Lugo (De Poen. D. 16. n. 312. et seqq.).

II. Tactus obscoeni vel sodomitici malitiam incestus (si nempe cum consanguineis vel affinibus peragantur) induunt (S. Lig. De Sexto n. 469). Sed (ut n. 39 notavi) haec malitia saltem tamquam gravis, ultra primum gradum communiter apprehendi non videtur. Quoad consanguinitatem tamen apprehenditur, quidem tamquam specie distincta, etiam in secundo; unde in praxi, quamvis de solis tactibus agatur, interrogationes fieri debent ut supra.

*Sacrilegium.*

322. Sacrilegium (quatenus specialiter ad luxuriam pertinet) accidit quum aliqua obscoenitate sacra violantur. Contingere potest

1° *Circa personam sacram*; ut si quis, habens votum castitatis sive solemne sive etiam simplex, contra castitatem delinquat; vel si quis cum eo qui tale votum habet scienter peccet; aut illum ad peccandum tentet. Si autem duo votum habentes simul peccarent, duplici sacrilegio afficerentur. Quid de Sacerdote qui esset quoque Religiosus et se pollueret? Resp. Non duplex sed unicum sacrilegium committeret (S. Lig. n. 455); votum enim duplici vice emissum et solemnis consecratio duabus vicibus peracta duplex quidem vinculum efformant; sed idem obiectum idemque motivum habent, et proinde differentiam substantialem non inducunt. Vide dicta n. 129 et 130, ex quibus infertur quod qui cum moniali peccavit, si diceret ⁂ peccavi cum foemina votum castitatis habente ⁂, confessioni non satisfaceret. — Quaedam etiam sacrilegii personalis species ex cognationis spiritualis violatione oritur; unde D. Th. (2. 2. q. 154. a. 10) dixit: « Si aliquis abutatur persona coniuncta « sibi secundum spiritualem cognationem, committit sacrilegium « ad modum incestus ». In praxi hic casus contingit, v. g., quando patrinus sive in Baptismo sive in Confirmatione cum pueri matre carnale commercium habet. Notari potest quod sacrilegium istud in iure canonico incestus appellatur.

II. *Circa locum sacrum:* ut puta si quis in Ecclesia se polluat voluntarie (quamvis occulte), aut aliam personam turpiter tangat, aut sermones graviter obscoenos proferat. Tactus tamen, sermones et aspectus leviter impudici (quamvis ex interna malitia graves essent) et cogitationes obscoenae locum sacrum graviter non laedunt, et sic sacrilegia gravia non efformant. Gury n. 424. — Notari potest quod peccata turpia, quae sive in Sacristia, sive in turri (*campanile*), sive in atrio committantur, sacrilegia non sunt. Vide dicta n. 124.

III. *Circa rem sacram.* Sacrilegium contra rem sacram committeretur, v. g., si quis statim post Communionem, nec adhuc consumptis speciebus sacramentalibus, carnaliter peccaret; aut si Sacerdos sive in alicuius Sacramenti (v. g. Poenitentiae) administratione Christifidelem ad turpia sollicitaret; sive indutus ad Missam, vel Eucharistiam gestans se voluntarie polluere t; sive demum sacras functiones turpibus sermonibus aut gestibus obscoenis foedaret. Vide S. Lig. n. 463.

## PUNCTUM III.

### DE LICITIS ET ILLICITIS INTER CONIUGES

323. In hoc puncto 1° de sodomia; 2° de onanismo; 3° de delectationibus venereis; 4° de tactibus, osculis, amplexibus, nuditatibus, aspectibus, et sermonibus; 5° de copula (quatenus haec omnia propter statum coniugalem speciales exigunt reflexiones) agam *.

#### *De Sodomia inter coniuges.*

324. Sodomia accidit quando vir vas praeposterum uxoris penetrat, et naturalem copulam praetermittit; sive intra vas ipsum semen effundat, sive non. Et hac in re quoad virum a-

* Duo, maxime in hoc tractatu, notanda sunt;

1. Assertiones, quae hic invenientur, ad physiologiam pertinentes partim in Physiologorum operibus, partim in testimonio medici valde docti, quem consului, fundantur.

2. Citans Theologos, et maxime si verbum *Vide* praemittam, lector non existimet eosdem Theologos habere sententiam a me expositam adamussim et prorsus eandem quoad omnia particularia; bene vero sententiam ipsam ex eorum auctoritate plus vel minus confirmari posse.

ctive agentem, et quoad uxorem consentientem, nulla adesse potest controversia; de crimine enim horrendo contra naturam agitur.

Aliquod dubium suboriri potest quoad uxorem non quidem consentientem, sed ex metu passive se habentem. Veruntamen dicendum est omnino quod ipsa tenetur ad duo. Tenetur nempe 1° facere conatus, saltem per corporis agitationem, ut huiusmodi congressum impediat; idque non obstante metu contristandi maritum aut provocandi sive discordiam sive alia mala futura: solus enim metus gravissimi mali in flagranti impendentis passivitatem excusare posset, prout supra (agens de virgine violata) dixi. Tenetur 2° non consentire carnali delectationi in se ipsa tunc suborienti; nisi tamen, se agitando, id faciat ut virum ad naturalem copulam inducat; tunc enim de conatu ad copulam ageretur, in quo delectatio carnalis licita est.

*De Onanismo inter coniuges.*

325. Onanismus accidit duobus modis.

Primus est quando vir penetrat quidem vas naturale, sed statim ac seminis effusionem proximam esse advertit, se retrahit, et extra vas semen effundit.

Secundus est quando vir quodam panno (vulgo *gondolo*) utitur, ex quo fit ut semen non intra matricem sed intra eundem pannum remaneat. — Hic secundus modus non est rarus apud divites, sed rusticis et plebeiis (saltem in nostris locis) ignotus videtur.

326. Loquendo de primo modo, dicendum est quod vir certe peccat gravissime. Sed quid de uxore?

Ipsa debet 1° huic viri inordinationi non consentire, adeo ut parata sit illam efficaciter impedire si posset (Vide decisionem S. Poenitentiariae apud Gury de Matr. n. 927). Si tamen quamdam naturalem sentiat complacentiam, quia sic gravida non evadet multisque molestiis eximetur, haec complacentia peccatum non constitueret, dummodo propter Dei timorem parata sit onanismum, prouti potest, impedire, ut modo dicebam (Vide eundem Gury n. 923. not. *a* et Cas. V. 2. n. 1115).

Debet 2° admonere maritum ut actum perficiat. Ad hanc autem admonitionem tenetur magis vel minus iuxta spem fructus; atque etiam iuxta id quod prudentia permittit; prudentia enim necessaria est si maritus in bona fide versetur, ne a peccato materiali in peccatum formale absque ulla spe fructus coniicia-

tur; unde S. Poenitentiaria die 13 Novembris 1816 dixit: « Mo-
« neat tamen orator huiusmodi uxorem ut non cesset *prudenter*
« commonere virum suum, ut ab hac turpitudine desistat ». In quovis tamen casu ad aliquam repugnantiam patefaciendam, sin minus singulis vicibus saltem identidem, perpetuo tenebitur, ne plene acquiescens consentire incipiat. Gury (l. c. 3°). Cavere etiam debebit ne ipsa nimiis querimoniis circa partus dolores, circa prolem numerosiorem etc. marito ad sic agendum impulsum praebeat. Nihil autem dico de iis, quae aut viros suos ad onanismum directe provocant, aut virilis seminationis proximitatem advertentes se retrahunt.

Supponendo autem quod uxor onanismum non quaerat, sed illum ita detestetur ut meliori modo possibili impedire procuret; tunc, quum actus mariti in initio sit licitus, et quum ipsa sin minus in copula saltem in conatu ad copulam coniugalem versetur; iam non est cur actui ipsi (usque dum in fine non vitietur) et delectationi carnali exinde consurgenti (V. Gury Cas. V. 2 n. 1117) consentire nequeat, nisi in quantum viri peccatum ex charitate impedire deberet. Quum tamen charitas non obliget cum gravi incommodo, et quum sive ex denegatione sive ex abstinentia a petitione debiti periculum incontinentiae, discordiarum atque aliorum satis gravium malorum in praxi vix seiungi possit (neque enim opus est ut mala gravissima timeantur); ideo uxores, quae a parte sua recte se gerunt ut supra dixi, hoc in puncto tranquillae remanere possunt. Hinc quoad redditionem debiti S. Poenitentiaria (die cit.) dixit: « Probati
« castigatique theologi in hoc consentiunt, ut liceat uxori debi-
« tum reddere, si ex eius denegatione male habenda sit a viro
« suo et grave inde incommodum sibi timere possit; neque enim,
« aiunt, hoc in casu censetur uxor viri sui peccato formaliter
« cooperari, sed illud tantummodo ex iusta et rationabili causa
« permittere ». Et quoad debiti petitionem S. Lig. (L. 6. n. 947) dixit quod uxor « iustam causam habebit, si ipsa esset in pe-
« riculo incontinentiae, vel si deberet alias privari suo iure
« petendi plusquam semel vel iterum, cum perpetuo scrupulo
« an ei sit satis grave incommodum, vel ne, tunc se continere ». Vide etiam Gury (l. c.).

327. Haec omnia valent pro casu in quo onanismus primo modo exerceatur. Sed quid si secundo modo, ope scilicet praedicti panni, perpetretur?

R. In hoc casu censeo quod ab illo momento in quo vir cum eodem panno ingredi vult, uxor neque reddere neque delecta-

tioni carnali consentire, neque passive se habere potest; sed saltem se agitando manibusque utendo, huiusmodi congressui resistere debet. Ratio est quia hic agitur de actu iam ab initio totaliter illicito; cui proinde uxor, ad modum virginis violatae, resistere tenetur. Si tamen, dum nefandum instrumentum auferre nititur, ad copulam legitimam conatum facere intenderet; tunc delectationi carnali consentire posset.

328. Notari potest demum quod onanismus cum fortuita et necessaria copulae interruptione confundi non debet. Omnes enim admittunt, coniuges posse copulam interrumpere, v. g., ad evitandum scandalum (aliqua persona ex improviso superveniente); tunc enim copulam interrumpunt non iam ut semen extra effundant, sed ex alio motivo; unde illa seminis effusio praeter intentionem eveniens pollutioni involuntariae aequiparatur. S. Lig. n. 918.

*De delectationibus venereis inter coniuges.*

329. Delectatio venerea, nempe consensus in commotionem carnalem, inter solutos est grave peccatum, ut omnes norunt: sed inter coniuges non est ita. Ratio est quia coniuges, sive cogitando de copula carnali habita vel habenda, sive tantam consuetudinem, propinquitatem et confidentiam habendo, maxime vero propter tantam facilitatem procedendi ad verba tenera, blanditias, tactus etc., huiusmodi commotionibus sunt nimis expositi: unde, si deberent sub gravi cavere ne iisdem consentiant, tunc matrimonium in laqueum damnationis verteretur; et proinde talis lex subsistere non potest. Hinc Auctores gravissimi censent quod peccatum mortale quoad has delectationes ad casum gravis periculi pollutionis restringi debeat. Audiatur Sanchez (D. 44. n. 4): « Quamvis ex ea delectatione « consurgeret membri pudendi commotio et alteratio, absque « pollutionis periculo; non esset culpa lethalis consensus in il- « lam ». Et in substantia idem sensit S. Lig. (n. 937) inquiens: « Si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum « sed etiam cum titillatione, sentio eam non posse excusari a « mortali... ; secus vero puto dicendum si absit illa voluptuosa « titillatio, quia tunc non est delectationi proxime annexum « periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spirituum.... « cum commotione et alteratione partium ».

330. Sed quid de illis coniugibus, qui facillime et ex quavis levissima causa plus vel minus pollluntur? Quid e contra de

illis foeminis ( utique non paucis ) quae delectationem quidem sentiunt, sed nunquam polluuntur?

R. ad I. Quando coniuges polluuntur propter causas, quae ordinarie, seu quoad alios communiter, perfectam pollutionem producendi vim non habent, de gravi culpa incusari non possunt; viget enim eadem ratio, quod scilicet, si de peccato mortali incusari deberent toties quoties in aliquam delectationem veneream consentiunt ( quae in illis cum periculo alicuius pollutionis semper coniungitur ), tunc matrimonium in laqueum damnationis pro iis verteretur. Satis itaque est si pro iisdem peccatum mortale coarctetur ad illos casus, in quibus propter rei gravitatem et morositatem ex communiter contingentibus completa pollutio sequi solet.

R. ad II. Verissimum est quod plures imo multae foeminae ne in ipso quidem coitu pollutionem seu spermatis effusionem percipiunt, etiam si completam libidinis expletionem ( quam ipsae *sfogo* appellare solent ) in seipsis experiantur. Tunc autem haec ipsa expletio vel est pollutio vel saltem pro pollutione habetur. Scripsit S. Lig. ( L. 6. n. 1075 ) : « semper praesumi « seminationem mulieris quando ipsa... magnam senserit volu- « ptatem, etsi seminationem non adverterit ». Et apud Scavini ( v. 1. n. 778 ) legitur : « Pollutae cognoscuntur foeminae cum « etiam sine ulla effusione magnum plus minusve ratione com- « plexionis experiuntur sensum voluptatis, qua completa, sa- « tiantur ac quiescunt ».

### *De tactibus, osculis, amplexibus, nuditatibus, aspectibus et sermonibus inter coniuges.*

331. Tactus, oscula, amplexus etc., quae neque a parte viri, neque a parte uxoris coniunguntur cum periculo proximo completae pollutionis ( prout de facili accidere potest 1° si coniuges sint senes aut frigidi, 2° si tactus et oscula etc. non sint morosa), si iusta de causa ( nempe sive in signum amoris sive ad evitandum periculum incontinentiae ) exerceantur, quavis culpa vacant. Si autem ex mera voluptate fiant, non sunt quidem a peccato immunia ( sicut ne ipsa quidem copula ob solam voluptatem exercita a peccato immunis est ) ; sed culpam venialem non excedunt. Ratio est quia consensus in voluptatem veneream, secluso ( ut supra explicavi ) periculo pollutionis, in coniugibus de gravi culpa incusari nequit. S. Ligorius ( n. 933 ) scripsit : « An sint mortales tactus et aspectus turpes inter

« coniuges propter solam voluptatem sine ordine ad copulam « si non adsit periculum pollutionis?.... Negat sententia com- « munis et verior... Et hoc etiamsi copula tunc ipsis esset vetita « ob morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam quae su- « pervenisset ». — Aliqui censent esse mortale osculum in verendis *, et clamant ad *indecentiam horrendam, nefandam, turpissimam* etc. Sed, ut ait cl. Ballerini (n. 919) ubinam erit reperire decentiam in negotiis huiusce generis? Vide Sporer (n. 498) et apud ipsum Sanchez, Filliuccium aliosque magni nominis Theologos, qui osculum istud aut levem lambitum a regula generali excipi non debere iudicant. Alii censent excipiendum esse casum coniugis se ipsum tangentis; sed Sanchez, supponendo semper quod absit periculum pollutionis, aperte dixit (l. c. n. 15): « Probabilius mihi est, solum esse culpam « venialem ».

332. Si autem agatur de tactibus, osculis, amplexibus etc. coniunctis cum gravi periculo pollutionis, seu (ad rectius loquendum) si haec sint morosa, maxime si coniuges sint iuvenes: tunc statuendae sunt regulae sequentes.

I. Illi tactus, etiam omnino impudici, culpa vacant si ad copulam hic et nunc consummandam dirigantur, quibus enim licet finis, media quoque licere debent. Idque verum est quamvis pollutio per accidens copulam praeveniat. Uxor autem supponere debebit quod vir hac intentione tactus exigat, si sic excitatus ordinarie debito suo satisfaciat; secus vero si semper aut fere semper tactus usque ad pollutionem producat copulamque non habeat; et tunc uxor aut tactus respuere aut alios superaddere conatus debebit, ut vir copulam exequatur.

II. Si hi tactus ad solam delectationem carnalem dirigantur, sed cum intentione copulam habendi, si forte pollutio proxima evasura sit; tunc erunt veniales. In hoc tamen et in superiori casu, ut per se patet, necesse est ut coniuges eo in loco sint ubi congredi possint.

* Notandum quod uxores quando in confessione dicunt, virum voluisse osculum in verendis, prae nimio rubore occultare solent quod ipsae membrum virile propriis labiis usque ad pollutionem demulserunt; itemque permiserunt ut vir quid simile faceret; nempe ut ille suis labiis aut lingua eas in verendis pari morositate tangeret. Haec occultando, conscientiam remorsu iactatam remanent; unde Confessarius prudenter eas interrogare poterit dicendo: Agiturne de solo osculo, an vero de re peiori? Si mulier dicat quod agitur de re peiori; tunc Confessarius subdat: Agiturne de facto reciproco? Nec maior explicatio peti poterit.

III. Si coniuges copulam habere nequeant aut nolint; tunc 1° certe sunt mortales tactus morosi in verendis : et hi nec exerceri nec permitti possunt. 2° certe quavis culpa vacant alii tactus non eo usque impudici, si iustis de causis exerceantur aut permittantur. Sed quales causae satis iustae erunt? Resp. Prima est si uxor ad non contristandum maritum aliquid huiusmodi faciat aut permittat. Scripsit S. Lig. (n. 934) : « Pro- « babiliter dicunt, in reddente tactus etiam impudicos, nisi sint « tales ut videantur inchoata pollutio, esse licitos, quamvis « adsit periculum pollutionis in alterutro ». Secunda est si agatur de blanditiis turpitudine carentibus, quae ad mutuum conservandum amorem identidem exerceantur. Enimvero hae blanditiae non solum in reddente, sed etiam in petente, saltem si non ita saepe locum habeant, licitae sunt. Scripsit Sanchez l. c. n. 37) : « Amplexus inter sororem et fratrem foris ve- « nientes ad indicandum amorem, et ne austeri videantur, non « damnantur ob pollutionis praevisae periculum. Cur ergo inter « coniuges damnandi sunt? » Tertia est si specialis adsit necessitas signum amoris ostendendi, v. g., ut coniux avertat suspicionem ab altero quod ipse sit erga aliam personam propensus. Porro tunc blanditiae, etiam morosiores et cum magis gravi pollutionis periculo coniunctae, licitae esse possunt.

333. Ex hucusque dictis pro praxi deducenda est regula sequens. Quando poenitens se accusat vel in genere de indecentiis in usu matrimonii, vel in specie de tactibus, osculis, amplexibus, nuditatibus, aspectibus, et sermonibus; si agatur de actibus praeparatoriis ad copulam, vel si pollutio locum non habeat, vel si (pollutione subsistente) non iam de tactibus morosis in verendis res sit sed de aliis sive blanditiis sive tactibus ex causa satis excusante peractis; tunc Confessarius certus erit quod peccatum (saltem mortale) non adest; et quod proinde ad integritatem confessionis aliae interrogationes (quae ut plurimum noxiae esse solent) nullo modo necessariae sunt. Vide cl. Ballerini ad n. 919. 3° not. a.

*De copula coniugali.*

334. Hic agendum est de copula non quatenus est debita, sed quatenus ex aliqua circumstantia illicita seu vitiata evadere potest.

Quaeritur I. *Quid si vir coeat modo praepostero, non tamen sodomitice sed ad instar pecudum? Quid si vir sit succubus et*

*uxor incuba? Quid si coniuges sive a latere, sive stando, sive sedendo coeant?*

Resp. Omnes hi modi sunt innaturales, ut per se patet, sed non graviter; servatur enim debitum vas, et foecundatio (quamvis forte minus faciliter) sequi potest. Culpa igitur est venialis: et si coniuges ex causa rationabili ita coire adigantur, eo quod nempe modum naturalem servare sit illis impossibile aut incommodum, aut si censeant quod copula sic melius obtineatur aut minus noxia aut magis perfecta evadat, prout contingere potest, v. g., si vir a coitu sit alienus, aut si mulier sit gravida, aut si ipsa copulam sic magis appetat (porro situs a foemina magis appetitus aptior iudicatur. Croix L. 6. p. 3. n. 332); tunc nulla culpa adesset. Theologi excusant semper uxorem reddentem debitum viro praedictis modis illud exigentem; secus enim aut ipsa periculo incontinentiae exponeretur, aut vir ei minus benevolus evaderet. Addit Sanchez doctrinam istam valere etiam pro casu in quo aliqua seminis pars praeter intentionem extra effunderetur (L. 9. D. 16. n. 5). Imo hac in re nulla inquisitio necessaria est; maxime enim ex recentioribus physiologiae theoriis habemus quod ad foeminae foecundationem minima seminis pars sufficere potest, ut melius infra videbimus.

Sed quid si coniuges ita se gerant praecise ut foecundationem impediant? Distinguendum est. Si intendant illam impedire omnino, tunc graviter peccant; secus vero si illam minus facilem dumtaxat reddere intendant. Punctum istud est valde considerandum, et firmatur Sanchezii auctoritate, qui sic scripsit (l. c. n. 6): « Quamvis autem variato situ convenirent coniuges, « ne ita certa sit proles, crederem eos non esse lethalis culpae « reos. Quia non tenentur certiorem modum ad prolem concipiendam eligere, sicut minime tenentur uti mediis aliquibus « faciliori conceptioni deservientibus...., nec carendi prole desiderium est mortale. Quod si animus esset omnino impedire « foetum, licet concumbendo his modis minime impediatur, esset peccatum mortale contra naturam. Quia, cum actus inter- « nus et externus sint eiusdem malitiae, sicut impedire gene- « rationem est mortale contra naturam illius actus, quam natura « ad prolis conceptionem retulit; ita velle impedire erit ».

Uno verbo: Coniuges possunt quidem a coeundo et a semine effundendo abstinere; sed, posito quod coeant semenque effundant, gravissimo contra naturam crimine se reos reddunt si generationem, quae ab ipso semine effuso subsequi posset, prorsus impedire conentur; secus si non prorsus.

Quaer. II°. *Quid si vir penetret quidem vas, sed parum, et in principio vasis ipsius totum semen effundat?*

Resp. Praemittendum est quod actus iste reddit quidem foecundationem minus facilem, sed illam adhuc possibilem relinquit. Semen masculi infinitis animalculis microscopicis et semoventibus constat, quae foeminea organa facile pervadunt; unde scripsit Lecomte (De l'ovulation P. 2. C. 3. II): « Ad ora « genitalium foemellae mortuae aliquid seminis depositum est, « et mox semen istud omnia genitalia interna invasisse inventum « est »; et prius dixerat: « Certo certius plures foeminae, « prorsus illaesa membrana hymene (*quae vaginam quasi claudit*), gravidae factae sunt ». In dictionariis autem medicis passim legitur, aliquam seminis partem circa os foeminei vasis depositam sufficere, ut foemina foecundari possit. Vide *Dizionario classico* etc. et *Dizionario di medicina* etc. ad vocem *Impotenza.*

His praemissis, quaestioni propositae sic respondeo. Si vir legitimam habeat causam sic se gerendi, eo quod, v. g., foemina, sive quia sit recens a partu sive quia sit infirma in verendis, coitum perfectum non patiatur; tunc nullo modo peccat; si autem ita se gerat quia modum generationi aptiorem evitare vult, tunc venialiter peccat; si demum se hoc modo generationem impedire totaliter intendat, tunc ex hac malitia mortaliter delinquit. Haec omnia patent ex dictis in quaestione praecedenti (v. Sed quid).

Quaer. III°. *Quid si uxor actu copulae non quidem se retrahat; sed ita se cohibeat ut, viro seminante, ipsa nullo modo seminet?*

Resp. Praemittendum quod in foemina non datur vera seminatio. Semen foeminae est ovum. Foemina, quamvis minime commoveatur, si ovum maturum et reseratum habeat, foecundationi aptissima est eodem modo. Id patet ex innumeris exemplis foeminarum quae sine ullo voluptatis et commotionis principio gravidae remanserunt.

Ipsius tamen commotio per accidens in quibusdam circumstantiis foecundationi deservire potest, nempe ut ovum (si forte non sit reseratum) propter illam agitationem reseretur et virili semini exponatur (V. Lecomte P. 1. c. 3. V. versus fin. et l. c. II).

Ex his principiis deducendum est 1° quod in exposita agendi ratione nulla aut fere nulla malitia a parte actus invenitur; si tamen maritus de hoc non curet. 2° Malitia tamen adesse potest

a parte intentionis, si nempe uxor ita se gerat ut generationem minus facilem reddat (quo casu peccatum erit veniale), vel ut generationem omnino impediat (quo casu culpa mortalis erit). Et hoc pariter est corollarium quod sequitur a supradictis (in q. I.). Vide Sporer (n. 491), Croix (L. 6. p. 3. n. 334, et 351) et S. Lig. (n. 918. in fin.).

Quaer. IV°. *Quid de viro vas muliebre penetrante, sed ita ut nec intra nec extra semen effundat?*

Resp. Distinguendum est imprimis, an id ex industria an vero ex imbecillitate naturae eveniat.

Si ex industria; observari debet an uxor consentiat, necne. Si non consentiat, ex hoc ipso vir peccat; si vero consentiat, tunc videndum an a parte uxoris ipsius adsit vel non adsit pollutio. Si non adsit; tunc actus huiusmodi mortalis esse nequit; illa enim penetratio vasis foeminei ad tactum verendorum sine periculo pollutionis reducitur; quo periculo secluso, peccatum mortale non adest, ut supra probavi, idque sentiunt Theologi communiter cum Sanchez et S. Lig. (n. 918). Imo ne venialis quidem culpa adesset si hic actus ex iusta causa (v. g., ad evitandam prolem nimis numerosam et simul ad sedandam concupiscentiam) fieret, ut dicit Sporer (n. 490). — Si autem uxor polluatur, seu perfectam libidinis expletionem (iuxta dicta n. 330) experiatur; tunc actus iste mortalis est; sicut enim mortale esset uxorem polluere manibus, ita et hoc actu, qui ad generationem nihil deservit.

In secunda hypothesi, nempe si vir non ex industria, sed ex imbecillitate naturae semen nullo modo effundat; tunc, quamvis uxor polluatur, nihil mali adest. Ratio est quia agitur de conatu ad copulam perfectam; imo coniuges licite congrediuntur, quamvis ex facto ab eorum voluntate independente generatio sequi nequeat; ut patet tum ex viris qui non amplius habent semen generationi aptum, tum ex foeminis quae ex totali ovariae carentia perfecte steriles sunt; et nihilominus matrimonio uti possunt. Vide Palao (Tr. 28. D. 4. p. 14. § 2. n. 11), et Toletum (L. 7. c. 12. n. 4).

Quaer. V°. *Quid de foemina virile semen iam receptum eiiciente?*

Resp. Si illud eiiciat directe seu ex intentione impediendi foecundationem, tunc graviter peccat; et de hoc nemo dubitat. Si autem illud praeter intentionem eiiciat, dum, v. g., statim post copulam pro sua commoditate surgit aut mingit, tunc levis vel nulla culpa adest, ut recte notat Tamburini (Dec. L. 7.

C. 3. § 5. n. 14). Ratio est quia, quamvis pars seminis sic deperdi possit, tamen fere impossibile est quod alia pars non remaneat, ex qua foecundatio sequi possit.

Quaer. VI°. *Quid de copula incoepta sodomitice (attamen sine penetratione vasis praeposteri) et consummata in vase naturali?*

Resp. Plurimi Theologi actum huiusmodi de peccato mortali damnant: affectum enim sodomiticum hic vident. (Cf. S. Lig. n. 916 Sed non desunt Theologi primi subsellii (inter quos recensendi sunt Sanchez, saltem in primis editionibus, et Navarrus) quibus peccatum veniale dumtaxat adesse visum fuit. Vide Diana V. 2. Tr. 6. Res. 187 et 188). Ratio est quia hic agitur de actu praeparatorio ad copulam, qui tamen ex quadam velleitate sodomitica aliquo modo foedatur.

Sed quid si vasis praeposteri penetratio adsit sine pollutione et cum voluntate actum consummandi in vase naturali? Resp. Theologi adhuc in maiori numero actum istum a mortali non excusant: sed plures Theologi antiqui aliter senserunt. Ratio est quia in substantia vas legitimum servatur, quatenus non alibi sed intra ipsum semen effunditur. Aliunde nihil impedit quominus tactus iste, ad instar tactuum membri virilis cum manibus uxoris, ad copulam coniugalem referatur, nimirum ut vir ea delectatione excitetur aptiorque ad copulam efficiatur; et, esto ad solam voluptatem dirigeretur, esset culpa venialis, quales sunt caeteri tactus relati ad voluptatem. Vide Sanchez (D. 17. n. 4) et S. Lig. (n. 916).

Quaer. VII°. *Quid de copula incoepta in ore, et consummata in vase naturali?*

Resp. Theologi facilius (multis tamen adhuc contradicentibus) hunc actum excusant; in eo enim malitia sodomitica minime adest. Vide Diana (l. c. Res. 188), Palao (Tr. 28. D. 3. p. 4. § 2. n. 6) et S. Lig. (n. 935).

Quaer. VIII°. *Quid de uxore quae, recedente viro, non adhuc a parte sua actum compleverit, et proinde valde irritata manserit? Poteritne actum suum active perficere?*

Resp. Affirmative, dummodo in conatu ad novam copulam id faciat; hoc enim conatu secluso, effusio spermatis foeminei nulla ratione legitimari potest. Aliqui dicunt, huiusmodi sperma necessarium aut saltem utile esse ad prolem; sed ex modernis physiologiae inventis compertum est, hoc esse falsum; sperma enim foemineum non proli sed marito deservit. Vide Scavini (V. III. n. 923). Alii dicunt quod uxor periculo pec-

candi nimis exposita remaneret; sed, si haec ratio valeret, tunc etiam vir, si forte aliquo superveniente copulam perficere nequivisset, postea ad nimiam irritationem sedandam se polluere posset; quod nemo dicet. Vide S. Lig. (n. 919). Praeterea, si uxor sit in periculo peccandi, nonne in promptu est remedium, nempe conatus ad novam copulam, ut dixi; qui quidem conatus licitus esset, quamvis fere nulla copulam ipsam obtinendi spes adesset, prout in senibus contingit?

Id autem a fortiori dici debet si vir fuerit onanista, et in copula non seminaverit. Vide Potestas (n. 4311).

Quaer. IX°. *Quid de usu matrimonii in senibus, qui non nisi imperfectissime actum perficere queunt?*

Resp. Circa hoc scrupuli non sunt iniiciendi. Satis enim est si vir in vasis muliebris initio semen effundat, ut patet ex supra dictis (q. II); imo sufficit si hoc identidem obtineri queat: non solum enim copula, sed etiam conatus ad copulam licet (Sanchez L. 9. d. 17. n. 20). Fere itaque id unum vetaretur, nempe si, absque ulla congrediendi spe, pollutiones tactibus impudicis provocarentur. Dico *tactibus impudicis*; non enim culpari posset, v. g., vir senex qui iuniorem uxorem habens, nec copulam cum ipsa ullo modo habere potens, blanditias in signum amoris adhiberet, quamvis sive in uxore ipsa sive in se aliquae pollutiones per accidens locum haberent.

Quaer. X°. *Plurimis medicorum testimoniis et experientiis constat, mulieres de facili gravidas reddi posse circa tempus menstruationis, nempe ea durante et aliquibus diebus ante et post; difficiliter autem (si menstruationem mensilem et regularem habeant *) alio tempore, ut demonstrat Lecomte (De l'ovulation P. 1. Sec. 2). — Quid itaque de coniugibus, qui in iis dumtaxat intervallis, in quibus foecundatio difficile accidere potest, matrimonio uterentur?*

Resp. Si nullam habeant causam evitandi prolem, si nempe matrimonii delectationes velint illiusque incommoda nolint, et sine ulla ratione primarium coniugii finem excludant, tunc peccant procul dubio. — Si autem ex una parte iustam habeant causam cavendi ne foecundatio accidat (eo quod, v. g., prolem nimis numerosam habeant, vel uxor in partu periculum mortis subitura sit); et ex alia parte usus matrimonii tempore foe-

* Casus menstruationis mensilis et regularis (qui est frequens in foeminis innuptis) contingit quidem etiam in coniugatis; sed satis raro, ut medici testantur.

cundationi inepto sit illis ad vitandam incontinentiam expediens : tunc in praedicta agendi ratione nihil mali reperitur. Coniuges enim, si iustam rationabilemque habeant causam prolem evitandi, illam procreare atque uti matrimonio quando foecundatio facilis est, non tenentur ; et aliunde si, quando prolis procreatio difficilis aut etiam impossibilis est, matrimonio ad vitandam incontinentiam (nihil contra naturam facientes) utantur, minime peccant * ; ut patet exemplo illorum qui iusta de causa celebrationem aut usum matrimonii ad eam aetatem differunt, in qua iam impossibile est ut prolem suscipiant. Card. Gousset sensit coniuges huiusmodi ad minus non esse inquietandos. Lecomte autem (P. 2. c. 3) et cl. Ballerini (n. 923. 1° not. a edit. 4) eos, supposita semper iusta causa, licite agere aperte decernunt.

Quaer. XI°. *Quid de coniugibus qui, dum copulam habent, aliam personam imaginantur ?*

Resp. In praxi cogitationes istae cum desiderio absoluto copulam habendi cum eadem persona (quasi haec loco coniugis esset) coniungi solent : maxime quando persona ipsa ante matrimonium amata fuit aut hic et nunc speciali amore diligitur. Et quatenus ita sit, iam de gravissimo affectivi adulterii peccato res esset.

Caeterum, rigorose loquendo, non repugnat dari casum, in quo coniux aliquam personam aut aliquid carnale aliis personis spectans imaginetur, absque ullo pravo desiderio eiusque periculo et solum quia eadem imaginatio libidinem commovet, atque ad copulam disponit. Porro, si talis casus in praxi aliquando daretur, quum libidinis excitatio in ea circumstantia licita sit, cogitationes huiusmodi nihil mali continerent. Hinc Theologi dicunt quidem gravem esse culpam actu copulae aliam personam imaginari, sed passim addunt limitationem *si persona illa sit carnaliter dilecta.* Vide Sporer (n. 505), Sanchez (L. 9. D. 17. n. 6), Croix (n. 329-331) et S. Lig. (n. 914).

* Quod vitatio incontinentiae ad honestissimum matrimonii finem constituendum sufficere possit, patet etiam ex Apostolo (1. Cor. 7) dicente : « Propter « fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.... Iterum revertimini « in idipsum ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram..... Quod si « non se continent, nubant ». Quae verba Chrysostomus explicabat (De Virg. c. 19) inquiens : » Cum liberorum procreandorum causa proditum est matrimo« nium, tum *multo magis* ad naturae ardorem restinguendum. Atque id Paulus « testatur dicens : *Sed propter fornicationem suam quisque uxorem habeat*, « non propter liberorum procreationem. Namque ibi convenire iubet non ut mul« torum filiorum parentes sint : sed cur ? *Ne vos tentet*, inquit, *Satanas* ».

Quaer. XII°. *Quid de coniugibus, qui solum aut principaliter propter voluptatem matrimonio utantur?*

Resp. Cl. Ballerini (ad n. 908) dicit, id nihil mali esse, dummodo coniuges advertant copulam esse licitam, tunc enim (ait fines matrimonii usum cohonestantes implicite includunt —. Sed haec opinio, meo sensu, falsa est; ut enim actio practice et sub omni respectu liceat, non sufficit quod sit honesta in se, sed oportet etiam ut finis agentis honestus et irreprehensibilis sit. At vero si captare voluptatem et satisfacere passioni, sicut faciunt animalia, esset finis unicus aut principalis; numquid finis huiusmodi creaturae rationabilis dignus, et prorsus irreprehensibilis esse posset? Ratio actionum humanarum dux sin minus unica saltem principalis esse debet; non vero passio, quae non iam domina sed ancilla est. Quod reapse captare voluptatem (ut ut in copula quae licita cognoscitur) finis unicus esse nequeat, patet etiam ex communissima Theologorum sententia, inter quos Sanchez (D. 11. n. 4) scripsit: « Actus coniugalis « solius voluptatis gratia exercitus, nec fines matrimonii trans- « grediens, est culpa venialis ». Et confirmatur ex sequenti propositione ab Innoc. XI damnata: « Opus coniugii ob solam vo- « luptatem exercitum omni penitus caret culpa et defectu ve- « niali ». — Quod autem haec ipsa voluptas finem principalem constituere non debeat, confirmatur ex ipso Sanchezio (D. 13. n. 6) dicente: « Cum voluptas minime dominetur, sed conti- « nentiae servandaeque fidei matrimonialis amor, non ita mens « absorbetur, inveniturque ratio praeponderans, vel saltem ad- « aequans et compensans ». Et prius D. Gregorius (rel. c. *Vir* 7. c. 33) dixerat: « Cum vero non amor ob procreandas soboles, « sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet etc. ».

Petes: quales sint fines qui in matrimonii usu licite prorsus intendi queunt? Sunt 1° Prolis procreatio; 2° Incontinentiae tum in se tum in comparte vitatio; 3° Satisfactio obligationis erga alterum coniugem; 4° Desiderium coniugalis amoris conciliandi vel fovendi. Gury (n. 907).

Caeterum in praxi, quoad usum matrimonii propter solam delectationem, coniuges in bona fide esse solent; imo non desunt qui in hunc solum finem cibis calidis aliisque mediis utuntur. Confessarius autem ordinarie nullum fructum sperare posset; unde eos a bona fide eruere minime debebit.

Quaer. XIII°. *An coniux cum gravi propriae sanitatis aut vitae periculo coniugii operi vacare possit?*

Resp. Negative *per se;* unde scripsit Sanchez (L. 9. D. 24.

n. 8) : « Existimo culpam hanc esse mortalem, nisi vel inad-
« vertentia damni tanti vel iusta alia causa excuset, ut incon-
« tinentiae periculum..... Sicut culpae lethalis reus esset utens
« cibis ratione excessus et eorum qualitatis notabiliter sibi no-
« centibus, nisi damni inadvertentia excusaret ».

Quaer. XIV°. *Quomodo coniugale commercium ex scandalo vitiari possit?*

Resp. Ex hoc capite graviter vitiatur, si copula aut tactus libidinosi exerceantur audientibus aut videntibus aliis, qui (inspectis tum eorum statu atque aetate, tum modo cauto vel incauto quo copula habetur, et qualitate tactuum) graviter scandalizari possint; neque vera necessitas excuset. Vide Sanchez (D. 15. n. 1. 2°). Excusantur tamen coniuges, si ex necessitate ineluctabili filias aut filios etiam adultos in proprio cubiculo retineant; sed tunc ad magnam cautelam certe tenentur. Si autem cogerentur filios in proprio lecto retinere, tunc vide dicta (n, 240).

Quaer. XV°. *An usus coniugii graviter illicitus sit, si ex ipso actu coniugali abortus sequatur?*

Resp. Casus, in quo usus coniugii ex hoc capite illicitus sit, difficile accidit. Si enim foemina sit robusta neque ad abortiendum facilis, tunc de abortu non erit timendum; si vero sit debilis et abortibus subiecta (quales esse solent illae foeminae quae cum dolore coitum subeunt), tunc abortus ex innumeris aliis causis, imo et omnino naturaliter, sequi poterit; unde vel non esset cur abortus copulae coniugali tribuatur, vel certe coniuges non tenerentur a copula ipsa abstinere; secus enim ad infinitas alias occasiones evitandas, et forsan sine ullo fructu, eos adstringere deberemus.

Caeterum potest dari casus, in quibus praecise ex coitu et non ex aliis causis abortus sequatur; v. g., si vir valde immoderate copulam habeat dum uxor est adhuc in primis praegnationis mensibus; et tunc usus coniugii cum tali periculo coniunctus, utique illicitus et quidem graviter esset. Vide Sanchez (D. 20. n. 5. et D. 22. n. 1), Sporer (n. 515), et S. Lig. (n. 924).

Quaer. XVI°. *An usus matrimonii licitus sit coniugi, si forte cum persona consanguinea alterius coniugis carnaliter peccaverit?*

Resp. Lex ecclesiastica in hoc casu decernit, coniugem incestuosum debere quidem reddere debitum coniugi innocenti, sed petere non posse, ita ut, si peteret, mortaliter peccaret. Oportet tamen 1° ut consanguinitas sit in primo vel secundo gra-

du, et non ultra (S. Lig. n. 1070); 2° ut copula fuerit utrinque consummata. Subsistente tamen penetratione, copula praesumitur consummata, nisi certe constet de contrario (S. Lig. n. 1075); 3° ut per vim aut per metum gravem extorta non fuerit (Gury n. 815); 4° ut coniux incestuosus cum plena cognitione non solum *facti* sed etiam *iuris* et *poenae* processerit (S. Lig. n. 1072-1074). Haec ultima limitatio in praxi est valde attendenda: coniuges enim communissime hanc poenam ignorant, et sic vix unquam illam incurrunt. Si tamen illam incurrerent, dispensationem ab Episcopo obtinere possent (S. Lig. n. 1076). Sed quid si coniux incestuosus interim in magno incontinentiae periculo versaretur? S. Lig. (n. 930) dicit quod (urgente semper onere dispensationem petendi) lex ecclesiastica in tanto discrimine non obligaret; et Gury (n. 910) suggerit ut alterum coniugem de proprio periculo moneat, eumque roget ut hac de causa debitum petat. — Notandum est demum quod si uterque coniux fuisset, ut supra, incestuosus; aut si unus incestum commisisset et alter incestui consensisset; tunc neuter petere neuterque reddere posset. (Sanchez D. 27. n. 3).

Quaer. XVII°. *Quid si adsit dubium de validitate matrimonii? Possuntne tunc coniuges matrimonio uti?*

Resp. Si dubium sit leve, sperni potest; illud enim moralem certitudinem minime destruit.

Si autem sit grave, tunc convenientes inquisitiones ad veritatem detegendam fieri debent. — Durantibus inquisitionibus, ille qui dubitat, ad vitandum periculum fornicationis, a petitione debiti abstinere tenetur. Illud tamen (ad evitandum periculum iniustitiae) reddere debet, si alter coniux de validitate matrimonii non dubitet, et debitum exigat. Idque verum est quamvis dubitans in ipsa etiam matrimonii celebratione dubium habuerit, ut patet ex textu Iuris Canonici apud S. Lig. (n. 903). Si autem dubitent ambo, tunc, durantibus inquisitionibus, neuter petere neuterque reddere potest; tunc enim ambo, ad vitandum periculum fornicationis, a commercio carnali abstinere debent.

Sed quid si, inquisitionibus factis, dubium perseveret?

Resp. Bonum publicum exigit omnino ut matrimonia tamquam valida habeantur, donec ea esse invalida pro certo non constet; unde in hoc casu, sicut in foro externo ita etiam in foro interno, teneri debet principium quod in dubio standum est pro valore actus. Sive itaque dubium post contractum matrimonium supervenerit, sive in ipsa matrimonii celebratione adfuerit, coniuges, postquam discretas inquisitiones fecerint, nec

matrimonium esse certe nullum invenerint, eo uti possunt. Vide S. Lig. (n. 906) et Sanchez (L. 2. D. 42. 8).

Si demum certe constet matrimonium esse nullum, tunc evidens est quod antequam dispensatio obtineatur putativi coniuges nec petere nec reddere possunt; et, si unus sit in bona fide copulamque exigat, alter, qui de matrimonii nullitate certus est, debebit aut commonefacere partem de ipsa matrimonii nullitate, aut (si id expediens non videatur) sub aliquo praetextu dicendo, v. g., copulam evasisse sibi noxiam et intolerabilem) a quovis commercio abstinere.

Quaer. XVIII°. *An usus coniugii ex aliquo alio capite illicitus esse possit?*

Resp. Affirmative; nempe 1° *ex voto castitatis*, quo casu reddere quidem sed non petere licet; 2° *ex pacto*, v. g., si uxor de consensu viri puerum alienum lactandum acceperit cum pacto non utendi interim matrimonio; 3° *ex cooperatione peccato coniugis*, v. g., si uxor maritum ab onanismo de facili avertere possit et non avertat; 4° demum *ex iusto dissensu coniugis:* quando nempe alter coniux iusta de causa debitum reddere recusat, et nihilominus copula exigitur. Quaenam autem sint huiusmodi causae iustae, patebit ex infra dicendis.

## PUNCTUM IV.

### DE DEBITO CONIUGALI

#### QUAESTIO I.

*Quomodo usus matrimonii sub obligatione cadat?*

335. Si coniuges ex mutuo consensu ab usu matrimonii abstinere conveniant, tunc abstinendo nullam sibi invicem iniuriam irrogant, ut per se patet. Haec tamen abstinentia, si interdum potest esse virtuosa (prout fuit in B. Virgine et S. Iosepho), potest etiam esse vitiosa; idque accidit speciatim quando coniuges vano motivo abstinentes in grave mortalium peccatorum periculum se coniiciant: unde scripsit Apostolus (1. Cor. 7): « Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos « Satanas propter incontinentiam vestram ». Hoc autem periculum vix aberit si coniuges sint iuvenes et in eodem lecto dormiant.

336. Si autem coniuges matrimonio uti velint, tunc uxor * tenetur viro legitime petenti debitum reddere; et inobedientia, si gravitatem praeseferat, a peccato mortali excusari nequit. Sed quandonam haec gravitas aderit?

Resp. Prae oculis haberi debet quod obligatio reddendi debitum non solum ex iustitia, sed etiam ex aliis motivis oriri potest. Oritur ex iustitia quando vir rationabiliter petit, volens serio uti iure suo, cui, quamvis rogatus, cedere non vult. Oritur autem ex aliis motivis, v. g., quando denegatio peccatis mortalibus virum exponeret, mutuum amorem extingueret, iurgia, adulterinas consuetudines ruinamque familiae provocaret etc. Vide Sanchez (D. 2. n. 10). Ad decidendum itaque an denegatio debiti matrimonialis gravis sit nec ne, observandae sunt circumstantiae; et pro praxi (supponendo semper quod uxor sine ulla legitima ratione debitum recuset) sequentes regulae statuendae esse videntur.

Peccatum mortale reponi debet 1° in magna obstinatione, etiam pro una vice dumtaxat, dum vir serio et instanter petit; ita ut manifesto pollutionis periculo expositus remaneat; et hic notandum quod in denegatione debiti etiam pro una vice dumtaxat facilius peccare possunt mortaliter mariti quam uxores; ipsae enim prae verecundia non adeo instanter petere audent; 2° in denegationibus non interpolatis sed notabiliter continuatis; ita ut vir (quamvis non adeo instanter petiverit), videns quod mulier ter, quater, quinquies recusavit, de facili animo deiiciatur, et per longum tempus petere non audeat; 3° in denegatione interpolata quidem sed frequenti, maxime si maritus sit iuvenis aut valde ad venerem pronus. **

Si autem uxor raro (v. g., semel aut bis in mense, viro quotidie petente) recuset, et vir ipse satis acquiescat; tunc de peccato saltem mortali incusari non debet. Imo contingere potest quod ne venialiter quidem peccet, nempe si aut aliquam se eximendi causam habeat; aut etiam pro sola sua commoditate virum roget ut ea vice abstineat, et ille non aegre sed omnino benevole consentiat. Caeterum in praxi huiusmodi mulieres adhortandae sunt ut propriis viris perfecte obediant. Vide S. Lig. (L. 6. n. 940), et Sanchez (L. 9. D. 2. n. 11).

* Et idem dic de viro respectu uxoris.

** Peccat etiam uxor si, toties quoties vir petit, absque iusta causa difficultates et quaerimonias in medium adducat; speciatim si debitum non concedat nisi coacta; maxime autem si viro dure et contumeliose suas petitiones exprobret.

Uxor de regula ordinaria tenetur reddere debitum viro solum quando expresse petit; sed vir debet reddere debitum uxori, quamvis ipsa expresse non petat; a parte enim uxoris petitio tacita sufficit. Graviter ergo peccat maritus quando ex indiciis animadvertit quod uxor copulam vehementer desiderat, et nihilominus debito suo non satisfacit; et in quovis casu gravissime delinquunt illi pessimi viri, qui, sive ex avaritia (ut scilicet prolem evitent), sive ex malevolentia, sive ex amore concepto erga alias, ad proprias uxores nunquam aut fere nunquam divertunt, quamvis bene praesumere debeant quod ipsae id valde aegre ferunt (S. Lig. n. 928).

337. Hinc maritus regulariter tenetur cum uxore sua manere in eadem domo et lecto; nec potest ad longum tempus abesse, seclusa necessitate, si uxor id aegre ferat. Accedente autem consensu uxoris, sive quoad stabilem separationem a toro, sive quoad diuturnam (quamvis non necessariam) absentiam a domo; tunc periculum incontinentiae, necessitas familiae, scandalum aliaeque circumstantiae observari debebunt (S. Lig. n. 938).

Maritus tenetur etiam non reddere se impotentem; unde illi qui, sive propter consuetudinem cum aliis foeminis, sive propter nimias pollutiones, propriis uxoribus satisfacere nequeunt, graviter peccant, et hanc circumstantiam (supposita advertentia) in confessione accusare debent. Imo potest esse quod hac de causa a ieiuniis etiam praeceptis abstinere possint ac debeant. — Uxores autem propter ieiunia non equidem impotentes; attamen minus aptae evadere possunt; unde, si propter id maritis valde displicerent, utique a ieiuniis (maxime non praeceptis) abstinere deberent (Vide Sanchez L. 9. D. 3. n. 2-11).

338. Uxor non solum copulam, sed etiam tactus ipsi copulae praevios permittere debet, si tamen ex una parte agatur de tactibus non abnormibus sed naturaliter praeparatoriis, et ex alia parte satis constet, quod vir hos tactus ad copulam sincere dirigat.

### QUAESTIO II.

*Quaenam causae debiti denegationem legitimam reddant?*

339. Resp. Aliquae causae sunt adeo graves, ut etiam ad divortium ius praebeant. Huiusmodi sunt 1° *Adulterium*, si sit culpabile, moraliter certum, non reciprocum, non ex con-

ingis consensu commissum, et non condonatum *. Oportet etiam ut sit iuridice comprobatum; idque ordinarie in praxi non solum ut scandalum vitetur, atque ut divortium etiam in foro externo firmitatem habeat (maxime si matrimonium civile contractum fuerit); sed etiam ne ansa detur malitiae hominum coniugem forte innocentem huiusmodi dimissione vexandi. Divortio autem secuto, non adest obligatio unquam recipiendi adulterum quamvis emendatum (Cf. S. Lig. n. 960-967 et cl. Ballerini not. ad n. 764. 2°). Diuturna et iniuriosa desertio adulterio aequiparatur (Acta S. Sedis T. V. p. 12). — II° *Saevitiae*, dummodo habituales sint, atque, attentis circumstantiis (inter quas personae saevitias patientis conditio recensenda est), gravissimae. Hic quoque iudicis sententia necessaria est, nisi periculum sit in mora, aut saevitiae (revera prorsus intolerabiles nullo modo aut difficile probari possint. (Cf. S. Lig. n. 970-972, et Scavini V. III. n. 927). Idem dic si coniux morbo contagioso afficiatur, aut furiosus vel energumenus evaserit. Idem dic, uno verbo, si absque gravi vitae aut sanitatis periculo cohabitatio continuari nequeat (S. Lig. n. 973). — III° *Si coniux haereticus vel apostata evaserit (nisi agatur de locis in quibus haec delicta sint nimis communia), aut si ad haeresim vel ad prostitutionem vel ad alia peccata mortalia coniugem pertinaciter pertrahere velit* (S. Lig. n. 973-974, et Scavini V. III. n. 857).

340. Sed in praxi, quamvis subsistant istae causae canonicae quae ad divortium ius praebent, gravissima incommoda, quae essent oritura, divortium ipsum inconsultum reddere solent; unde ut plurimum oportet ut uxores, non obstantibus virorum adulteriis, saevitiis etc., pro bono familiae nec non ad evitanda alia mala summi momenti tam spiritualia quam temporalia, patientiam adhibeant virosque suos non deserant; multo magis quia divortium non semper ac a lege ecclesiastica conceditur, a lege etiam civili permittitur. Vide Scavini (Vol. IV. n. 551 et Vol. III. n. 859).

341. Supponendo itaque quod coniuges simul convivant, quaeritur quaenam causae debiti coniugalis denegationem legitimam reddant?

Imprimis magna distinctio fieri debet inter denegationem diuturnam vel perpetuam, et denegationem per breve tempus

* Adulterium condonari potest etiam tacite, nempe per redditionem debiti *scienter* ac *sponte* praestitam. Cl. Ballerini n. 761. 3., not. b.

vel pro aliquo casu. Denegatio diuturna rarissime licet; et, si non adeo raro permitti posset salva iustitia, alia motiva exigere solent ut non permittatur. Facilius expeditum datur ius minuendi frequentiam, aut respuendi coitum aliquando in quibusdam circumstantiis. Quaedam demum adducuntur interdum excusationes, quae revera minime excusant. — Haec in genere dicta sequenti modo explico.

### *Casus in quibus ad diuturnam debiti coniugalis denegationem ius expeditum dari solet.*

342. I° *Si quilibet etiam moderatus matrimonii usus vitae aut sanitati ruinosus sit*; naturale enim est ut unusquisque prius sibi et postea generationi consulat; contractus autem matrimonialis iuxta naturae ordinem factus intelligitur. Scripsit S. Th. (Suppl. q. 64. a. 1): « Vir tenetur uxori debitum reddere...: salva tamen prius personae incolumitate ». Hinc uxor potest stabiliter (nempe donec impedimentum perduret) denegare debitum marito 1° si in partu mortis periculum subeat: ita ut, si denuo gravida evadat, medicorum iudicio certe aut fere certe moritura sit (supponitur hic quod cautela n. 334. q. X. indicata adhiberi non possit); 2° si incipienti cancro uteri laboret, ita ut post coitum copiosae sanguinis emissioni subiiciatur; 3° si coitum subeat cum dolore valde acuto, qui singulis vicibus repetatur; 4° si vir lue venerea laboret; ita tamen ut in verendis ulcera aut percolationes habeat. — Similiter vir potest denegare debitum uxori peste affectae, donec morbus perduret. — Demum tam vir quam uxor ab usu coniugii prorsus abstinere possunt, si vitium organicum ad cor habeant; tunc enim coitus semper valde nocet, et mortem etiam subitaneam producere potest. Idem dic si alteruter ita phthisi laboret, ut assidue febricitans ad ultimum huius morbi stadium approximetur. — Quod autem in his casibus ius debitum denegandi vere expeditum esse soleat, patet quia ex una parte facile est quod alter coniux rei evidentia et enormitate persuasus acquiescat et a iurgiis abstineat; et ex alia parte charitas non obligat cum gravi incommodo nisi in extrema necessitate, in qua profecto coniux (cui debitum denegatur) non versatur, quum aliis mediis propriae fragilitati consulere possit. Curandum tamen ut coniuges separatim dormiant.

Sed, quamvis non teneatur, poteritne coniux de praedicta suae vitae aut sanitatis ruina non curare et debitum reddere?

Resp. Si eius vita aut sanitas sit valde necessaria familiae, tunc reddere nequibit. Si vero haec necessitas non adsit, et si motivo virtutis (v. g., ne alter coniux propter adeo diuturnam privationem incontinentiae subiiciatur) debitum identidem reddat, tunc licite et meritorie aget. Sanchez (D. 24. n. 6-23).

II°. *Si alter coniux perfecte demens evaserit:* tunc enim modo humano non peteret. Excipiunt tamen Doctores casum, in quo coniux demens, cui debitum denegatur, in pollutionem esset ruiturus; tunc enim, ad evitandam hanc inordinationem (ut ut materialem) debitum reddi deberet, si commode reddi possit. Haec autem commoditas certe non adesset si, v. g., ageretur de uxore furiosa cum periculo quod foetum deperdat, vel de coniugibus pauperibus qui in eo infortunio novam prolem vix alere atque educare possint, vel si adesset necessitas recludendi in manicomio coniugem dementem etc. Vide Sanchez (D. 23).

*Casus in quibus diuturna debiti denegatio permitti quidem posset salva iustitia, sed in praxi alia motiva exigere possunt ut non permittatur.*

343. I. *Adulterium coniugis.* Hoc ad perpetuam quidem debiti denegationem imo et ad ipsum divortium ius daret, prout supra (n. 239) explicavi; sed, si coniuges divortium non faciant et in eadem domo cum propriis filiis commorentur, permitti quidem poterit ut vir innocens uxori adulterae, etiam per longum tempus ad correctionem atque ad iustam indignationem ostendendam, iure suo debitum denegandi utatur; sed, si adulter sit maritus, tunc, pro bono pacis et ne peius contingat (viri enim, si eis debitum denegetur, deteriores fiunt, ut recte notat S. Lig. n. 964), uxor hac etiam in re patientiam habere et debitum reddere debebit.

II. *Si maritus pessimus prolem nec alere nec educare velit.* In hoc quoque casu uxor ius denegandi debitum haberet; iustissime enim dicere posset marito: « Si matrimonii delectationes vis, oportet ut etiam onera sustineas: et si vis ut ego debito meo satisfaciam, tu debes satisfacere tuo, nec totum matrimonii pondus humeris meis imponere debes ». Hinc scripsit Sporer (n. 516): « Quaeso te, Confessarie, an peccati damnabis miseram uxorem, quae marito omnia obligurienti, ipsa cum liberis fame et aerumnas tolerans, ne amplius multiplicetur miserranda proles, debitum negat, priusquam se emendet? » Idem

sentit Frassinetti ( not. 178 ad n. 571 ). — Sed in praxi haec quoque doctrina cum mica salis intelligi debet ; si enim maritus non omnia prorsus in vitiis insumat , sed aliquid familiae tribuat , illamque aliquo modo custodiat ; et multo magis si iurgia , verbera , scandala etc. timeri debeant ; utique contingere potest quod hoc etiam in casu ad evitanda mala maiora uxor obedire debeat. Adde quod non raro huiusmodi virorum vitia etiam ante matrimonii celebrationem cognoscebantur. Vide Sanchez ( D. 24. n. 22 ).

III°. *Si proles iam adeo multiplicata fuerit , ut familia ( si adhuc amplius crescat ) a proprio statu decidere debeat.* Ratio est quia ab aliis etiam debitis persolvendis excusat magna incommoditas , non enim cum magno suo incommodo tenetur quisquam restituere. — Sed si coniuges cum maximo incontinentiae periculo in eodem lecto dormiant , vel si maritus ad alias foeminas esset diversurus et substantiam familiarem dissipaturus etc. ; tunc melius erit si unus vel alter filius adhuc nascatur ; et sic in praxi , omnibus consideratis , praedicta excusatio parum valere solet. S. Lig. ( n. 941 ) et Sanchez ( D. 25 ).

IV°. *Si uxor , quamvis non periculo mortis , attamen atrocibus simul et diuturnis doloribus , v. g., propter gestationem aut prolis nutritionem ( prout contingere potest in illis quae morbo uberum modo extraordinario laborant ) subiiciatur.* In hoc casu misera uxor , si nullo modo ( v. g., tradendo prolem nutrici ) huiusmodi atroces diuturnosque dolores evitare posset , in rigore debitum reddere non teneretur ; ipsa enim matrimonium contrahens ad ordinaria quidem satisque frequentia , non vero ad extraordinaria atque intolerabilia incommoda subeunda se obligavit. — Nihilominus , si vir non acquiescat , et si ex constanti debiti denegatione magna mala timenda sint ; Confessarius vehementer adhortari debebit miseram foeminam , ut in hoc quoque casu pro amore Dei viro suo , saltem identidem , obediat.

Dico *saltem identidem ;* sic enim praegnationis periculum minus erit. Neque verum est quod dicunt plures Theologi , nempe aequale imo maius esse periculum istud , si coniuges raro coeant. Ex modernis enim physiologiae inventis constat , quod foecundatio non ex aviditate matricis pendet , sed ab ovi maturitate , quae circa menstruationis tempus ordinarie accidit.

V°. *Si vir non nisi onanistice , aut modo innaturali sine iusta causa ( vide supra n. 334. I.) copulam perficere velit.* Dixi ( n. 326 et n. 334 ) quod in his casibus uxor , postquam meliori

modo possibili virum ab huiusmodi inordinationibus avertere procuraverit, debitum reddere potest. Nihilominus, inspecta iustitia, ad id non tenetur, quia ad copulam non his modis, sed legitime et naturaliter peragendam se obligavit. S. Lig. (n. 946). Quamvis tamen, salva iustitia, debitum denegare possit, nihilominus in praxi, ne mala maiora sequantur, consultius esse solet ut debitum reddat.

### *Casus, in quibus frequentiam minuendi ius datur.*

344. I. *Si vir immoderate petat.* Omnes Theologi fatentur, uxorem non teneri debitum reddere viro immoderate seu nimis frequenter illud petenti; sed teneri dumtaxat intra terminos moderationis. Aliqui tamen, quamvis hoc principium admittant, dicunt uxorem teneri reddere debitum non solum nocte sed etiam die, et ter et quater in eadem nocte, atque etiam ulterius si in viro periculum incontinentiae adsit. Sed, si ita res se haberet, quandonam petitio erit immoderata? Quandonam ex hoc capite uxor excusabitur? Ego censeo distinguendum esse inter petitionem ordinariam et petitionem pro aliquo casu raro.

Loquendo itaque de petitione ordinaria, apud nos (forte enim in regionibus calidioribus aliqua differentia adesse potest) petitio incipit esse immoderata, si vir habitualiter uno vel altero coitu quavis nocte non sit contentus, aut si habitualiter non solum nocte sed etiam die uxorem quaerat; unde post Croix recte scripsit Voit (n. 1213): « Videtur nimis frequenter peti, si « maritus non contentus nocturna redditione, etiam per diem « petendi habeat consuetudinem ». — Loquendo autem de petitione pro aliquo casu raro, immoderatio non aderit si vir non solum nocte sed etiam die petat; aut si ipse (eo quod, v. g., aliqua nocte dormire non possit) etiam ter et quater ad uxorem accedat. Et hoc forsan sensu intelligendi sunt Theologi et S. Lig. (n. 940), qui recte addit: « Non potest autem (uxor) « post copulam habitam in die negare in nocte ». — Ultra hos limites uxorem non obligarem (nisi forte adesset periculum ne vir alias foeminas procaret); secus enim ipsa non solum (maxime si etiam prolem lactare debeat) cum molestia intolerabili necessario somno privaretur, sed etiam ne cito vidua remaneat formidare deberet. Notissimum enim est quod immoderatus veneris usus facit viros cito senescere (Sanchez D. 2. n. 12), venereisque morbis et praecipue tabi dorsali occasionem dat.

II. *Si frequentia coitus (v. g., propter phthisim incipientem aut senium) sive uxori sive viro ruinosa sit.* Quod non solum propter phthisim et nonnullas alias chronicas infirmitates, sed etiam propter senium (maxime quoad viros) frequentia coitus sanitati ruinosa sit, certissimum est. Dicebat celebris medicus Mayer (Des rapport coniugaux pag. 413) quod vir post annum quinquagesimum carnalibus voluptatibus renuntiare deberet, et graphice subiungebat : « Chaque fois qu'il s' y abbandonne, « c' est une *pelletée de terre qu' il se iette sur la tête* ». Si itaque maritus phthisi laborans aut senio extenuatus, eadem frequentia qua viri sani et iuvenes matrimonio uti vellet, uxor cum frequentia adeo ruinosa obedire non teneretur ; unde scripsit Sanchez (D. 24. n. 9) : « Ubi alteri coniugi constaret, debiti « redditionem esse in gravi salutis exigentis dispendium, minime « teneri reddere ; sicut nemo tenetur gladium domino petenti « tradere, si illo se perimere velit ».

*Casus in quibus uxor, propter nonnullos eventus accidentales, pro tunc debitum denegare potest.*

345. I. *Si vir ebrius debitum petat.* Tunc enim non petit modo humano. Sanchez (D. 22. n. 12). Excipiunt DD., nisi in ebrio, cui debitum denegatur, periculum pollutionis adesset ; tunc enim dicunt, uxorem obedire debere. Sed hoc intelligendum si absque notabili incommodo obedire possit ; unde illam excusarem si a coeundo cum ebrio nimis abhorreret.

II. *Si vir petat dum uxor febrim habet.*

III. *Si petat dum uxor fortuito eventu magno dolore vexatur, aut statim post sectionem venae, vel post balneum, vel post prandium.* In his enim casibus ex una parte notabilis molestia et forte etiam aliquod periculum (non tamen grave, prout aliqui perperam dicunt) in coitu adest ; et ex alia parte agitur de debito non denegando sed aliquantulum differendo ; et tunc causa non adeo magna sufficientem excusationem constituere potest.

IV. *Si vir petat dum uxor est recens a partu.* Nempe eodem die vel sequenti, quamvis ipsa felicem partum habuerit. Si autem partus fuerit laboriosus, tunc ad longius tempus debitum denegare licet ; tunc enim coitus graviter nocere potest. Sanchez (D. 22. n. 12) et S. Lig. (n. 926). — Observari potest hic per transennam quod aliqui Theologi censent, virum peccare

venialiter ? si, durante foeminae immunditia post partum et secluso periculo incontinentiae, uxorem quaerat; sed, quum periculum istud in ea longiori abstinentia vix abesse possit, ideo in praxi huiusmodi doctrina non est attendenda, et potius dicendum est cum Sanchez (l. c. n. 11) : « Probabilius existimo nul-« lam esse culpam tunc debitum exigere ».

V. *Si vir tempore praegnationis ita petat ut ex coitu periculum abortus adsit.* Hic casus raro contingit, ut supra (n. 834. XV) dixi. Sed, si contingat, rectissime scripsit Sanchez (D. 22. n. 1) : « Si tempore praegnationis sit abortus verisimile « periculum utendo actu coniugali, manifesta est lethalis culpa « petere aut reddere. Quia talis concubitus bono prolis adver-« satur... perimiturque innocens foetus... Existimo nullum in-« continentiae periculum praeponderare posse verisimili abortus « periculo, ita ut concubitus, eo existente, licitus reddatur ; « quia illi incontinentiae discrimini aliis viis et mediis consuli « potest absque foetus damno ».

Obiter hic etiam noto quod aliqui Theologi incusant de culpa veniali virum petentem debitum tempore praegnationis, nisi in periculo incontinentiae versetur, quamvis de abortu timendum non sit. Sed periculum incontinentiae quandonam aberit in abstinentia adeo diuturna ? In praxi itaque hic etiam tenenda est sententia Sanchezii dicentis (D. 22. n. 6) : « Probabilius esse « nec culpam venialem in ea debiti exactione inveniri..., eo vel « maxime quod matrimonium laqueum iniiceret si haec esset « culpa venialis, cum enim magnâ temporis matrimonii parte « uxor gravida sit, vel abstinendum esset coniugibus fere sem-« per a debiti exactione, vel innumera peccata venialia essent « admittenda ».

VI. *Si vir tempore lactationis ita petat, ut uxor nimis cito gravida evadens prolem suo lacte nutrire amplius nequeat, neque illam nutrici tradere possit.* Raro quidem, attamen nonnunquam hic casus accidit. Eo autem contingente, notissimum est quod quarto praegnationis mense lac maternum valde imminui et corrumpi solet, ita ut si mater prolem lactare pergat, proli ipsi et foetui grave nocumentum afferat. Si itaque misera mater (v. g., quia vir mordicus recuset) nutrici prolem materno lacte adhuc nimis indigentem tradere nequeat, utique, debitum denegando aut rarius reddendo, cavere potest ne in his circumstantiis gravida evadat ; experientia enim constat quod proles praedicta belluino lacte aliisve cibis sustentata (maxime si artificialis alimentatio sub medici directione effici ne-

queat, aut moritur aut imbecillis, nempe strumosa vel rachitica, evadit. Hinc scripsit Sanchez (D. 22. n. 15) : « Excusari a red-« dendi debiti obligatione matrem lactantem prolem, ac ita pau-« perem ut non sit solvendo nutrici lactaturae, expertamque « ubera exsiccari si concipiat, aut lac esse valde perniciosum « proli ».

Hic quoque notandum est obiter, non deesse Theologos qui docent, usum matrimonii esse absolute illicitum tempore lactationis; sed, praescindendo a casu supra dicto, id verum non est; unde Sanchez (l. c. n. 14) dixit : « Existimo nullam esse culpam ».

VII. *Si vir petat tempore menstrui.* Quamvis antiquae leges coerimoniales, quae coitum tempore menstrui severissime vetabant *, nunc vigorem non habeant; et quamvis falsum sit vel quod ex tali coitu proles monstruosa nascatur, vel quod illud sit tempus foecundationi minus aptum (V. Lecomte De l'ovulation P. 2. Sec. 2); nihilominus in ea circumstantia foeminae tum quia de illa menstrui miseria quam maxime verecundantur, tum quia coitus eo tempore incommodus et foedus est atque insuper mulieris sanitati nocet, ita ut menstruum in hemorragiam convertere possit) a copula abhorrent, et eundem horroris sensum viri experiuntur. Quum itaque in natura, imo et in generis humani moribus, positum sit ut matrimonii usus tempore menstrui locum non habeat, uxores verum ius denegandi debitum tunc habent; idque ius practice expeditum esse solet, tum quia de brevi tempore (nempe de tribus diebus dumtaxat in singulis mensibus) agitur; tum quia viri, repugnante uxore in ea occasione, facile acquiescere solent. Hinc scripsit S. Lig. (n. 925 : « Probabilius non tenetur coniux (tempore menstrui)... « debitum reddere ». Excipe tamen 1° si uxor saepius in mense aut per tempus nimis diuturnum menstruo subiiceretur; 2° si maritus prolem exoptaret, eamque non nisi per coitum tempore menstrui peractum, sperare posset; non desunt enim foeminae quae solum eo tempore foecundari queunt. (V. Lecomte l. c. C. 3. §. 2.).

VIII. *Si vir petat dum filii in eodem cubiculo degentes vigilant, aut dum persona extranea in eodem lecto dormit.* Scandalum enim clamat ne uxor pro tunc obediat.

* Levit. XX. 18 : « Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revela-» verit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur « ambo de medio populi sui ». Vide etiam Levit. XV et XVIII, et Ezech. XVIII, 5.

*Casus in quibus debitum denegandi nullum ius adest.*

316. I. *Incommoda ordinaria.* Haec non excusant : illaque bene declaravit Gury ( n. 916 ) inquiens : « Non excusatur a « debito reddendo uxor ob ordinaria partus, graviditatis aut nu- « tritionis incommoda, nec ob dolores graves quidem sed tem- « pore breves, nec ob dolores diuturnos sed moderatos, v. g., « capitis per plures menses post partum, nec ob sanitatem ali- « quantisper debilitatam ; quia haec omnia conditioni matrimo- « niali adnexa sunt ». — Idem sic si uxor aliquo levi incom- modo, v. g., fluxu albo ( *gonorrea* ), laboret.

II. *Abundantia filiorum.* Si maritus faciat quantum in se est ut prolem alat, et si res eo non sint deductae ut coniuges a proprio statu decidere debeant ( v. g., ut familia civilis condi- tionis mendicare cogatur ) ; tunc nullum denegandi debitum ius adesse potest ; quando enim filii iuxta propriam conditionem ali possunt, ius debitum denegandi undenam exurget ? Ita sen- tiunt TT. communissime.

III. *Ob filiorum, qui nascuntur, deformitatem ( dummodo non sint horribiliter monstruosi et vitales ).*

IV. *Quia filii nascantur mortui, aut mulier abortibus sit subiecta.* Ratio est quia maritus ad tantam abstinentiam ( age- retur enim de abstinentia valde diuturna ) obligari non potest nec propter damnum prolis, cui ( ut ait Sanchez L. 7. d. 102. 8 ) melius est sic esse cum culpa originali et carentia visionis Dei, quam omnino non esse ; nec propter incommodum uxoris, non enim est verum id quod dicit Sanchez ( l. c. ), quod scili- cet haec infortunia in grave periculum foeminas coniiciant. Or- dinarie hoc periculum non adest. Si tamen adesset ( prout re- vera aliquando adesse potest ), tunc cum Sanchezio ipso dici deberet, quod uxor ad debitum reddendum non teneretur.

V. *Ob iniurias a marito receptas ;* nisi forte de iniuria gravi ageretur ; tunc enim non videretur damnanda uxor, si una vel altera vice ad iustae indignationis ostensionem debitum dene- garet ; multo magis si sciret, id ad mariti correctionem optime deservire.

VI. *Ob dotem inique non solutam.* Hoc in casu vir alimenta quidem sed non debitum recusare poterit uxori, quae ex hoc ipso quod uxor sit ad coniugale debitum ius habet. S. Lig. ( n. 938 ).

VII. *Quia ad Sanctissimam Communionem sequenti mane*

*accedendum sit.* Hac de causa uxor debitum viro suo denegare nequit. Si tamen raro ad Sacram Mensam accedat, tunc consilium est ut (si expedicus videatur) roget maritum ut pro illa vice abstineat; sed, si vir abstinere non velit, uxor debitum reddat, et postea si communicet certe non peccabit; imo, si alia die idem impedimentum praevideat, aut si alia iusta causa adsit, praecipue vero si, non obstante copula habita, mentem quietam et minime distractam habeat, laudabiliter communicabit. Si autem frequenter, v. g., quolibet octavo die ad Sacramenta accedere soleat, tunc sine ulla difficultate viro suo obediat: et iuxta Confessarii iudicium ad Communionem accedat.

Abstinere tamen *a petitione* debiti nocte ante et nocte post Communionem est de consilio. Vide S. Lig. (L. 6. n. 273, 274, 922) et Sanchez (D. 13).

VIII. *Quia sit tempus ieiunii, aut dies solemnis.* Missale Romanum dicit: « Moneat eos Sacerdos sermone gravi ut.... « orationis (*nempe Rogationum*) tempore, et praesertim ieiu- « niorum ac Solemnitatum, casti maneant ». Sed hoc est de consilio, non autem de praecepto. Consilium autem non destruit ius; et proinde si vir debitum exigat, uxor poterit quidem (si expediat) illum rogare ut abstineat; sed, si ille in sua petitione persistat, obedire debebit. Sanchez (D. 12).

*Monitum summi momenti.*

347. Haec, quae ad sextum Decalogi praeceptum nec non ad Matrimonii usum referuntur, a me dicta sunt non iam ut Confessarius interrogationes multiplicet; bene vero quia necesse est omnino, ut ille in materia adeo practica quomodo res se habeant sciat, unde cito poenitentem intelligens interrogationes magis magisque evitet. Quantum autem oporteat ut Confessarius parsimoniam, decentiam et prudentiam in huiusmodi interrogationibus adhibeat, in Tractatu de officiis confessarii videbimus.

## ARTICULUS VII.

### DE SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRAECEPTIS

348. « Non furtum facies... Non concupisces domum proximi « tui..., non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt » Exod. 15. 17. 20. — Haec duo praecepta quamlibet tam effectivam quam affectivam iniuriam circa bona fortunae prohibent.

Completus de his praeceptis tractatus in hoc exiguo opusculo exarari nequit ; plura enim volumina necessaria essent. Hic itaque ea dumtaxat, quae magis scitu necessaria sunt, exponam. — Agam 1° De compensatione et de aliis ablationibus minime iniuriosis ; 2° De furto ; 3° De restitutione ; 4° De aliis iniuriis circa bona fortunae, earumque reparatione ; 5° Addam appendicem circa eleemosynam.

### PUNCTUM I.

### DE COMPENSATIONE ALIISQUE ABLATIONIBUS MINIME INIURIOSIS.

### § I.

### *De compensatione.*

Compensatio locum habet quando, inscio debitore, accipis ex eius bonis quantum satis est ad recuperandum id quod tibi debet. — Communis Theologorum sententia est, compensationem non esse iniuriosam, sed prorsus honestam, si quaedam adsint conditiones; quarum aliquae ut compensatio ipsa sit iusta, aliae vero ut sit licita exiguntur.

#### QUAESTIO I.

#### *Quaenam conditiones exigantur ut compensatio sit iusta?*

349. Prima conditio est *ut vere ex iustitia aliquid tibi debeatur*. Pro praxi refero sequentes casus.

Casus I. Colonus se compensat dicens : = 1° Pacta sunt nimis gravia ; 2° Servitia et opera praesto aliaque incommoda habeo, ad quae ex pactis non teneor ; 3° Dominus pactis non stetit ; 4° Pacta immutavit eaque graviora reddidit ; 5° Partem

fundi mihi abstulit, et nihilominus taxam non diminuit; 6° Quando in fine anni rationes conferuntur (*si fanno i conti*), me defraudat; 7° Absque ulla ratione me e fundo eiecit =. Ob haec motiva potestne colonus iuste se compensare?

R. Quoad *primum*: Si pacta sint vere iniusta, affirmo. Iniusta autem censeri debent, si sint graviora illis quae communiter in loco adhibentur. Sed observandum ne forte dominus fundi alia pacta plus aequo mitiora adiecerit, quae plus aequo graviora compensent. Exigit, v. g., plus aliis in vecturis, servitiis, pullis gallinaceis, ovis etc.; sed, ad haec onera compensanda, exigit minus in taxa pecuniaria. — In dubio, pro pactorum iustitia standum est: sed interdum circumstantiae sunt tales ut dubium evanescere faciant, et pacta esse vere iniusta praesumi debeat. Id autem accidit, v. g., quando ex una parte haec pacta vere nimis gravia videntur; et ex alia parte familia est apta atque proportionata fundo, multum laborat, in omnibus parsimoniam adhibet, et nihilominus propria reddituum pars non sufficit.

Quoad *secundum*: adverti debet imprimis quod aliqua praestari debent a colonis, quamvis in pactis non exprimantur, quia subintelliguntur. Huiusmodi sunt munera quae servis et ministris domini a singulis colonis tribui solent. Si autem agatur de laboribus, qui nec expresse nec tacite in pactis comprehenduntur; tunc, si dominus illos postulet aut omnino exigat debitamque mercedem non rependat, compensatio locum habere potest. Sed hic quoque adverti debet 1° ne forte dominus pecuniam, triticum aut alia genera, cum damno emergente, lucro cessante et forsan cum periculo perdendi sortem, absque ullo *interesse* colono mutua dare soleat; 2° ne forte colonus eiusque filii quoad uvam aliosque fructus ante divisionem nimiam libertatem sibi sumant, ita ut de iis non solum manducent sed etiam aliis tradant; 3° ne forte colonus culturam fundi et sive fructuum sive animalium custodiam neglexerit, ita ut domino gravia damna obvenerint. *

Sed quid, si colonus opera non stricte debita praestet, quin dominus fundi ea ullo modo exigat? Poteritne tunc colonus se compensare?

* In praxi tamen coloni haec considerare non videntur; nec semper, maxime post factum, eos a bona fide eruere expediet. Considerationes istae practice iuvare solent non tantum ut pro compensationibus non legitime factis restituant, quantum ut ab iisdem in posterum abstineant.

Resp. Negative ordinarie: ut plurimum enim agitur de servitiis, quae non propter mercedem, sed ad sibi conciliandam domini aestimationem et benevolentiam praestantur; unde, si etiam dominus ex ignorantia, avaritia, vel ingratitudine nihil rependat, nullum ex stricta iustitia ius oriri potest. Huiusmodi sunt servitia quae a colonis praestantur, quando die festo domini domum adeunt. Si tamen dominus haec servitia, quasi ex iustitia deberentur, omnino exigeret; maxime vero si plus aequo colonos occuparet; tunc ex iustitia aliquid, nempe saltem ientaculum, retribuere deberet. — Interdum agitur de diligentia extraordinaria in cultura fundi; sed haec etiam diligentia vel ad finem praedictum sibi conciliandi domini benevolentiam dirigitur, vel a correspondente maioris fructus parte satis compensatur. Nihilominus possunt dari duo casus, in quibus colonus, salva iustitia, pro laboribus extraordinariis, etiam non petitis, aliquid accipere potest. Primus est, si opera praestita nullo modo ad colonum spectent, ut puta, si de arboretis, de magnis plantationibus (*filari*), de fundi complanatione etc. ageretur; et dominus nihil rependeret. Tunc enim, iuxta regulam romani iuris, colonus sumere potest *minimum inter expensum et melioratum;* nempe, si eius labor, v. g., decem et melioratio viginti valeat, sumere potest decem: et si labor decem, et melioratio quinque valeret, quinque dumtaxat sumere posset. Vide Lugo (D. 5. n. 43) et S. Lig. (L. 3. n. 488), qui, de casu simili agentes, eandem decisionem habent. — Secundus est si diligentia sit adeo extraordinaria, et fructus fundi propter illam adeo abundantes evaserint, ut dominus redditibus ei allatis ita contentus sit, ut rationabiliter credi debeat quod, si etiam sciret colonum aliquid ultra suam partem singulis annis surripuisse, illum nihilominus libenter retineret, et ablationem permitteret. Hic casus difficile praesumi potest: sed interdum accidit revera. Cuidam diviti relatum fuit, quemdam eius colonum tres vel quatuor tritici mensuras ei surripere solitum esse; et respondit: ⁼ Quid refert? Fur iste redditum optimum quotannis ad me portat, nec certe tantundem haberem si fundum locarem aut cuivis honestissimo colendum traderem ⁼. Alius, quum colonum aliquid quotannis ex communi massa abstulisse resciverit, illum eiecit; sed, quum a novo colono redditum multo minorem obtineret, primum denuo recepit semperque retinuit. — Unusquisque tamen videt, quantum hoc in puncto periculum abusus et hallucinationis adsit; et solum id dicere volui, ut Confessarius in casu, qui huiusce generis videatur, sciat quod, saltem

post factum, poenitentem (maxime si etiam propter familiae paupertatem et bonitatem domini indulgentia praesumi debeat) in bona fide facilius relinquere potest. Caeterum (ut melius infra videbimus) doctrina theologica est, quod, si fur sit persona domino utilis (prout in casu supposito contingit), malitia furti proportionaliter diminuitur.

Quoad *tertium*: si nempe dominus in pactis promisisset, v. g., fabricam colono utilem vel necessariam, et postea promissis non stetisset: patet quod tunc colonus in proportione damni se compensare posset.

Circa *quartum*: Si pacta nova, quamvis magis gravia prioribus, adhuc sint iusta et suo tempore statuta atque acceptata, tunc colonus nullam se compensandi ius habet; secus si secus.

Circa *quintum*: Si pars ablata sit notabilis, difficile est quod prior taxa adhuc iusta remaneat; et proinde, si evaserit iniusta, colonus se compensare posset.

Circa *sextum*; si nempe dominus fundi, quando in fine anni rationes conferuntur, colonum defraudet; utique tunc compensatio locum habere potest.

Circa *septimum*: Quamvis dominus fundi absque ullo rationabili motivo colonum expellat, iustitiam non violat; contractus enim est ad annum; quo finito tam dominus quam colonus liberi sunt. In hoc itaque casu compensationi locus non datur.

Casus II. Famulus se compensat dicens: = 1° Stipendium est nimis exiguum; 2° Herus ultra debitum me laborare facit. 3° Si infirmus decumbo, partem stipendii mihi non solvit; 4° Si quid casu frango, pretium exigit; 5° Denique iussit me abire ab eius servitio; idque ante tempus =. Suntne haec iusta motiva compensationis?

Resp. *Primum* motivum ordinarie nihil valet. Ut enim valeret, oporteret ante omnia ut stipendium, attentis famuli dotibus et loci consuetudine, infra minimum esset. Id autem difficile est; famulus enim bonis dotibus praeditus servitium cum bono stipendio faciliter invenire solet; unde valde timendum est ne, si minus aliis ei tribuatur, minus aliis etiam mercatur. — Supponendo autem quod, omnibus inspectis, stipendium sit evidenter infra minimum; adhuc potest esse iustum in sequentibus circumstantiis, nempe 1° si defectus stipendii in pecunia, in aliis emolumentis compensetur, v. g., si herus vestes, munera, mensam lautiorem etc famulo tribuat; aut si in ea domo, propter multorum hospitum affluentiam, strenae abundent; 2° si herus famulo non egeret, et ex sola misericordia illum rece-

pisset ; 3° si famulo quidem ageret, sed ita ut famulus minori dexteritate et peritia instructus ei sufficeret. — Motivum itaque stipendii insufficientis, attento etiam periculo hallucinationis, in praxi difficile admitti potest ; et hoc sensu Innoc. XI damnavit sequentem propositionem : « Famuli et famulae domesticae pos- « sunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam « suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt ». — Caeterum potest dari casus, in quo miser famulus ex necessitate servitium cum stipendio valde minore iusto acceptare coactus fuerit, aut in quo herus iustum stipendium prius constitutum, ex mera avaritia et sine ulla ratione infra infimum imminuere voluerit ; et tunc omnes Theologi fatentur, quod famulus, iudicio personae prudentis, se compensare posset. Vide Sporer (n. 83), et Gury (n. 623).

Quoad *secundum* sic dico : Labor erit ultra debitum 1° si famulus assumptus ad unum ministerium adigatur etiam ad aliud, ut puta, si acceptatus ut coquus, postea laborare debeat etiam habitualiter ut olitor ; 2° Si quaedam horae aut quidam labores in pactis expresse excepti fuerint, et postea herus pactis non steterit ; 3° Si, stipendio immutato, labor modo extraordinario creverit ; ut puta, si famulus pro sola familia sumptus, postea aliis, quibus herus victum locaverit, servire cogatur ; nec strenae sufficientem compensationem praebeant ; 4° Si labor, iudicio personae prudentis, vere excessivus iudicari debeat ; ut puta, si herus nec somnum conveniens, nec diebus festis ullam horam liberam famulo relinquat. Quatenus autem ita res se haberent, alicui iustae compensationi locus esse posset.

Circa *tertium* : Facienda est distinctio inter infirmitatem brevem et diuturnam. Si sit brevis, herus ex mercede nihil detrahere potest ; hoc enim pactum ex consuetudine subintelligitur. Secus vero si sit longa. Ad iudicandum autem an satis brevis vel longa sit, habenda est ratio temporis statuti ad servitium ; citius enim poterit herus ex mercede subtractionem facere, si famulus se locaverit ad mensem, quam si ad annum ; sic, v. g., octo vel decem dies respectu anni (nisi tunc, prout contingit ruri tempore messis, extraordinaria famuli necessitas adsit) pro nihilo habentur ; sed respectu mensis valde considerari possunt. Vide Gury (Cas. Vol. 1. n. 972).

Circa *quartum*, dicendum est quod famulus propter fractionem fortuitam et theologice inculpabilem alicuius obiecti, quamvis pretiosi, ad nihil tenetur ; ratio est quia (praescindendo ab aliquibus casibus in quibus damnificationes etiam theologice in-

culpabiles post iudicis sententiam reparari debent) damnificatio debet esse theologice culpabilis, ut reparationem exigendi ius adsit. In casu itaque herus iniuste reparationem exigit; et proinde famulus ad eam coactus in conscientia se compensare potest. (Gury (Cas. n. 575). Excipe nisi pactum speciale ab initio intercedat; ad cuius iustitiam augmentum stipendii necessarium esse potest.

Circa *quintum*: Videndum cur famulus ante tempus expulsus fuerit. Si gravi de causa, v. g., si deprehensus fuerit infidelis aut familiae valde scandalosus, vel si audita in domo cum magno familiae dedecore alibi retulerit, aut nocturnis horis clam discedere deprehensus fuerit etc.; tunc herus (saltem post admonitiones incassum adhibitas) ius habuit eum expellendi etiam ante tempus; hoc enim est pactum tacitum quod semper subintelligitur. Et tunc nulla compensatio locum habere potuit. Si autem herus absque ratione vel propter ordinarios tolerabilesque defectus famulum expulerit; iniuste egit, et tunc famulus se compensare potuit. Gury (n. 970).

Casus III. Venditor aliquid imminuit in pondere et mensura, aut mercem aliquo modo adulterat (quin tamen eam noxiam reddat). Id autem facit ut se compenset, quia emptores iustum pretium dare nolunt. — **Quid de hoc casu?**

Resp. Haec imminutio aut adulteratio potest esse communiter nota, eo quod alii etiam earumdem mercium venditores ita communissime faciant. Sic omnes sciunt quod (saltem in multis locis) libra eorum, qui minutatim piscem vel fructus vendunt, scrupulosa esse non solet, et quod in his generibus unusquisque debet esse contentus, si pro libra (quae duodecim unciis constare deberet) decem vel undecim uncias accipiat. In his casibus Frassinetti (not. 79.) compensationem concedit, nempe venditores ab iniustitia excusat; si enim aliquis nihil in pondere detraheret, pretium quoque augere deberet; et sic emptores non ad illum sed ad alios diverterent. Cf. etiam S. Lig. (n. 533). Interdum alia ratio superadditur; quod nempe emptores, habita iam re empta, illico aliud rei ipsius tantillum (prout alicubi contingit quoad lac, poma, pisces etc.) exigunt.

Si autem imminutio vel adulteratio veram deceptionem constitueret (prout esset in venditione farinae, olei, tritici, panni etc.); tunc, si emptor pretium saltem minimum offerat, iniustitia venditoris esset manifesta, nulloque modo se compensare posset, eo quod pretium medium vel summum obtinere nequiverit. Cf. Gury (Cas. n. 939), et Reuter (n. 160).

Casus IV. Textrix se compensat quia mercatrix (quae telas ei conficiendas tradit), dum prius septem francos pro 100 telae ulnis dabat, nunc pro 120 ulnis solum 7 fr. sicut antea dare vult. Iustane est haec compensatio?

Resp. Si mercatrix sŭo particulari arbitrio illud 20 ulnarum fragmentum insolutum reliquerit; aut si ope monopolii haec immutatio in loco communis evaserit; tunc textrix se compensare posset. Secus vero (et apud nos hic est casus practicus), si absque ullo monopolio factum fuerit, ut septem franci, qui prius 100 ulnarum pretium erant, nunc 120 ulnarum ordinarium pretium evaserint. Monopolium autem in magnis civitatibus neque facile fit neque durat; et nunquam praesumitur, nisi ex rationabilibus indiciis de eo satis constet.

Casus V. Uxor se compensat ex bonis mariti, quia ille domestica bona dilapidat. Quid de hac compensatione?

Resp. Si dilapidet bona dotalia quoad sortem, aut extradotalia sive quoad sortem sive quoad fructus, aut bona quae uxor mercaturam nomine et aere proprio exercens sibi comparavit: tunc uxor ipsa, utpote quae in bonis iure stricto propriis (invita, ut suppono) laesa fuit, se compensare potest. Si vero maritus in bonis non stricto iure ad uxorem pertinentibus rem familiarem dilapidet; tunc uxor abscondere quidem poterit aliqua pro filiis, sed (quamvis ipsa, v. g., in negotiis, cum marito laboraverit) ad veri nominis compensationem procedere non poterit. Cf. D'Annibali (II.° 614. 387) et Scavini (II.° 307. 701).

Casus VI. Frater se compensat, quia prae caeteris fratribus (cum quibus vivente patre aut eo defuncto vivit) magis laborat, maiusque lucrum facit. — An licite se compenset?

Resp. Raro id licebit. Oporteret enim 1° ut labores non essent praestandi propter alimenta quae percipiuntur, aut propter obligationem alendi parentes; tunc enim tenetur filius gratis laborare, quamvis eius fratres laborare nequirent aut nollent. Praescindendo etiam ab hac obligatione, oporteret 2° ut excessus laboris, lucri et meriti esset satis manifestus; sed in praxi de hoc excessu difficile constare solet; forte enim alii fratres lucrantur minus, quia officia lucro minus apta eis assignata fuerunt. Contingere potest insuper quod in posterum infortunia destructura sint lucra in antecessum facta; et quod proinde frater, qui hodie utilitatem praebet, cras damnum allaturus sit. Oporteret 3° ut qui excessivum meritum habet, non habuerit intentionem renuntiandi iuri suo et laborandi gratis tamquam bonus filius bonusque frater propter amorem familiae; unde

scripsit Lugo (D. 5. n. 43) : « Regulariter filium gratuito animo « ea (*opera*) exhibere ; atque adeo non posse postea, mutato « animo (*laboris gratis exhibiti*) solutionem velle ». Ceterum, si de excessu prorsus indebito satis constaret ; si insuper, quamvis, ad non contristandam familiam, apertis verbis stipendium exigere noluerit, tamen gratis laborare non intenderit ; si demum pro infortunio, quod sibi forte in posterum obventurum sit, familiam gravare noluerit ; tunc in conscientia se compensare posset. Id certe probabile est. Vide Lugo (l. c.), S. Lig. (L. 3. n. 488), et Laymann, qui (L. 3. Tr. 14. C. 8. n. 12), postquam retulerit Theologos sentientes filium nihil exigere posse, illico subdit : « Contrarium tamen *non improbabiliter* post Bar- « tolum docent Ang. Lessius etc.... Ex quo inferunt : Si solus « pater lucrum accipiat, nullamque eius partem filio, quasi « societatis iure, relinquat ; tunc tantundem salarii ipsi dare « obligatum esse, quantum extraneo alicui deberet ; saltem si « filius exigat. Sin autem ob metum reverentialem petere non « audeat, vel probe sciat, si petat, se repulsam laturum esse, « consequenter aiunt *filium clam a patre accipere posse* ». Imo idem dicerem si filius gratis quidem laboraverit, sed ex errore ; quatenus scilicet tunc nesciret pro labore extraordinario ius sibi competere posse ; quod si scivisset, gratis laborandi, lucrumque familiae donandi intentionem minime habuisset. Tunc enim ageretur de errore dante causam contractui ; qui, cum sit gratuitus, suapte natura sin minus nullus saltem rescindibilis est. Vide Gury n. 777. Hallucinatio tamen hoc in puncto facilis est, ab eaque cavendum.

Casus VII. Innocens a iudice damnatus se compensat, eo quod ipse nec debitor nec reus sit. Potestne se compensare ?

R. Distinguendum. — Affirmative, si sententia fundetur in falso, v. g., si iudex illum damnaverit ad solvendum debitum, quod iam solverat aut nunquam contraxerat. — Negative, si fundetur in vero, quamvis qui damnatur coram Deo innocens sit. Exemplum est in pastore, qui in iudicio cogitur reparare damna a grege allata, dum ipse inadvertenter consopitus gravique somno correptus vigilare non potuit. Gury (Cas. 1.° 105).

Casus VIII. Propter promissionem non adimpletam. Rarissime ex hoc capite compensatio licebit ; promissiones enim saepe saepius limites simplicis propositi non excedunt, vel ex sola virtute veracitatis et fidelitatis emittuntur a promittente (quasi dicat : *verum dico, crede mihi, fiduciam habe in me*) ; vel demum ex iusta, quae supervenit, causa non adimplentur. Sed

si satis constaret quod promittens ex iustitia se obligaverit et verum ius in promissarium acceptantem transtulerit, nec ullam habeat causam promissionem legitime retractandi; tunc, transacto tempore praefixo, non video cur compensatio permitti nequeat; idque multo magis si promissio remuneratoria fuisset.

Nunc procedamus ad alias conditiones, quae exiguntur, ut compensatio absque iniustitia fieri possit.

350. Secunda conditio est ut *compensatio damno recepto maior non sit.* Hinc

1° Si damnum fuit, v. g., centum, non potes sumere centum et decem. Et si ovis tibi ablata fuerit, neque possis te compensare nisi auferendo vitulum; tunc pretii excessum restituere deberes.

2° Si te compensaveris, et debitor eiusve haeres secutae compensationis ignarus debitum solveret, tunc restituere deberes. Hinc aliqui dicunt, compensatione peracta monendum esse debitorem; sed haec monitio difficilis esse solet, unde raro ista obligatio aderit, quae non a iustitia sed a charitate profluueret.

3° Cavendum ne pro uno debito duplex vel triplex compensatio fiat; ut faciunt non raro coloni; dum, quamvis pater se compensaverit, uxor et filii novas compensationes superaddunt.

351. Tertia conditio. *Compensatio fieri debet ex bonis debitoris.* Hinc

1° Nequis accipere ea quae sunt quidem apud tuum debitorem; sed, v. g., commodata, vel furtiva; vel ad illius uxorem, fratres, filiosve spectantia.

2° Non potes te compensare exigendo credita debitoris tui; absque mandato enim ius exigendi credita non acquiritur; et sic compensatio fieret ex bonis aliorum, qui iterum debita solvere deberent. (Lugo n. 90. et 121).

3° Poteris quidem te compensare ex pecunia, quam tuus debitor mittit ad tertium, antequam ad eum pervenerit; sed non ex pecunia quam tertius ad debitorem tuum mittit, nisi a debitore ipso vel eius mandatario acceptata fuerit.

352. Quarta conditio. *Compensatio non debet esse ullo modo iniusta contra aliquem.* Hinc

Non potes auferre rem tui debitoris apud tertium existentem, si huic obligata sit (v. g. si illi data esset in pignus, aut commodata, aut locata); tunc enim tertio, qui tibi nihil debet, veram iniuriam inferres. Sporer (n. 81).

353. Quinta conditio. *Compensatio fieri nequit in bonis, de quorum ablatione debitor praesumi debeat iuste invitus;* v. g.,

si, loco sumendi pecuniam tibi debitam (prouti posses), equum ei earum vel hic et nunc illi necessarium surriperes. Tunc enim, si adhuc posses sumere pecuniam, equum restituere deberes; atque insuper damna compensare, si forte ex equi ablatione secuta fuissent. Lugo (n. 91).

Quaeritur an quis se compensare possit in pecunia, quia infamiam, mutilationem, percussiones, stuprum etc. passus fuit?

R. Negative ordinarie; id enim iuris nulla lege datur, et subsistere non potest. Ratio est quia, si daretur ius ad bona fortunae propter laesiones in aliis generibus toleratas, quum de casibus adeo frequentibus agatur et impossibile sit determinare quanta summa tali vel tali iniuriae correspondeat; ordo socialis nimis perturbaretur; infinitis enim rerum alienarum ablationibus ianua aperiretur.

Dixi *ordinarie*: si enim quis graviter laesus in honore, in vita, vel in pudicitia satisfactionem exigeret eamque obtinere nequiret, et hac de causa solvere nollet debitum ei qui illum laesit; non esset damnandus. Scripsit Lessius (L. 2. II. 135): « Intulisti Petro damna in fortunis; et ille te graviter contra « iustitiam infamavit: utrum possis illi denegare damnorum « restitutionem, si ipse nolit tibi famam restituere? Respondeo: « probabile est hanc compensationem fieri posse ». Et S. Lig. dixit, « quamplures graves Auctores hanc sententiam tenere, « et iuxta Laymann regulam generalem esse quod *non cogeris « ius suum alteri reddere, si ille recuset reddere tuum* » (n. 521. 999. 1001). Unde in conclusione dicendum videtur, ante factum compensationes huiusmodi, saltem in rebus magni valoris, concedi non posse; sed post factum, non esse damnandum ad restitutionem illum, qui his de causis aliquid abstulit, et legitimam satisfactionem adhuc non obtinuit.

354. Sexta conditio. *Oportet ut debitum sit certum.*

Sed haec regula cum mica salis accipienda est, et explicatione indiget.

In primis intelligi debet de dubio *facti*; non vero de dubio *iuris*; pro quo regula prorsus opposita currit.

355. Dubium *iuris* contingit quando versatur circa ipsum ius, quando scilicet probabile est compensationem licere; prout in casu se compensantis in pecunia eo quod in fama laesus fuerit (iuxta dicta n. 353); item in casu filii-familias, qui interdum (ut probavi n. 349. Cas. VI) pro labore patri non debito probabiliter se compensare potest; demum in casu se compensantis pro legato sibi relicto in testamento informi, dum (inscio hac-

rede) bona defuncti apud se habet (S. Lig. L. 3 n. 521. et Tambur. Dec. L. 1. c. 3. § 3. n. 18). In his aliisque casibus, in quibus pro compensationis iustitia et liceitate solida probabilitas adest, haec ipsa compensatio practice licet. Ratio est quia in actionibus nostris non oportet ut semper habeamus certitudinem directam de licito, sed sufficit ut nos licite agere probabiliter et prudenter existimemus; iuxta dicta (n. 12. 13). Ad rem Lugo (D. 16. n. 97): « Quotiescumque probabilitas versaretur « circa ipsam compensationem, possum licite compensare oc- « culte debitum, sequendo opinionem aliquam probabilem, quae « dicat non solum rem esse meam, sed me posse licite uti com- « pensatione; et quoad hoc omnes debemus convenire ».

356. Dubium autem *facti* contingit, quando versatur circa factum, v. g., an Titius debitum tibi solverit, vel debitum erga te contraxerit.

Dubia huiusmodi non raro ex quibusdam praesumtionibus, nempe rei ipsius naturam et circumstantias considerando, in certitudinem convertuntur. Me explico.

Dubitas, v. g., an Titius debitum tibi solverit. — Si Titius soleat sua debita solvere diligenter; tu vero labilem memoriam habeas vel rebus tuis parum attendas; tunc solutionem fuisse adimpletam satis certum erit. — Si e contra Titius in debitis persolvendis negligens sit, et tu bona pollens memoria debiti soluti non recorderis; tunc, non obstante aliquo indicio in contrarium, de debito non soluto satis certus esse poteris.

Item dubitas, utrum Titius debitum erga te contraxerit; seu utrum rem tuam possideat. — Si Titius sit vir probus, et difficile sit quod res tua cum rebus illius, neutro advertente, se immiscuerit; iam certum erit, Titium de tuo nihil habere. Si e contra sit malae famae aut facile sit quod res tua cum rebus illius, neutro advertente, se immiscuerit; et si insuper res apud illum existens ex vehementibus indiciis tua esse videatur; tunc sufficiens certitudo in tuum favorem constituetur.

Si autem, rei naturam considerando, certitudinem habere nequeas; tunc inquisitiones moraliter possibiles et rei gravitati proportionatas facere debes; secus enim magno periculo laedendi ius alterius inexcusabiliter prorsus te exponeres. Inquisitio magis obvia est ut debitor in ius vocetur aut privatim interpelletur. Si ille debitum recognoscat, quaestio finita est. Si debitum firmiter deneget sitque vir probus, atque insuper pro debito soluto aut non contracto argumenta satis valida adducat;

tunc pariter de dubiis actum erit *. Si demum ipse quoque dubitet, aut argumentis dolum olentibus se defendat; tunc creditum tuum magis probabile et quandoque moraliter certum evadere poterit.

357. Sed quid si haec media adhiberi nequeant, aut, iis etiam adhibitis, dubius remaneas? Id accidit speciatim quando agitur de debitoribus ex furto, aut de iis qui, occasione sumpta a morte creditoris, haeredibus dicunt se debitum solvisse. Si itaque in huiusmodi casibus probabiliter existimes te creditum contra alium habere, potesne ad occultam compensationem procedere?

Resp. Negative, saltem ordinarie. Si enim id concederetur, attento etiam periculo hallucinationis, ianua nimis lata furtis aperiretur; et proprietates nimio discrimini expositae remanerent.

Dixi *saltem ordinarie*: quando enim qui se compensat potiori iure roboratur, videtur quod compensatio, etiam in dubio, interdum licita, et interdum minus illicita sit.

Erit licita si creditum tuum sit certum et circa eius extinctionem dumtaxat dubium versetur; ita ut probabiliter aut probabilius solutum tibi non fuerit. Tunc enim ob ius acquisitum (quod maximam vim habet) etiam in foro externo litem vicisses; unde axioma « In dubio nemo est privandus iure sibi quaesito ».

Erit minus illicita si de tuo credito probabilitatem maiorem habeas. Quamvis enim in dubio circa creditum tuum melior sit conditio alterius, utpote possidentis; tamen excessus probabilitatis quae tibi favet, nedum probabilitatem contrariam, sed etiam vim possessionis, qua alter roboratur, vincere potest: unde etiam in foro externo in huiusmodi casibus iudex actori contra possessorem sententiam dicere potest, prout etiam S. Lig. (L. 4. n. 210) docet. Regula enim iuris non dicit absolute: *In dubio*, sed *In dubio et* IN PARI CAUSA *melior est conditio possidentis*. Idque a fortiori si probabilis debitor talis sit ratione furti; maxime vero si res, quam occulte aufers, eadem in individuo esse videatur, quae tibi per furtum ablata fuit; tunc enim possessor probabiliter per furtum possedit, quo casu possessio illius multo minus valet. Hinc Salmanticenses (Tr. 13. c. 1. n. 329) dicunt: « Maior probabilitas ex parte compensantis

* Testimonium unius (si sit fide dignissimus), quamvis sufficere possit ut certitudo habeatur; nihilominus leges tam civiles quam canonicae statuunt nunquam sufficere ut nos ad aliquid obligemur. Id autem pro bono communi ad fraudes evitandas statutum fuit. Hinc dixi quod praeter creditoris testimonium alia argumenta exiguntur. Vide S. Lig. n. 654.

« vincere potest ius possessionis, quod erat ex parte debitoris ».

Attamen in praxi habenae non sunt laxandae ; unde dixi compensationem non iam licitam, sed solum minus illicitam esse.

Sedulo advertendum quod compensatio facilius permitti potest si res debitoris tui probabilis apud te sit, quam si ad spolium procedere deberes.

358. Sed quid si quis compensationem iam sit executus, gravibus quidem indiciis ductus sed non sufficientibus ut ad spolium licite procedere potuerit ? Teneturne ad restitutionem ?

Resp. Quaestionem istam resolvam infra ( n. 386 ).

359. Septima conditio. *Oportet ut debitum sit maturum et liquidum.* Attamen compensatio propter praevisionem quod debitor debito suo non sit satisfacturus permittitur, si hoc periculum sit verum, ut puta, si debitoris negotia corruere incoeperint ; tunc enim creditor ius habet ad pignus vel ad aliam securitatem, qua non praestita, creditor se tueri potest. Si tamen res ad hanc securitatem ablata esset fructifera, tunc fructus ante debiti maturitatem percepti non iam se compensanti sed debitori spectarent.

360. Ex conditionibus hucusque recensitis sequentes casus resolves.

I. Titius scit aut valde dubitat quod Caius frater suus, cum quo in domo paterna vivit, furtum domesticum centum aureorum, vivente patre, commiserit. Quaeritur an Titius, salva iustitia, ex bonis domesticis se compensare possit ?

R. Videndum imprimis an compensatio fiat vivente patre, vel eo defuncto.

Vivente patre, Titius nihil sumere potest, quia ex bonis non fratris, sed patris se compensaret. Excipe nisi patris consensum iure praesumere posset.

Mortuo patre, eiusque haereditate filiis obventa, cavendum est ne compensatio in damnum fratrum ( qui nihil furati fuerint ) redundet. Loquendo autem de compensatione contra solum Caium, si Titius sit certus de illius furto, tunc ad compensationem ( intellige semper in proportione damni habiti iuxta numerum fratrum ) procedere poterit ; haeres enim in iura defuncti succedit. Secus vero, si de furto certus non sit. Si tamen cum magno dubio de furto fratris se compensaverit, vide dicenda ( n. 386 ).

II. Mulier rusticana dicit : = Nonnullos pullos gallinaceos vicinis meis surripui propter sequentes rationes ; nempe 1° Quia pulli mei perduntur, et ego capio alienos ; 2° Quia certe scio

aut dubito quod vicini pullos meos capiant ; 3° Quia pulli a me accepti, quum adhuc exigui essent, meis se miscuerunt et sic ex esca mea creverunt ; 4° Quia pulli vicinorum in nostro agro vescuntur et damna nobis afferunt ⁂. Quid de rationibus istis?

Hic casus ineptiam sapit et risum movet : sed, quum sit practicissimus, de eo quoque agendum est. Sic itaque respondeo.

*Prima ratio* certe non valet, si mulier de vicinorum honestate rationabiliter dubitare nequeat; ita ut pullorum amissio potius noxiis animalibus aut latrunculis per viam transeuntibus attribuenda sit. Idem dic si mulier de unius vicini dumtaxat honestate dubitaret, et ipsa aliorum etiam pullos caperet.

*Secunda* valet quando mulier de vicinorum furtis sit moraliter certa. In dubio ; si dubium sit leve, nihil accipere potest et pro acceptis ad restitutionem tenetur. Si sit grave ; ante factum a pullis capiendis prudenter deterreri debet ; sed post factum ad restitutionem (saltem pro toto) iuxta aliquos obligari nequit, ut infra (n. 386) videbimus.

*Tertia* valet saltem ordinarie. Agitur enim de re quae fere ex toto ei debetur, et aliunde credi potest quod vicini quid simile faciant. Si tamen illi pullos propria esca nutritos restituerent ; tunc ipsa quoque ad restitutionem teneretur.

Ceterum mulier adhortari deberet ut statim ac advertit pullum vicini cum suis (quando escam eis distribuit) commisceri, vicinum ipsum admoneat ut pullum suum occidat aut ei vendat.

*Quarta* ratio certe non valet si damna sint reciproca. Et, si etiam non essent reciproca, sensus communis habet quod damnum passus posset quidem agrum suum ita munire ut dicta animalia vicini ingredi nequeant ; sed non illa occidere aut aliis modis ad compensationem procedere. Ratio est quia vicinus (nisi dolose procedat) ex iustitia nihil alicui rependere debet, quamvis haec sua animalia huc illuc in aliorum agris vagentur et vescantur ; huiusmodi enim damna in fundorum venditione et locatione computantur. Deficiente autem debito ex iustitia, compensatio concedi nequit. Aliud dici deberet si de anseribus, de pullis indicis (*tacchini*), de ovibus, et de suibus (quae animalia custodiri debent) ageretur. Si enim haec animalia in aliorum agris, propter custodiae defectum, frequenter vescerentur et notabile damnum non reciprocum inferrent ; tunc obligatio restitutionis ex iustitia adesset, et proinde ius compensationis locum haberet.

Et haec quoad compensationis iustitiam satis sint. Sed non sufficit ut compensatio licita sit, inspecta iustitia ; bene vero

oportet ut nullam aliam virtutem offendat, atque ut sub quovis respectu licita remaneat. Hinc

QUAESTIO II.

*Quaenam aliae conditiones exigantur, ut compensatio sub quovis respectu licita sit?*

361. Prima conditio. *Oportet ut debitum nullo alio modo aut non nisi difficile recuperari queat.* Agitur enim de re nimiis periculis malisque consequentiis subiecta; unde quamvis (iure subsistente) non de facili sub gravi interdici debeat, ne de facili quidem prorsus permitti potest. Ceterum impossibilitas probandi debitum in iudicio, evitatio litium aut magnarum expensarum, imo et periculum amittendi benevolentiam debitoris et damna exinde subeundi, sunt causae sufficientes ut occulta compensatio permitti possit. Lugo (n. 91), Gury (n. 625).

362. Secunda conditio. *Oportet ut propter compensationem aliqua magna ruina non sit oritura, quae ex charitate vel erga seipsum vel erga alios omnino evitari debeat.* Magnum, v. g., adest periculum ne qui se compensat detegatur et tamquam fur ab officio, a servitio, a fundo etc., cum maxima sui suaeque familiae ruina, eiiciatur. Adest periculum ne filii, qui vident patrem rem alienam auferentem, scandalizentur. Adest periculum ne aliquis (v. g. famulus, aut rei ablatae depositarius, custos etc.) de furto aut incuria culpetur. Adest periculum ne magna iurgia sequantur, ne familiae pax turbetur etc. Quis non videt quod, si ruina praevisa sit magna et si debitum sit exiguum, charitas exigit ut creditor patientiam adhibeat et potius illud minoris momenti detrimentum patiatur? Idem dic si tu sis dives, et propter compensationis executionem alii creditores pauperrimi et miserrimi insoluti remanere cogerentur; saltem si de summa non adeo magna agatur; speciatim vero si illi, ex maiori antiquitate debiti vel aliis de causis, ius praelationis plus vel minus certum haberent. Idem dic demum si compensatio non occulte sed violenter et armata manu fieret, circa quod vide Lugo (n. 133) et Palao (Tr. 24. d. 1. p. 16. § 3).

§ II.

*De aliis ablationibus rei alienae minime iniuriosis.*

Ablatio non est iniuriosa 1° si dominus non sit invitus; 2° si sit invitus irrationabiliter.

QUAESTIO I.

*Quandonam ablatio non sit iniuriosa, eo quod dominus non sit invitus?*

363. Resp. I° *Si quid sumatur, domino vidente et non contradicente, dummodo tamen faciliter contradicere possit et non contradicat*; si enim ex timore vel quadam verecundia sileret, tunc ablatio iniuriam et proinde furti malitiam retineret.

Hinc excusantur qui in sylvis vel pinetis nationalibus, comunalibus, aut privatis caedunt ligna arida vel etiam virida nullius momenti de quibus domini non curant; quo in puncto, iuxta locorum diversitates, maior vel minor tolerantia habetur. Gousset (n. 983), et Scavini (v. 2. n. 793).

II°. *Si quid ex ioco et cum intentione illud restituendi surripiatur*; si enim dominus sciret quod non de ablatione seria sed de ioco agitur, contentus esset. Excipe nisi dominus de ablatione ipsa, ut ut ex ioco facta, nimis perturbetur. Cavendum est etiam ne alii damnum patiantur, eo quod dominus, nesciens quod de ioco agitur, suspectus contra hunc vel illum concepturus sit; unde res brevi declarari debet.

III°. *Si non temere sed cum fundamento iudicandum sit, dominum esse contentum*, eo quod, v. g., agatur de amico vel consanguineo absente, qui, si praesens esset et rogaretur, certe consentiret. Dixi *absente*; si enim dominus praesens sit et de facili rogari possit, supponi nequit quod ablationi clandestinae (maxime si agatur de re momentosa) consentiat. Si tamen credi debeat quod, si rogaretur, certe consentiret; tunc non quoad substantiam sed dumtaxat quoad modum invitus esse poterit. Et tunc culpa, quamvis ordinarie sit venialis, interdum potest esse mortalis; si nempe domino valde intersit ut in tali casu licentia petatur. Attamen obligatio restitutionis non aderit. Lugo (21. 53).

Pro praxi sedulo observandum quod domini interdum, quamvis sint graviter inviti contra furti auctorem, commiserationem habent, v. g., erga miseras uxores quae res furtivas domum delatas accipere, coquere et manducare coguntur.

QUAESTIO II.

*Quandonam ablatio non sit iniusta, eo quod dominus, quamvis sit invitus, talis tamen non sit rationabiliter?*

364. Primus casus. *Si quid alicui surripiatur ad grave malum impediendum, ita ut iuxta sensum communem tunc cha-*

*ritas iustitiae praevaleat.* Titius, v. g., seipsum aut alium occidere vult, et ego gladium ei aufero. Caius, quando habet pecuniam, in ludis et ebrietatibus illam obligurit; et proinde eius uxor (quin maiora mala provocet) tempestive pecuniâ ipsâ eum expilat. — Idem dic de amico, qui pessimum librum amico surriperet, etc. Hoc enim quid bene ordinatum apparet; unde contra iustitiam (quae propter ordinem est) esse non potest. Haec tamen doctrina cum magna moderatione intelligi debet: non enim statui potest regula generalis, quasi liceret rem alienam surripere toties quoties dominus rebus suis abutitur aut obligationibus suis non satisfacit. Hinc ex eo quod uxor vel amicus se gerere possint ut supra, eandem libertatem famuli aut extranei (nisi ageretur de delicto enormi et imminenti) sibi sumere nequeunt; neque quia Sempronius, v. g., ex charitate aut voto aut poenitentia sacramentali Terentio pauperi eleemosynam dare debeat, ius erit Terentio eleemosynam ipsam clam surripiendi; quamvis enim tunc Sempronius irrationabiliter eleemosynam deneget, attamen ius habet ne quisquam ei aliquid surripiat, et proinde de huiusmodi ablatione rationabiliter est invitus. Vide Lugo (D. 21. n. 33).

Secundus casus. *Si urgeat necessitas; dummodo tamen haec sit talis, ut iuxta sensum communem tunc rei ablatio reprobari nequeat.*

Casus huiusmodi nequeunt esse frequentes; secus enim ius proprietatis et ordo socialis nimis perturbaretur; sed in casibus raris id vere licet. Ratio est quia bona temporalia pro humanis necessitatibus a Deo primitus creata fuerunt. Equidem propter mundi pacem aliasque rationes necesse fuit, ut haec bona per successivas occupationes dividerentur atque occupantium propria evaderent. Necesse fuit quoque ut in necessitatibus frequentibus et ordinariis, quamvis valde gravibus (quibus fere omnes pauperes saepe saepius premuntur), nemo ad aliena bona manum admoveret; sed nullo modo oportuit ut hoc vetitum, etiam ad casus raros et extraordinarios, qui ordinem nihil vel parum perturbent, contra primitivam et principalem Creatoris intentionem extenderetur.

Tota itaque difficultas reducitur ad determinandum quales sint hi casus rari.

De necessitate extrema nemo est qui dubitet; omnesque fatentur quod in tali casu res aliena surripi potest; quia tunc perinde est ac si ipsa dominum non haberet, et adhuc a nemine occupata fuisset; unde semper dictum fuit quod *in extrema*

*necessitate omnia sunt communia.* Sed in tali necessitate licetne surripere rem etiam magni valoris? Illa vero consumpta, abestne obligatio solvendi pretium? Utrique quaestioni affirmative respondeo, dummodo agatur de malo non solum horribili (v. g., morte, mutilatione), sed etiam imminenti, quod aliter evitari nequeat. Insequentibus, v. g., inimicis te interficere volentibus, equum alienum ad fugiendum surripis, qui cursu nimis concitato moritur. Suborta tempestate et magno imminente submersionis periculo, merces alienas in mare proiicis ut navem et te salves. Porro in huiusmodi circumstantiis nihil pretii, quamvis sis dives, solvere teneris, quia non iam ex tacita emptione (prout multi opinantur), sed ex propriae conservationis et defensionis iure res alienas sumpsisti; et hoc ius in casibus adeo horribilibus (naturali instinctu ita dictante) rerum ipsarum valorem minime respicit. Quoad primam assertionem vide Salmant. (13. 5. 35) et Laymann (3. 1. 1. 7). Quoad secundam S. Lig. (n. 520. III).

Sed quid si de casu ita horribili et imminenti non agatur? TT. communiter dicunt, rei alienae ablationem in extrema necessitate dumtaxat licitam esse; sed plures censent, necessitatem esse satis extremam, quamvis casus non stricte immineat, aut de malis adeo horribilibus non agatur. Cf. Lugo (16. 135). Nonnulli adhuc mitius loquuntur. Lessius (2. 12. 71): « Probabile est « non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate morbi, « famis, nuditatis posse te clanculum surripere ab opulentis, « si aliter grave illud malum avertere nequeas.... Per gravem « intelligo non quovis modo gravem, sed valde gravem ». Lugo (l. c. 156): « Ob necessitatem levem non licere surripere rem « gravem... Si autem res levis sit quae accipitur, aliquando « licite accipietur ob necessitatem *non gravem*, v. g., si ad « vitandum dolorem gravem capitis non diuturnum, sed diurnum « vel biduanum, indigeas uno pane, qualem dominus facillime « dare posset, non videtur negandum tibi ius ad illum accipien- « dum, si dominus rogatus dare nollet, vel de hoc dubites ». — Dices: Nonne hae doctrinae incidunt in propositionem damnatam, quae dicebat: « Permissum est furari non solum in extrema « necessitate, sed etiam in gravi »? Resp. Nequaquam. Haec enim propositio proscripta fuit propter suam generalitatem; vae enim si propter quamlibet necessitatem, quae utcumque gravis dici possit, absque ulla distinctione res alienas surripere liceret! Scripsit Billuart (Diss. XI. a. 6): « Neque timendum est ne « incurratur in propositionem damnatam; quia propositio da- « mnata loquitur de necessitate *indefinite* gravi ».

Quid igitur concludendum ? Censeo 1° quod, quamvis non agatur de casibus horribilibus mortis et mutilationis, interdum liceat rem alienam surripere; idque quando praesumi debeat quod dominus consentiat, aut satis appareat quod non consentire stultitia aut maxima malignitas esset. Quid enim si quis nollet ut nudus in platea vestem surriperet ? 2° Considerandum an dominus rei suae hic et nunc necessitatem habeat ; quid enim si nudus me denudare vellet ? Considerandum quoque ne rei illius surreptio medium excessivum appareat ; quid enim si quis ad sanitatem recuperandam mille aureos ad id necessarios surripere vellet ? ( Lugo l. c. 154 ). In his enim et similibus circumstantiis dominus rationabiliter resistere potest. 3° In casibus necessitatis non extremae, si quando liceat rem alienam surripere, sin minus semper saltem ordinarie, si media suppetant, ipsius rei consumptae pretium solvendi obligatio remanebit. Lugo ( 21. 6 ). 5° Confessarii hoc in puncto habenas non laxabunt; sed in quibusdam casibus raris, qui non solum gravem necessitatem, sed etiam veram angustiam undequaque ineluctabilem praeseferunt, maxime post factum, ab inconsulta severitate prudenter abstinebunt. Advertere etiam debent, quod si forte necessitas non sit tanta, ut malitia furti prorsus evanescat; saltem potest sufficere ut poenitens venialiter dumtaxat delinquat. Vide infra ( n. 369 ).

Tertius casus, valde practicus respicit *famulos, filios-familias, et uxores clam sumentes aliquid eis debitum, quod si peterent non obtinerent.*

*Quoad famulos* scripsit Sporer ( n. 83 ): « Quando dominus « famulis et ancillis, considerato eorum labore, loci consuetudine « et necessitate, non praebet sufficientem victum, atque illi alia « via ( utpote dominum monendo, orando etc. ) quod sibi debitum « esset, consequi non possunt; tunc etiam licite aliqua occulta « compensatione uti poterunt, maxime in esculentis cum fames « ( *non gula* ) stimulat ».

*Quoad filios-familias* scripserunt Salmanticenses ( Tr. 13. c. 3. n. 44 ): « Neque peccaret nec teneretur restituere ( filius ), « si aliter a patre non potest res necessarias accipere secundum « suum statum ad victum, vestitum etc. ; quia ius habet ut a « patre sustentetur..... Excusatur filius a furto si pater esset « irrationabiliter invitus, ut acciperet illa, quae more aliorum « suae conditionis expensurus est in licitis et honestis recrea- « tionibus ».

*Quoad uxores* sequentia scripsit Lugo ( D. 16. n. 64 - 72 ):

« Posse (uxorem) accipere ad sumptus vel ad eleemosynas et « donationes, secundum eam mensuram qua aliae suae conditionis « et status, et attenta necessitate vel abundantia et aliis familiae « oneribus, expendere solent. Nam haec videntur includi in su- « stentatione debita uxori, ad quam vir ob matrimonium sese « obligavit. — Petes, quid si maritus id sciens, prohibeat positive « uxori ne accipiat vel expendat etiam in eleemosynas?... Puto « ut tunc non possit uxor ea accipere vel expendere, quando vir « providet...; v. g., si vir dicat, ego volo ut fiant ex nostris « bonis eleemosynae iuxta nostrum statum; eas tamen ego fa- « cio... Fateor tamen, cum uxor non sit mancipium sed socia, « posse ipsam aliqua modica accipere vel expendere (*etiam « tunc*)...; ipsa enim libertas in sumptibus modicis videtur esse « aliquid pertinens ad decentiam suae conditionis » *.

« Posse etiam expendere ea quae necessaria sunt ad impe- « diendum damnum aliquod familiae impendens... Unde si ma- « ritus in familiae praeiudicium bona dilapidet vel prodigat, « potest uxor ea abscondere et reservare in bonum familiae.... « Unde infertur quid dicendum sit de matre quae filium ex « occulte acceptis alebat in bello... quum stipendio solum belli « vivere pro sua dignitate non posset. In quo casu responsum « fuit a multis viris doctis id matri licere. Et merito, quia « pater debebat filium alere...; quare, patre suo muneri non « satisfacienti, poterat mater eius defectum supplere ».

« Non peccare uxorem, si accipiat pro rebus aliis sibi vel « familiae necessariis, ut pro victu, vestitu et similibus ».

« Poterit parentibus, vel filiis (prioris matrimonii), et for- « tasse etiam fratribus graviter indigentibus subvenire sine « praeiudicio suae familiae et magno detrimento... Imo id etiam « videtur probabile, licet indotata nupserit...; uxor enim non « videtur solum habere ius ad nuda alimenta; sed videtur esse « particeps bonorum et rei familiaris aliquo modo... Unde, licet « quoad administrationem uxor sit subordinata viro, aequum « tamen est ut ipse permittat suae coniugi cum debita mode- « ratione usum bonorum ad necessitates graves suorum suble- « vandas... Notat autem bene Molina, debere tunc uxorem ab « aliis eleemosynis faciendis abstinere, computando nimirum « hoc, quod parentibus dat, loco earum eleemosynarum quas « posset alioquin licite facere ».

* Adde quod si nullam eleemosynam facere posset, tunc a pauperibus male haberetur et tamquam avara et immisericors traduceretur.

Haec omnia, tum quoad famulos tum quoad filios-familias tum quoad uxores dicta, vera sunt, inspecta iustitia; sed in praxi periculum hallucinationis et excessus plus vel minus adesse solet, maxime quando agitur de personis luxui deditis, aut de matribus levissimis quae pro filiarum ornatu, vel eo quod nimio erga filios amore abripiantur, omnes limites praetergrediuntur. Adde quod res ablatae infimo pretio, et non raro valde infra infimum, venduntur. Adde demum periculum provocandi discordias domesticas, si forte clandestinae ablationes tandem resciantur. Confessarii itaque in his ablationibus permittendis caute procedant.

## PUNCTUM II.

### DE FURTO.

365. Agam de furto 1° quoad gravitatem; 2° quoad speciem et numerum.

### § I.

### *De furto quoad gravitatem.*

Circa gravitatem furti duo principia generalia et plures regulas speciales exponam.

#### *Principia generalia.*

366. I. Si materia ablata tanta sit ut furtum producat damnum grave, et credi debeat quod dominus sit graviter et rationabiliter invitus; tunc furtum est grave. Dixi *rationabiliter*, si enim tristitiae excessus non esset rationabilis, sed ex avaritia oriretur; furti gravitatem producere nequiret. Gury (n. 606).

Gravitas materiae ex hoc principio deducta dicitur *relativa*: et propter multas circumstantias varia esse potest.

II. Ad furtum grave constituendum non semper exigitur, ut dominus ex eo furto praecise grave damnum patiatur et sit graviter invitus (forte enim viri ditissimi, v. g., principes et reges, 100 francorum amissionem pro nihilo haberent); sed bonum publicum clamat ut summae notabilis ablatio sub gravi semper interdicatur; si enim sub levi dumtaxat interdiceretur, tunc alii et alii magni lucri aviditate allecti et a peccati gravitate

minime deterriti, ad huiusmodi furta procederent; et sic divites, qui, propter unum vel alterum (ut ut summae notabilis) furtum, non graviter laederentur, ex illorum frequentia et multitudine gravissima damna paterentur; unde oportet omnino ut haec ipsa furta etiam singillatim sub gravi interdicantur; non enim, ut dicit Lugo (D. 16. n. 29), mensurandum est damnum ex semel facto sed ex semel licito.

Gravitas materiae, quae ex hoc principio deducitur, *absoluta* appellatur; et in praxi paucis variationibus subiici potest.

Sed haec principia (ut practice deserviant) sequentibus explicationibus et determinationibus indigent.

### *Regulae speciales*

*pro casibus, in quibus a sola quantitate materiae et conditione personae spoliatae furti gravitas aestimatur.*

367. Regula I. = Materia absolute gravis (quae scilicet furtum grave constituit quamvis dominus sit ditissimus) hodie in 30 francis probabiliter reponi potest. Maior autem summa exigitur, ubi aurum extraordinarie abundat =.

Ratio est quia Auctores probati saeculis anteactis pro materia absolute gravi duos vel tres aureos (qui decem vel quindecim francis circiter correspondent) exigebant. Cf. S. Lig. (n. 527 in fin.). In hoc autem saeculo, ut patet ex communi tum quoad res tum quoad opera pretii augmento, pecuniae valor notabiliter decrevit; unde pecunia ipsa minus aestimatur; et sic hodie 30 franci praedictis tribus aureis aequivalere iure existimantur. Cf. Frassinetti (V. I. not. 65), Del-Vecchio (n. 363), Ballerini (n. 607) et D'Annibali, qui (II. 193) scripsit: « Pro praesenti num-« morum valore.... grave *per se* (furtum dixerim) quod 30 « circiter libellas exsuperat ».

Regula II. = Materia relative gravis (quae scilicet non solum ditissimis sed etiam aliis proportionatur) in ea summa reponi potest, quae domino ad suam suaeque familiae sustentationem uno die sufficeret, computando non solum victum, sed etiam vestitum et habitationem; ita tamen ut non ultra praedictos 30 francos procedatur =.

Haec regula, quae receptissima est et S. Ligorii (n. 527) auctoritate firmatur, sic magis distincte declarari potest:

Pro iis qui *misere* vivunt (quales sunt ordinarie pauperes mendicantes) furtum erit grave, si eis auferatur circiter Fr. 1.

Pro iis qui *parce* vivunt (quales sunt communiter operarii), circiter Fr. 2.

Pro iis qui *sat commode* vivunt, circiter Fr. 3-4.

Pro iis qui *valde commode* vivunt, circiter Fr. 5-6.

Pro iis qui *laute* vivunt (nempe quoad absolute divites), Fr. 7-9.

Pro iis qui *lautissime* vivunt (videlicet quoad ditissimos), Fr. 10-20-30; iuxta divitiarum gradum, qui etiam inter ditissimos magnopere variat.

### *Regulae speciales*

*pro casibus, in quibus, attenta quantitate materiae et conditione personae spoliatae, furtum esset leve; sed, attentis aliis circumstantiis, grave evadere potest.*

368. Furtum rei levis fit grave tribus modis; nempe 1° ita ut rem ablatam restituere non sufficiat; 2° ita ut res ablata sub gravi restitui debeat; 3° ita ut restitutionis obligatio levis remaneat.

*Quoad primum.* Rem ablatam restituere non sufficit, si, praeter materiae levis ablationem, aliud damnum grave a fure praevisum et iniuste causatum superaddatur.

Oportet itaque 1° ut agatur *de damno.* Celebre est exemplum illius qui surripit acum sartori, ita ut, eo sublato, uno vel altero die sine opere remanere cogatur.

Oportet 2° ut damnum fuerit *praevisum.* Sed hic distinctio valde necessaria attendi debet. Haec enim praevisio utique requiritur quoad damna nimis improportionata et extraordinaria, quae ne in confuso quidem praevideri solent. Sic qui surripit acum sartori, ut modo dicebam, de praedicto magno damno teneri nequit, nisi illud praeviderit. Idem dic si quis, v. g., noctu cannabem iam furatus fuerit; et cadens cum laterna incendium produxerit; quo casu de cannabe quidem ablata, sed non de aliis rebus incendio destructis, tenebitur. Lugo (18. 88). — Si autem agatur de damnis verisimilibus aut saltem in confuso praevidibilibus (v. g., si quis saepe saepius surripiat vinum ex dolio, unde propter aquam adiunctam adveniente aestate marcescat); fur haec damna reparare tenetur, quamvis reflexe de iis non cogitaverit. Non tamen teneretur, si, propter aliquam circumstantiam, firmam habuisset persuasionem quod damna nullo modo aut difficillime oriri possent.

Oportet 3° ut damnum fuerit *iniuste causatum.* Intrasti, v.

g., domum alienam apertis per vim ianuis, et, exiguo furto commisso, postea exiisti, relicta porta per totam noctem aperta; qua occasione alii transeuntes intrarunt domumque penitus spoliarunt. Utique tunc teneris etiam de hoc damno, quia actio illa effringendi fores et relinquendi domum apertam (etiamsi nihil abstulisses) iam per se esset contra iustitiam, propter periculum cui rem familiarem et bona omnia domestica exponebas, ut fures nocturni ingredi possent. Lugo (18. 87). Aliud exemplum dari potest in eo qui non solum furatus esset aliquot uvae racemos, sed etiam alios ad uvam surripiendam incitasset. Utique haec etiam incitatio esset causa iniusta damni. Si vero neminem incitasset; tunc, quamvis praevidisset alios per eandem viam transeuntes suo exemplo allectos vineam esse ingressuros, gravius quidem peccasset, sed iniusta causa damni non fuisset. Esset quidem occasio iniustitiae, sed non ipse (quoad hoc) iniustus; nusquam enim auditum est quod, titulo solius mali exempli, contra aliquem pro damnorum reparatione actio detur. Sed de his alibi sermo redibit.

Quod autem, subsistente damno gravi, praeviso et iniuste causato, non sufficiat si fur rem ablatam restituat, sed hoc quoque damnum reparare debeat, per se manifestum est.

*Quoad secundum casum* considerari debet quod furtum rei levis, quamvis fur nullum aliud damnum iniuste causet, in quibusdam circumstantiis non solum grave peccatum, sed etiam gravem obligationem restituendi rem levem ablatam, producere potest. Circumstantiae huiusmodi sunt sequentes.

1°. Si furtum (ut ut in se leve) maximam tristitiam domino afferat, prout contingere potest, v. g., si quis mnemosynon vel carissimam imaginem furetur. (Cessante tamen tristitia, obligatio gravis restituendi cessat).

2°. Si necesse sit prohibere sub gravi furtum leve, ne gravissimo detrimento dominus exponatur, quamvis (ut dixi) detrimentum ipsum fur non causet. Scripsit Lugo (D. 16. n. 59): « Non nego posse dari casum, quo singuli modica accipientes « graviter peccent, et restituere sub mortali teneantur. Si, v. « g., videant simul ab aliis modica accipientibus vineam devastari vel haerarium exhauriri, quando, v. g., mensa nummularii in foro decidente et effusa in terra pecunia, singuli « accurrunt, singulos argenteos arrepturi... Quo casu, nisi singulis id graviter prohibeatur, irreparabiliter damnum gravissimum domino imminet ». Gravis autem obligatio restitutionis tunc magis clare percipitur quando, me restituente, alii meo

exemplo allecti restituturi sint, ut bene notat Laymann (De Rest. Tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3).

*Quoad tertium casum* facile intelligitur quod aliquando, obligatione restituendi remanente levi, furtum rei levis potest esse grave; ut puta, si minae, terrores, percussiones etc. intercederent.

### *Regulae speciales*

*pro casibus in quibus, attenta quantitate materiae, furtum esset grave; sed, attentis aliis circumstantiis, leve cadere potest.*

369. Circumstantiae huiusmodi sunt sequentes.

I. *Necessitas gravis.* Dixi supra, necessitatem esse posse ita gravem ut furti malitiam auferat omnino. Si autem non sit adeo gravis, dummodo non sit voluntaria (prout est in multis qui in necessitate versantur, quia laborare nolunt aut labore lucrata in vitiis dissipant), tunc malitiam ipsam plus vel minus diminuere poterit; et interdum efficere ut furtum, quod, seclusa ea necessitate, mortale esset, ea extante, veniale evadat. S. Raymundus (L. 2. tit. 6. § 6) dixit: « Si autem non patitur ita « magnam (necessitatem), peccat; attenuatur tamen peccatum « propter necessitatem ». Et Laymann (Tr. 3. p. 1. c. 1) subiunxit: « *Non facile mortalis peccati cum damnandum esse*, « qui a divite, praesertim antea rogato, clam aufert quod ad « gravem suam necessitatem necessarium est....; cum dominus « minus invitus tunc esse possit ». Idem senserunt Billuart (Diss. XI. a. 6), Sporer (n. 106), et Croix (L. 3. p. 1. n. 955). Quod reapse domini, maxime si sint valde divites, non soleant esse graviter inviti de furtis (speciatim non adeo magnis) ex gravi necessitate commissis; non levis coniectura sumi potest ex eo quod (ut Missionarii fatentur) ordinarie ab onere restitutionis, modo totaliter modo magna ex parte, illos liberant, si de hoc rogentur.

II. *Intentio cito restituendi* (intellige si restitutio de facto secutura sit); tunc enim non tam de furto quam de mutuo coacto res est; unde in hoc etiam casu contingere potest quod peccatum sit veniale dumtaxat; si nempe dominus ex brevi rei suae privatione exiguum nocumentum patiatur. Hinc scripsit Lugo (D. 8. n. 21): « Si aliquis in prima acceptione rei non haberet « intentionem retinendi, imo haberet intentionem oppositam « restituendi statim; tunc dicendum esset, primam ablationem

« non esse culpam gravem... Ratio quia per illam ablationem « non infertur grave nocumentum proximo, secluso periculo « retentionis ».

III. *Si agatur de rebus expositis*, ut sunt fructus iuxta vias et ligna in sylvis. Istae enim res, propter hoc ipsum periculum moraliter inevitabile cui sunt expositae, minus aestimantur. Bonacina (De Rest. in partic. q. 8. p. 1. n. 10), Croix (n. 978). S. Lig. (Hom. Ap. X. 23).

IV. *Si agatur de famulis et colonis, quoad illa tamen dumtaxat rerum genera, in quibus valde facile est quod aliquid surripiant.* Tunc enim fere idem est ac si agatur de rebus expositis, quae, donec sunt in huiusmodi manibus, minus aestimantur. Exemplum habes si, v. g., famuli vel ancillae identidem surripiant aliquem obolum, dum quotidianum victum pro heris emunt, ut ait cl. Ballerini (n. 608). Peccant quidem sine dubio hi famuli, eorumque furta mortalia esse possunt; sed, ad peccatum mortale constituendum quoad genera huiusmodi, maior quantitas exigitur; atque ita sensit etiam Lugo (16. 78) inquiens: « De famulis diximus plus requiri in illis ut furtum grave sit, « quam in extraneis; domini enim sciunt, attenta fragilitate « humana, non posse ita fideliter ab iis administrari res dome- « sticas, quae ipsis committuntur, ut aliquid non adhaereat « manibus contrectantium.... Sic princeps liberalis Romae dicere « solebat, se de hoc contentum esse si ex dolio vini, quod sibi « uni reservaverat, cellarius solus et aliqua persona nimis ei « coniuncta, biberent ». — Si tamen ageretur de rebus, in quibus domini perfectam expectare solent fidelitatem, ut puta si famulus horologium furaretur, aut si minister vel thesaurarius pecuniam auferret, tunc malitia furti non iam diminueretur sed augeretur; latro enim domesticus latrone extraneo peior est. Cf. *Cod. Pen.* art. 607.

V. *Si fur ex una quidem parte aliquid abstulerit; sed ea alia magna beneficia domino praebuerit; vel domino ipsi valde utilis sit.* Lugo (XVI. 63).

VI. *Si agatur de rebus, quas dominus perire sinebat, aut de quibus modo extraordinario abutebatur.*

VII. *Si agatur de filio-familias qui in domo paterna aliquid surripuerit.* Quoad haec furta (praeter dicta n. 361, Tert. cas.) notari debet imprimis, quod pater-familias saepe est invitus non quoad substantiam sed dumtaxat quoad modum; quatenus, si rogatus fuisset, concessisset. Sed, supponendo non fuisse concessurum et proinde de vero furto agi, certum est quod furtum

istud, inspecta iustitia, (quamvis possit esse grave) minorem gravitatem habet quam haberet si contra extraneos commissum fuisset. Id patet a communissima Theologorum sententia et ab ipso sensu communi; quando enim de filiis-familias agitur, omnes existimant eos levius peccare si furentur in domo propria, quam si extraneis furarentur. Ratio est quia res domesticae aliquo modo ipsis spectant; unde, quamvis rerum illarum dominium adhuc non habeant, nihilominus domini dicitantur. Insuper paterfamilias post factum longe facilius eis ignoscit et restitutionem non exigit. Haec autem iustitiae laesio minorem adhuc gravitatem habet, v. g., si pater sit valde dives; si sit liberalis, non vero parcus et tenax; si alios non habeat filios aut si familia numerosa ei non sit; si filius sit adultus atque utilis patri; si rem ad proprios usus non vero ad dandum aliis acceperit; si ad usus honestos vel indifferentes, non vero ad alenda vitia illam insumpserit; si de casu fortuito, non autem de consuetudine agatur; si non ad modum furis praecise processerit, sed, v. g., necessitates finxerit, aut dum cum patre negotiabatur aliquid sibi retinuerit etc. — Aliqui dicunt gravitatem materiae in furto filiifamilias reponendam esse in summa duplo maiori; sed alii adhuc amplius indulgentiam extendunt, et dicunt filium unicum parentis satis divitis (qui, v. g., quotidie habeat redditum 20 francorum) posse absque peccato mortali accipere 100 vel 150 francos in anno, dummodo nec pater sit valde tenax nec filius in usus turpes pecuniam insumat. — Melius itaque dicendum cum Lugo (16. 76) nullam regulam generalem hoc in puncto statui posse, et decisionem prudentiae confessariorum relinqui debere.

VIII. *Si agatur de uxore, quae ex bonis domesticis sine mariti licentia aliquid sumat.* Quod dictum est de filio-familias, dicendum est etiam de uxore; prout communissime Theologi fatentur; eaedem enim rationes urgent. Vide Lugo (16. 63). Idem dic proportionaliter de furtis mariti contra uxorem, fratris contra fratrem, uno verbo consanguinei aut affinis contra consanguineum vel affinem; maxime si simul convivant; unde etiam Codices poenales contra huiusmodi furta actionem non concedunt. Cf. Cod. It. Art. 635.

IX. *Si agatur de furto, non contra unicam personam vel familiam, sed contra communitatem commisso.* Ratio est quia tunc damnum allatum individuis minus sensibile est. Quum tamen (ut supra n. 366. notatum est) necesse sit prohibere furtum non solum propter damnum praesens et individuale, sed etiam

propter consequentias, quibus (si furta gravia sub gravi non prohiberentur) aditus aperiretur; hinc fit ut non valde ulterius procedi possit. — Regula satis recepta est ut requiratur duplum. Vide Croix (n. 1012) et Gury (n. 611. not. c). Regula ista aliquam directionem Confessariis suppeditare poterit, dummodo praeter communitatis conditionem, eius etiam magnitudinem considerent. Hinc, si communitas sit absolute dives, aut ditissima, vel numerosissima (ut magna civitas, regnum, imperium), tunc materia gravis hodie usque ad 20 — 60 francos extendi poterit. Si sit satis commoda, vel satis ampla (ut oppidum), usque ad 8 — 12 francos. Si demum sit paupercula (prout nunc esse potest conventus Religiosorum, parvum hospitale vel orphanotrophium etc.) usque ad 4 vel 5 francos. Cf. D'Annibali (II. 193).

X. *Si agatur de furtis minutis non iam ex intentione praeconcepta perseverandi in ipsis, sed ex occasione interpolate commissis.* Ratio est quia tunc gravitas damni et peccati tardius apprehenditur; et domini minus sunt inviti. Ad materiam gravem Theologi exigunt simplum cum dimidio vel etiam duplum; et, si furtula contra diversas personas commissa fuerint, triplum. Cf. d'Annibali (Summul. V. 2. n. 289), et Tamburini (Dec. L. 8. Tr. 2. c. 3). Imo advertunt quod in sequentibus casibus materiae gravitas seu iniustitia mortalis nunquam constituitur.

*Primus* est, si inter furtulum et furtulum distantia sit nimia; ita ut, oblito aut vix amplius considerato pristino furtulo, furtula ipsa tamquam seiuncta moraliter habeantur, et sic numquam quid grave sive in conscientia furis sive in domini animo constituatur. Sed quando hoc erit? Decisio pendet a circumstantiis; minor enim distantia ad seiunctionem sufficit, si furtula sint valde exigua; maior vero exigitur si (ut ut non gravia) sint notabilia, et maxime si diu repetantur. In theoria vix quidquam determinari potest. Theologi diversissime loquuntur. Alii dicunt sufficere quindecim dies; alii exigi mensem, duos menses, annum etc. S. Lig. (n. 530) censet, furtula non uniri si duobus mensibus distent; minus vero ad seiunctionem sufficere si modicissima sint.

*Secundus* casus est, si agatur de famulis, qui ad usum proprium esculenta vel poculenta (ut ut propter solam gulositatem) furantur. Viva (Prop. 29. Alex. VII. n. 17) et Diana (Tom. 7. Tr. 3. Res. 41).

*Tertius* est, si res sit de pauperibus, qui uvam, castaneas, ficus etc. (non vero pecuniam) in exigua quantitate huc illuc furantur. Advertat lector quod hic non de casu (n. 363) exposito,

sed de veris furtis agitur. Quod haec non sint mortalia, patet 1° ex sententia Theologorum, inter quos Sporer (n. 44) scripsit: « Valde pauper et egens excusabitur semper (*in rebus huius-* « *modi*) a mortali et restitutionis debito gravi ». Et cl. Ballerini (n. 610) subiungit: « Reprehenduntur quidem qui per a- « gros uvas, ficus, fabas, poma etc. leviusculis furtis saepe « surripientes vorant; at vix reperies qui notam laxitatis timeat, « si etiam post plures huius consuetudinis annos scrupulum i- « psis gravis furti ob materiam coalescentem non iniiciat ».

Notabis quod in casibus secundo et tertio hic recensitis, quamvis furtula sint frequentia et adsit intentio perseverandi, peccatum mortale minime exurgit. Sed, praescindendo ab his duobus casibus (nempe pauperum et famulorum esculenta sive poculenta furantium), si furta levia continue (v. g., quotidie aut fere quotidie) vel cum explicita intentione perseverandi gravemque summam furandi committantur; tunc inter materiam et materiam nulla differentia poni poterit; sed eadem quantitas quae ad peccatum mortale sufficit si unico actu auferatur, sufficit etiam si paullatim surripiatur. Sit, v. g., materia gravis surripere Titio 4 francos. Si Caius ad Titii capsam quotidie accedat et octoginta vicibus surripiat obolum, iam de furto gravi arguendus erit, ut si quatuor francos uno actu surripuisset.

Quid de venditoribus qui singulis diebus in pondere et mensura adventores defraudant?

R. Si de vera iniustitia agatur (Vide enim supra n. 349. Cas. III), isti furantur communitati; et ex hoc capite exigitur materia paullo maior quam si unicae personae aut familiae furarentur, iuxta mox dicta (IX), ubi regulam dupli statuimus. Haec autem quantitas in facti specie (quum fraudes sint continuae et quotidianae) augeri non debet. Oportet tamen ut promiscuitatis adventorum diversarum conditionum, qui ad eosdem venditores diventant, ratio habeatur, quid medium statuendo. Hinc, si adventores sint personae partim miserabiles et partim commodae, materia gravis erit circiter Fr. 5 vel 6. Si autem indiscriminatim tum plebei, tum cives, tum divites ordinarii ad illos diverterent, tunc etiam ad Fr. 10 extendi poterit.

## § II.

### *De furto quoad circumstantias quae speciem mutant vel numerum augent.*

370. Furtum mutat speciem si per vim res auferatur, quo

casu dicitur rapina. Item si quis obiectum sive sacrum sive in loco sacro furetur: tunc enim sacrilegium superadditur. Potest tamen contingere quod peccatum sit grave in genere furti et leve in genere sacrilegii, ut puta, si quis alicui in Ecclesia clam horologium auferat. Interdum in furto potest etiam intervenire speciale peccatum contra charitatem; ut explicabitur infra (n. 403. *Petes*).

Si res ablata non apud dominum fuisset sed apud tertium, qui illam sive in pignus, sive in usumfructum, sive ut locatam, vel commodatam teneret; tunc iniuria non solum contra dominum sed etiam contra illum tertium (qui ex ablatione damnum habet) commissa fuisset. Notetur quod, si dominus ipse rem alteri sic obligatam auferret, furti reus esset. — Quid si quis furaretur triticum apud molendinarium? Resp. Iniustus esset non solum contra dominum tritici, sed etiam contra molendinarium: non solum quia adventores perdere potest, et forsan tritici ablati pretium solvere debebit; sed etiam quia triticum ipsum molendi et proinde mercedem recipiendi ius acquisiverat. Idem dic, v. g., si quis pannum pro veste conficienda sartori datum surriperet.

Si res ablata apud dominum quidem extitisset, sed tertio promissa fuisset; tunc etiam contra hunc tertium (si forte propter ablationem aliam rem aequivalentem obtinere nequeat) iniuria facta fuisset. Vide Lugo (n. 182 - 188).

In furtis minutis, qui intentionem furandi summam gravem ab initio habebat, effective quidem peccavit venialiter in singulis furtis, antequam ad summam gravem perveniret; sed affective (nempe propter mortalem illam intentionem) mortaliter peccavit. An autem peccatum mortale sit unicum, eo quod intentio sit semper eadem; an vero sit multiplex, eo quod actus sint distincti (ut docet Lugo D. 16. n. 36); id difficile percipitur.

Si autem praedicta intentio non adfuisset, tunc peccatum mortale in ultima dumtaxat acceptione (quae materiam gravem constituit) locum habuisset. Sed quid si fur, post materiam gravem iam completam, nova furta levia superaddat?

Resp. Certum est quod, si inter furta priora et nova magnum temporis intervallum adsit, tunc ista cum illis non uniuntur; unde nova furtorum series ab illa prima in confessione distingui debet. Sed si nova furta absque interruptione prioribus superaddantur; tunc vix percipitur an haec cum primo peccato mortali quid unum constituant; an vero ad novam seriem (quae ad novum peccatum mortale pervenire potest) referri debeant;

an demum in singulis acceptionibus ( quae satis ab invicem distincta sint ) totidem peccata numero distincta reperiantur, quae, attenta voluntate non restituendi, imo novis damnis dominum gravandi, mortalia dici debeant. Sed circa hanc quaestionem iam pene inextricabilem immorari non refert ; in praxi enim conscientiae poenitentis standum est, et satis erit si a diuturnitate temporis, a frequentia furtorum, et a quantitate damni allati peccatorum numerus modo confuso cognoscatur.

## PUNCTUM III.

### DE RESTITUTIONE OB FURTUM

371. Iustis causis subsistentibus, fur ad restitutionem non tenetur ; his autem deficientibus, certe restituere debet ; et restitutio modo convenienti adimplenda est.

Agam itaque 1° De causis, quae a restitutione excusare possunt ; 2° De gradu culpae in omissione restitutionis ; 3° De legitimo et convenienti restitutionis modo.

### § I.

### *De causis, quae a restitutione excusare possunt*

#### PRIMA CAUSA

#### *Impotentia.*

372. Rarus est casus in quo quis rem alienam sumere possit ( ut iam supra vidimus ) ; sed frequentius contingit quod res iam ablata retineri queat, ita ut onus restitutionis saltem in toto et statim exequendae minime adsit. Ratio est quia ius res possessas defendendi multo fortius est quam iam ablatas repetendi, speciatim si illae in specie non amplius existant, maxime vero si debitor, ut restitutionem faciat, expensas sustinere aut alia damna in bonis propriis subire deberet. Id notant Theologi passim, inter quos Lessius ( c. 16. n. 27 ) scripsit : « Minus est « retinere per aliquod tempus dum possides, quam primum a « domino auferre, eumque possessione spoliare : sicut minus est « non curare vulnus inflictum, quam illud infligere. Idque con- « firmat communis hominum sensus, qui minus curant rem suam « per aliquod tempus non restitui, quam primo auferri ». Vide etiam Lugo D. 21. n. 33.

Hinc, si solum necessitas extrema aut gravissima a furto (saltem quoad res notabilis valoris) excusare potest iuxta dicta (n. 264); necessitates minus graves a restitutione excusare queunt.

373. Regula suprema est ut consideretur utrum in iis circumstantiis restitutio exigi soleat, vel rationabile sit ut exigatur.

Hinc I. Debitor non excusatur si dominus re sua graviter indigeat: tunc enim oporteret ut debitor versaretur in necessitate extrema, aut adeo magis gravi, ut dominus, non obstante sua necessitate, restitutionem rationabiliter exigere nequeat.

II. Magna differentia fieri debet inter totalem et perpetuam restitutionis omissionem; et solam procrastinationem, maxime non adeo longam, ita ut debitor post aliquod tempus saltem paullatim restituturus sit.

Quoad solam procrastinationem, regula generalis est, *quamlibet difficultatem vere gravem et ineluctabilem constituere causam sufficientem ut debitor* (*etiam ex furto*) *excusetur*. Quoad totalem vero omissionem causae gravissimae exiguntur. Dixi difficultatem debere esse *gravem*; sed hoc intellige si de re magni valoris agatur. Dixi debere esse *ineluctabilem*. Debitores enim pro viribus curare tenentur ut debitis suis satisfacere possint. Debent itaque 1° nihil insumere in luxu, in crapula, in ludo, aliisve vitiis; 2° laborare, saltem per quantum decentia proprii status laborem seu industriam permittit; 3° in ipso victu et vestitu aliisque expensis, quamvis proprio statui convenientibus, parsimoniam adhibere. Cf. Gury (n. 715), et Caietanum a Bergomo (c. 6. n. 14. 15).

Sed haec generatim dicta non sufficiunt. In re adeo practica descendere oportet ad particularia; et proinde hic expono atque declaro diversas impotentiae species, quae sive procrastinationem sive etiam omissionem restitutionis legitimam reddere possunt.

I.° Magna miseria; si nempe debitor propter restitutionem periculo magnae famis seipsum aut familiam exponeret. Idem dic si instrumenta propriae artis vendere deberet. Scripsit Lessius (c. 16. n. 15): « Gravis necessitas tua et proximi excusat, « quamdiu durat.... In hoc casu licitum est non restituere, e- « tiamsi res in specie debita sit. Itaque ob periculum morbi, « *magnae famis*, nuditatis et similis afflictionis, quam aliter « avertere nequis, nisi rem alteri debitam impendendo, potest « differri restitutio; hae enim dicuntur necessitates graves ». Et Laymann (L. 3. Tr. 2. c. 12. n. 1) subiunxit: « Necessitas

« non solum extrema, sed etiam gravis, quando, si restituat. « vitam difficulter substinebit,... facultatem praebet saltem dif- « ferendi restitutionem, aut paullatim et per partes restituen- « di ». Dicit *saltem*, quia si haec magna miseria semper perduraret, tunc non solum procrastinatio sed etiam omissio restitutionis licita evaderet. Nota quod Lessius dicit restitutionem omitti posse *etiamsi res in specie debita sit.* In necessitate enim res consumi potest, cum onere restituendi pretium in posterum. Id autem etiam quoad causas sequentes intelligi debet.

II°. Magna infamia. Scripsit S. Lig. (n. 698): « Excusaris... « si non possis restituere absque notabili detrimento famae.... « nisi iactura famae sit minima respectu damni in bonis credi- « toris »; non semper enim bona superioris ordinis pluris fiunt. Hinc iactura famae non exusaret speciatim 1° si sufficeret rem secreto revelare uni personae prudenti et tali cui revelatio sine magna repugnantia fieri possit (Cf. n. 205); 2° si fur iam sit diffamatus in genere furti, quamvis ex restitutione de tali vel tali furto in particulari notitia (non aliter damnosa) resultet. Dico *non aliter damnosa*, si enim fur propter restitutionem incurrere deberet in periculum carceris aut vitae, tunc a fortiori excusaretur, ut manifestum est. -- Oportet itaque ut infamia sit vere gravis; et haec totalem quoque restitutionis omissionem excusare potest, ut patet exemplo adulterae, quae in perpetuum excusatur quando non potest sine gravi infamia detegere adulterium, ut non succedat spurius cum filiis legitimis, licet non possit unquam alio modo hoc damnum compensare. Lugo (D. 21. n. 19).

In praxi tamen haec causa vix unquam excusat; quia restitutio per Confessarium fieri potest.

III°. Magnum nocumentum spirituale. Legitur apud eundem S. Lig. (l. c.): « Excusaris a restitutione, si fieri nequit absque « periculo salutis animae tuae vel tuorum, ut, v. g., si sit pe- « riculum ne uxor aut filiae se prostituant, ne filii se dent latro- « ciniis, ne ipse incidas in desperationem ».

IV°. Magnum praeiudicium quoad decentiam proprii status. Id quoque admittitur a S. Ligorio (l. c.) dicente: « Si nobilis non « potest statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis « etc....*, potest differre et paullatim restituere sine iactura « sui status. Est commune ». Theologi tamen

* Aut consortio sui similium, ut dicit Lessius (c. 16. n. 25), aut congruis expensis pro dotatione filiarum, aeducatione filiorum, moderatis elecmosynis

Excipiunt 1°. Si debitor propriâ culpâ, v. g., ludis, crapulis, seipsum in hanc conditionem coniecerit. Sed S. Lig. (n. 702 et Hom. Ap. n. 118) exceptionem istam non admittit, inquiens: « Hoc non obstante, si debitor e suo statu iuste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare... In tali casu tenetur debitor expensas diminuere, *(et, ego addo, a ludis et crapulis in posterum abstinere)* ut restituat saltem quod potest ».

Excipiunt 2°. Si status fuerit iniuste acquisitus, si nempe debitor furtis et fraudibus dives evaserit. Sed haec etiam exceptio in praxi cum moderatione applicari debet. Repentina enim restitutio omnium bonorum a magna familiae infamia, aut saltem turbatione maxima, magnisque periculis etiam spiritualibus vix seiungi poterit. Aliunde indulgentia aliqua a parte creditorum praesumi potest; ut scilicet hoc etiam in casu restitutio paullatim, et interdum non in toto peragatur; idque speciatim si de facto antiquo, aut de debitis erga personas incertas res sit. Lugo (D. 21. n. 7).

Illud sedulo observandum, quod causa decidendi a proprio statu excusare quidem potest dilationem, sed non totalem restitutionis omissionem; unde, si debitor non speret fore ut sine status iactura paullatim restituere possit; tunc, non obstante tali iactura, restituere debet. Id sensu communi patet; idque fatentur Theologi passim, Lugo (l. c. n. 9), Lessius (L. 2. c. 16. n. 23). — Non dico tamen quod quisquam ita teneatur decidere a proprio statu, ut ad mendicitatem reducatur. Creditores enim ordinarie id non exigunt; cuius rei indicium est, quod debitoribus bona cedentibus necessaria ad victum et saepe etiam ad aliquam industriam relinquere solent. Gury (I. 788).

V°. Impossibilitas exequendi restitutionem sine magno damno in bonis propriis. Ut debitor a restitutione exequenda excusetur, non est semper necessarium ut in magna miseria versetur, vel ut quoad decentiam proprii status magnum praeiudicium patiatur; bene vero sufficere potest aliud damnum, dummodo sit tale ut creditor, si rationabilis sit, dilationem concedere debeat, aut permittere ut non in suis sed in pauperum manibus restitutio fiat. Porro irrationabilis restitutionis exactio a iustitia (quae est virtus) suaderi nequit; et creditor illam exi-

etc., ut dicit Gury (Cas. n. 726), qui prius (n. 716) dixit, facile a restitutione nunc facienda excusari posse quemdam, qui aliud non habebat praeter sex millia franca sibi et familiae necessaria, praesertim ad alendum filium mentecaptum.

gens esset ad instar illius, qui debitorem exclamantem *patientiam habe in me et omnia reddam tibi, tenens suffocabat eum.*

374. Sed quantum esse debebit hoc damnum, ut fur a restitutione hic et nunc totaliter atque in manibus creditoris exequenda excusetur?

Resp. Imprimis damnum proveniens a restitutione rei debitae, et lucri quod ex ea percipitur (si agatur de debitore qui in angustiis minime versetur) nullo modo computari potest; hoc enim non est pati damnum in rebus suis, sed relinquere alienas ac debitas. Damnum in rebus propriis contingeret si, v. g., magnas expensas pro expeditione sustinere deberes. Loquendo itaque de damno huiusmodi, S. Ligorius (n. 598) censet quod, si non adsit spes ut restitutio unquam fieri possit in manibus creditoris, nisi cum gravamine notabiliter maiore illo quod sustinet ipse creditor re sua carendo (ut puta, si, ad restituendos creditori aeque diviti centum aureos, insumere deberes in expeditione alios centum et quinquaginta aureos; ita ut neque nunc neque in posterum aliud medium supersit); tunc restitutio in manibus pauperum fieri potest. Dixi *creditori aeque diviti;* si enim debitor esset pauper et creditor dives, in tali casu, (ut passim Theologi notant) minor summa sufficeret ut gravamen praeponderans constituatur; forte enim valde magis gravatur ille, qui nihil aut fere nihil habet in bonis, expendendo decem, viginti vel triginta; quam dives carendo centum. Hinc si quis miserae vel humilis conditionis neque nunc neque in posterum restituere posset centum aureos, quos surripuit diviti, nisi expendendo decem, viginti vel triginta aureos in expeditione, de facili sufficeret si pauperibus restitueret.

375. Inferes, damnum adhuc minoris momenti excusare ut restitutio differatur, aut paullatim adimpleatur; maxime vero ut, loco restituendi rem surreptam (v. g., equum) in individuo, eiusdem pretium restituatur. Hisce enim multo facilius consentit creditor, quam ut restitutio pauperibus fiat et sic ipse perpetuo re sua careat. Idem dic si fur restitutionem in manibus eorum, qui creditoris haeredes futuri sunt, exequeretur; maxime si haeres esset unicus, dilectus, necessarius.

In praxi itaque, quando agitur de creditore divite, seu tali qui re sua non graviter indigeat, si poenitens ad restituendam statim integram summam, non solum privaretur summa ipsa (quod, ut dixi, considerari non debet); sed etiam alia damna satis gravia subiret, eo quod cogeretur, v. g., vendere pro 80 id quod valet ultra 100, aut se privare obiecto valde lucroso, aut

multum insumere in expeditione etc.; et proinde petat ut debito suo satisfacere possit infra aliquod tempus vel paullatim, dum sic absque tanti detrimenti additione restituet; tunc Confessarius illum, quamvis in statu miserabili non versetur, damnare nequibit. Vide Lugo D. 20. n. 191, et D. 21. n. 22.; ubi, postquam multa circa restituendi impotentiam dixerit, in fine sequentem advertentiam, quae in praxi prae oculis valde habenda est, subdit:

« Adverto (ait ille) rarissime contingere posse, quod debitor « excusetur ab omnimoda restitutione etiam in futurum: nam « licet propter debiti magnitudinem non sit spes integre illud « solvendi: poterit tamen vel nunc vel postea pars aliqua sine « tanto detrimento restitui. Quod si non poterit ipsi creditori « dari, poterit dari pauperibus vel operibus piis pro eius anima ».

Considerari potest demum, quasdam difficultates, quae in se non excusarent, propter extraordinariam impressionem quam faciunt in animo poenitentis, sufficientem excusationem practice constituere posse.

### SECUNDA CAUSA

### *Remissio creditoris.*

376. Haec potest esse expressa et praesumpta.

Expressa contingit quando creditor, rogatus v. g., a Confessario ut furi (tacito eius nomine) debitum remittat, annuit.

Ut haec remissio ita liberet debitorem ut etiam in futurum si forte ad meliorem fortunam deventurus sit) quavis obligatione exemptus remaneat; oportet 1° ut remissio absque mendaciis obtenta fuerit; 2° ut nulla coactio locum habuerit; unde exhibitio partis sub conditione quod creditor remittat totum, quod si non remitteret, pars ei non daretur; haec, inquam, exhibitio furem non liberat (Lugo D. 21. n. 49); 3° ut remissio fuerit absoluta; si enim creditor hanc vel illam conditionem apponat, tunc (uti patet) debitor plene liber non remanet. Non tamen oportet ut Confessarius ponat creditorem (ut ita dicam) in tentationem hanc vel illam conditionem adiiciendi: dicendo, v. g., remittisne debitum ita plene et absolute, ut, si etiam debitor ad pinguem fortunam devenerit, nihil tibi debeat? Sic porro tentare creditorem non est necessarium. Sufficit quod non decipiatur; et si ille minime deceptus absolute remittat, id satis est. Vide Lessium (c. 16. n. 35).

Notari potest quod si furtum commissum fuisset a pluribus communi consilio, et dominus remissionem dedisset principali; tunc secundarii liberi remanerent. Excipe nisi de domini intentione aliter constet.

377. Remissio praesumpta locum habet quando iure existimari debet quod creditor, si de remissione totali vel partiali, absoluta vel conditionata rogaretur, illam concederet. Hanc remissionem sufficere docent Theologi passim. Vide S. Lig. (n. 700. q. I°), et Lugo (l. c. n. 53), ubi scripsit: « Regula ge-« neralis colligi potest ad excusandos plures poenitentes a re-« stitutione, quando scilicet putant quod, si per se vel per alios « manifestarent domino suum debitum, ipse liberaliter condo-« naret, vel nollet obligare ad restitutionem ». In hac remissione praesumenda Confessarii non quidem nimis faciles esse debent; sed neque nimis difficiles; ut enim recte notavit Lessius (c. 16. n. 35): « Facilius remittimus non habita, quam ea quae iam « habemus in potestate ». Idque verum est speciatim, si res ablata iam amplius in se non extet, et maxime si agatur de facto antiquo.

378. Practice remissio totalis et absoluta non difficiliter praesumi potest

I°. Quoad filios-familias, qui in domo paterna aliquid, speciatim non ingentis valoris, surripuerint atque consumpserint (Lugo l. c. n. 53). Secus si res ablatas sive in se sive in aequivalenti adhuc conservent. Idem dic proportionaliter quoad uxores, fratres, nepotes et consobrinos.

II°. Si agatur de furtis famulorum quoad esculenta et poculenta, non iam aliis vendita sed ex gulositate consumpta (Gury n. 722). Secus in furto pecuniae aut aliarum rerum; nisi herus famulum de furto convictum increpasset vel expulisset, et de restitutione nihil dixisset (Scavini n. 690. 4).

III°. Si res sit de furtis non ingentibus commissis ab iis, qui nihil habent in bonis proprioque labore dumtaxat victitant; dummodo hic et nunc partem restituant; et (quod magis interest) firmam non amplius furandi voluntatem habeant. Ex Missionariorum enim praxi constat, quod domini de absoluta condonatione quoad reliquum in his circumstantiis rogati, ordinarie consentiunt. Dices: Si debitum esset ex contractu, non consentirent; quomodo itaque in debitis ex delicto tanta condonationis facilitas contingere potest? Resp. Quia ablata per furtum tamquam irreparabiliter deperdita considerari solent; unde quidquid recuperatur (maxime post longum tempus) tamquam inventum

vel donatum apprehenditur ; et sic prae lactitia reliquum facillime condonatur.

IV°. Si agatur de furtis minutis a pauperibus contra diversos commissis. In hoc casu, inspecta tum praesenti horum miseria, tum morali impossibilitate ( supposita etiam futura status mutatione ) quod restitutio in manibus dominorum unquam peragatur ( haec enim impossibilitas ordinarie contingeret ) ; facillime praesumere licet quod domini illis omnia condonent, et ne partem quidem in usus pios erogandam exigant ; multo magis quia haec ipsa condonatio erogationem in usum pium ( loquimur enim de pauperibus ) includeret. Vide Sporer ( Tr. 5. c. 5. n. 44, et tr. 4. c. 4. n. 73 ), ubi notat quod, toties quoties restitutio in manibus domini fieri nequit, multo facilius ex interpretativo domini consensu indulgentiam Confessarii adhibere queunt, quamvis de pauperibus non agatur ; sed in hoc casu de sola restitutionis dilatione sermo esse potest ; in iure enim canonico ( C. *Cum tu de usuris* ) sic statuitur : « Inique acquisita, si non supersunt « illi quibus debentur aut eorum haeredes, dentur pauperibus ».

V°. Si dominus subventionibus adiutus nullum ex furto damnum habuerit ; maxime vero si furtum pro ipso quasi fortuna fuerit. Idem dic si res ablata aliquo physico casu apud ipsum peritura fuisset ; multo magis si de ea non curaret eamque perire sineret.

VI°. Si fur magnis beneficiis dominum affecisset, aut restitutionis oblitus ei tantum donasset quantum pro furto restituere tenebatur. Cf. Sporer ( De Consc. n. 90 ) et S. Lig. ( n. 700 et seqq. ).

VII°. Si agatur de rebus iniuste quidem receptis, sed ex domini consensu, prout accidit in rebus venditis pretio excessivo, in usuris etc., dummodo quaedam superaddantur adiuncta, v. g., si emptor fuerit mercator et in iis contractibus peritus ; si usura non fuerit enormis, illamque solvens fuerit dives vel ex pecunia recepta multum lucratus fuerit ; si res sit de facto antiquo, saltem si insuper debitor principalis iam mortuus fuerit et sic debitum ad haeredes transierit, saltem si isti de defuncti iniustitia non sint omnino certi et intentionem habeant satisfaciendi ope eleemosynarum, si forte aliquam obligationem habeant etc.

379. Quoad hanc creditoris remissionem notanda sunt etiam sequentia :

I°. Si remissio praesumpta subsistat, et multo magis si debitor sive ex impotentia physica sive ex alia causa restituere nequeat aut non teneatur ; tunc remissionis expressae nulla necessitas adest. Ineptissime itaque aliqui Confessarii ad petendam

remissionem obligant religiosos paupertatis voto ligatos, si forte aliquid surripuerint; ipsi enim, cum nihil omnino proprii habeant, quomodo ad restitutionem unquam teneri possunt? Idem dic (saltem plerumque) quoad pueros.

II°. Si de remissione non adsit certitudo moralis, sed dubium: et si simul facili negotio remissio expressa peti queat; haec peti debet; non enim debitori (aliis titulis non excusato) licet se exponere gravi iniustitiae periculo, quando de facili dubium solvere et veritatem cognoscere potest. Lugo (D. 21. n. 32). — Si tamen remissio facile peti nequiret, sufficeret si pro ea bona probabilitas militaret, ut notavit Sporer (De Consc. n. 90); et haec doctrina ad praxim valde deservit.

III°. Si agatur de restitutione non prorsus omittenda, sed dumtaxat differenda; tunc consensus creditoris interdum (nempe iuxta dicenda n. 413) facilius praesumi potest. Idque maxime si talis dilatio creditori ipsi utilis sit, prout contingeret, v. g., si ille esset in periculo incidendi in latrones, et proinde debitor locum et tempus expectet, ut ipse creditor pecuniam restituendam tuto recipere ac custodire possit.

### TERTIA CAUSA

*Debiti extinctio aut creditum subortum.*

380. Debitum extinguitur si creditor, furto cognito, se compensaverit.

Creditum suboritur 1° si fur damno iniusto pro valore aequivalenti aut maiori a creditore affectus fuerit; 2° si fur creditum, quod forte alius contra creditorem ipsum habeat, acquisierit. Fur, v. g., surripuit centum Sempronio, et, loco restituendi ea Sempronio, solvit potius centum Caio fratri proprio, eo quod iste recuperare nequeat centum de quibus contra Sempronium creditor est. Sic enim fur creditum fratris emit; et contra Sempronium acquirit creditum quod suum pristinum debitum aequat et extinguit. — Cavendum tamen est ne futurum sit ut Caius a Sempronio quidquam exigat aut acceptet.

### QUARTA CAUSA

*Nocumentum creditoris vel tertiae personae.*

381. Hoc potest esse tale ac tantum, ut restitutio licite denegetur, quamvis creditor expresse rem suam repetat, v. g., si

ad seipsum aut alium interimendum gladium suum exigeret. Tunc, ut dixi (n. 364), licet quoque rem alienam surripere; a fortiori itaque restitutionis dilatio, quae minoribus inconvenientibus subiicitur, in similibus casibus (qui tamen parum extendi possunt) licita esse debebit. Imo illam differendi (maxime si absque magno incommodo differri queat) vera et gravis potest adesse obligatio, sin minus ex iustitia (prout multi opinantur) saltem ex charitate. Et de hoc puncto vide Lugo (l. c. n. 29) et D'Annibali (V. 2. n. 233).

### QUINTA CAUSA

### *Rei debitae interitus.*

382. Hic casus dupliciter contingere potest; aut enim res ablata apud dominum non periisset, aut periisset.

Si non periisset, tunc certe fur ad restitutionem tenetur; nec obstat si res apud ipsum perierit; dominus enim rei suae interitum passus non fuisset, si furtum non accidisset.

383. Sed quid si res apud dominum certe vel probabiliter periisset? Ad quid tenetur tunc qui abstulit rem ipsam, sive haec adhuc extet, sive consumpta fuerit, sive casu perierit?

Resp. Qui rem abstulit aut videbat periculum (cui res ipsa exposita erat), aut non.

Si illud videbat, sic distinguere oportet.

Si dominus rei suae periculum cognoscebat et nihilominus illam perire sinebat; tunc res ipsa tamquam reiecta et derelicta considerari potest; unde qui illam sumpsit nil restituere tenetur. — Idem dicendum videtur si dominus irrationabiliter prorsus in ea fuisset voluntate ut res a nemine acciperetur et potius periret.

Si autem constet aut praesumi debeat quod dominus rem salvare voluerit; tunc 1°. Si raptor illam in tuto collocaverit, eamque elapso periculo, sive in se sive in aequivalenti adhuc possideat; tenetur ad restitutionem. Res enim salva pro domino suo (ad quem clamat) salva est. Et si fur in mora restituendi fuerit, non excusabitur si etiam fortuito casu apud illum perierit; si enim res, primo periculo elapso, statim (prout debebat) restituta fuisset, apud dominum (ut suppono) non periisset. Fur tamen deducere potest quidquid pro labore et expensis in re salvanda toleratis ei debetur. 2°. Si raptor, durante periculo, rem destruxerit; videndum an hoc periculum ex hominum iniuria, an vero ex casu fortuito, v. g., incendio, naufragio etc.:

provenerit. Si primum, ad restitutionem certe tenetur; qui enim praecessit alios in iniuria, eos etiam in onere reparationis praecedit. Contingere tamen potest quod non integrum rei valorem, sed quid minus restituere teneatur; si nempe, eo periculo ingruente, rei ipsius pretium decreverit, ita ut dominus illam pretio minori libenter vendidisset, si emptorem invenire potuisset ( Vide Lugo D. 18. n. 77 ). Si autem periculum ex casu fortuito provenerit; tunc qui rem abstulit et consumpsit ad restitutionem tenetur 1°. Si sit de illis, qui vocati aut sponte ad rem salvandam occurrerunt; tunc enim tacitus initur contractus, quo isti obligantur ad res non pro se sed pro domino salvandas; 2°. Si sub speciali custodia ( prout contingit in depositariis ) rem ipsam habuerit, illamque non iam a periculo eruerit ( prouti poterat et debebat, ut suppono ), sed rapuerit et consumpserit; 3°. Iuxta multos, si facile poterat eandem rem servare et domino reddere; quando enim quis ( etiam absque ulla culpa ) rem in manu iam habet, tenetur ex iustitia illam domino suo servare, si commode possit. Ita reapse dicunt plurimi; sed ego cum cl. D' Annibali ( II. 194. 7 ) de hoc valde dubito. Ab his autem tribus casibus praescindendo, ut cognoscatur an qui rem periculo expositam sumpsit, et ( durante eo periculo ) consumpsit, ad restitutionem teneatur; considerandum est imprimis quod, ablatione secuta et remanente possibilitate reponendi rem suo loco, raptor non tenebatur ex iustitia ( saltem cum suo incommodo ) rem ipsam in tuto collocare, sed satis erat si illam in pristino loco reponeret. Videndum itaque an haec repositio domino inutilis an vero utilis fuisset; utrum scilicet, re suo loco collocata, spes illam salvandi deesset vel adesset. In primo casu ( quum ad inutile nemo teneatur ) nulla iustitiae laesio et proinde nullum restitutionis onus intervenit. In secundo autem, obligatio ex iustitia reponendi rem suo loco aderat; unde, quum id factum non fuerit et res fuerit consumpta, iniustitia locum habuit, et dominus pro valore, quem res illa in iis circumstantiis habere poterat, laesus fuit; et sic restitutionis obligatio pro eodem valore remanet. Idem dic si raptor, durante periculo, neque rem suo loco reponere neque domino restituere poterat; tunc enim rem ablatam non iam consumere ( aut in alia pericula coniicere ); sed in tuto collocare et domino servare ( si tamen sat facile poterat ) ex iustitia debebat. Vide Lugo ( D. 18. n. 137. 150 ).

Pro praxi itaque concludendum est quod sumens rem alienam manifesto periculo expositam illamque consumens, in rigore

iustitiae ad restitutionem tenetur ; et unica exceptio est si ex una parte illam consumpserit durante periculo, et ex alia sine laesione iustitiae eandem in idem periculum reponere poterat.

384. Nunc agendum est de casu in quo res ablata fuit, quin periculum, quo apud dominum destructa remansisset, adhuc conspiceretur ; et postea apud furem ( quamvis non ex ipsius facto ) periit.

Id diversis modis contingere potest.

Primus est si res apud dominum ex hominum iniuria periisset. Tunc, quocumque modo apud furem perierit, restitutio pro integro valore fieri debet. Dico *pro integro valore ;* quum enim, ut supponimus, actu furti de periculo nulla notitia adesset, res suum integrum valorem habebat ; et proinde fur, qui alios fures praevenit, iuxta valorem ipsum restituere debet.

Secundus est, si res peritura fuisset *prius* apud dominum ex physico infortunio ; et notabili tempore postea apud furem quolibet modo perierit. In hoc casu fur tenetur ad restitutionem, dummodo in illo intervallo rem suo loco reponere potuisset ; idque advertisset. Tunc enim ex eius mora culpabili factum est, ut res in eius manibus periret, dum non periisset si, infortunio domini iam elapso, illam ei, ut ex iustitia debebat, restituisset.

Tertius est, si res periit apud furem, sed peritura fuisset *postea* apud dominum. Tunc etiam ad restitutionem tenetur ; ex eo enim momento, quo res periit, dominus, qui nulli periculo adhuc subiectus fuit, firmum ius ad pretium acquisivit ; manifeste enim illud exigere poterat, illudque fur absque ulla controversia solvere debebat. Infortunium autem, quod postea domino obvenit, eius creditum non extinguit.

In his tamen casibus ( quando nempe res peritura fuisset etiam apud dominum ex physico infortunio ) bona fides quoad restitutionem facillime dari potest. Vide etiam dicta ( n. 378. V° )

Quartus casus est, si res perierit apud furem intra idem tempus, quo apud dominum eodem vel simili physico infortunio ( v. g., incendio, naufragio aut vitio intrinseco ) periisset. In hac hypothesi subdistinguendum est. Si fur, ope mixtionis adiunctionis, vel specificationis, rei dominium acquisiisset * ; tunc ad pretii restitutionem teneretur ; res enim quae perit, domino suo perit ; et quando quis dictis modis rei alienae dominium

* Quo pacto his mediis rerum alienarum dominium acquiri possit, videbimus infra ( n. 401 ).

acquirit, statim erga priorem dominum contrahit debitum; debita autem neque incendio neque naufragio extinguuntur. Si autem res sub dominio prioris domini adhuc erat, tunc fur a restitutione excusatur. Ita Theologi passim. Ratio est quia ex una parte res quae perit domino suo perit; et ex alia nullum reperitur momentum in quo dominus ius ad pretium acquisierit; quotiescumque enim pretium repeteret, fur respondere potest semper, se nihil damni ei intulisse.

Verum est quod leges civiles (tum Romanae, tum Gallicae, tum Italicae Art. 1298), quocumque modo res perierit in manu furis, ad restitutionem illum damnant; sed (ut dicunt Gousset, Carrière et Gury n. 647) hae leges, deficiente obligatione ex iure naturali, solum post iudicis sententiam obligant. Agitur enim de poena, quam nemo a se ipso sibi applicare tenetur.

Demum, in dubio an res apud dominum eodem tempore peritura fuisset, furem teneri ad restitutionem pro rata dubii censet Lugo (D. 18. n. 137).

### SEXTA CAUSA

### *Debiti incertitudo.*

385. Suppono 1° quod praescriptio legitima (de qua agam infra) non intercesserit; 2° quod dubium coniecturis et praesumptionibus (iuxta dicta n. 356) vinci nequeat. Porro praescriptio dat proprietatem, et praesumptiones dubium destruunt.

His praemissis, claritatis gratia, distinguo inter debitum certe contractum dubieque solutum; et debitum dubie contractum.

Quoad DEBITUM CERTE CONTRACTUM ET DUBIE SOLUTUM variae sunt Doctorum sententiae. — Multi cum Lugo (D. 18. n. 7. 13) dicunt hoc debitum solvendum esse in toto; quia debito certo non satisfit solutione incerta. — Alii cum Laymann (L. 1. Tr. 1. C. 2. n. 42) existimant satis esse, si solvatur pro rata dubii; non enim est aequum ut quis magno exponi debeat periculo solvendi debitum bis. — Alii demum cum Lessio (Auct. V. *Contractus* C. 8) aiunt, bonam probabilitatem solutionis iam executae in quovis casu ante iudicis sententiam ab ulteriori solutione excusare.

Ego censeo quod, supposito dubio non inani sed vero et reali, nunquam adsit obligatio (ante iudicis sententiam) solvendi debitum in toto. Sed tenebiturne dubius debitor solvere pro rata,

ut dicit Laymann ; an vero poterit a quavis restitutione se eximere, ut tenet Lessius?

Resp. Sequentes distinctiones, meo sensu, fieri debent.

1°. Si debitor magnam habeat rationem opinandi debitum fuisse solutum aut alio modo evanuisse : tunc ad nihil amplius obligari potest. Exemplum dat Lessius si Titius a Caio acceperit 100 fr. mutuos, dato chirographo in testimonium obligationis. Utroque autem mortuo, haeredes Titii inveniant in libro Titii scriptum quod refusi sunt illi centum ; haeredes autem Caii adhuc reperiant chirographum Titii et debitum nondum a libris deletum. Lessius excusat haeredes Titii a solutione ; idque quia magnam habent rationem opinandi solutionem fuisse peractam : quamvis ( nota ) haeredes Caii non minorem rationem pro se habeant. Ratio autem intrinseca est, quia licite agimus etiam cum probabilitate facti, nisi aliquid clamet quod a parte tuta omnino stari debeat. In casu autem, iuxta communem imo et Theologorum gravissimorum sensum, nihil sic clamat. — Aliud exemplum dat Sporer ( cf. supra n. 377 ) in fure, qui de praesumpta domini condonatione non quidem certitudinem, sed bonam probabilitatem haberet. — Idem dic a fortiori si, facta comparatione inter rationes debitoris et creditoris, illae, quae debitori favent, validiores essent.

2°. Si debitor non habeat motiva opinandi, sed solum dubitandi ( v. g., si perciperet esse aeque possibile quod debitum fuerit et non fuerit solutum ; quin aliquod indicium positivum habeat sive pro sive contra ) ; tunc sic distinguendum est.

Interdum dubitari potest ne creditor ( de cuius probitate nulla notitia habeatur ) iam sciens debitum esse solutum ( v. g., a debitore ), iteratam solutionem ( ab haeredibus ) inique exigat. In hoc casu nulla adesse videtur, ante iudicis sententiam, solutionis obligatio ; de iure enim creditoris non constat.

Si vero de mala fide creditoris dubium adesse nequeat, et ille quoque de solutione non recordetur ; tunc debitor ut supra dubitans medietatem solvere tenetur. Ratio, quia ex una parte hic probabilitas ( quae in dubiis decisiones satis decorat ) non intervenit, et ex alia, quum aequitas postulet ut inter duos dubitantes res dividatur et sic uterque aequali probabilitati lucrandi et periculo perdendi subiiciatur, de iure creditoris quoad medietatem constat. — Solvendum esset a fortiori, si, te dubitante, creditor absolute existimaret debitum non fuisse solutum.

386. Quoad DEBITA DUBIE CONTRACTA, varii casus supponi possunt.

Primus est *Si quis bona fide incipiat rem possidere, et postea dubitet eam esse furtivam.* In hoc casu, quamvis aliqui Theologi graves ad restitutionem sive in toto sive pro rata obligent, maxime si probabilius sit rem esse furtivam; tamen alii multo plures a quolibet restitutionis onere liberant; et dicunt, ad publicam et privatam tranquillitatem nimis esse necessarium, ut nemo teneatur privare se ipsum possessionibus suis, nisi omnino constet rem esse alienam; unde axioma: « In dubio « melior est conditio possidentis » Vide Palao (V. 1. tr. 1. d. 3. p. 2). — Inquisitiones tamen rei gravitati proportionatae fieri debent; nisi constet quod creditores proprii crediti documenta investigaturi atque allaturi sint.

Quid si inquisitiones omissae fuerint; quae, si tempestive factae fuissent, forsan rem esse furtivam et tali vel tali personae spectare ostendissent; nunc autem inutile sit quidquam inquirere? Resp. Communis sententia docet, aliquam restitutionem tunc esse faciendam. Sed non desunt Theologi graves, qui contra opinantur. Isti sunt Bonacina (De Rest. in gen. D. 1. q. 2. p. 2. n. 8), Palao (l. c. n. 9), Diana (T. 8. Tr. 7. R. 44), Tambur. etc. Ratio est quia non constat utrum negligentia praedicta iniuriam alicui intulerit. Quando autem de iniuria non constat, ne de eius quidem reparationis obligatione constare potest.

Secundus casus: *Si quis dubia fide sive per haereditatem sive per emptionem, donationem aut alium contractum acceperit rem, quae forsan furtiva est, ab alio qui bona fide illam possidebat.* Acquisivisti, v. g., equum a Petro qui bona fide illum possidebat; sed tu actu acceptionis dubitabas equum ipsum de facto esse furtivum. — In hoc casu multi Theologi probatissimi, inter quos Lugo (D. 17. n. 83), Sanchez (De Matr. L. 2. d. 41. n. 29), et S. Lig. (L. 1. n. 37), censent inquisitiones quidem fieri debere; sed, iis frustra peractis dubioque permanente, nullum restitutionis onus superesse. Ratio quia antecessor, quamvis a bona ad dubiam fidem transiisset, rem retinendi ius habuisset. Per testamentum autem vel alium contractum dedit alteri rem cum omnibus iuribus suis circa illam, et ideo etiam cum iure retinendi eam cum dubia fide.

Advertendum quod, durante dubio et probabilitate inveniendi dominum, res vendi quidem potest; sed cum onere admonendi emptorem et imminuendi pretium.

Tertius casus: *Si quis dubia fide a possessore graviter suspecto rem probabiliter furtivam emerit.* In hac hypothesi, si

emisset cum animo quaerendi dominum eique rem suam vili pretio emptam restituendi; tunc, ex praesumpto domini ipsius consensu (cuius utiliter negotium gessisset), non solum licite emisset, sed insuper pro pretio soluto se compensare posset. Porro id admittunt Theologi etiam quando de re certe furtiva agitur (Sanchez l. c. n. 30).

Sed quid si res absque dicto bono animo a possessore suspecto emptione vel donatione accepta fuerit; et postea, concepta voluntate restituendi, inquisitiones fiant; sed nihil certi reperiri possit? Resp. Plurimi cum S. Lig. (n. 625) censent, tunc satis esse si restitutio pro rata dubii fiat. Lugo (D. 18. n. 4) dicit, hanc partialis restitutionis obligationem adesse solum si cognoscatur persona particularis, cui res probabiliter pertinet. Vasquez demum (De Rest. c. 9. § 2. d. 3) probabile putat, rem semper retineri posse, sine obligatione aliquid restituendi; quum enim sciri nequeat an res sit furtiva, de iniuria non constat. Haec sententia approbari potest maxime in sequentibus casibus; nempe 1° si indicia positiva et gravia suadeant (quamvis cum formidine oppositi) rem non esse furtivam; 2° si non per donationem, sed per emptionem acquisita fuerit, pretio tamen non infra minimum, sed iusto. Tunc enim emptor, praeter probabilitatem quod res sit sua, hoc etiam habet quod venditor (si forte res furtiva erat) restituere poterit pretium. Id autem maxime valet quando emptio peracta fuerit in loco publico, propter legem civilem (art. 709); item quando, venditione peracta, restitutio a parte venditoris difficilior non evaserit; demum quando is qui clam vendidit iustam potuerit habere necessitatem obiectum illud clandestine vendendi. Imo in hoc ultimo casu dubium fere evanescet; et valebit axioma « In « dubio nemo praesumitur malus, nisi probetur ».

Quae dicta sunt de acquirente rem cum dubia fide, de eo etiam, qui mala fide aliquid acquisivit, dici debent, si contingat quod a mala ad dubiam fidem transeat. Accepisti, v. g., anulum a fure, credens esse furtivum; sed postea cognovisti quod probabiliter furtivum non erat. Porro etiam tunc (in sententia Vasquezii) nihil restituere teneberis, vel certe satis erit si pro rata dubii restituas. Vide Sanchez (l. c. n. 26).

Quartus casus: *Si quis abstulerit rem, quae probabiliter sibi et probabiliter alteri personae cognitae spectabat.* Hic casus est diversus a praecedentibus; agitur enim de re quae non iam recipitur sed arripitur; idque tribus modis contingere potest.

Primus est *si res arripiatur absque spolio*; si nempe res

illa a neutro possidebatur, vel dubium erat a quonam possideretur. Exemplum rei a neutro possessae contingeret, v. g., si Titius per legatum reliquisset horologium nepoti suo Antonio, et, haereditate adhuc iacente, duo essent huius nominis nepotes. Exemplum rei dubie possessae contingeret, v. g., si in distantia circiter aequali inter te et vicinum ova reperias, et distinguere nescias an tibi aut vicino pertineant. — In huiusmodi casibus Theologi communissime dicunt, divisione vel sorte quaestionem esse dirimendam. Sanchez (l. c. n. 15), Lugo (D. 18. n. 5) etc. etc. Si itaque rem totam tibi applicasti, ad partis restitutionem teneris; iniuriam enim manifestam alteri (qui non minus quam tu ius habebat) irrogasti. — Si tamen ex indiciis positivis et gravibus opinatus fueris rem esse tuam; tunc, propter dictamen probabilitate seu ratione decoratum, non esses inquietandus si etiam in toto rem ipsam retineres; multo magis quia sic quoque in foro externo decideretur. Gury (V. II. n° 1. IV).

Secundus modus: *Si spolium contra bonae fidei possessorem intervenerit.* Hoc spolium, non obstante dubio quod res tibi debeatur, illicitum esse iam probavi supra (n. 357). Spolio autem secuto, Theologi communiter ad restitutionem totalem obligant. Aliqui e contra, duce Metina (apud Sanchez l. c. n. 27) a quovis restitutionis onere liberare videntur. Scripsit Sporer (De 7° Praec. n. 72): « Qui dubitat, an res talis revera sit sua vel « ipsi debita, sive dubio mere negativo, sive etiam positivo, « dum quis scilicet habet quidem probabilem rationem pro se, « stante tamen simul probabili ratione in oppositum, non potest « iuste uti compensatione, seu auferre rem ab alio, cum et ipse « Iudex tali casu deberet iudicare rem possidenti; et auferendo « inferret iniuriam; *non tamen deberet restituere nisi post veritatem cognitam* ». Sed haec doctrina sic absolute tradita tamquam laxa reiici debet. Dixi *sic absolute tradita;* si enim cum mica salis intelligatur, forsan aliquam probabilitatem habere potest. Sequenti exemplo me explico.

Titius habebat quinque francos; et, quum duos francos dare deberet Caio et duos Sempronio, haec debita solvere voluit. Unus francus ei remanere debuisset; sed nullus remansit. Dixit intra se: aut Caius aut Sempronius inadvertenter (sunt enim probi) unum ultra debitum francum habuit. Hinc, propitia eveniente occasione, surripuit francum Sempronio. Male se gessit sine dubio; sed debetne restituere?

Resp. Si dubium erat negativum, ita ut nulla gravis ratio suaderet quod potius Sempronius quam Caius francum habuis-

set, tunc francum integrum sibi retinere certe nequivit; sed saltem * medietatem restituere debebat. Si enim id fieri debet quando nulla possessionis violatio intervenit (ut paullo supra vidimus), quanto magis id fieri debebit quando bonae fidei possessor possessione sua spoliatus fuit? — Si vero dubium erat positivum, ita ut gravia indicia suaderent, quod Sempronius eundem francum habuerit; tunc, quamvis haec indicia ultra probabilitatis limites non procederent, forsan sustineri potest quod francum integrum retinere liceat. Hoc solo sensu doctrina Metinae et Sporerii aliquam probabilitatem (de qua sapientiores iudicabunt) forsan habere potest.

Tertius modus est: *Si spolium contra possessorem fidei graviter suspectae intercesserit.* Titius, v. g., perdidit agnum. Postea in grege Caii (de cuius probitate graves suspectus habentur) vidit agnum ei qui amissus fuit simillimum; et proinde, probabiliter credens esse illum ipsum, arripuit agnum illumque vendidit. Teneturne ad restitutionem? De hoc casu nihil inveni apud Theologos: ipsi enim loquuntur de restitutione propter spolium possessoris non suspectae sed bonae fidei. Si tamen sententia Metinae et Sporerii probabilitatem haberet, a fortiori applicari posset huic casui; in quo de iniuria non constat.

* Theologi communiter, ut dixi, ad restitutionem totalem obligant; quia, durante possessione bonae fidei, lex supplet dominium, si forte de facto res sit aliena; aut saltem dat ius strictum et certum illam in conscientia retinendi, quousque argumentis convincentibus non constet esse alienam. Sed quoad dominium responderi potest, illud acquiri quidem, vi legis secuta praescriptione, non vero antea. Quoad autem ius certum possidendi, observari potest hic adesse quidem possessionem certam *facti*, itemque possessionem certam *iuris in foro externo*. An vero haec possessio legalis absolutam in conscientia quoque firmitatem habeat, merito ambigi potest. Leges enim respicere videntur possessionem tamquam merum factum, cui (quidquid sit de conscientia) pro bono publico maxime favendum est; idque patet quia leges furum quoque possessiones inviolabiles decernunt, et prohibent ne dominus a manibus furis res proprias auferat; et, si abstulerit, ad restitutionem damnant *solve et repete* (Cf. Cod. It. Art. 636). Hinc, non obstante hac possessione legali, non defuerunt Theologi magni nominis (inter quos Sotus) qui censuerunt, stante dubio, rem esse dividendam ad tramites iustitiae, sicut fieri deberet si possessio ex neutra parte adesset. Vide Palao (v. 1. tr. 1. d. 3. p. 2). Unde possessio dat quidem in conscientia ius probabile, sed non certum.

*Si res absque culpa theologica ablata et consumpta fuerit, ita ut neque in se neque in aequivalenti existat. Item (iuxta plures) si possessor bonae fidei ex re possessa fructus perceperit.*

388. Casus huiusmodi contingere possunt, v. g., si quis rem alienam acceperit credens esse propriam, vel derelictam; aut dum propter amentiam, ebrietatem vel aetatem puerilem rationis usum non habebat. (Quoad ebrietatem tamen potest adesse reatus in causa, si nempe quis sciat se in tali statu furta committere solere).

Supponendo itaque quod malitia nullo modo intercesserit; tunc adfuit quidem iniustitia sed materialis dumtaxat. Haec autem obligat ad restitutionem solum ex re accepta, non vero ex iniusta acceptione; unde si res fortuito casu perierit, aut in sumptibus lautioribus (ea occasione factis) fuerit consumpta; nulla restitutionis obligatio remanet.

389. Idem dic quoad rei alienae deteriorationem. Paucis: Regula generalis est quod possessor bonae fidei non tenetur ad restitutionem nisi pro quanto res existat in se aut ex ea factus fuerit locupletior (quatenus, dum consumpsit rem alienam, rebus propriis pepercit). — In dubio autem an factus sit locupletior (quod dubium saepe saepius contingere solet) ad nihil tenetur; et in dubio an debeat plus vel minus, tenetur dumtaxat ad minus. S. Lig. n 706.

390. Hic sequentes quaestiones subnecto.

Quaer. I°. Quid si quis furatus sit Titio, dum credebat furari Sempronio; et postea, errore perseverante, rem ablatam ita consumpserit ut factus non sit ditior?

R. Aliqui indistincte a restitutione excusant. Sed videndum an error fuerit accidentalis (quatenus fur curaret de re et non de domino); an vero fuerit substantialis (quatenus, v. g., Sempronio diviti, non autem Titio pauperi furari voluisset). In primo casu restituere tenetur; in secundo non. Cf. S. Lig. (n. 619) et Croix (p. 2. n. 200).

Quaer. II°. Quid de possessore bonae fidei quoad rei possessae fructus sive consumptos sive extantes?

Resp. Inspecto iure naturali, possessor bonae fidei eos (etiam consumptos) restituere deberet, dummodo in aequivalenti existant.

Sed novae leges (nempe codex Gallicus n. 549, Austriacus n. 330, et Italicus n. 703) dicunt possessorem bonae fidei fructus perceptos facere suos, nec ad restitutionem teneri, nisi quoad fructus quos forte post iudicialem citationem perceperit. Ratio harum legum est, quia fructus ordinarie consumuntur, et difficillimum esse solet iudicare an et quantum possessor ex illis factus sit ditior; unde, ad diuturnas et pene inextricabiles lites et inquietudines e medio tollendas, domino hac in parte ius adimitur.

Cl. Ballerini (n. 636) censet dispositionem hanc in conscientia valere non posse; sed plures, ut dixi, valere opinantur. Porro sic tenent Gousset (n. 931), Carriere (n. 1054), Vernier (n. 564), Gury (l. c.), Scavini (II. n. 589), et D'Annibali (II. n. 222). Nec immerito. Legislatoris intentio non est dumtaxat ut possessor in foro externo molestiis liberetur, sed ut verum ius habeat; lex enim rotunde dicit: « Facit fructus « suos (*Fà suoi i frutti*) ». Quod potestas legislativa etiam ad subditorum ius proprietatis moderandum, si gravis ratio id suadeat, extendatur, certum est. In casu autem ratio magni ponderis profecto non deest. Aliunde neque Divinae neque Canonicae leges quidquam in contrarium habent.

Quaer. III°. Quid si possessor bonae fidei propriis expensis in re possessa melioramenta, quae amoveri nequeant, induxerit?

Resp. Si haec tempore restitutionis amplius non extent, nihil exigere potest (Cod. It. art. 704). Si vero extent, habet ius ad minimum inter melioratum et expensum (Art. 705). Porro id iuri etiam Romano et naturali conforme est; unde Lugo id bene declarans (D. 17. n. 52) scripsit: « Debet dominus eas « expensas solvere, non quantum ex eis crevit valor rei suae, « sed quantum ipsae expensae valebant, computando etiam o- « peram et laborem ipsius possessoris bonae fidei. Quod si ex- « pensae factae superent augmentum valoris rei, dominus non « tenetur integre expensas solvere, sed solum quatenus valorem « rei auxerunt ». Valetne id etiam quando possessor ex re meliorata fructus percepit? Negative respondet Scavini (n. 591), si ex fructibus perceptis satis compensatus remanserit; idque iure naturali verum est; sed vide Cod. Ital. n. 450; qui insuper possessori bonae fidei concedit retentionem bonorum quousque compensetur de expensis supradictis; dummodo compensationem istam in iudicio revendicationis petiverit (art. 706).

OCTAVA CAUSA

*Compositio Pontificia.*

391. Quando res ablatae vel quomodolibet aliis debitae dominis suis restitui nequeunt et proinde in usus pios erogari debent (de quo puncto agam infra); tunc locum habere potest Compositio Pontificia, qua Pontifex sua suprema auctoritate, ad praeveniendum periculum ne debitor ex difficultate restitutionis muneri suo deficiat et per totam vitam in peccato mortali maneat, ad modum gratiae ita rem componit, ut unam partem debiti in pias causas impendat, aliam condonans ipsi debitori; supplendo tamen de thesauro Ecclesiae utilitatem quae domino obvenisset, si totum debitum in eleemosynis erogatum fuisset. Ad hanc compositionem obtinendam Sacrae Poenitentiariae recurritur. Oportet tamen ut furta sub confidentia huius gratiae commissa non fuerint. Vide Lugo (D 21. Sec. 7) et Bullam *Pastor Bonus* Benedicti XIV.

NONA CAUSA

*Praescriptio.*

392. Praescriptio accidit quando quis rem alienam bona fide et certo tempore tranquille possidens ut suam, illius proprietatem (sine obligatione solvendi pretium) vi legis acquirit.

Huiusmodi leges iustae sunt; necessarium enim est omnino ut qui iam a longo tempore aliquid bona fide possident, neque litibus neque conscientiae dubiis inquietentur. Circa enim facta antiqua difficile est inquirere, et, quamvis clara videantur, errare nimis facile est. Adde implicationes quae in commercio orirentur.

Hinc, iuxta omnes, praescriptiones a lege civili statutae et ab Ecclesia non correctae non solum pro foro externo, sed etiam in conscientia probabiliter valent. Rectores enim societatis alto dominio etiam quoad subditorum proprietates pollent (ut supra dicebam); et, bono publico ita exigente, statuere possunt ut bona praescripta non amplius priori domino spectent, sed pleno verissimoque iure ad secundum possessorem transeant. Probabile est autem quod id vere statuere intendant; si enim res praescriptae restitui deberent, tunc ad quid praescriptio? Aut quomodo publicae et privatae tranquillitati consultum fuis-

set? D. Th. (Quodl. 2. a 14) scripsit : « Si quis praescribat, « bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi « sciat alienum fuisse post praescriptionem ». Vide Lugo (D. 7).

Neque officit si forte lex a gubernio intruso procedat ; si enim populus a proprio principe regi nequit, necesse est omnino ut ab intruso regatur, eiusque legibus (caeteroquin iustis) quae obligationes et iura statuunt, se accomodet. Nunquid enim gravamina subire debebit et beneficiis gaudere non poterit? Adde quod principis legitimi consensus sub hoc respectu praesumitur.

393. Nemo tamen, ope praescriptionis, rei alienae dominium acquirere potest, nisi bona fide processerit. Antiquae leges Romanae etiam in favorem possessorum malae fidei quasdam praescriptiones concedebant (Cf. Palao Tr. 31. p. 22. § 9. n. 2); sed Innocentius III (Cap. ult. de praescript.) declaravit quod in conscientia bona fides semper exigitur; dixit enim : « Quoniam quod non est ex fide *(nempe secundum conscientiam)* « peccatum est, synodali iudicio definimus, ut nulla valeat « absque bona fide praescriptio ; cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque peccato mortali non potest observari : unde oportet ut is qui « praescribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam « alienae ». Hinc Articuli 702, 2135, 2141, 2146 codicis Italici, aliique similes codicis Gallici, quatenus in praescribente bonam fidem non exigunt, valent quidem pro norma tribunalium; sed praescribentem ipsum (si forte revera mala fide processerit) in conscientia obligatum relinquunt.

394. Certe itaque fures aliique malae fidei possessores, quousque in mala fide manent, praescribere nequeunt. — Dixi *quousque in mala fide manent;* si enim fur (eo quod, v. g., Confessarius propter verisimilem, quamvis falsam, rationem illum persuasum reliquerit, rem ablatam esse suam) ad bonam fidem transierit, et in hac tempore praescripto perseveraverit ; tunc Lugo (D. 7. n. 151) probabiliter censet, nihil obstare quominus ipse quoque praescribere possit. Tempus autem a legibus praescriptum quoad furem personaliter in facti specie, iuxta ius commune et codicem nostrum (Art. 2135), est 30 annorum. Quoad alios autem possessores quantum sit, statim patebit.

395. Supponendo itaque furem non praescripsisse et rem furtivam ex eius manibus (v. g., per venditionem, donationem, legatum etc.) ad tertium bonae fidei devenisse ; quanto tempore hic praescribere poterit?

Resp. Id iuxta diversos codices diversum est.

Ius commune distinguit inter res furtivas et non furtivas. Furtivae (etiam mobiles et apud tertium existentes) longissimo tempore dumtaxat, nempe 30 ann., praescribi possunt. (Cf. Palao l. c. § II. n. 3). Non furtivae 30 ann. sine titulo. Cum titulo autem, si sint mobiles, 3 ann.; si sint immobiles 10 ann., domino praesente; 20 ann., domino absente.

Codices moderni (excluso casu rei apud furem existentis) distinguunt dumtaxat inter res mobiles et immobiles.

Mobiles, iure Italico, duobus annis (Art. 2146); et iure Gallico tribus annis (Art. 2279) praescribuntur.

Immobiles bona fide acquisitae et cum titulo debite transcripto, iure Italico (Art. 2137) 10 annis; iure autem Gallico 10 annis domino praesente (nempe sub eadem *Cour d'appel*); 20 vero annis, eo absente. — Deficiente vero sive bona fide in initio possessionis, sive titulo (quoad immobilia): tunc semper 30 anni exiguntur (Cf. art. 701. 707. 708).

396. Quid si res furtiva ad plures bonae fidei possessores successive transierit? Pro casu isto (de quo noster codex nihil habet) a iure communi (nempe ex lege *Dolia* § *De contrahenda emptione*) regula sumi debet: unde ultimus possessor computare potest tempus, quo ab aliis bona fide res detenta fuit, etiamsi eam a paucis diebus habeat quando tempus a novis legibus statutum completur. Gury n. 584, aliique communissime.

397. Quid si res furtiva ad bonae fidei possessorem transierit titulo, non emptionis, donationis, legati etc.; sed haereditatis?

Iuxta sententiam communem haeres ad restitutionem tenetur, quamvis toto tempore legali in bona fide manserit. (Multi tamen concedunt, tempore longissimo nempe 30 ann. praescribere posse).

Hanc communem sententiam S. Ligorius non habet ut certam, sed dumtaxat ut magis probabilem (n. 512, 516); et Castropalao (l. c. § 9. n. 3) dixit: « Mihi satis dubia videtur ». Reapse videri potest quod, maxime attentis codicibus modernis, haeres caeteris possessoribus aequiparari debeat: ita ut ipse quoque lapsu decem aut duorum annorum (secundum quod de re immobili aut mobili agatur) praescribat. Novae leges enimvero non distinguunt; unde iuxta ipsas, haeres aeque ac alii praescribit. Obiiciunt quod mala fides defuncti fictione iuris ad haeredem transit, qui ideo (iure canonico vetante) praescribere nequit. Sed hoc est sophisma; ius enim canonicum de mala fide non iam a iure ficta sed vera (quae scilicet a peccato mortali sciungi nequeat) loquitur. — Addunt, haeredem, utpote qui personam defuncti repraesentat et in omnia eius onera suc-

cedit, onus restituendi rem a defuncto usurpatam vel eius pretium, remanere. Sed responderi potest, rem hanc praescriptionem subiisse, et sic voluntate principis (quae valet ad minus sicut condonatio creditoris) dictum onus sublatum fuisse. Repraesentat quidem haeres personam defuncti; sed neque semper, neque quoad omnia; bene vero solum iuxta leges. Haec conclusio confirmatur quia, si defunctus ipse fundum usurpatum (iuxta dicta n. 394) praescripsisset, illum restituere non debuisset. Eccur ergo ad id cogetur haeres, si in manibus ipsius, sine ulla eiusdem culpa, vi legis praescriptionem subierit? Insuper, si ratio quod haeres succedit in onera defuncti, non impedit quominus ipse praescribere possit lapsu triginta annorum (prout multi ex adversariis fatentur); cur impedire debebit quominus lapsu decem aut duorum annorum praescribat?

398. Quid si quis bona quidem fide rem alienam possideat, sed non tamquam dominus?

Resp. Tunc (nisi forte lex in aliquo casu tunc quoque praescriptionem admittat) praescribere nequit. Hinc fur, qui a restitutione excusetur, v. g., quia invenire nequeat dominum cui rem suam restituat, et, concepta voluntate rem ipsam restituendi quando dominus comparebit, illam apud se bona fide retineat; et postea obliviscatur ita ut interim tempus legale transeat; non ob id praescribere poterit. Non enim ut dominus, sed ut depositarius rem apud se retineret; lex autem depositariis praescriptionis beneficium non concedit. Aliud esset, si (ut dixi supra) ex errore persuasionem concepisset rem esse suam. Lugo (D. 7. n. 45).

Dixi *nisi forte lex in aliquo casu tunc quoque praescriptionem admittat*; prout in praescriptionibus quinque annorum quoad fructus pecuniae, domorum pensiones aliosque annuos reditus (de quibus loquitur noster Codex Art. 2141), seclusa tamen mortali culpa ex parte debitoris, contingere videtur. Et ratio legis est ne, propter incuriam creditorum solutionem non exigentium, debita nimis cumulentur et familiae in ruinam conjiciantur. Praeterea creditis suis renuntiare videtur qui per tantum tempus ea non exigit.

399. Quaeritur an dubia praescriptioni obstent?

Resp. Dubia suborta dum bona fide possidere coepisti, praescriptioni non obstant, dummodo convenientes inquisitiones adhibeas. Haec enim non impediunt, quominus absque peccato rem ipsam ut dominus possidere pergas. Ita S. Lig. (L. 3. n. 511) aliique communissime.

Quoad dubia autem quae in ipso possessionis initio existunt, Theologi generatim dicunt, ea praescriptioni obstare, quia *in dubio inchoari nequit possessio*. Sed haec regula caute accipienda est; multas enim exceptiones admittit; et non currit quando dubia verum dubium practicum non constituunt, non scilicet impediunt quominus sine culpa et tamquam dominus possidere incipias. Exemplum dat Lugo (D. 7. n. 65) in eo qui a possessore bonae fidei per donationem, venditionem, haereditatem vel alium titulum accepit rem cum dubio an sit aliena. Dicit enim: « Dicendum puto bonam fidem auctoris prodesse successori, ita « ut licet ipse dubitet, quando succedit et accipit rei possessionem, an sit aliena, et ideo obligetur ad inquirendum....; « perseverante tamen dubio, possit rem accipere et possidere « bona fide, quae possessio non minus deservit ad praescriptionem quam si absque ullo dubio incoepisset possidere ». Et ratio est quia antecessor ius suum possidendi rem illam tamquam propriam in successorem transfundit. — Aliud exemplum esset si quis acceperit cum dubio, an ille qui dabat vel vendebat, esset verus dominus, vel bonae fidei possessor, iuxta dicta (n. 386 *Sed quid*, et n. 357). Cf. etiam Lugo (D. 7. n. 19).

400. Quaeritur an quicumque defectus, qui bonam fidem inficiat, praescriptioni obstet?

R. Negative; oportet enim ut sit talis, ut possessor mortaliter delinquat, vel ad modum domini possessionem continuare nequeat. Innocentius III dixit: « Omni constitutioni derogandum quae absque peccato *mortali* non potest observari » (n. 390). Sed, si peccatum veniale ad impediendam praescriptionem sufficeret, cur Pontifex epitetum *mortali* adiunxisset? Quamvis itaque, suborto dubio, quoad inquisitiones sive incipiendas sive perficiendas negligentia et culpa interfuisset, sed non mortalis; praescriptio impedita non fuisset. Lugo (D. 7. n. 36).

## § II.

### *De gradu culpae in omissione restitutionis.*

401. Deficientibus causis a restitutione excusantibus, fur restituere tenetur; sed sub qua culpa?

Ordinarie culpa erit mortalis vel venialis secundum quod materia furti fuit gravis vel levis.

Attamen interdum, quamvis materia gravis fuerit, obligatio restitutionis gravis non est. Id contingit si ex una parte res

ablata neque in se neque in aequivalenti subsistat; et ex alia fur, tum quando furtum commisit tum quando rem furtivam consumpsit, damnum leve dumtaxat inferre firma persuasione crediderit. Tunc enim damnum, quatenus extitit grave, praeter intentionem accidit. Hinc sub gravi restituere non tenetur

1°. Qui putans obolum surripere, de facto surripuit aureum, illumque pro obolo expendit. Croix (L. 3. p. 2. n. 194).

2°. Qui quinque francos surripuit Titio, firmiter existimans eum esse ditissimum principem; et, postquam illos in commessatione (ex ea occasione facta) consumpserit, Titium esse civem ordinarium resciverit.

402. Viva (Prop. 29. Alex. VII. n. 15) extendit hanc doctrinam ad illum qui per modica furta interpolata ad materiam gravem pervenit; sed ita ut nunquam id adverterit, et in nihilo factus sit ditior. Sed hoc est contra communissimam aliorum sententiam; et omnino dicendum est, illum restituere debere sub gravi, dummodo explicitam et firmam non habuerit persuasionem se leve dumtaxat damnum inferre. Ratio, quia singulae acceptiones fuerunt perfectissime voluntariae, et proinde in conscientia reparandae. Quum autem istae summam gravem constituant, plane sequitur quod summam gravem et proinde sub gravi restituere debeat. Quod autem damnum grave reflexe non adverterit; id non excusat; quando enim quis in factum principale consentit, consentit etiam implicite in circumstantias communiter facto ipsi inhaerentes, nisi per erroneum iudicium illas positive excluserit; ut (n. 368) vidimus.

403. Quaeritur an, furto gravi perpetrato, interdum sufficiat si pars restituatur, ut peccatum mortale amplius non subsistat?

Resp. Affirmative; idque accidit si, restituta parte, materia, quae superest, levis evaserit. Furatus es, v. g., viro diviti septem francos, eique nunc tres vel quatuor francos restituis. Id satis est ut a peccato mortali liber evadas. Haec doctrina communis est; et in praxi utilis esse potest. Lugo (D. 16. n. 41).

Petes utrum in omissione restitutionis speciale peccatum contra charitatem adesse possit?

Resp. Affirmative. Scripsit Suarez (De Char. 8. 3. 7): « Si « quis debitor haberet creditorem, cui ex iustitia hic et nunc « teneretur restituere et praeterea in tali necessitate existen- « tem ut eidem ex misericordia subvenire teneretur, et tamen « non subveniret, saltem restituendo..., non satisfaceret in con- « fessione dicendo se non restituisse quando tenebatur, sed debere « explicare se non subvenisse proximo in tali necessitate ».

## § III.

### *De legitimo et convenienti restitutionis modo.*

Hic perpendi debet quid, quantum, quando, cui, et quibus mediis restituendum sit?

#### *Quid restituendum?*

404. Non semper rei alienae possessor restituere tenetur illam in se, quamvis extet et minime praescripta fuerit; sed non raro sufficit si in aequivalenti restituat. Id praecipue accidit

I. Si pro domino idem sit sive rem sive pretium habeat.

II. Si difficultates satis graves (v. g., nimiae expensae quae in expeditione exigerentur) hanc permutationem excusent.

III. Si debitor rei dominium acquisierit. Dices: Quomodo id, seclusa praescriptione, contingere potest? Resp. Ope accessionis; nempe per plantationem, aedificationem, adiunctionem, mixtionem et specificationem. *Plantatio:* Si, v. g., in fundo tuo alienas arbores plantaveris. *Aedificatio:* Si, v. g., in fundo tuo ex aliena materia domum aedificaveris; aut si ad restaurandam domum tuam alienas petras vel trabes adhibueris. *Adiunctio:* Si, v. g., inauri tuo pretiosissimo paullulum coralli alieni incluseris; si filo alieno vestem tuam consueris: si in tela aliena sive acu sive penicillo pretiosas picturas feceris; si assibus tuis assis alienae fragmentum ad tabulam conficiendam adiunxeris etc. *Specificatio* (seu totalis aut quasi totalis transformatio): Si, v. g., ex scrutis alienis chartam, ex herbis alienis pharmacum, ex argilla aliena vas, ex saxo alieno statuam confeceris. *Mixtio:* Si, v. g., decem obolos alienos cum centum tuis, aut sacculum tritici alieni cum magna tritici tui massa commiscueris; vel si nonnullis vini alieni mensuris dolium vini tui repleveris.

Ut tamen rei alienae dominium his modis comparetur, oportet ut res ipsa 1° commode separari nequeat; 2° quid valde secundarium (si agatur de obiecto mobili) appareat, ut in exemplis supra indicatis contingeret. Si e contra res aliena quid principale vel circiter aequalis momenti sit, tunc dominium minime acquiritur. Hinc dominus non evadis, v. g., si in anulo tuo gemmam alienam incluseris; si ex panno alieno vestem tibi feceris; si in tela aliena pretiosa aliquid exigui momenti textili pictura concinnaveris; si tabulam partim ex tuis et par-

tim ex alienis assibus confeceris; si ex tritico farinam, ex uva vinum, ex olivis oleum, ex ferro pessulum, ex auro candelabrum feceris; si in quantitate circiter aequali vinum cum vino, triticum cum tritico, pecuniam cum pecunia miscueris. In huiusmodi casibus proprietas non acquiritur; sed dominium erit vel totum alterius vel commune, secundum quod alter, propter rem suam in eo obiecto adhibitam, tamquam proprietarius principalis vel circiter aequalis appareat. — Ita statuitur in codice nostro Italico (art. 447-475), cum quo alii Europae codices fere omnino concordant. Ius Romanum in substantia idem statuebat; sed aliquae differentiae notantur; de quibus vide Gury (n. 591. 592).

Si itaque fur, dictis accessionibus, rem fecerit suam; non illam sed pretium restituere debebit. Nec obstat quod accessiones mala fide peractae fuerint. Ius Romanum, et clarius novi codices ita decernunt; quin Ecclesia quidquam in contrarium statuerit. Hinc cl. D'Annibali (Vol. 2, n. 138. not. 25) scripsit: « Non inspicitur utrum quis fecerit bona an mala fide: « quod et iure communi verius est ».

Si vero, accessione facta, alter proprietarius remanserit: tunc si talis evaserit in toto, totumque repetat, totum illi restitui debebit (remanente in eo obligatione refundendi pretium pro parte quae prius sua non erat). Si autem evaserit proprietarius in communi, tunc pars erit ei tradenda; et, si res dividi nequeat aut ambo in re dividenda non conveniant, tunc ad venditionem sub hasta utrinque ius datur; ut pretium pro rata dividatur.

Petes: an restitutio cum re diversi generis fieri possit? Laesisti, v. g., aliquem quoad bona fortunae, et tu pro eo Missas celebrare facis, vel eleemosynas pauperibus distribuis.

Resp. Negative *per se*; laesus enim in uno genere ius habet ut in eodem genere ei restitutio fiat; nec ad restitutionem alio modo faciendam consentire tenetur; imo domini in hoc ordinarie non consentiunt. In quibusdam tamen circumstantiis, v. g., si ageretur de summa exigua; vel si dominus esset valde pius, religiosus, misericors; vel si difficile esset restitutionem in eius manibus peragere; tunc huiusmodi etiam restitutiones valere poterunt. Idque multo magis si dominus esset prorsus ignotus; quo casu (si media suppetant) pecunia in operibus piis erogari non solum poterit, sed (saltem ex lege positiva) debebit, ut infra (n. 415) videbimus.

Sed quid si media non suppetant? Tenenturne tunc pauper,

qui laesit proximum in bonis corporalibus, restituere in spiritualibus; v. g., audiendo Missas, recitando orationes etc.?

Resp. Negative. De hac enim obligatione stricta, neque ex iure naturali neque ex iure positivo constat. Bene tamen faciunt Confessarii, si ex consilio vel ex poenitentia sacramentali hanc reparationis speciem aliquo modo procurent. Lessius (c. 14. n. 39).

*Quantum restituendum?*

405. Quantum restituere debeat possessor bonae fidei, iam dixi (n. 388). Fur autem vel usurpator restituere debet tantum quantum necessarium est ut dominus indemnis reddatur; imo et amplius, si forte ex re ablata adhuc maius fructum perceperit

Dixi oportere *ut dominus indemnis reddatur*. Ad hoc interdum sufficit, si domino res sua (in eo statu in quo erat quando ablata fuit) vel eius pretium restituatur; v. g., si furatus fueris librum vel aliud obiectum quod nullum fructum producebat, et quo dominus non indigebat. Tunc enim praeter rei ablationem nullum aliud damnum pretio aestimabile conspicitur.

Sed non raro alia damna superadduntur: prout si agatur 1° De rebus fructiferis, quatenus, v. g., ex eo fundo, ex ea domo, ex eo animali, ex ea pecunia etc. dominus fructus percepisset; quos, furto secuto, aut nullo modo aut solum aliis damnis se subiiciendo, percipere potuerit. 2° De rebus ad lucrum necessariis, v. g., de instrumentis pro artifice, de pecunia pro negotiatore etc.; ita ut, furto secuto, aut lucrum omnino cessare aut pecunia ad usuram accipi debuerit. (Oportet tamen ut haec damna vere ex furto proveniant. Si enim, v. g., artifex aliud instrumentum emere facile potuisset; idque non fecerit; tunc fur de damnis respondere non deberet. Lugo D. 18. n. 32). 3° De rebus necessariis ad victum, vestitum, habitationem etc.; ita ut furtum passus debita onerosa ad sibi providendum contrahere coactus fuerit. 4° De rebus quae vendi solent, v. g., de tritico, de vino etc.; si nempe dominus non iuxta pretium, quod habebant actu furti, sed maiori venditionem peregisset. — Porro in his similibusque casibus (de quibus egi supra n. 368) restitutio rei ablatae non sufficit, sed damnorum reparatio omnino exigitur. — Si tamen ageretur de damnis immodicis, extraordinariis et prorsus inverisimilibus, tunc oporteret ut essent praevisa, prout supra (n. cit.) explicavi.

Petes an aliquid restitui debeat pro simplici usu, quatenus

nempe dominus re sua uti nequivit; quamvis, praeter molestiam et incommodum quod forte habuit ex rei suae carentia, nullum aliud damnum passus fuerit ?

Resp. Si res fuerit ablata locatario aut commodatario, restitutio pro usu inique impedito ad amussim fieri debet ( nisi forte agatur de re minima et pro tempore minimo ); isti enim non solum habent ius ad usum, sed praecise usu indigent. Secus ordinarie si domino ablata fuerit; ut plurimum enim domini vel nullum patiuntur incommodum si hac vel illa re aliquo tempore careant, vel contenti sunt si rem propriam recuperent. Si tamen ageretur de re, cuius usus valde considerari solet ( ut equus, domus, ornamentum pretiosum etc. ); tunc dominus etiam pro usu, quo indigebat et quo inique privatus fuit, compensari deberet. Hinc scripsit Lugo ( C. 16. n. 184 ) : « Aliquando ipsi « etiam domino restitui debet ultra aliquid aliud pro usu rei, « quo tempore intermedio caruit ».

Quid si dominus ex furto nullum damnum passus fuerit, eo quod eius vicini misericordia moti ei subvenerint; vel ipse occasione furti publicae sortitioni *( al Lotto )* monetam exposuerit magnamque summam vicerit ?

Resp. His de causis ius ad rem suam minime amittit. Facile tamen est quod de restitutione non curet et debitum remittat si fur sit pauper ( ut dixi supra n. 378 ). — Gury ( Cas. n. 588 ) dicit restituendum esse non domino, sed vicinis, qui subveniendo ( quasi tacita emptione ) ius domini in se transtulerunt. Sed haec absona sunt. Dicerem potius quod, restitutione secuta, dominus saltem ex quadam convenientia vicinis suis subsidia recepta offerre deberet.

406. Haec omnia eo spectant ut dominus reddatur indemnis, ad quod profecto tenetur fur, quamvis ipse ex re ablata nullum lucrum percepisset. — Sed quid si e contra plurimum lucratus fuerit; ita ut lucrum perceptum superet summam, quae ad dominum indemnem reddendum sufficeret ?

Resp. Hic excessus interdum potest esse fructus sui laboris vel industriae. Furatus es, v. g., Fr. 1000; ex quibus, dum dominus percepisset fructum purum *( un frutto netto )* in ratione 5 vel 6 0/0, tu multo plus percepisti; sed id accidit quia negotiationi extraordinariae vel ludo illos exposuisti, et fortuna tibi arrisit. Utique tunc lucri excessus non summae sed tuae industriae, et fortunae tribui deberet; unde non esset cur ad restitutionem pro hoc excessu obligandus sis.

Interdum e contra excessus potest esse fructus rei ablatae.

Usurpasti, v. g., pratum vel domum, de quibus dominus non curabat. Tu pratum coluisti domumque locasti; et sic fructum percepisti. Hic fructus (detracto valore laboris, administrationis, assecurationis, taxarum et manutentionis) rebus usurpatis vere spectat, et proinde domino tradi debent. Ita omnes. Vide speciatim Soto (L. 6. q. 1. a. 2. in fin.).

407 Dices: Quoad restitutionem pro damnis domino obventibus, aut fructibus sive a domino amissis sive a fure perceptis, quomodo poterit Confessarius quantitatem determinare? Quum ad cognoscendum fructum purum multae subtractiones, utique difficile aestimabiles, fieri debeant, nonne ut plurimum de re implicatissima et difficillima agetur?

Resp. Ita est: et proinde in praxi censeo, statuendum esse imprimis valorem quem res actu furti habebat; et postea restitutionem pro damnis et fructibus taxari posse iuxta consuetum auctarium (nempe 5 vel 6 0/0) quod a mutuatariis quotannis (sorte tuta) exigi solet. Excipe nisi clare constet quod plus aut minus statuendum sit. Qua de re vide speciatim infra (n. 409)

408. Quid si quis furatus fuerit pecuniam, quam dominus otiosam retinebat, et ipse ex illa fructum perceperit?

Resp. Si fructum legitimum percepit, tenetur illum restituere domino; sed solum qua parte fructus non iam industriae suae, sed pecuniae tribui debet. Id contingeret, si fur pecuniam sive in arca parsimoniae (*Caisse d'epargne*) collocaverit, sive alicui iuxta taxam legalem *ad interesse* tradiderit: aut in emptione v. g. domus vel fundi rustici impenderit. Idem dic si ex illa feliciter negotiatus fuerit. Dicunt multi pecuniam non esse fructiferam; et talis est reapse si otiosa retineatur, sed procul dubio talis non est si ad lucrosa negotia adhibeatur. Opponunt quod in his casibus fructus non iam pecuniae sed industriae totaliter tribui debet (Cf. Scavini II. n. 593). Sed hoc falsissimum est et contra sensum communem. Suam partem profecto habebit industria, sed suam quoque pecunia. Optime scripsit Gury (n. 867. 4): « Pecunia, ut constat experientia mercatorum, fru-« ctum producit... Etenim idem mercator in iisdem circumstan-« tiis et cum eodem industriae gradu, multo maius lucrum facit, « si multo maiorem summam impendere in commercio possit ».

Dixi *si fructum legitimum percepit;* si enim fructum usurarium percepisset (nempe exigendo auctarium immodicum, aut dum prius gratis pecuniam commodaverat); tunc fructum inique perceptum non domino pecuniae, sed mutuatario restituere deberet.

409. Haec tamen valent inspecto rigore iustitiae; in praxi

enim, circa fructus quos dominus non percepisset, notari debet 1° quod remissio creditoris saltem in parte facilius praesumi potest; 2° quod in fure hoc in puncto bona fides facillime dari potest; qua supposita, fructus restituere non teneretur nec quando illos consumpserit quin ditior evaserit, nec quando praescriptio duorum vel trium annorum intercesserit; bene enim praescriptio in eius quoque favorem tunc currere potest; quia tunc quoad fructus non fur, sed simplex bonae fidei possessor esset. Lugo (D. 17. S. 3. n. 53-58).

410. Quid si res furtiva in se adhuc subsistat; sed in manu furis deterior evaserit?

Resp. Fur supplere debet detrimentum per quantum necessarium est, ut dominus indemnis reddatur. Si itaque, secluso furto, detrimentum non accidisset; fur de illo semper respondere debet. Neque hic refert si detrimentum ex casu non praevidibili successerit: satis enim voluntarium existit ex hoc ipso, quod fur acta furti voluit ut dominus rem suam penitus amitteret. — Si autem detrimentum etiam apud dominum accidisset; tunc fur interdum pro illo respondere debet, et interdum non. Triticum furtivum, v. g., tabem contraxit vel pretio decrevit, dum etiam secluso furto dominus idem damnum habuisset; tunc sufficit si triticum prouti est restituatur. E contra abstulisti et trivisti vestem; nunquid sufficeret restituere illam sic detritam, dicendo quod etiam apud dominum detrita fuisset? Nequaquam: dum enim dominus trivisset vestem suam; alia, quam propter furtum terere debuit, intacta remansisset. Aliud exemplum dari potest in eo qui furatus est equum iuvenem, illumque restituit senem. Utique non valeret excusatio quod equus etiam apud dominum senuisset. Dominus enim equo suo usus fuisset, et proinde pro hoc usu quo privatus remansit compensandus est.

Imo quoad huiusmodi detrimenta aliquando in rigore iustitiae non sufficit ut dominus indemnis reddatur. Furatus es, v. g., vinum quod apud dominum eveniente aestate acescuisset. Tu illud praeservasti; sed anno sequenti acescuit etiam apud te. Equidem in hoc casu non sufficit si acetum restituas; si nempe credendum sit quod, si transacta aestate vinum (prout debebas) restituisses, dominus illud vendidisset.

411. Quid si fur rem furtivam propriis expensis meliorem et pretiosiorem reddiderit?

Resp. Expensas, quas sustinuit ut rem in statu quo conservaret aut ab interitu liberaret, certe detrahere potest; sed solum pro quanto dominus illas sustinere debuisset.

Circa autem melioramenta utilia quidem sed non stricte necessaria, prout essent fabricae, plantationes etc.; (quatenus commode separari nequeant) sic distinguendum est.

Si domino intersit ut res sua sine illis melioramentis restituatur (usurpasti, v. g., domum, et ex ipsa fecisti theatrum; dominus autem non vult theatrum sed domum); tunc usurpator debet suis expensis destruere id quod fecit, et ad pristinam formam omnia reducere. Id naturali iustitiae prorsus conforme statuitur etiam a Cod. It. (Art. 450). Et hic obiter nota differentiam quae hoc in puncto adest inter possessorem malae fidei et bonae fidei; possessor enim bonae fidei ad talem destructionem, ut dixi (n. 388. q. III°), non tenetur.

Si e contra domino intersit ut melioramenta conserventur; tunc compensare debet usurpatorem iuxta minimum inter melioratum et expensum, solvendo nempe pretium aut expensarum, aut incrementi valoris quod fundo suo ex iis melioramentis accessit. Cf. cod. It. (Art. cit. et Art. 1150).

412. Quid si tu communi consilio cum aliis furto participaveris? Sufficitne si tuam praedae partem restituas?

Resp. Sufficeret, si alii revera restituerent. Sed quid si non restituant? Duo casus supponi possunt.

Primus est si fueris causa totalis damni; ita ut, te concursum recusante vel a societate recedente, furtum commissum non fuisset, vel alium in tui vicem advocare oportuisset. Ad hoc furtum, v. g., consummandum, finge tres homines ad minus esse necessarios, vel oportere omnino ut aliquis excubias agat. Si tu sis unus ex tribus, aut si excubias agas; iam eris huius furti causa totalis. Et in hac hypothesi, si alii duo non restituant, tu in solidum teneris, seu totum damnum compensare debes. Nec obstat, si, te recusante aut recedente, alius, qui in tui locum succederet, inventus fuisset; si enim praevenisti alium in damno inferendo, illum quoque in obligatione reparationis praevenire debes.

Secundus casus est si damni causa partialis dumtaxat fueris, quatenus, te etiam nullo modo concurrente aut mandatis non satisfaciente et nemine in tui locum superveniente, furtum commissum fuisset. In hac hypothesi vel sufficiet si tuam partem restituas, vel certe ad totum damnum reparandum nunquam teneberis. Idque quamvis ex tuo concursu socii celerius; citius, audacius etc. furtum commisissent, quod tamen ab iis (quamvis tardius et difficilius) certe commissum fuisset. Haec omnia docet Lugo (19. n. 77-97). Cf. S. Lig. (n. 561).

In dubio autem an fueris causa totalis aut partialis ; ad partem dumtaxat teneris ; quia ultra id de iniuria non constat. S. Lig. n. 579.

Quid si fueris causa totalis damni, et proinde, sociis non restituentibus, in solidum tenearis ; sed ignores aut dubites utrum alii restituerint ?

Resp. Casus iste est valde practicus, et ex coniecturis resolvi debet. Si socii in miseria versentur ; aut si, attenta maxima eorum improbitate, non sit verisimile quod unquam restituturi sint ; tunc ad reparandum damnum in toto tu procul dubio teneberis. Si vero socii in restituendi impotentia minime versentur et supponi possit quod v. g. occasione Paschatis, aut missionis aut saltem in morte debitis suis satisfacturi sint ; tunc ego, cum Salmanticensibus ( Tr. 13. C. 1. n. 152 ), Roncaglia et aliis, censeo sufficere si partem tuam restituas. Iniquum est quidem quod creditor insolutus remaneat ; sed iniquum est etiam quod bis vel ter integram solutionem recipiat. Vide etiam dicta ( n. 385 ).

De prudentia autem Confessarii in declaranda obligatione restituendi in solidum, suo loco verba faciam. Et in Puncto sequenti nonnullas alias quaestiones circa illos, qui furtis participant, superaddam.

*Quando restituendum ?*

413. Si fur statim restituere possit, utique statim restituere debet. Mora notabilis ( nisi in favorem domini, iuxta dicta n. 379. III°, restitutio differatur ) a peccato excusari nequit. Neque sufficit restituere paullatim, si tota summa illico restitui queat. Si tamen poenitens quoad hoc sit in bona fide, oportet ut confessarius prudentiam adhibeat.

Dilatio diuturna, ( v. g. mensis, iuxta S. Lig. n. 679 ), si de magna summa agatur, peccatum mortale constituit. Sed quid de dilatione brevi ?

Resp. Haec *per se* venialem culpam non excedit ; sed *per accidens* peccatum mortale constituere potest ; idque speciatim

1°. Si dominus eo tempore re sua graviter indigeat.

2°. Si adsit periculum ne fur, mutato animo vel adveniente novo impedimento, postea non restituat. Lugo ( D. 20. n. 24 ).

414. Quid si fur statim restituere nequeat, nisi cum magno incommodo ? Resp. Circa hoc vide dicta n. 373.

Quid si fur ( sive propter nimium incommodum proprium

sive quia dominus longe absit nec ita cito inveniri queat ) restitutionem procrastinare cogatur ; et interea ex hac dilatione dominus damna patiatur ? Teneturne tunc quoque haec damna compensare ?

Resp. Affirmant communiter cum Lugo ( D. 21. n. 17 ), quia dominus ius habet ut haec damna ( nisi sint nimis extraordinaria ) ei compensentur ; si enim furtum non intervenisset, ea passus non fuisset. — Nonnulli vero cum Palao ( Tr. 32. D. 1. p. 17. § 10 ) contra sentiunt.

*Cui restituendum ?*

415. Res clamat ad dominum ; domino itaque restituendum est. Sed haec regula sequentibus limitationibus seu explicationibus indiget.

1°. Si dominus sit prorsus ignotus neque inquisitionibus rei gravitati proportionatis inveniri possit ; tunc ( si agatur de debitis ex delicto ) restitutio in eleemosynis aliisve piis causis eroganda erit. Hoc est certissimum, et patet ex iure canonico ( Cap. *Cum tu* De usuris ), ubi dicitur : « Ea quae usuris iniquae acquisita sunt, si non supersunt illi, quibus debentur, aut eorum haeredes, dentur pauperibus ». Idque valet non solum quoad usuras, sed etiam quoad furta aliaque damna iniusta ; viget enim semper eadem ratio ; ne scilicet hominibus iniquis integrum sit ex iniquitate et iniustitiis ditescere. Ita docent Theologi communissime cum Lessio ( L. 2. C. 14. n. 33 ). Concedunt tamen quod, si fur sit pauper, se ipsum inter pauperes computare, remque proinde sibi retinere possit.

Advertendum est etiam quod fur, si forte timeat ne dominus compariturus sit ; tunc poterit ( imo debebit ) restitutionem procrastinare, maxime si de magna summa agatur ; tunc enim procrastinatio esset iuxta praesumptam domini voluntatem ; et aliunde fur periculo debitum suum bis solvendi exponeretur. Hoc tamen periculum minime adesset si 30 anni a die furti iam praeteriissent. ( Cod. It. Art. 2135). Vide Lugo ( D. 21. n. 97. et 102 ).

II°. Si dominus non sit prorsus ignotus, sed dubium versetur inter aliquos, an scilicet huic vel illi res spectet ; tunc ( si nulla iam supersit spes verum dominum cognoscendi ) pro rata dividenda erit. Idem dic si furta commissa fuerint in confuso contra plurimos alicuius communitatis individuos, ita ut impossibile sit illos recognoscere et determinare quantum huic et quantum illi restituendum sit ( prout contingit in venditoribus qui in pondere

et mensura adventores defraudarunt). Tunc enim sufficit si in confuso communitati ipsi restitutio fiat, (v. g., abundantiori pondere et mensura in posterum utendo *).

III°. Si dominus sit quidem optime notus; sed, attentis circumstantiis (v. g., exiguitate summae et difficultate expeditionis) praesumi debeat eum esse contentum, quamvis in eius manibus restitutio non fiat: tunc sufficit si restitutio paperibuus fiat; sed in hoc casu sedulo advertendum est quod, si dominus haberet propinquos pauperes, fur illos praeferre deberet et seipsum inter pauperes tunc computare nequiret. Cf. supra dicta (n. 375).

Qui itaque multum quidem furati sunt, sed ita ut in particulari neminem laeserint graviter, hi, si pauperibus restituant, interdum muneri proprio totaliter satisfaciunt; si nempe nimis difficile sit singulis restituere (prout accidit in furtulis huc illuc contra multos perpetratis): et haec difficultas potest esse tanta ut excusentur quamvis singuli non leviter laesi fuerint. Interdum autem satisfaciunt quidem ita, ut (sic restituendo) a peccato mortali immunes evadant, sed non a veniali; si nempe difficultas, quae adest, non sufficienter excuset (prout in furto bonorum communium civitatis contingere potest; tunc enim restitutio facta communitatis ipsius rectori forsan conveniens et facilis est). Cf. S. Lig. (n. 534), et Gury (Cas. n. 712).

IV°. Si fur non domino, sed alii furi rem furtivam abstulerit. In hoc casu poteritne fur furi restituere, an vero debebit dominum quaerere eique rem suam reddere? R. Si primus fur non sine minis rem ablatam repetat, aut si necesse sit rem ipsam ei restituere ad aliquod notabile incommodum evitandum; tunc certe licet furi restituere; unde TT. communiter dicunt licere rem furtivam, etiam mala fide emptam, furi reddere ad recuperandum pretium. Cf. S. Lig. (n. 570) et Lugo (D. 17. Sec. 2). Idem dic si dominus exigat quidem restitutionem a fure primario, sed non a secundariis. Ab his casibus praescindendo, communis sententia docet restituendum esse domino. Sed Toletus hanc obligationem non recognoscit (L. 5. C. 23), et D'Annibali (II. 213) dicit quod fur furi restituens in quolibet casu nullum damnum domino irrogat; rem enim in pristinum reponit, et reddit ei qui pro suo furto ad restitutionem tenetur. Aliunde, nisi restitutionis executio tam domino quam furi bene declaretur, inconvenientia sequi possunt; quod nempe domino

* In praxi praestat ut restitutio, si media suppetant, fiat statim; unde in hoc casu consultius esse potest quod Confessarius restitutionem in usus pios, ex praesumpto damnificatorum consensu, exigat.

bis restituatur, et primus fur restituat quando ad restitutionem amplius non teneretur.

V°. Si dominus mortuus sit. Tunc restitutio eius haeredi universali fieri debet; et si haeredes sint plures, videndum an tales sint in partibus aequalibus an vero inaequalibus; tunc enim res vel eius pretium aequaliter vel inaequaliter dividi debebit.

VI°. Cavendum ne verus dominus cum domino in specie confundatur; quod facile est quando operum conductores *(appaltatori)* intercedunt; si enim conductor ex materia propria opus perficere debeat; tunc, si quid ex hac materia auferatur, conductori ipsi restitui debet. — Et in quovis casu observandum quis re vera damnum habuerit, ut illi et non domino restitutio fiat. Id obtinet praecipue in rebus de quibus cautum, et pro iis ablatis pretium solutum fuit; prout non raro faciunt vectores, nautae, caupones, dum pro rebus sibi traditis securitatem dant. Idem dic de rebus occulte ablatis thesaurariis aut aliis officialibus qui *responsabiles* dicuntur.

VII°. Restitutio fieri debet illi, qui hic et nunc ius habet rem illam possidendi seu apud se retinendi; qualis interdum non est dominus, sed alius; v. g. locatarius, commodatarius, usufructuarius, pignerator etc. Cf supra (n. 370).

VIII°. Idem dic si non dominus sed alius rem illam administrandi ius habeat. Hoc in puncto recolenda sunt sequentia.

*Bona uxoris*, si sint dotalia, administrantur a marito, cui quoque fructuum exactio spectat (Cod. It. Art.. 1399), nisi decreto iudicis tali administratione privatus fuerit (Art. 1418), quo casu administratio pertinet uxori (Art. 1424). — Bona uxoris extradotalia (nempe non dotalia) ab uxore administrantur (Art. 1427); nisi ipsa hanc administrationem marito reliquerit. — Si demum coniuges bonorum communionem in matrimoniali contractu statuerint (prout facere possunt non quoad omnia, sed solum quoad fructus industriales et parsimoniales); tunc horum administratio marito pertinet (Art. 1438).

*Bona filii-familias*, durante minoritate (nempe usque ad annum 21 completum), administrantur a patre, qui etiam usumfructum habet (Art. 224. 228). Mortuo patre, a matre vidua (cum quibusdam tamen conditionibus et exceptionibus. Art. 235 et seqq.). Utroque parente defuncto, a Tutore sub vigilantia Consilii Familiae (Art. 277. 295). — Si filius, durante minoritate, per emancipationem aut matrimonium sui iuris evadat (Art. 310. 311); tunc bonorum suorum usumfructum obtinet (Art. 228), et insuper administrationem; sed limita-

tam, et Curatori subiectam; illamque etiam penitus amittere potest (Art. 314. 317. 339. 321). — Quaedam tamen bona filiofamilias (etiam minori) pleno iure spectant; nempe 1° si ei, v. g., donatione vel haereditate obvenerint cum conditione expressa quod pater usufructu non gaudeat; 2° si pater eorundem bonorum acceptationi non consenserit; 3° si data fuerint filio ut aliquam artem vel professionem acquirat; 4° si filius bona sibi acquisierit causa vel occasione militiae, vel ex alicuius officii gestione, vel quomodocumque ex proprio labore, arte et industria separata (Art. 229); tali scilicet ut hos proprii laboris fructus familiae tradere non intenderit, sibique reservaverit.

*Bona illorum, qui interdicti dicuntur*, administrantur a Tutore (Art. 329) — Illi autem, qui *inhabilitati* appellantur, (inter quos ordinarie sunt surdi-muti et caeci a nativitate) aliquam quidem administrationem habere possunt, sed dependentem a Curatore (Art. 339).

*Bona communia*, v. g., Status, Provinciae, Civitatis, Orphanorum, Expositorum, Infirmorum, Pauperum, diversarum societatum etc. proprios habent administratores; in quorum manibus (attamen iuxta nuper dicta n. III° *Qui itaque*) restitutiones fieri debent.

Quid si administratores non legitimi sed intrusi essent? Resp. Si restitutio, v. g., Orphanis, Expositis, Infirmis etc. fieri nequeat, nisi tradendo res usurpatas administratoribus intrusis, prout ordinarie contingit, tunc istis restituendum erit.

IX°. Quid de furtis, usurpationibus aut damnificationibus in bonis Ecclesiae perpetratis contra eos, qui eadem bona a Gubernio emerunt, et nunc sine debitis licentiis ea possident?

Resp. Si personae, quibus ea bona spectabant, pensionibus sufficienter compensentur; tunc restitutio actuali possessori (contra quem furtum commissum fuit) fieri debere videtur. Non enim est aequum ut pensiones acceptentur et simul fundorum fructus exigantur. — Si autem pensiones a sufficienti compensatione praestanda longe absint; tunc casus solutio difficilis evadit. Attamen tunc quoque restitutio actuali possessori facta forsan damnari nequit; et illum, qui sic restituit, ut iterum Ecclesiae restituat, cogendum non esse dicerem. Rationes sunt sequentes. 1° Res reponitur ubi erat prius et moraliter non censetur quod Ecclesia ex hoc damnum habeat (v. supra n. IV). 2° Ecclesia tolerat ut coloni statutam fructuum partem et pensiones actuali possessori dent. Quod itaque ex his sive casu sive ex malitia occultatum et non datum fuerit, cur dare in poste-

rum nefas erit? 3° Si quis fundum ecclesiasticum emerit, et paratus muneri suo satisfacere Ecclesiam adeat; ipsa pro nunc restitutionem neque fundi neque fructuum exigit; idque quamvis personae a quibus fundus possidebatur, adhuc vivant. 4° Nimia adest hac in re complicatio; quis enim scit utrum in facti specie pensiones ab Ecclesia receptae pristinis fructibus non aequivaleant? Utrum fructus surrepti pretio in fundi emptione soluto (cui Ecclesia respectum habere videtur), aut melioramentis postea in fundo factis correspondeant? Utrum actualis possessor occulte cum Ecclesia reconciliatus fuerit? Utrum possessores cum Ecclesia non reconciliati tandem aliquando Ecclesiae ipsi rationem reddere non debeant, tamquam si fructus integre percepissent? Tali enim eveniente casu, Ecclesia non cum furibus sed cum fundorum possessoribus rationem instituet; eique interest ut a furibus nihil receperit, ut totum ius suum contra emptores exercere possit. 5° Si Ecclesia iuribus suis hic et nunc rigorose uti vellet, sequeretur quod coloni, administratores et officiales, in quorum manibus bona Ecclesiastica versantur, abscondere deberent quidquid commode possent ut ad Ecclesiam deferant. Quis credet quod Ecclesia id velit? 6° Coloni, si audirent actualibus possessoribus ad fructus nihil iuris competere, ansam sumerent ad magis magisque furandum (valde enim materialiter de rebus cogitant). 7° Si haec exigentia locum haberet, et si aliquando futurum esset ut de illa apud gubernium querela moveatur, nonne aliquae molestiae, aut etiam determinationes Religioni damnosae provocari possent? 8° Cui tandem bono haec exigentia deserviret? Quantae restitutiones obtinerentur? Expediretne pro lucro adeo exiguo praedictis inconvenientibus obviam ire? — Ego itaque dicerem quod in praxi, saltem ordinarie, in favorem actualium possessorum restitutiones indicere expediat; idque multo magis si positive suspicari possit quod praedicti possessores cum Ecclesia reconciliati fuerint; aut si fundi, in quibus furta commissa fuerunt, non ad ecclesiasticas personas particulares, sed ad Ecclesiam in genere spectent; aut demum si, stante periculo ne furti aut damnificationis auctor detegatur, oporteat ut executae restitutionis schedula exigatur. In quovis autem casu, ad minus cautelae necessariae essent, ut praedicta pericula evitentur. Ita sentit etiam doctissimus Casimirus Gennari in nunquam satis laudata ephemeride *Il Monitore Ecclesiastico* * (V. II. pag. 27).

* Haec Ephemeris Clero utilissima imprimitur *in Maratea (Basilicata)*. Solvuntur £ 2 annuae.

Adhuc cautius procedi deberet, si furta contra ipsum Regium Oeconomatum sive a colonis sive ab Officialibus commissa accusarentur, maxime si de poenitentis fictione dubitandum esset. Sed dices: Quomodo Regio Oeconomatui restitui poterit? Quid enim, si timendum esset ne restitutiones, potius quam in administrationis capsis reponantur, alibi advolent?

Resp. Si de hoc timeri debeat; tunc certe in pauperum, aut Ecclesiae utilitatem meliori modo possibili restitutio impendenda erit.

X°. Quid demum si quis sive ex delictis sive ex contractibus multa habeat debita, nec possit ea omnia solvere? Quaenam praeferre debet, aut quomodo partialem restitutionem (quae sibi possibilis est) exequi debebit?

Resp. Hac in re tria sunt certa; nempe

1°. Debita quae in fraudem creditorum (ut nempe insoluti maneant) contracta fuerunt, non sunt solvenda illis qui huiusmodi fraudis complices fuerint.

2°. Si debitor habeat rem alienam in se adhuc existentem, ut puta, si ex furto, vel commodato, vel deposito, vel locatione illam possideat; tunc ex re ista alia debita solvere nequit; debita enim non ex rebus alienis sed ex propriis solvi debent. Excipe nisi praesumendum sit quod dominus consentiat, prout contingeret si res illa in se adhuc existens restituenda esset pauperibus (eo quod, v. g., dominus inveniri nequeat), et alii creditores miserum debitorem urgerent. Lugo (20. 1. 7).

3°. Si creditores solutionem exigant in iudicio; tunc sententiae iudicis (qui, data praelatione creditoribus privilegiatis, proportionalem solutionem quod alios decernet) standum erit. Huic proportionali solutioni (vulgo *graduatoria*) tenetur etiam debitor, si ad illam privata conventione cum creditoribus se obligaverit. In his casibus, si alicui plus detur, iniuste datur, et qui accipit ad restitutionem tenetur.

Extra hos tres casus multa probabiliter hinc inde disputantur; sed nihil certi adest.

Si simul concurrat 1° debitum ex delicto cum debito ex contractu; 2° debitum erga pauperem cum debito erga divitem: 3° debitum antiquum cum debito recenti; 4° debitum certum cum debito incerto *: 5° debitum ex contractu oneroso cum

* Certa dicuntur debita quae in manibus creditoris solvi possunt. Incerta autem, quae solvi quidem debent, sed pauperibus; eo quod, v. g., creditor inveniri nequeat.

debito ex contractu gratuito ; 6° debitum pro re empta et adhuc extante cum debito quod tale non sit ; 7° debitum privilegiatum * cum debito non privilegiato ; tunc multi dicunt, debita prioris generis in toto solvi debere ante debita secundi generis ; idque ex iustitia ante iudicis sententiam ; ita ut, si creditores secundi generis solutionem receperint, restituere debeant.

Sed alii contra sentiunt. Quoad primum, secundum, tertium et quartum casum, vide D' Annibali ( Summula V. 2. n. 212). Quoad quintum et sextum, vide Lugo ( D. 20. n. 16, et n. 113). Quoad septimum ( pro quo maior est difficultas ), vide Laymann ( Tr. 2. C. 11. n. 7), Sporer ( c. 5. Sec. 3. n. 78) et Salmant., apud quos ( Tr. 13. C. 1. n. 227 ) legitur ; « In gratiam eorum, « qui debita sibi praeoccupant, non servato ordine iuris, non « desinam hic adnotare, non esse improbabilem sententiam il- « lorum, qui asserunt, tales leges in conscientia non obligare. « sed solum pro foro exteriori ; ideoque non teneri creditores « posteriores debita ipsis persoluta anterioribus reddere, posse- « que uti compensatione occulta, si adsint alii creditores solo « iure positivo anteriores ».

Ego itaque dicerem 1° Non esse inquietandos eos qui debitorum suorum, etiam ex contractu gratuito ( dummodo legitimo ) provenientium, solutionem receperunt ; 2° Solutionem magis aequam esse, si, praetermissis debitis tum gratuitis tum incertis, alia iuxta regulam fori externi solvantur ; sed non esse inquietandum debitorem, qui ( ut communiter accidit ), hac regula minime observata et nulla alia distinctione facta, creditoribus, qui magis illum premunt, etiam in toto debita solvat.

### *Quibus mediis restituendum?*

416. Restitutio fieri potest sequentibus modis.

I. *Per cursum publicum* ( *vulgo* posta ), ita ut fur sub nomine ficto, sive ope epistolae inscriptae ( vulgo *raccomandata*) sive ope schedulae (vulgo *vaglia, mandat*), summam cui pertinet mittat. Si autem summa, v. g., municipio vel loco pio vel societati cuilibet mitti deberet, et de honestate Thesaurarii dubitaretur ; tunc per aliam epistolam eodem nomine ficto subsignatam praemonendus esset Syndicus vel Praesidens quod tali vel tali die ad Thesaurarium summa perveniet.

* Debita privilegiata sunt quae debentur propter tributa, propter expensas iudiciales, vel funebres, vel ultimae infirmitatis, vel alimentorum quoad ultimos sex menses etc. Vide Cod. It. Art. 1952-1963.

II. *Per testamentum.* Interdum enim moribundus absque ulla infamia talibus vel talibus personis (quas scit fuisse defraudatas) legata relinquere potest. Et si id absque infamia fieri nequeat, videndum an haeres vel legatarius fiducialis constitui possit.

III. *Per ficta donationes;* dummodo munera 1° muneribus non compensentur; 2° verum lucrum afferant creditori; ita ut vere indemnis reddatur; non enim sufficeret, v. g., si ad superfluc bibendum vel comedendum invitaretur, vel si ei dulciaria darentur.

IV. *Per labores indebitos et creditori utiles.* Sic agricolae, collocando vites, iter faciendo cum curru pro domino, ei dealbando sive telas sive alia (quatenus ex speciali et iusto pacto ad haec non teneantur), uno verbo laborando ultra debitum cum vero domini lucro absque mercede, dominum ipsum sive in toto sive in parte compensare possunt. De famulis scripsit Sporer (Tr. 5. c. 5. n. 67): « Si absque magna difficultate re-« stituere non possint, praecipiat eis Confessarius, ut extraor-« dinariis sedulitatibus, officiis, laboribus, obsequiis etc., quoad « fieri potest, compensare studeant ».

Labores tamen a favoribus sedulo distingui debent. Labori merces ex iustitia debetur; non item simplici favori, pro quo aliquid ex gratitudine dumtaxat rependi solet. Favores itaque nullum ius creant; et proinde pro restitutione haberi nequeunt. Si tamen ageretur de magno favore, pro quo obtinendo creditor debitum vel debiti partem remisisset; et si insuper favorem praestans non habuerit intentionem praestandi illum gratis; tunc ex illa praesumpta creditoris remissione praestitus favor iudicio viri prudentis pro restitutione sive totali sive partiali computari poterit. Sed in hoc habenae, uti patet, laxari nequeunt.

V. *Per solutionem factam creditori creditoris.* (Cf. n. 380).

VI. *Per eleemosynas sive pauperibus sive sacerdotibus Missas celebraturis datas.* Id tamen valet solum pro casibus in quibus aut impossibile sit restituere in manibus creditoris, aut praesumi debeat quod ipse de hoc restituendi modo contentus sit; ut (n. 404. v. *Patet*) explicavi. — Caveat tamen Confessarius ne huiusmodi eleemosynas pro se petat.

VII. *Per tertium personam.* Oportet tamen ut haec plenâ fiduciâ digna sit. Hinc moribundi non semper probari possunt, si verbaliter haeredibus restitutiones exequendas committant. Sufficeret tamen si Confessario illam committerent, dummodo contra ipsum suspectus non habeantur. Quaenam autem cautelae adhiberi debeant a Confessariis, quando restitutiones exequendas acceptant, ex alibi dicendis patebit.

Magnae restitutiones publico thesauro etiam ope Directoris Ephemeridis Catholicae peractae fuerunt.

*Quid si, restitutione executa meliori modo possibili, postea appareat creditor, qui de facto nihil receperit?*

417. Resp. Si restitutio facta fuerit pauperibus, eo quod omnino praesumi debuerit dominum sic esse contentum et de caetero iuri suo renuntiasse (iuxta dicta n. 415); tunc, si etiam postea compareat, nihil ei restitui debet. Lugo (D. 21. n. 99) scripsit: « Si debitor in iis circumstantiis iuxta praesumptam creditoris voluntatem distribuisset pauperibus ea bona, ad nihil amplius teneretur, etiam comparente domino, quia ex ipsius voluntate expensa omnia essent ». Neque profecto aliud rationabiliter exigere poterat.

Si autem restitutio ad dominum ipsum directa fuerit, sed ad illum non pervenerit; tunc non video qua ratione fur a nova restitutione, per se loquendo, excusari possit. Fur, v. g., restituere debebat Caio, sed ex errore restituit Sempronio; vel, dum pecuniam ad creditorem portabat, a latronibus expilatus fuit; vel, dum misit eam sive per ministrum suum sive per Confessarium, hi, sive ex infortunio sive ex malitia, pecuniam ad creditorem non detulerunt etc.; in his, inquam, casibus mihi videtur quod nova restitutio fieri debeat. Ratio est quia fur tenetur mittere ad dominum rem suam, periculo non domini sed proprio; neque facile credendum est quod dominus huic iuri suo in gratiam furis renuntiare velit. Ita sentiunt passim. Cf. Lugo (D. 21. s. 5), Lessium (C. 16. n. 62), S. Lig. (n. 705) etc.

Attamen alii censent furem a nova restitutione omnino excusari. De hac sententia S. Lig. (l. c.) dicit, se non audere illam damnare; et certe probari debet si fur sit pauper et dominus dives nec de magna summa agatur; tunc enim praesumi potest quod dominus ipse, intuitu huius sacrificii iam facti, facilius indulgentiam adhibeat et remissionem concedat.

## PUNCTUM IV.

### DE ALIIS DAMNIS PROXIMO ALLATIS EORUMQUE REPARATIONE

Agam breviter 1° De principiis generalibus circa damnificationem; 2° De quibusdam damnificationibus magis practicis; 3° De aliquibus contractibus in quibus frequentius iniustitiae occurrunt; 4° De Testamentis et successionibus.

## § I.

*De principiis generalibus circa damnificationem.*

418. Damnum respicit bona fortunae, et distinguitur a furto, quia fur res alienas aufert; damnificator vero illas destruit vel corrumpit; aut aliqua actione vel omissione sua proximo in rebus eius vel ei debitis sive speratis detrimentum affert. — Ut tenearis ad reparationem,

Oportet 1° ut a parte tua adfuerit influxus in damnum. Titius, v. g., ad homicidium, incendium etc. iam erat omnino determinatus. Tu dixisti: *Eia age, occide, incende; bene, optime facis.* In damnum non influxisti. Idem dic si in modum et tempus dumtaxat, neutiquam vero in substantiam aut partem damni influxeris.

Oportet 2° ut reparatio sit possibilis. Quaedam mala sunt suapte natura irreparabilia. Occidisti; oculum eruisti; virginem oppressisti; crimen verissimum evulgasti (quod hodie nulla tergiversatione in dubium revocari potest); patrem vel filium tuum sine alimentis inique reliquisti etc. Poteris quidem et saepe debebis (ut infra videbimus) damna consequentia reparare; sed vitam, oculum, virginale signaculum, bonum nomen, famem iam toleratam etc. (quae ceteroquin non proprie damna sed mala dicuntur) reparare nequibis. — Supposita autem reparationis possibilitate, gravis difficultas non semper excusat. Innocens, v. g., a te inique accusatus ad mortem damnatur. Tu cum quocumque, etiam vitae, sacrificio calumniam, si efficaciter possis, apud iudicem retractare debes. Generatim videndum an non obstante tali vel tali difficultate, reparatio rationabiliter exigi possit; ad quam certe teneris cum incommodo valde maiori illo, cui damnificatus subiicitur.

Oportet 3° ut condonatio non intercesserit. Aliud est tamen pro iniuria et aliud pro damnis veniam concedere. — Si delictum non uni sed pluribus damnum attulerit, non sufficit si unus remissionem concesserit; et, si a pluribus patratum fuerit, non sufficit si damnificatus veniam dederit uni, nisi is praecipuus damni auctor extiterit. Lugo (II. 60), D'Annib. (II. 225. 7).

419. Sed conditio, quae in praxi magis attendi et considerari debet, est, quod damnum debet esse iniuriosum; si enim damnum quidem, sed sine ulla damnificati iniuria attuleris; tunc ad reparationem ordinarie non teneris.

Exacte autem determinare quando damnum iniuriosum sit

nec ne, difficillimum est, idque in hoc exiguo compendio vix praestari poterit. Nihilominus per summa capita principales regulas exponam.

420. Supponendo imprimis quod damnum attuleris proximo in bonis suis aut ex iustitia ei debitis, sequentes hypotheses fieri possunt.

I°. *Damnum attulisti, sed utens iure tuo.* Exempla. Aperuisti negotium, unde concursus ad alios negotiatores decrevit — Iniustum aggressorem, moderamine servato, occidisti — Fugiens ab inimico segetes alienas proculcasti — In magno naufragii periculo alienas merces in mare proiecisti — Vicini domum flammis conflagrantem, ad salvandam tuam, intercidisti — Puteum in fundo tuo fecisti, unde puteus vicini exaruit — Torrentem, ne tibi noceret, avertisti, unde factum est ut vicino nocuerit etc. Omnes norunt quod qui utitur iure suo nemini facit iniuriam. Cf. Lessium (12. 138) D'Annib. (II. 191. 14). Vide dicta (n. 364. *Secund. cas.*). — Interdum tamen ius destruendi rem alienam tale esse potest, ut obligatio reparationis remaneat; si nempe potius de iure ad mutuum vel commutationem, quam de iure ad sibi rem illam absolute applicandam agatur. Vide dicta (l. c.) et Cod. It. (art. 713).

Huc revocantur damna allata cum sola laesione charitatis. Medicus, v. g., ordinariam diligentiam adhibet; extraordinariam vero et non debitam ex odio contra aegrotum omittit desiderans ut moriatur.

II. *Damnum attulisti, sed sine ulla culpa theologica.* Tunc quoque iniuria defuit; seu fuit materialis dumtaxat: unde damnificatus de damno (quasi casu obvenerit) rationabiliter invitus esse nequit. Nihilominus aliquando reparatio fieri debet; 1° Ex pacto expresso, ut si famulus se obligaverit ad solvendum pretium rerum quas casu fracturus est; 2° Ex pacto tacito, quod probabiliter locum habet in contractibus et quasi contractibus; quatenus si quis ex nimia negligentia (ut ut theologice inculpabili) damna attulerit, ut puta, non custodiendo rem commodatam, utendo immoderate re locata, non satisfaciendo proprio officio (v. g., medici, advocati etc.), tunc damnificatus probabile ad reparationem ius habet; quamvis, propter varietatem opinionum, qui sic absque peccato negligens fuit, ab illa excusari possit. Cf. Lessium (7. 45) Lugo (8. 106), et, apud ipsum (n. 93), Vasquez aliosque; 3° Ex iudicis sententia, ut in damnis, quae a tuis animalibus, servis, filiisque minoribus tecum habitantibus, aut etiam a tuis aedificiis ruinosis allata fuerint, iuxta Art. 1153-1155. Cod. It.

Quid si culpa theologica non ad damnum quod reapse evenit, sed ad aliud referebatur? R. Tunc quoque damnum tamquam materiale et non iniuriosum probabiliter iudicari potest. Exempla. Furtum committebas, et fortuito casu domum incendisti. Titium occidere volebas et ex errore Sempronium occidisti. Gemmam veram pro falsa destruxisti etc. Cf. S. Lig. (619).

Quid si inadvertenter causam damni posueris; sed, antequam effectus sequatur, possis illam amovere? Tenerisne ad hoc ex iustitia? Et nisi id facias, tenerisne ad restitutionem?

Affirmant communiter et merito. Agitur enim de actione non aliena (quo casu ex sola charitate teneri posses), sed tua, quae moraliter in suo effectu adhuc perdurat, et quae primitus quidem excusabilis erat, sed postea inexcusabilis evadit. Hinc qui ex errore crimen Superiori detulit, se retractare debet. Advocati, Confessarii, Medici, qui noxium consilium inculpabiliter dederunt, errorem corrigere tenentur. Sed cum quanto incommodo? Si culpa ab initio adfuisset, tunc damnificator noxium effectum impedire teneretur etiam cum incommodo valde maiore illo quod innocens subiturus esset (ut paulo supra dicebam); sed, deficiente culpa ab initio, minus incommodum excusat. S. Lig. (n. 564) scripsit: « Qui sine culpa gravi ignem accenderit « in domo aliena, tenetur ex iustitia impedire, *si potest sine* « *magno incommodo* ». At vero si de malo gravissimo ageretur (v. g., pharmacopola venenum pro medicina dedit); tunc etiam cum gravi incommodo illud impedire deberet. Dico cum *gravi*, non cum gravissimo. Scripsit Lugo (8. 86): « Quidam, ut « alium occideret, ficum veneno infecit, quam illi in prandio « apposuit. Quidam autem qui proxime assidebat, ficus venena- « tae pulchritudine allectus eam vicino arripuit; quod cum de- « linquens adverteret, dissimulavit, ne scipsum suumque male- « ficium proderet, ac permisit amicum illam comedere, qui « postea veneno interiit. Censui hunc non fuisse homicidam quia « periculum non praevidit, et postea non tenebatur cum tanto « periculo impedire damnum ».

III. *Damnum grave attulisti, sed cum culpa levi.* Ne tunc quidem ad reparationem teneris. Ita docent TT. gravissimi. Lugo (16. 58): « Quando damnum grave infertur, potest ali- « quis excusari a peccato gravi ob levitatem concursus; ut si « ex tua levi negligentia aliena domus comburatur, vel fama « aliena graviter laedatur; non est iniuria gravis, nec graviter « obligat ad restitutionem ». Et magis absolute et generaliter S. Lig. (n. 550): « Nullam esse obligationem restituendi.....

« Non sub gravi, quia obligatio gravis non habet proportionem « cum illa culpa levi, non sub levi, quia levis obligatio non « habet proportionem cum re gravi ».

IV. *Cum gravi culpa damni occasio fuisti, sed ita ut damnificatus illud sibi imputare debeat.* Tunc quoque ad reparationem non teneris. Exempla. Puellam libere consentientem defloraste; scienti enim et volenti non fit iniuria (Lugo 12. 2). — Consentiente marito, adulterium cum eius uxore commisisti (Idem 8. 5). — Te ad duellum provocantem occidisti (11. 71). — Rem, quae prudenter credi non debebat, dixisti; et exinde proximus ob nimiam credulitatem damna subiit (D'Annib. 191. 17). Mandatum vel consilium iniquum dedisti; et exinde mandatario vel consiliario (vi et fraude minime circumvento) damna obvenerunt (Gury 674. 678) — Hominem vulnerasti non lethaliter; qui tamen, vulnere non curato, (quum illud curare potuerit) interiit. Hoc casu tibi vulnus quidem sed non mors imputari debebit (D'Annib. 191).

V. *Delictum perpetrasti; et exinde personae, quae criminis tui obiectum fuit, damna ei non imputabilia evenerunt.* Heic nihil interest sive manu propria, sive per alios (interveniente scilicet mandato vel consilio *) delictum executus fueris; item sive crimen in actione consistat sive in omissione iniusta (v. g., quum esses medicus, curâ acceptatâ, aegrotum neglexisti graviter, qui ideo interiit); item sive ex proposito delictum committere volueris, sive illud ex ignorantia crassa graviterque culpabili, sive non cavendo periculum, commiseris.

Quoad personam itaque, quae delicti tui obiectum fuit.

Teneris 1° Reparare damna ordinaria, seu in ea mensura quae naturalem cum delicto proportionem habet. Vulnerasti, v. g., operarium, et mercatorem. In utroque casu teneberis de expensis curationis; sed, quoad lucrum amissum tempore infirmitatis, in maiori mensura erga mercatorem teneberis. Non tamen oportet ut actu delicti de his damnis cogitaveris, sufficit enim praevisio confusa, imo et habitualis; quatenus unusquisque scit quod ex tali delicto talia damna (vel potius in tali mensura) ordinarie aut non difficiliter oriri possunt. Excipe (ut alibi notavi) nisi firmiter persuasus fueris aliquod damnum non fore oriturum; ut puta, si vulnerando Titium, qui de facto erat mercator et viginti francos quotidie lucrabatur, credideris illum

* Circa mandantes, consulentes aliosque damnificationibus participantes nonnullae regulae secundariae n. 423 reperientur.

esse operarium eiusque operam non nisi duos francos valere. Lugo (11. 89. et 16. 58), S. Lig. (613).

Teneris 2° Reparare damna etiam extraordinaria seu delicto non proportionata ; sed quoad haec, oportet ut illa explicite praevideris. Calumnia affecisti, v. g., famulum ; idque fuit in causa cur amiserit haereditatem pinguissimam, quam herus ei relinquere statuerat. — Quid si de hoc levissimum suspectum habueris ? R. Si calumniam gravem seu quomodolibet graviter influentem in hunc finem direxeris ; tunc quoque iniuria et reparationis obligatio admitti debet cum Lugo ; qui ( 18. 98 ) rectissime notavit, quod « ad rationem causae influentis multum « refert intentio, qua aliquid fit determinate ad talem effectum ». Secus vero, si hanc pravam intentionem non habueris, aut si calumnia fuerit ita levis, ut improbabile iudicaveris effectum intentum te fore obtenturum ; tunc enim videtur quod damnificatus de gravi iniuria contra te conqueri nequeat ( Lessius 9. 113 ).

VI. *Delictum perpetrasti ; et exinde nedum personae, quae criminis tui obiectum fuit, sed etiam aliis damna obvenerunt.* Quoad damna aliis obventa, sequentes regulae observari debent.

1°. Si delictum tuum *physice* aliis quoque, sive certe sive probabiliter, damnum debuerit inferre et reapse intulerit ; tunc de hoc etiam damno teneris ; et sufficit si illud praevideris. Incendisti, v. g., domum Titii, et flammae domum Caii proxime coniunctam incenderunt. Sclopum explodisti contra Sempronium, et praevidisti eodem ictu Seium interemptum iri.

2°. Si damna non ex physica causae positae continuatione, sed propter alias circumstantias, acciderint ; tunc ad reparationem teneris solum quando nihilominus eorundem damnorum causa perfecta censearis ; prout contingit in homicidio familiae occisi damnoso ( ut infra n. 430. explicabitur ).

Si vero damnorum ipsorum causa imperfecta, accidentalis, et mere occasionalis fueris ; tunc sola praevisio non sufficit ut ad reparationem tenearis. Exempla. Titium occidisti, et proinde multi Titii creditores, aut negotia cum eo habentes, damna subierunt. — Delictum perpetrasti, et hoc innocenti imputatum fuit — Furtum commisisti contra Caium, et alii tuo pravo exemplo allecti furta commiserunt contra Sempronium vel contra eundem Caium — Quum esses Parochus, vel Confessarius, vel pater-familias, parochianos, vel poenitentes, vel filios non correxisti, et exinde illi iniustitias commiserunt — Mendaciis, fraudibus vel fictis morbis militarem conscriptionem effugisti, et

proinde alius in tui vicem conscriptus fuit *. — Ratio videtur esse quia ordo socialis non patitur ut in casibus huiusmodi iniuria cum onere reparationis constituatur; nimiis enim, continuis, et prope infinitis perturbationibus proprietates exponerentur.

421. Sed quid si huiusmodi damna occasionaliter aliis personis provenientia non solum praevideris sed etiam intenderis?

R. Supponendo quod occasio fuerit talis, ut certe vel probabiliter efficaciam habituram esse praevideris; tunc, accedente intentione prava, ab iniuria et reparationis onere non excusaris. Exempla. Occidisti debitorem ut creditor insolutus remaneat. — Delictum commisisti, ut illud innocenti (gravibus casu contra ipsum indiciis aliisve circumstantiis subsistentibus) imputaretur; multo magis si tu indicia ipsa apposueris et sic imputationem fabricaveris. S. Lig. (634) et Lugo (18. 193); qui tamen (8. 85) excusat a restitutione si delictum commiseris, quia vidisti non tibi sed tertio fore imputandum; aliud enim est delictum perpetrare ut alteri imputetur, et aliud quia alteri imputabitur (circumstantiis studiose in hunc finem nec expectatis et quaesitis, nec positive appositis).

Hic obiter nota discrimen inter damna obvenientia personae quae est obiectum delicti, et damna quae ex eodem delicto aliis personis extraneis obveniunt. Haec accidentaliter vel occasionaliter subsecuta, ut sint iniuriosa, debent esse intenta; quoad illa vero sufficit si (modo explicato) fuerint praevisa.

422. Quid de damnis proximo allatis in bonis non suis aut stricte ei debitis, sed solum speratis?

R. Si proximus bonis illis carere debuerit (v. g., indignus, vel evidenter minus dignus in concursu cum digniori, beneficium vel officium obtenturus erat); tunc impedire collationem nunquam iniuria erit. Equidem, si ad hoc calumniae adhiberentur, fama reparanda esset; sed pro collatione sic impedita nihil esset restituendum.

* Gousset (n. 1002), Frassinetti (Diss. 7), et cl. Ballerini (n. 749. not. *a*) excusare videntur a restitutione etiam quando ope pecuniae iudicibus traditae exemptio procurata fuerit. Sed tunc, si iudices a vera iniustitia excusari nequeunt, quomodo eorum instigatores ab iniustitia excusari poterunt? — Ceterum in huiusmodi damno, propter bonam fidem, culpa theologica ordinarie deest; et sic ut plurimum poenitentes a reparationis onere excusantur. Videndum etiam an lex conscriptionis tam sit se quam in executione iusta sit; si enim alicubi iusta non esset, aut iuste non procederetur; tunc nihil obstaret quominus quis etiam ope pecuniae ab iniusta vexatione se redimere posset in conscientia. Vide Gury (Cas. consc. n. 759. nota).

Deest quoque iniuria si, seclusis fraudibus aliisque modis iniustis, et simplici consilio aut prece eorundem bonorum consecutio impediatur. Idem dic si crimina occulta sed vera beneficium conferre volenti deferantur; haec enim revelatio tunc non est iniusta; ad hoc quippe occultae informationes iustissime quaeri solent. Nec officit si ex odio sic fiat. Equidem tunc charitas sed non iustitia laederetur; ut patet in illo qui ex odio testamentum mutaret.

• Quid itaque si ex una parte bona illa iuste sperentur, et ex alia media vere iniusta adhibeantur?

R. Videndum imprimis an haec media contra sperantem, an vero contra conferentem adhibeantur.

Contra sperantem adhibentur, v. g., si eum, qui officium, beneficium, haereditatem, eleemosynam etc. sperat, vi aut metu detineas; fraudibus (quae virum prudentem decipere aptae sint) circumvenias; calumniis afficias etc. Si his de causis bona sperata obtinere nequeat, tu de damnis teneris; non solum si ea directe intenderis, sed etiam si illa (ut supra explicatum est) praevideris. Si tamen incertum sit an, seclusa facto tuo, bona illa assecuturus fuisset; tunc pro valore non rei sed spei restituere debebis.

Contra conferentem adhibentur; v. g., si Caium volentem beneficia Titio conferre, mendaciis decipias, minis terreas, vel occidas. Tunc, ut contra Titium iniuriam committas, non sufficit si eius damnum praevideas; sed oportet ut illud intendas. Caio, v. g., infirmo et testamentum condere volenti non sine mendaciis dicis: *Tabularius non adest, non morieris, alia vice de his cogitabis* etc. Si ita te geris mere ut Caius non contristetur, nemini iniuriam affers; secus vero si infirmum valido deceptionum apparatu circumvenias, ut huic vel illi haereditatem non relinquat. Lugo (18. 100).

### *Regulae speciales circa mandantes, consulentes, participantes, et non impedientes.*

423. Mandans est qui, statuta vel non statuta mercede, iubet aut petit ut alter pro se delictum committat.

Consulens est qui delictum alii directe suadet. Consilium dicitur *vestitum*, si motiva impellentia adducantur vel indicentur, maxime si exequendi delictum modus indicetur; secus dicitur *nudum*.

Mandatum et consilium est *antecedens*, quando ille cui datur

de delicto non cogitabat ; secus dicitur *consequens*, et hoc interdum, maxime si sit nudum, in damnum non influit. (Cf. n. 418).

Mandans vel consulens efficaciter tamquam executor habetur; qui enim per alium facit per se ipsum facere videtur.

424. Quid si mandatum vel consilium retractatum fuerit, et nihilominus executor delictum compleverit?

R. Si mandatum vel consilium fuerit consequens; tunc, secuta revocatione, facile praesumi potest quod in delictum non influxerit. Si vero fuerit antecedens, tunc influxus perseverantia supponi debet ; maxime 1° si executor crediderit retractationem non esse seriam ; 2° si de ea oblitus fuerit : 3° si ex aviditate mercedis de illa non curaverit ; 4° si in consilio motiva valde impellentia adducta seu indicata aut quomodolibet excitata fuerint ; 5° si retractatio, opere iam incoepto, pervenerit ; ita ut nimis grave vel periculosum esset ab illo desistere. In his itaque casibus damnificato probabile ad reparationem ius remanet. Cf. Lugo (19. 23). Dixi *probabile* ; alii enim mandantem et consulentem omnino liberant. Cf. D'Annibali (II. 195. 196) et S. Lig. (559).

425. Quid si executor mandati vel consilii fines praetergressus fuerit? R. Si actio huius excessus periculosa erat (iussisti, v. g., vulnerare et executor occidit) ; tunc etiam pro excessu teneris ; secus si secus.

426. Quid si precibus, promissionibus, laudibus, exprobrationibus, irrisionibus etc. alium ad delictum provocaveris? R. Tunc tamquam mandans vel consulens haberi debebis. Lugo (19. 70).

427. Participans interdum ad nihil, interdum in toto (seu, ut aiunt, in solidum), interdum in parte tenetur.

Ad nihil tenetur qui, quamvis aliquo modo ad delictum concurrat, tamen nec complex nec iniustus sit. Exemplum habes in pluribus actionibus, quae naturam auxilii ad delictum non habent ; ut puta, si quis gladium domino suo illud repetenti restituerit, quamvis abusum praeviderit ; vel si armorum publicus venditor sclopum latroni vendiderit (cl. Baller. 689) ; vel si quis furem receptaret non tamquam furem, sed tamquam filium, fratrem etc. ; vel ei aliquando cibum, potum aliaque indifferentia ministraret ; vel denique illum, ne ultra iustitiae limites puniatur, in iudicio defenderet ; aut etiam (absque praevio condicto) a lictoribus quaesitum ex compassione occultaret. Huc reducitur casus illorum qui domi recipiunt ad ludendum,

comedendum et bibendum inter alios etiam filios-familias, qui ludunt et consumunt res de quibus constat vel suspicio est, patri vel aliis sublatas fuisse (nisi res ipsas in pretium, domino restitutionem exigente, recipiant); idque maxime si, hospitalitate recusata, nihil impedirent. Idem dic si actio naturam quidem auxilii habeat; sed tales adsint circumstantiae, v. g., vis, metus, deceptionis, ignorantiae etc., ut qui illam ponit sufficienter excusetur. Lugo (19. 70-76).

Tenetur in solidum complex qui concursum praestitit ita necessarium, ut, eo a nemine praestito, delictum consummatum non fuisset; ut (n. 412) explicavi. Cf. Lessium (13. II.).

Tenetur in parte 1° Qui damnum quidem iniuste attulit, sed in damnum ab aliis datum non influxit. Visis, v. g., aliis vineam devastantibus, ipse quoque cucurrit, et unam alteramve vitem vindemiavit. 2° Qui, secuto damno, ignorat an ipse illud produxerit, scilicet an actio a se praestita necessaria an vero superflua fuerit; scit tamen quod suo interventu damnificato praeiudicium intulit, quatenus verum damni auctorem incertum reddidit, unde contra illum minus agi poterit. Duo, v. g., cum eadem coniugata adulterium commiserunt, unde proles cum mariti damno nata est, et nescitur cuinam ex duobus adulteris adiudicari debeat. — Quinque contra Titium iniquum suffragium dederunt; dum tres sufficiebant; sed, quum eodem tempore omnia suffragia lata fuerint, ignoratur quinam necessaria et quinam superflua suffragia dederint. Lugo (19. 22), Gury (733). — Duo sclopum contra Caium exploderunt (dum ad illius necem unus satis erat); et vel nescitur quisnam ictum lethalem impegerit; vel, utroque lethaliter vulnerante, ignoratur cuiusnam ictus superfluus fuerit. Idem dic, si (dum unus sufficiebat) duo mandatum vel consilium iniquum simul dederint; et sic quisnam superfluc mandaverit vel consuluerit distingui nequeat.

428. Non impediens. Ut hic ad restitutionem teneatur, oportet 1° ut efficaciter impedire potuisset; ad inutile enim nemo tenetur; 2° ut impedire debuisset ex iustitia, ut nempe ex contractu vel officio munus habeat impediendi ne alii damna inferant. Exemplum habes in Praefectis publicae securitatis; in custodibus nemorum, vinearum etc.; in tutoribus, et administratoribus etc. — Qui damna non impediunt, modo in solidum modo pro rata tenentur, iuxta eandem regulam quam mox supra explicavi. — Cum quanto autem incommodo damna impedire teneantur, decisio pendet a casibus particularibus.

Qui vero munus impediendi damna aliorum non susceperunt,

poterunt quidem interdum peccare contra charitatem, si facile impedire possint et non impediant (maxime si ex odio ita se gerant); sed contra iustitiam (quamvis, accepta pecunia, ab impediendo abstineant) non peccabunt; et proinde ad restitutionem non tenebuntur.

429. Quaer. I°. An famulus ex iustitia impedire teneatur, ne in domo heri furta accidant?

R. Quoad furta quae ab aliis domesticis committuntur, ex iustitia ad nihil tenetur; id enim quid nimis grave et odiosum est, neque hoc onus in famulatus contractu suscipi intelligitur. Excipe 1° Si in rebus eius speciali curae commissis furta accidant; v. g., si horrei custos animadvertat, aliquem, horrei ipsius clavem falsam habentem, triticum furari. 2° Si herus (v. g., peregre proficiscens) aliquem famulum rei domesticae (tamquam alter ego) praefecerit.

Quoad furta ab extraneis impendentia non solum in duobus casibus praedictis, sed etiam in aliis famulus teneri potest. In contractu famulatus subintelligitur quod famulus personam, domum et substantias heri sui (saltem per quantum facile poterit) ab extraneis defendere debeat. De hoc forsan dubitari potest cum Molina si famuli sint multi (v. g., coquus, stabularius, hortolanus, cellarius, minister etc.); quorum unusquisque suum speciale munus, et nihil amplius suscepisse videatur; sed, si loquamur de famulis ordinariis (prout accidit quando in domo unus vel alter dumtaxat famulus adest); tunc dicendum est cum Lugo (19. 106), aliquam generalem domus custodiam, eis esse commissam. Quisnam enim diceret suo muneri satisfecisse famulum, qui, furibus advenientibus, ianuam non clauderet; aut, iis noctu murum rumpere volentibus, herum non admoneret? Id a fortiori verum est si herus ab initio arma contra latrones adhibenda famulo tradiderit, aut expressis verbis domus defensionem in pactum traduxerit; maxime vero si abscedens famulos convocaverit, eisque domus custodiam speciali modo commiserit.

Si famulus nequeat damnum impedire, nisi alium famulum advocando, muneri suo satisfacere debet quamvis praevideat inutiliter illum esse advocaturum; dummodo tamen haec advocatio necessaria sit ut herus a famulo isto rationem et satisfactionem exigere possit.

Quaer. II°. An Superior teneatur ex iustitia impedire damna, quae eius subditi aliis inferunt?

R. Affirmative, si Superioris munus ad hoc sit directe insti-

tutum ut damna temporalia impediat; prout in Principe et in Praefectis publicae securitatis accidit.

Negative vero si de munere diversi generis agatur, prout in Episcopis, Parochis, Patribus-familias, heris etc. contingit. — Nihilominus hi quoque proprio silentio contra iustitiam peccare possunt; si nempe circumstantiae sint ita dispositae ut silentium activo impulsui aequivaleat. Hinc dux exercitus qui militem, pater-familias qui filium, maritus qui uxorem furantem viderent et tacerent, de facili contra iustitiam delinquerent, damnumque reparare tenerentur; idque maxime si furta in ipsorum utilitatem redundarent. Idem dic multo magis si pater filium rationis non compotem damna aliis inferre animadverteret, illumque non custodiret. — Haec, iure naturae inspecto; iure autem positivo, quid statutum sit, indicavi supra (n. 420. II).

Quaer. III°. An vera iniustitia contingere possit etiam in iis qui habent ius suffragii, et ab illo dando abstinent, dum interea socii propriis suffragiis noxia approbaturi sunt?

R. Ut iniustitiam in hac abstensione committant, necesse est 1° ut non solum potestatem sed etiam obligationem dandi suffragium habeant, ita ut qui damno afficiuntur iure stricto ad eorum interventum polleant; 2° ut nulla legitima causa rei gravitati proportionata excusentur; 3° ut, non interveniendo, socii noxia approbantes victoriam obtenturi sint; 4° ut, interveniendo, eandem iniquam sententiam vere impedire possint. Lugo (19. 66.-68).

## § II.

### *De quibusdam damnificationibus magis practicis.*

#### Homicidium.

130. Si hoc fuerit omnino iniuriosum, ab occisore (vel eius haeredibus) sequentia damna reparari debent.

I°. Damna et lucra cessantia, quae ipsi occiso ante mortem obvenerunt; et haec sunt debita realia cum ipso contracta, quae, nisi ab eo condonata fuerint, solvenda sunt eiusdem haeredibus, quicumque illi sint, ad quos iura occisi transeunt.

II°. Quoad damna (utcumque sive confuse sive habitualiter praevisa), quae propter mortem occisi eius filiis (idem dic de uxore et parentibus) obveniunt, Lugo (XI. 42-47, 77) censet, filios ius habere ad reparationem totalem, quamvis divites es-

sent ; imo et quamvis pater ante mortem plenam condonationem homicidae fecisset. Filii enim videntur esse quid unum cum patre ; idemque est ac si homicida brachium filiis ipsis obtruncasset ; unde in re propria laesi sunt ; et consequenter patris condonatio valida non extitisset sine filiorum consensu, qui ius habent ad tantum quantum pater eis utilis fuisset. Haec sententia probabilis est, unde filii, si tantundem exigerent, inquietari nequirent. — Sed alii Theologi docent, ius filiorum restringi ad id, quod pater ut talis et ex proprio munere (nempe ex stricta pietate) pro iis lucrari debebat et de facto lucraturus fuisset, nempe ut sufficienter alerentur et aeducarentur ; hoc enim solo sensu in re propria laesi sunt ; et quoad lucra superflua pater quasi extraneo benefactori aequiparari potest. Docent insuper, supposita etiam filiorum indigentia, posse patrem ante mortem plenam condonationem homicidae facere ; ea enim, quae pater lucratur ad filios alendos, sunt quidem filiorum, sed solum ex voluntate paterna ; unde si pater sua lucra aliis traderet, illicite quidem sed valide traderet. Haec quoque sententia probabilis est sine dubio ; unde homicida, qui cum his limitationibus dumtaxat satisfacere vellet, inquietari non posset, nisi filiorum damnum directe intendisset. — A quovis autem restitutione erga orphanos et viduam liberatur homicida eiusque haeres 1° Si restitutio ab illis non exigatur, dum commode exigi posset ; quod facile contingit si homicida morte vel gravissima poena multatus fuerit ; at vero considerandum an agatur de pueris, foeminis, pauperibus etc. qui solum ex metu, vel ex iurium suorum ignorantia, vel ad lites evitandas tacerent ; 2° Si filiis aliqua magna fortuna arriserit ; unde, si etiam pater viveret, eo amplius non indigerent. Idem dic si vidua aeque bene et commode alteri nubere potuerit. Lugo (l. c. 88).

III°. Interdum reparari debent quoque damna aliis personis obventa : sed haec debent esse non solum praevisa sed etiam intenta, ut n. 421 explicavi.

431. Sed quid si homicidium nullo modo aut non prorsus iniuriosum fuerit ?

R. Homicidium potest esse omnino inculpabile, v. g., si iure defensionis (moderamine servato) aut prorsus casualiter acciderit, et tunc occisor ad nihil tenetur. — Potest esse culpabile quidem, sed non iniuriosum ; si nempe occisus suae occisioni (v. g., provocando alium ad duellum) consenserit, aut de ea rationabiliter invitus esse nequiverit, prout si interfectus fuerit, dum occidere volebat alium, qui, moderamine non servato (v.

g., fuga non arrepta), illum interfecit; quamvis enim, non fugiendo et potius occidendo, contra divinum mandatum deliquerit; non tamen veram iniuriam intulit occiso, qui non habebat ius ut inique invasus fugeret. Deficiente autem iniuria, quae cuiuslibet restitutionis radix est, occisor ad nihil teneri potest. — Denique homicidium potest esse iniuriosum quidem, sed cum circumstantiis quae iniuriam valde minuunt. Casus esset, si occisus gravissimis iniuriis, aut percussionibus occisorem provocaverit; vel si in flagranti adulterio vel actu furti (moderamine non servato) interfectus fuerit; uno verbo, si mors occisori quidem (qui defensionis vel vindictae iustae limites praetergressus fuit), sed etiam occiso (qui facto suo occisorem provocavit) imputari debeat. In his casibus mihi placet sententia antiquorum, qui non ad totalem sed ad partialem dumtaxat reparationem occisorem damnabant (Cf. Lugo II. 51).

432. Ex dictis circa homicidium, quid dicendum sit circa mutilationem, vulnerationem et percussionem, facile colligitur. Caeterum, si damna non adsint, praecise pro solo vulnere, membro mutilato etc., in rigore nihil restitui debet. Congruum est tamen ut Confessarius ad modum poenitentiae tunc quoque poenitenti imponat ut aliquid laeso elargiatur. S. Lig. (3. 627).

### Stuprum

433. Stuprum, ut supra (n. 317) innui, contingit quando vir rem habet cum muliere aliquo ex sequentibus tribus modis: nempe 1° per violentiam physicam aut moralem; 2° per dolosas deceptiones (v. g., si ficte diceret: *ne timeas, caute procedam, gravida non evades*); 3° per abusum eius simplicitatis, et multo magis si mulier tunc rationis usu non polleret. — Quoad violentiam moralem notandum, in solis precibus (ut ut repetitis) raro constitui posse; nisi scilicet foemina ulterius resistendo iam gravia mala reformidare debeat, eo quod, v. g., vir sit superior, tutor, medicus, commentariensis etc.; vel comminatus fuerit, re non obtenta, discedere nolle (dum interim adsit periculum ne, cum infamia, sola cum solo reperiatur); vel demum obsessio nimis diuturna et intolerabilis evaserit. — Sufficit tamen si violentia fuerit in initio, nempe in amplexibus, osculis, tactibus etc.; quamvis mulier (heroica virtute destituta) postea satis libenter copulae consenserit. Quid de iuvene qui amasiae dicit: *nisi consentias, te deseram?* R. Hoc in casu *per se* non adest stuprum, quia minae debent esse iniustae. Si

tamen sponsalia intercessissent; tunc haec comminatio iniusta esset, et sic ad stuprum sufficere posset, si omnino ut seria haberi deberet. Praescindendo etiam a sponsalibus, violentia moralis constitui posset, si, comminationis serietate supposita, circumstantiae (v. g. multorum annorum in eo amore deperditorum, amissionis honoris, graviditatis etc.) iam tales essent, ut misera puella gravissimum malum sibi impendere conspiceret, si illam matrimonii occasionem deperderet. — Quoad deceptiones, ordinarie oportet, ut fictio facile dignosci nequiverit; secus enim (v. g., si vir iam sit scurra insignis, notorie quovis fide indignus, aut si aequivoce et inconstanter locutus fuerit) praesumitur quod mulier fictionem cognoverit illamque non cognoscere simulaverit, aut quod propriae imprudentiae deceptionem imputare debeat. Si tamen vir animadverterit foeminam vere decipi, idque quia prudentiae absolute et physice incapax sit: tunc de stupro tenebitur; praesumptio enim veritati cedere debet; et hoc sensu ignorantiae et simplicitatis abusus iustitiae violationem includit (Cf. D'Annibali III. 398). Hoc in puncto adoptari potest regula Codicis poenalis, qui (Art. 490) stuprum praesumit, si puella annum 12 nondum compleverit; mulieres enim in tali aetate (sicut et semifatuae) sufficienti quoad hoc cognitione et prudentia capaces ordinarie non sunt. — Quid si vir foeminae reluctantis consensum obtinuerit, dicendo: *id non est peccatum, crede mihi, nihil mali est?* Quid si ficte dixisset: *te ducam*, vel *magnam dotem tibi dabo?* R. Supponendo foeminam esse prudentiae capacem, in primo casu stuprum non praesumitur; id enim credere non debuisset. In secundo casu facilius foemina etiam prudens decipi potest; et, quatenus ita sit, Theologi communiter veram deceptionem verumque stuprum recognoscunt (Cf. Gury n. 425. not. *b*). Sed revera hic agitur de contractu ficto et rei turpis, de quo infra (n. 465) agam.

434. Interdum ex stupro nullum damnum oritur, ut puta, si mulier nuptura non erat, aut si, non obstante stupro, aeque sicut antea nubere possit; prout contingeret, v. g., si iam antecedenter tamquam corrupta habebatur (neque ex stupro gravida evaserit); vel si secreto corrupta stuprum etiam secreto passa fuerit; vel demum si, propter loci et personarum circumstantias, iuvenes de virginitate foeminarum, quas in matrimonium ducunt, nihil curent. Tunc autem non est cur de damnorum reparatione verba fiant. Idem dic si ex sola mulieris imprudentia stuprum notorium evaserit; vel si puella stupratori plenam condonationem (etiam invitis parentibus) concesse-

rit : damna enim, quum in difficultatibus quoad matrimonium consistant, puellam ipsam directe respiciunt, quae utique absque parentum iniuria iisdem difficultatibus se exponere, imo et nuptiis prorsus renuntiare potest ; quoad status enim electionem filii a patria potestate liberi sunt.

435. Sed ut plurimum ex stupro damna omnino reparanda oriuntur. Quomodo stuprator ea reparare debebit?

R. Si puella augmentum dotis exigat, ut sic difficultas inveniendi maritum minuatur, tunc stupri auctor eam dotare (quantum satis et pro suis viribus) debet ; et ab hac obligatione, matrimonium offerendo, non liberatur ; si enim puella antea nubendi cui vellet libera erat, talis debet esse etiam postea ; neque profecto stuprator sceleslissimus eam cogere potest ut sibi nubat. — Quid si puella matrimonium exigat? Stuprator certe ad id tenetur, si dotem praebere nequeat ; sed tenetur quoque generatim toties quoties puella rationabiliter dotem recuset et matrimonium exigat, prout non raro contingere potest, v. g., si propter loci et temporis circumstantias vix puellae illibatae maritum inveniant ; aut si ex stupro gravida evaserit et prolem legitimare velit ; vel denique si propter stuprum secreto secutum virginitatem amiserit, unde (si alteri nubat) graves reformidet vexationes, aut etiam repudium, quod hodie hac de causa in nostris civitatibus adeo frequenter accidit. Cf. D'Annibali (II. 304), et S. Lig. (n. 648).

436. Cum quanto incommodo stuprator sive ad dotem sive ad matrimonium tenetur? R. Cum incommodo non quocumque, attamen longe maiore illo quo misera puella afficitur, quae, reparatione non secuta, innupta manere aut male nubere cogeretur. Id totum prudentis arbitrio determinari debebit attentis circumstantiis ; inter quas considerari debet an stuprum fuerit omnino dolosum aut violentum, an vero mulier non decepta aut coacta prorsus illud passa fuerit, quo ultimo casu stuprator facilius excusari et ad partialem dumtaxat reparationem damnari potest. Cf. Lugo (15. 18), Salmant. (13. 3. 16), et S. Lig. (n. 642).

437. Speciatim si puella dotem respueret et matrimonium determinate exigeret, observandum esset an haec exigentia sit rationabilis ; gravissimae enim obstare possunt difficultates, non solum, v. g., propter indolis diversitatem, aut nimiam conditionis differentiam ; sed etiam propter ineluctabilem repugnantiam animique alienationem a parte viri ; ut enim melius infra videbimus, tunc matrimonium moraliter impossibile evadit. i-

demque esset ac si mulier laqueum ad se suffocandam exigeret.

438. Notanda sunt etiam sequentia. 1° Si mulier aeque bene nupserit, stuprator ad nihil tenetur ; nisi, stupro secuto, statim conventio de dote absolute danda intercesserit ; aut nisi maritus postea, cognito defectu, uxorem repudiaverit. 2° Si, tentando pudicitiam foeminae honestae et invitae, in causa fueris quod ipsa infamaretur ; quod nempe iure graves suspectus contra ipsam conciperentur (ut puta, si per fenestras noctu eius cubiculum notorie intraveris) ; tunc non secus ac illam stupravisses ad reparationem teneberis. 3° Si ex stupro proles concepta fuerit, stuprator solvere debet omnes expensas (ut dicunt) ventris ; compensare scilicet quidquid damni secutum fuit propter praegnationem, et partum ; nec non propter lactationem et alimenta prolis, si forte ad brephotrophium mitti nequiverit. 4° Specialia damna, utique semper compensanda, ex stupro provenire possunt, si stuprator peste venerea miseram puellam infecisset ; maxime si illa ob id propitiae nubendi occasioni renuntiare cogeretur.

### Fornicatio

439. Qui simplicem fornicationem committit, neque contra puellam neque contra eius parentes iniustus est, et proinde ad damnorum reparationem non tenetur. Lugo (XII. 8). Ex aequitate tamen quam maxime convenit, ut aliquam reparationem praestet ; speciatim si ipse sit dives et puella pauper. S. Lig. (641). — Si autem fornicationi alia adiuncta superaddantur ; tunc potest esse quod deflorator ad aliquid teneatur ; prout contingit in sequentibus casibus.

440. Casus I. = Puella gravida evasit =. Tunc deflorator ad matrimonium teneri potest ; parentes enim non solum alere et aeducare, sed etiam legitimare prolem tenentur ; nisi forte satis gravi impedimento detineantur. Id patet tum quia natura clamat ut parentes proprios infantulos secum retineant, eosque a gravi illegitimitatis macula immunes servent ; tum quia saepe saepius matrimonii celebratione dumtaxat scandalum, iurgia, rixae etc. evitari possunt. Gousset (1016), et Scavini (II. 665).

Si autem matrimonium celebrari nequeat, et proles ad brephotrophium mittatur ; tunc deflorator erga puellam eiusque familiam ad nihil tenetur. Quaestio fit an brephotrophium compensare debeat ? R. Negative ordinarie ; ut plurimum enim brephotrophia instituta sunt ut abortus et infanticidia impediantur, qui finis non satis obtineretur si parentes summam (utique

ingentem", quae ad prolem alendam exigitur, solvere tenerentur. S. Lig. (656). Excipe nisi alicubi satis constet quod hospitale in favorem pauperum dumtaxat a piis benefactoribus dotatum fuerit; tunc enim divites illud compensare tenerentur; et Scavini dicit quod in Mediolanensi Dioecesi infantis expositio facta a divite est casus reservatus, nisi damna pio loco resarciantur; quo in casu, tam pater quam mater ad id tenerentur. — Denique si brephotrophium non adesset, tunc iure naturae mater prolem lactare deberet, et postea ambo in solidum illam alere et aeducare deberent.

441. Casus II. = Defloratur lue venerea puellam infecit =. Hac de causa non semper (secus ac in stupro) defloratur damna compensare tenetur; sed solum quando vitium huiusmodi interrogatus denegaverit, aut circumstantiae fuerint ita dispositae ut illud non manifestare tamquam vera proditio haberi debuerit; v. g., si ipse prior puellam invitaverit, eiusque conditio tale vitium supponere non sineret.

442. Casus III. = Defloratio publica evasit =. Intellige nec casu nec ex culpa puellae; sed quia defloratur id quod occultum erat publicum reddidit; unde veram et damnosam infamiam puella subierit. Iustitia clamat ut tunc quoque damna reparentur, non secus ac a stupratore reparari deberent (iuxta dicta n. 435 et seqq.). Vera tamen et damnosa infamia non facile accidit; et certe ordinarie non subsistit quando iuvenes discoli de copula obtenta ab aliqua puella se iactant; si enim illa sit honesta, fides eis non adhibetur; et, si honesta non sit, huiusmodi dicteria parum vel nihil superaddere possunt.

443. Casus IV. = Non solum defloratio, sed etiam promissio matrimonii adfuit =. Hic casus est valde practicus, et proinde ea qua par est amplitudine discutiendus.

Suppono imprimis quod promissio matrimonii independenter a defloratione facta fuerit.

Haec promissio coram lege civili (apud nos) nullam vim habet (C. Civ. Art. 53). Adest dumtaxat poena trium mensium carceris et multa contra eum qui, sub promissione non adimpleta matrimonii, puellam 18 annis minorem seduxerit atque dehonoraverit (Cod. poen. Art. 500). Sed coram Ecclesia et in conscientia promissio matrimonii valet, ita ut qui nulla legitima causa excusatus illam non adimpleat vere delinquat, et quidem graviter; de re enim gravi agitur.

444. Oportet tamen I. Ut verba fuerint talia, ut pro vera promissione et seria obligationis sumptae manifestatione accipi

debeant. Saepe enim iuvenes actualem dumtaxat voluntatem vel serio tractandi de matrimonio vel illud in posterum contrahendi manifestant; dicendo, v. g.; *crede mihi; non ioci causa, sed bona intentione ad te venio;* vel *voluntatem habeo te ducendi.* Interdum vagam futuri matrimonii spem tribuunt: quo sensu apud nos diceretur: *videbis quod te desponsabo.* Interdum denique alterius animum unice explorant (v. g., *libenterne me in virum acciperes?*); vel desiderium exprimunt (v. g., *Quam libenter acciperem te in uxorem!*) — Vera promissio apud nos sequentibus verbis exprimitur: *Promitto; me obligo; te tutam reddo; iuro me esse te desponsaturum; habeas me pro perfido, pro proditore, pro infami, nisi te duxero; te ducam, id pro certo habe, ne dubites, secura sis, mea fide credas.* — Si verba sint in se aequivoca (prout, iuxta d' Annibali III. 380 contra plurimos, sunt etiam verba *te ducam* sic nude prolata; merum enim propositum significare possunt), intelliguntur iuxta valorem quem in loco habent; et, si adhuc dubia remaneant, iuxta intentionem contrahentium (si de ea constet) intelligi debent. Sanchez (I. 18. 1). — Verborum valor etiam ex circumstantiis determinandus est; hae enim (ut supra n. 433. explicavi) non raro sunt tales ut verba promissoria tamquam ludicra haberi debeant; idque forte quamvis iuramentum intercesserit; quod tamen saepe efficere potest ut tamquam sincera haberi debeat promissio, de qua, iuramento secluso, dubitandum esset. — Notari potest quod verba: *aut te aut nullam aliam ducam*, sunt promissio conditionata; quasi dictum fuisset: Ducam te, nisi in coelibatu remanere maluero.

445. Quid si, omnibus consideratis, verba pro vera promissione accipi debeant; et nihilominus iuvenis fateatur, se neque vere promittendi neque ullam obligationem contrahendi intentionem habuisse? R. Secluso dolo, si nempe iuvenis ea verba protulerit quin eorum sensum et gravitatem cognoverit; tunc excusatur quia neque in contractu neque in deceptione voluntarium adfuit; quod, cum agatur de obligatione adeo momentosa omnino exigitur. Quid si dolose processerit? Notandum quod casus verae deceptionis non adeo frequens erit; si enim iuvenis sit probus, ab hoc facinore abstinebit; et, si probus non sit, puella prudens ex hac ipsa circumstantia cognoscere poterit, fidem ei non esse praestandam; et, si ex propria imprudentia credat, a se ipsa decipitur. Vera itaque deceptio restringitur ad casum in quo iuvenis satis probus videatur, ita ut etiam puella prudens decepta remansisset. Tunc autem promissio (ut ut ficta)

ex iustitia. si pars reclamet idque praecise exigat, executioni mandari debet; nonne enim *verba ligant homines?* Nonne ab hoc ligamine tota humani commercii firmitas pendet? Multi dicunt quod iuvenis tenetur dumtaxat damna reparare; sed hoc est contra sensum communem; in quolibet enim contractu verbis seriis celebrato uterque contrahens ad illius executionem praecise ius habet; nec quisquam dolum suum iure opponere potest; sed consensum actu contractus non appositum, postea apponere debet: si pars decepta contractus executionem praecise exigat, ut dixi. Hanc sententiam probabilem dicit Sanchez (De matr. L. 1. D. 10. n. 25).

446. Oportet II. Ut promissio sit *mutua*, nempe cum repromissione: praesumendum est enim quod promittens noluerit se obligare nisi sub conditione repromissionis, ne ipse ligetur, altero libero remanente. Excipe si de contrario satis constet; v. g., si iuvenis promittat et simul aliquod tempus puellae ad deliberandum concedat; vel si praesumendum sit quod repromissionem tamquam plane inutilem non exigat; qui casus valde practicus est; ut puta, si puella iam ad matrimonium paratissima ad sui tranquillitatem iuvenis promissionem exegerit, qui ideo promiserit illamque sic tutam reddiderit; item si puella, post iuvenis nihil aliud expresse exigentis promissionem, florentes iuventutis suae annos cum illo insumpserit, aliasque matrimonii occasiones amiserit, et multo magis, si cum honestatis honorisque iactura, sui copiam ei fecerit (Cf. Scavini III. 738. not. 4).

447. Oportet III. Ut promissio cum sufficienti cognitione et libertate facta fuerit. — Quid de promissione metu extorta? Si sponsorum alteruter metum incutiat, nullum ius acquirere potest, dummodo metus sit iniustus, et probabilius non est distinguendum inter metum gravem et levem. Cf. el. Ballerini apud Gury (n. 724 q. 2). Si autem metus ab extraneo incutiatur, tunc promissio rescindibilis est ex iure canonico (Cf. Vecchiotti § 47); sed in hoc casu metus non solum iniustus sed etiam gravis esse debet. S. Lig. (n. 844). Iniustitia tamen non ita stricte intelligenda est, ut valere censeantur sponsalia, v. g., pauperis puellae, cui in gravissima necessitate constitutae dives dixerit: eleemosynam quam petis tibi non dabo nisi matrimonium mihi promiseris. Salm. (IX. c. 9. n. 54).

448. Oportet IV. Ut promissio matrimonium licitum respiciat: si enim (v. g., propter obligationem ducendi aliam, aut propter rationabilem parentum dissensum) illicitum esset; tunc spon-

salia valere nequirent ; nemo enim obligationem peccandi contrahere potest.

Quid de promissione prodigae? R. Imprimis advertendum quod saepe promissio potest videri sed non esse prodiga. Si puella, cui vir ditissimus matrimonium promisit, sit quidem pauper, sed, v. g., valde honesta, valde pia, valde provida, valde pulchra, valde iunior etc. ; tunc divitiarum excessus his praerogativis compensari potest. Idem dic si puella iuventutis suae annos cum illo viro insumpserit aliasque nubendi occasiones amiserit ; et multo magis si sui copiam ei fecerit. Item prodiga non esset promissio si dives motivo virtutis puellam pauperem ducere vellet ; aut, eo quod foeminae divites superbae esse soleant, pauperem praeferat. Si etiam propter meram affectionem, et quia sic revera magis felix erit, promissionem fecerit, quomodo haec tamquam prodiga culpari poterit? Nonne etiam magnae donationes ex rationabili motivo factae, et maxime personis quae donatorem felicem redditurae sunt, licent? Tunc itaque solum vera prodigalitas adest quando vir divitiis praeditus magnamque dotem obtinere valens, sine ulla causa rationabili et non sine damno prolis nasciturae, foeminae omnino aut quasi indotatae matrimonium promittit ; prout contingeret si iuvenis ditissimus cum theatrali saltatrici in momentaneo passionis aestu et stulte prorsus sponsalia contraheret. In huiusmodi casibus sponsalia matrimonium vere prodigum et proinde saltem leviter illicitum respicerent, et sic invalida essent. Iuvenis tamen deberet cito admonere puellam, ut libera remaneat : si enim per notabilem temporis tractum puellam sibi devinctam detineret, iam ipsa plus vel minus damna subiret ; unde tunc sponsalia tacite confirmata matrimonium licitum respicere et valida evadere possunt. In praxi itaque rarissimus est casus, in quo solius prodigalitatis titulo sponsalia non valeant. Cf. S. Lig. (L. 6. n. 851).

419. Quid si matrimonium sine magno familiae dedecore, aut sine gravium discordiarum timore celebrari nequeat? R. Hoc matrimonium per se est illicitum. Attamen licitum evaderet, si iuvenis aut puella absque magno et proportionato incommodo ab illo abstinere nequiret. Aliqui moderni id concedunt pro casu discordiarum, quia tunc de sola charitate agitur, quae cum gravi incommodo non obligat ; negant vero pro casu dedecoris, quia tunc (ut aiunt) de iustitiae violatione agitur. Sed apud TT. antiquiores hanc distinctionem non invenio, et censeo in utroque casu de sola charitate vel pietate agi, et necessitatem

matrimonii contrahendi posse esse talem ac tantam, ut filius, non obstante familiae dedecore, illud celebrare possit vel etiam debeat; v. g., ad prolem suam legitimandam, ad puellae seductae honori consulendum (secus enim perpetuo remorsu, illam relinquendo, quateretur), ad propriam vitam salvandam etc. Vide dicta (n. 176).

450. Oportet V. Ut de obligatione vere contracta satis constet: si enim dubium sit an sponsalia contracta fuerint, unusquisque in sua libertate (quam amississe non constat) relinqui debet; eo vel maxime quia expedit ut matrimonia libenter incantur. Idque etiam ex praxi fori externi patet. Rota Rom. (in Ventimeliens. 8. Febr. 1705) censuit quod « in quocumque « etiam minimo dubietatis anfractu pro omnimoda exclusione « sponsalium iudex pronuntiare debeat » Cf. *Monitore Eccles.* (V. I. pag. 185).

451. Sponsalia non solum verbis sed etiam aliis signis interdum perficiuntur. Quaenam signa huiusmodi significationem habeant, a loci consuetudine diiudicari debet. Signum magis commune est, si, habito tractatu de matrimonio inter amicos iuvenemque et puellae parentes, puella ipsa anulum vel alia munera a iuvene acceptet, aut requisita sponte manum ei praebeat. Dico *sponte;* forsan enim non sufficeret si iuvenis puellae manum caperet, illaque nihil diceret. Apud nos prandium seu ientaculum, cui iuvenis et puella cum propriis utriusque partis parentibus post dictum tractatum interveniunt (vulgo *parentado, toccamano*) sufficere existimatur, nec anuli porrectio aut manus praebitio de substantia esse videtur. — Petes an matrimonium civile vim sponsalium habeat? R. Sacra Concilii Congreg. die 13 Mar. 1879, facto verbo cum SS.mo, decrevit, matrimonium civile impedimentum publicae honestatis non parere. Ex hoc tamen decreto non inferrem quod iuvenis, postquam matrimonium civile celebraverit, nullam matrimonii ecclesiastici celebrandi obligationem habeat. Certe enim puella christiana actui civili non consentit, nisi sub tacita conditione quod sponsus ad nuptias ecclesiasticas vere se obliget; qui proinde, si postea renueret, tamquam proditor iniquissimus ab omnibus haberetur. Hoc sensu matrimonium civile, ni fallor (aliter enim senserunt Sacrae C. C. Theologi), in sponsalia resolvitur; sicut in matrimonium veluti clandestinum resolveretur, si sponsi nullam matrimonii ecclesiastici celebrandi intentionem haberent. Haec tamen non impediunt quominus Pontifex ob alias rationes publicae honestatis impedimentum non oriri iure decernere potuerit.

452. Promissio valida corruere potest propter causas legitimas postea subortas, inter quas praecipuae sunt sequentes.

I° *Constans, ineluctabilis et profunda animi alienatio.* Matrimonium enim reciprocum amorem necessario exigit. In Cap. *Requisivit* legitur : « Cum libera debeant esse matrimonia, « monenda est potius pars quam cogenda ; cum coactiones dif- « ficiles soleant exitus habere » ; et Rota Romana (In Americana 8 Febr. 1841) animorum dissociationem inter causas satis validas recensuit ; (Cf. de Occasionariis n. 128). Duo tamen hacic sedulo notanda sunt. 1° Hanc animorum alienationem esse debere constantem, ineluctabilem, et profundam, ut supra innui ; idque speciatim si misera sponsa derelicta alium maritum vix aut ne vix quidem inventura sit, aut aliae circumstantiae clament, ut matrimonium celebretur. 2° Si iuvenis suâ culpâ et malitiâ in hanc animi alienationem devenerit, et sic inique promissionis suae executioni impedimentum apposuerit, de damnis tenebitur. Ita Croix (n. 174), Bouvier, Gousset (n. 761) aliique.

453. II° *Mutua sponsalibus renuntiatio.* Oportet tamen ut haec non fuerit inique extorta, v. g., per metum ; fingendo difficultates quae non subsistunt ; nimis procrastinando ; spernendo sponsam ; adeundo alias, inanes quaerelas movendo ; exigendo peccata ; nolendo contrahere nisi praeviis litibus aliisque viis molestis etc. (Cf. Lugo 21. 46. et Croix n. 160). Sufficit tamen renuntiatio praesumpta ; v. g., si pars (minime ad id provocata) alios amores inierit. Secus si ad id inique provocata et quasi coacta fuerit ; tunc enim, si puella aliud matrimonium tentaverit quidem sed frustra, pristina sponsalia in suo robore manent. (Cf. Lugo 12. 26).

454. III° *Notabilis circumstantiarum mutatio.* Non quaelibet mutatio sufficit ; secus enim vis sponsalium ad nihil reduceretur. Ad cognoscendum quaenam sufficiat, multi dant regulam ut inspiciatur an tale quid successerit vel innotuerit, quod, si ante sponsalia evenisset vel innotuisset, ea contracta non fuissent.

Haec regula aliquod lumen dare potest, sed interdum fallax (quid enim si mutatio fuerit levissima ; attamen, si praevisa fuisset, sponsalia contracta non fuissent?), interdum non applicabilis (quid enim si mutatio fuerit gravis ; attamen invenis fatetur se nescire utrum, promissionem, quam in aestu amoris fecit, aeque fecisset?), et saepe (propter hallucinationem) periculosissima erit. Vera regula est ut inspiciatur an res, quae postea evenit vel innotuit, sit vere et adeo gravis ut pro legitima dissolutionis causa a viris prudentibus habeatur ; hoc enim in

puncto non solum libertatis matrimonii sed etiam iuris ab alio acquisisti ratio habenda est. Ceterum, satis gravi mutatione interveniente, quod sponsalia etiam iurata solvi possint certissimum est: in contractu enim sponsalitio (qui matrimonium satis libenter contrahendum respicit) semper subintelligitur ut contrahentes sibi reservent ius resiliendi, si forte in posterum futurum sit ut res valde immutentur; unde, si sponsus sponsam sic iuste resilientem vexaret, alios iuvenes ab ea arceret, vel ab eius parentibus pecuniam exigeret (nisi de casu dubio et liti subiecto ageretur) iniustus esset. — Theologi et Canonistae longa serie mutationes enumerant, quarum aliquae semper, aliae ut plurimum, et aliae non raro resiliendi causam constituunt. Sunt specialiter sequentes: Lues venerea; morbus comitialis (*mal caduco*); paralysis; foetor narium vel oris arte medica non superabilis; notabilis (quae superveniat) deformitas, maxime in foemina; impossibilitas concipiendi, si proles desideretur; foeminae graviditas ex facto alieno, eiusve infamia, v. g., ex raptu vel stupro (quamvis ipsa forte innocens fuerit); impossibilitas lactandi, si agatur de pauperibus; impotentia ad laborem, saltem in viro paupere; periculum incidendi in amentiam; aetas eà quae credebatur multo provectior; dotis incongruitas; magna mutatio quoad bona fortunae ex parte propria in melius, vel ex parte alterius in peius; opportunitas coniugii excedenter melioris (Cf. S. Lig. Hom. Ap. 18. 1. 19); magna miseria ex aliquo infortunio utrique superveniens; inimicitiae sive inter sponsos ipsos sive inter eorum familias subortae; indoles perversa postea cognita; notitia quod sponsus aliam dehonoraverit, speciatim si insuper ex ea prolem susceperit; patriae mutatio, si nempe, v. g., sponsus ad aliam civitatem se contulerit atque illuc domicilium fixerit (Cap. *De illis* de sponsal.); magna vitia, pessimi mores etc. Circa vitia tamen, personae conditio valde attendi debet; multa enim, quae viro nobili gravissimum dedecus inurerent, in plebeio vix considerantur. Et si aliquod vitium in ea classe, cui vir pertinet, sit valde commune, tunc non pro occulto sed pro manifesto habetur; unde in tali casu (et maxime si alium virum a talibus vitiis immunem inventura non sit) resiliendi ius non datur: nisi forte sponsa ab illo matrimonio contrahendo nimis abhorreat, et potius coelebs vivere malit.

455. Notandum insuper quod mutationes interdum dant ius resiliendi utrique parti, interdum vero uni parti dumtaxat, secundum quod utrique vel uni tantummodo graviter intersit a

matrimonio abstinere; et si pars mutationem inique procurasset (v. g., discordiam culpabiliter provocando), huiusmodi impedimentum pro viribus auferre teneretur. Notandum etiam, eandem causam quae, v. g., sufficit ut sponsalia sine damno sponsae solvi queant, saepe non sufficere si sponsa derelicta enorme damnum subitura sit; maxime vero si sui copiam sponso fecerit; si gravida sit; si sponsalia sint publica et omnia parata etc. Hinc supra innui quod causae recensitae non omnes sufficiunt ut *semper* sponsalia solvi possint.

456. Notandum denique quod sponsus, si, cognito defectu suoque resiliendi iure, non resiliret; sed potius signa manifesta perseverandi in pristina voluntate praeberet (v. g., habendo copulam cum sponsa); tunc sponsalia non iam corruerent sed firmarentur. — Si tamen a sponsalibus expresse recessisset, tunc huiusmodi signa valorem non haberent. Sanchez (De Matr. L. 1. D. 66).

457. Quid de eo qui, sponsalibus neglectis, nova cum alia puella sponsalia contraxit, eamque defloravit? Debetne ducere primam, an vero secundam?

R. In locis ubi Tridentinum publicatum non fuit, deflorator teneretur ducere secundam, si affectu maritali copulam cum ea habuisset; quia illuc talis copula matrimonium perficeret.

Apud nos, hodie TT. communiter dicunt, ducendam esse primam, quia secunda sponsalia sunt invalida, et prior sponsa, eo quod iuvenis iniuriam alteri intulerit, iuri suo cedere non tenetur. — Sed haec sententia multis auctoribus probatissimis (v. g., Salmanticensibus, Palao, Vivae etc.) non placuit. — Ego sic dicerem: 1° Si adsit proles legitimanda, tunc ius naturae clamat ut matrimonium cum secunda celebrari possit, non obstante iure prioris sponsae, quod minus pondus habet. 2° Si secunda sponsa priora sponsalia ignorabat, et ex defloratione (sive quia fuerit virgo sive quia infamiam subierit) gravia damna passa fuit, tunc etiam ius secundae fortius esse potest, ita ut ius primae etiam ad nihil reducatur; si nempe ipsa nullum damnum habeat et secunda gravissimum; tunc enim eius exigentia irrationabilis evaderet; et circumstantiae essent satis mutatae ut iuvenis a sponsalibus recedere possit; aut saltem ut iudex sic decernere queat. Cf. S. Lig. (n. 848). 3° Poterit etiam ducere secundam si cum ista publice et cum prima occulte sponsalia celebrata fuerint; unde si primam ducere vellet, non posset, quia secunda efficaciter reclamaret. — Ab his autem tribus casibus praescindendo, priora sponsalia (nisi puella renuntiet) in suo robore manent.

458 Quid de eo qui matrimonium promisit non obstante tali vel tali sacrificio; sed, quum aliud sit dicere aliud vero facere, actu executionis rei enormitate deterritus promissionem adimplendi animum non habeat?

R. Ad impossibile nemo tenetur; sed ut plurimum non de impossibilitate, bene vero de magna difficultate seu animi repugnantia agitur. In praxi haec excusatio facilius valere potest si promissio in aestu passionis facta tractu temporis repetita non fuerit, et si illam non adimplendo nullum damnum obventurum sit puellae (quae iam difficultatem executionis praevidere debebat); et maxime si ex matrimonio tam violenter contracto malus exitus pertimesci debeat. — Hoc sensu adoptari posse existimo sententiam plurium Auctorum quos citat Sanchez (De matr. L. 1. D. 8. n. 6).

459. IV°. *Grave periculum ne pars fidem coniugalem fractura sit.* Plures Theologi censent, ius resiliendi (alio obligato remanente) dari quidem propter fornicationem sponsae, non vero sponsi (si nempe post sponsalia cum alia foemina fornicetur); sed probabilissimum est, ut plurimum posse sponsam illum respuere non solum si usque ad fornicationem processerit, sed etiam si tactus vel oscula dumtaxat nimisve familiarem consuetudinem cum alia habuerit, et multo magis si matrimonium ei promiserit. Sanchez (l. c. 49. 2). Ratio est quia tunc ut plurimum non deerit periculum supra indicatum, quod etiam iuxta S. Lig. L. 6. n. 860) ad resiliendum sufficit. Quid si uterque fornicatus vel nimis familiariter (ut modo dicebam) cum alia persona usus fuerit? Tunc uterque de fidei violatione timere, et sic uterque a sponsalibus resilire poterit (Cf. D'Annib. III. 391). Exciperem: nisi sponsa inique derelicta, et sic ad tentandum matrimonium cum alio quasi coacta fuerit.

Notari potest insuper quod timor de quo loquimur oriri potest etiam a notitia nimiae levitatis quae sponsalia praecesserit, ut puta, si sponsa resciret iuvenem ad alias foeminas nimis pronum fuisse, aut alicui cor suum ita apposuisse, ut de inconstantia eius futura in servanda thalami fide merito pertimescat.

460. V°. *Nimia matrimonii procrastinatio.* Si neque in contractu sponsalitio neque postea celebrationi matrimonii terminus praefixus fuerit; tunc uterque ad matrimonium tenetur *statim*, nempe quamprimum, si omnia ex utraque parte iam sint sufficienter disposita; et, si non sint disposita, ambo curare tenentur ut disponantur. Negligentia gravis in rebus disponendis, et mora immodica si omnia sint parata, demonstrat quod pars aut ficte

promisit aut quod sponsalibus renuntiavit; et proinde pars innocens libera manet. Quid si mora sit quidem immodica, sed inculpabilis? Tunc etiam ille per quem non stat, liber manet; censetur enim se quidem obligare voluisse ad expectandum tempore aequo, sed non immodico. Iudex autem aut vir prudens, aetate aliisque circumstantiis consideratis, iudicabit an pars sufficienter expectaverit, et proinde libera decerni debeat.

Si celebrationi matrimonii sponsi terminum praefixerint, videndum an ad finiendam, an vero ad sollicitandam obligationem id factum fuerit.

Si, v. g., iuvenis puellae dicat: — Urgentem habeo necessitatem uxorem ducendi, et si tu statim post Pascha omnia non paraveris, ego liber ero; usque ad talem terminum et non ultra in obligatione maneo —; tunc terminus ad finiendam obligationem statuitur; eiusque adventus dat ius *recedendi*, si pars non adhuc sit parata; nec respicitur an mora sit longa vel brevis, culpabilis vel inculpabilis.

Si autem iuvenes simpliciter inter se convenissent dicendo, v. g.: — Nostrum matrimonium statim post Pascha locum habebit —; tunc terminus ad sollicitandam obligationem statutus fuisset, eiusque adventus daret ius *urgendi;* non vero ita festinanter et absolute recedendi sicut in casu praecedenti. Attamen terminus hoc etiam modo constitutus efficit, ut ille per quem non stat, valde citius recedere possit, quam si nullus terminus praefixus fuisset; et certe mora (iudicio viri prudentis) iam notabiliter protractior, speciatim si esset culpabilis, resiliendi ius daret.

461. VI°. *Si conditio verificata non fuerit.* Sponsalia interdum celebrantur sub aliqua expressa conditione, dicendo, v. g.: *Te ducam si talem dotem habebis.* Interdum etiam ex absolutis conditionata, mutuo consensu, evadere possunt. Si conditio non verificetur, sponsalia a seipsis corruunt, ut per se patet. Aliquando tamen sponsi conditioni renuntiant; quod et tacite facere possunt, ut puta, si sponsus, promisso matrimonio sub conditione virginitatis et habita notitia quod sponsa sit corrupta, nihilominus in voluntate eam ducendi per signa manifesta perseveraret; ut de casu simili paulo supra dicebam.

462. Quid de sponsalibus a filiis-familias, non adhuc consultis parentibus, contractis? R. Ordinarie sunt tacite conditionalia, subintelligitur nempe conditio: *si parentes consentiant;* unde, si ipsi etiam iniuste sed constanter obstent, filius ab obligatione (nisi aliquid in contrarium clamet) solutus remanet. (Cf. Gury

II. 732. not. *a*). Interdum tamen sunt absoluta, et sponsi, parentibus non admonitis vel etiam aperte invitis, matrimonium contrahere intendunt. Si iusta de causa sic procederent (quia scilicet parentes irrationabiliter se opponerent), sponsalia non solum valida sed etiam licita essent. Sed quid si absque iusta causa sic procederent? R. Tunc sponsalia certe essent illicita; sed nunquid erunt etiam invalida? Si de sola omissione obsequii parentibus debiti res esset, neque ad illam sponsi se obligarent; tunc matrimonium in se esset licitum; unde sponsalia valerent, utpote quae non dictam omissionem illicitam bene vero matrimonium licitum respicerent. — Si autem ipsum matrimonium, propter parentum contradictionem magnumque malarum consequentiarum apparatum, vere illicitum evaderet; tunc sponsalia tamquam invalida haberi deberent. Sed casus huiusmodi rarus erit: ut plurimum enim non filii obligationes, sed sola damna temporalia et pericula exagerata considerantur; unde scripsit Sanchez (De matr. L. 1. D. 14): « Saepe vanae minae iactantur, « terroresque opponuntur, et discordiarum pericula intentantur; « quae tamen, experientia teste, ubi deferbuit ille impetus et « matrimonium celebratur, in nihilum recidunt, facileque animi « conciliantur, sedaturque omnis tempestas ». Hinc ecclesiasticorum tribunalium praxis, Canonistae et Theologi, sponsalium (quae absolute contracta fuerint) invaliditatem, hoc solo titulo quod praeter vel contra parentum voluntatem inita fuerint, ad casus valde raros restringunt. Cf. Sanchez (l. c. n. 2), S. Lig. (L. 6. n. 877.), et Vecchiotti (§ 58).

463. An in sponsalibus subintelligatur etiam conditio: *Si perfectiorem statum non elegero?*

Resp. Si res (v. g., propter defloration em subsecutam, vel prolem legitimandam, aut aliud grave sponsae damnum) eo usque processerint, ut status *in se* perfectior, propter huiusmodi circumstantias, in individuo talis esse desinat; tunc dicta conditio subintelligi nequit, et sponsalia servari debent. Sanchez (I. 44), S. Lig. (L. 3 n. 649) D' Annibali (III. 394) etc.

Si autem haec inconvenientia non adsint; tunc si agatur de professione religiosa, certum est quod sponsus potest religionem ingredi ibique professionem emittere, quin sponsa reclamare ullo modo possit. — Si vero agatur de suscipiendo Ordine Sacro vel de emittendo voto simplici castitatis; tunc res ambigua evadit, et probabile est tum quod haec liceant, tum quod pars reclamare possit. Certe in foro externo votum simplex castitatis admitti non solet; secus enim praetextu voti omnes a sponsalibus

se liberare possent. Cf. S. Lig. (VI. 873), Sanchez (L. 1. D. 46 et 47), Vecchiotti (§ 66), Gury (731. q 2. not. *a*) etc. — Si demum agatur de coelibatu (sine voto) in saeculo servando: certe id non sufficit ut ius a sponsalibus resiliendi adsit. Sanchez (D. 46. n. 4) — Haec omnia tamen sufficiunt, ut alia pars (si velit) libera maneat; statim ac enim, v. g., sponsus, sive habitum ecclesiasticum induendo sive quocumque alio signo, clare patefecit se aliam a matrimonio voluntatem serio concepisse, iam sponsalibus renuntiasse satis indicavit.

464. VII°. *Si impedimentum canonicum matrimonio obstet.* Hic casus difficultates praesefert. Pro praxi sequentia delibabo.

1. Si necessitas prolem legitimandi, sponsae honori consulendi, rixas evitandi etc. clamet ut non obstante illo impedimento matrimonium, sive ex iustitia sive ex pietate sive ex charitate, celebrare oporteat; ita ut proinde Ecclesia ipsa dispensationem concedere non solum possit sed debeat; tunc dispensatio (saltem si absque magnis expensis obtineri queat) *semper* erit petenda, eaque obtenta, matrimonium celebrandum.

II. Si solo sponsalium titulo matrimonium petatur; tunc non facile obligatio dispensationem petendi vel ea utendi urgeri debet.

Celebris est controversia an sponsalia, contracta sub conditione expressa *si Papa dispensaverit*, obligationem petendi de facto dispensationem, eaque obtenta, matrimonium celebrandi, inducant. Equidem affirmant multi et reapse affirmandum videretur; sed alii non pauci tum Theologi tum Canonistae contra sentiunt; et dicunt nullam ex huiusmodi sponsalibus obligationem oriri, quia 1° materia contractus tunc propter impedimentum non est in commercio; 2° semper melius erit stare iuri communi; 3° nemo cogi potest ut recedat a lege, petat dispensationem, privilegio utatur; et dispensationes eis, qui illas respuunt et omnino nolunt, non dantur; 4° decisiones S. Rotae et S. C. C. huic sententiae quam maxime favere videntur. Cf. Sanchez (L. 5. D. 5. n. 5) ubi de hac doctrina dicit: *vere est probabilis;* et D'Annibali (V. III. n. 383. not. 5), ubi subiungit: *in foro haec sententia magis recepta est.*

Multi dicunt, dispensationem esse petendam saltem ab eo, qui propriâ culpâ impedimentum provocavit (rem habendo, v. g., cum consanguinea sponsae); sed ne hoc quidem certum est, quia (nisi impedimentum directe aut saltem scienter positum fuerit) iniuria non adest, et proinde amissio iuris non ex iniuria sed ex lege provenit. Sic sentiunt plures apud S. Lig. (858).

In hac itaque sententiarum varietate ego ex una parte non

damnarem, v. g., sponsam quae pro matrimonii celebratione instaret, speciatim si sponsus tempore sponsalium impedimentum cognosceret, et facili negotio dispensationem obtinere possit; multo magis si de dispensatione petenda expresse convenerit; maxime vero si ipse culpabiliter impedimentum provocaverit. Ex alia parte non damnarem sponsum, qui neque petere dispensationem neque eam a sponsa procuratam acceptare vellet; maxime si, re melius considerata, magnam repugnantiam haberet contrahendi matrimonium cum muliere, v. g., consanguinea, vel diversae religionis, vel quae per votum Deo se dicaverat etc.

465. Ex hucusque dictis satis intellexit lector, quandonam defloratur vi promissionis a defloratione independentis ad matrimonium teneatur, et quando non.

Sed quid si promissio actu defforationis dumtaxat facta fuerit; si nempe iuvenis puellae dixerit: *Si voluptatibus meis satisfeceris, te coniugem habebo?*

Resp. Supponendo imprimis promissionem fuisse sinceram, adverti debet quod, sicut ex amore, attamen sub conditione alicuius obsequii, pretiosum donum aut magna haereditas promitti potest, neque id tamquam obsequii pretium haberetur; ita contingere potest quod iuvenis promittat quidem matrimonium puellae dilectae sub conditione fornicationis, sed non tamquam pretium fornicationis (sicut cum meretrice ageretur). Si enim id stare nequiret, tunc dici deberet quod eleemosyna, quae sub conditione celebrationis Missae datur, pretium Missae esset. — Si itaque matrimonium ex amore, et non ad fornicationis (quae nihilominus exigitur) pretium solvendum promittatur; tunc absque ulla controversia promissio, secuta fornicatione, servari debet. Dices: huiusmodi contractus fuit invalidus, nullumque ius nullamque obligationem producere potuit. Resp. Non fuit totaliter invalidus; et puella, quamvis certe nec peccare teneretur, nec potuisset exigere ut iuvenis ante factum non resiliret; tamen ius acquisivit ad promissionis executionem pro casu in quo, neutro resiliente, fornicatio locum habitura sit. Sicut enim in contractibus de aedificatione templi protestantici inter catholicos, de impressione libri obscoeni, de exercitio militiae in bello iniusto, de operibus die festo inique peragendis etc., ante factum unusquisque resilire potest, sed post factum merces pro labore (non pro peccato) promissa rependi debet; ita et in casu. — Instabis: leges civiles contractus turpes et quaslibet obligationes ab illis provenientes prorsus irritant. Resp. Non semper id verum est; lex enim civilis actionem daret

non solum in casibus supra indicatis, sed etiam in casu meretricis. Et quoad puellam sub promissione matrimoniali defloratam, iuvenis sub poena carceris (iuxta dicta n. 443) illam ducere debet. — Concludendum est ergo quod, si matrimonium rationem mercedis non habeat, fornicatione secuta, promissio sine ulla controversia servanda est. Et in hoc communissimae Theologorum sententiae prorsus adhaerendum esse censeo.

Si vero matrimonium ad modum mercedis promissum fuisset (qui casus parum practicus esse videtur, et contingeret, si nullo praevio matrimonii tractatu, iuvenis ex mera libidine puellae dixisset: *quantum exigis ut te utar?* Et illa respondisset: *manum tuam exigo*); tunc cum aliquibus Theologis (nempe Gousset I, 1015; Carrière 1361; et Gury Cas. conse. II. 338) probabile esse censeo quod iuvenis promissionem servare (ex hoc solo capite) non teneretur. Ratio est quia ius ad mercedem iniquitatis subsistere nequit. Multi tamen contradicunt, quia merces daretur pro fornicatione non quatenus est peccatum, sed quatenus puellae damnosa et periculosa est. Haec ratio mihi non arridet, practice enim merces dari videtur non pro his consequentiis sed directe pro fornicatione seu pro peccato. Praeterea dicta pericula et damna non semper subsistunt. Nihilominus propter tantorum Doctorum auctoritatem non inquietarem puellam, quae in hoc quoque casu promissionis executionem exigeret.

466. Sed quid si promissio fuerit ficta? Resp. Si fictio satis manifesta fuerit (quod in praxi facile contingere potest, maxime quando nimia adsit conditionis disparitas, vel nullum de matrimonii tractatu initium praecesserit); tunc promissio nihil valet. — Si vero fictio fuerit ita occulta, ut etiam puella prudens illam pro sincera habere debuisset; tunc promissio ficta promissioni sincerae (ut dixi n. 445) aequiparari debet.

### Adulterium

467. Adulteri tenentur in solidum prolem ex adulterio susceptam alere, et reparare damna quae marito eiusque filiis legitimis propter filium sic furtive et iniuste introductum obvenerint. Neque dicas, hanc introductionem adultero non esse imputandam, eo quod adultera suum crimen fateri et prolem ad hospitale mittere poterat; nonne enim hoc quid moraliter impossibile est? Lugo (13. 12). — Damnum autem interdum reparare poterit adultera, maxime si ei suppetant bona, de quibus in favorem mariti aut filiorum legitimorum disponere queat.

468. Sed tenebiturne seipsam prodere et infamare, ut adulterinus mariti haereditati non succedat? Negative ordinarie. Ratio est quia ut plurimum haec revelatio (maxime vivente marito) nimis dura esset et sacrificium damno filiorum nimis praeponderans constitueret. Praeterea ut plurimum inutilis esset quia spurius id credere non tenetur. Demum facile praesumi debet quod filii legitimi ad tantum ruborem propriam matrem adigere nolint. S. Lig. (653), et Lugo (l. c.).

469. Quid si filius adulterinus damnum marito attulisse non videatur, sive quia familiae valde utilis evaserit; sive quia uxor, si ex adultero gravida non remansisset, alium filium ex marito concepisset? R. Prima ratio ab onere reparationis excusare videtur; sed secunda in rigore non valet, quia maritus semper ius habebat ut filius non proprius a naturali eius patre aleretur; unde expensas pro eo factas, tamquam sibi non spectantes, repetere potest; et praesumendum est quod, propter gravissimam iniuriam sibi factam, iuri suo (quamvis de caetero damnum non habuerit) minime renuntiet.

470. Quid si non sit certum utrum proles ex adulterio, an vero ex copula coniugali concepta fuerit? R. Leges civiles statuunt, prolem ut legitimam haberi debere, nisi *certissimum* sit illam esse adulterinam; idque providenter statutum est, quia bono communi, filiorum educationi, et paci domesticae nimis interest, ut filii durante matrimonio nati tamquam legitimi habeantur, et apud matrem una cum aliis fratribus retineantur, alantur et educentur. Haec insuper dispositio deservit, ut super propriis uxoribus mariti inviligent; secus, quasi in poenam negligentiae, prolis dubie legitimae onus subituri. Huic itaque legum dispositioni adulteri etiam in conscientia stare possunt; ut fatentur Theologi communissime. Cf. Cod. Civ. Art. 162-163.

471. Mariti interdum adulteriis uxorum consentiunt sive expresse, sive tacite (nempe videndo et tacendo dum facile reclamare possent). Tunc autem, quamvis verissimum adulterium a simplici fornicatione prorsus distinctum nihilominus contigerit, tamen iniuria contra maritum (illicite quidem sed valide iuri, ut praecise proprio, renuntianti) facta non fuit; scienti enim et volenti non fit iniuria. Lugo (C. 8. n. 6, 13). Contingere tamen potest quod maritus adulterio quidem, sed non prolis alendae oneri consenserit; sed in casibus particularibus quaenam eius intentio fuerit, ex eiusdem agendi ratione non raro diiudicari poterit.

472. Si maritus filium adulterinum scienter tamquam pro-

prium retinuerit, eique haereditatem reliquerit; poteritne adulterinus illam retinere? R. De hoc non esset dubitandum si per testamentum, salva legitima veris filiis debita, haereditatem assecutus fuerit. Si autem successerit ab intestato, vel si filii cum adulterino dividentes in legitima praeiudicati fuerint; tunc iuxta leges civiles haereditatem adire nequiret. Si tamen constaret, talem revera fuisse defuncti (erga hunc filium naturaliter adoptivum) ultimam voluntatem (in qua testamenti substantia, iure naturae inspecto, reponi debet), nonnullis viris doctis (quos consului) visum est, adulterinum non esse inquietandum, quia non constat an civilium legum dispositiones in conscientia ante iudicis sententiam in facti specie obligent.

473. Quid si maritus, v. g., uxorem male tractando, illà non utendo, ad alias foeminas divertendo, vel eius sterilitatem exprobrando etc., ad adulterium (ex quo filium concepit) ansam praebuerit et veluti provocaverit? R. Per haec maritus iuri suo non cessit et proinde iniuria subsistit; attamen uxor sic provocata, ad reparationem quidem tenetur, sed non in toto et paullo facilius excusari poterit, iuxta dicta (n. 431).

### Violatio iustitiae distributivae aut vindicativae

474. Haec iustitiae species obligat societatis Rectores eorumque ministros ut, intuitu boni communis, bona atque onera subditis distribuant, poenasque delinquentibus infligant, et in his omnibus aequitatem servent.

Dicunt, ex violatione iustitiae distributivae et vindicativae onus restitutionis non oriri. Sed hoc recto sensu intelligi debet. Imprimis enim publici officiales (si male se gerant) erga communitatem ipsam ad restitutionem teneri possunt tum ratione mercedis, tum ratione damnorum. Porro officialis muneri suo non satisfaciens, idem est ac si stipendium furetur; et, si (eo quod perperam muneri suo fungatur) damna publica obveniant, de his quoque respondere debet. Iudex, v. g., delinquentem societati noxium absolvit, et sic ille denuo furta et homicidia perpetrat. Princeps viros iniquos officiis publicis praeponit, et sinit ut subditos inique vexent. Praepositi vectigalium non vigilant et gabellas fraudari sinunt; unde publicum aerarium damnum patitur *. In his casibus onus restitutionis adest erga

* Si tamen subinde cum pauperibus benignius agerent in re levi, non essent reprehendendi; societas enim in tali casu absolutum rigorem non exigit.

communitatem, quia publicus officialis cum illa stricte se obligavit; et sic, ratione contractus cum damno violati, non solum distributivam sed etiam commutativam iustitiam laesit.

Sed aderitne quoque onus restitutionis erga particulares, sive quia taxis aut poenis indebite graventur; sive quia ab officiis, beneficiis et praemiis indebite arceantur?

Resp. Qui taxis aut poenis inique prorsus vel plus aequo subditum gravat, certe restituere tenetur. Exempla. Iudex innocentem damnat, aut delinquentem carcere dumtaxat dignum morte afficit. Tributorum distributor, ut aliquibus faveat, alios immodice taxat. Princeps tributum communi necessitate vel utilitate non satis cohonestatum a subditis extorquet. — Ratio est quia subditi in bonis stricte propriis inique laeduntur; et sic iustitiae commutativae in his quoque casibus laesio adiungitur.

Qui autem ab officiis, beneficiis et praemiis subditum indebite arcet, ad restitutionem tenetur, si ius strictum violet; ut puta, si talis subditus ex contractu aut quasi contractu ad praemium ius habeat; prout in palaestris ad modum praemii indictis accidit; omnes enim norunt, v. g., quod dominus equi qui prior ad metam pervenit, praemium stricto iure habere debet, idemque dicendum esse de scholaribus, examine dato, sentit Croix (L. 3. n. 283). — Si vero de iure stricto non constet (prout accidit extra casum concursus, vel quando non ad modum contractus et praemii promissi, sed ex alio fine concursus indicitur), tunc subdito etiam indebite praetermisso restitutio non debetur.

475. Quaer. 1° An in casu concursus Episcopus dans beneficium evidenter minus digno teneatur ad restitutionem erga magis dignum praetermissum? R. Communius affirmant; sed alii (inter quos D'Annibali III. 44) negant; quia concursus indicitur non ad modum contractus cum concurrentibus initi, quo nova a Superiore obligatio sumatur; sed solum ut Sacerdotes adveniant et propriam scientiam aliaque requisita patefaciant; quae principaliter exiguntur non ut magis dignus praemium habeat (sicut contingit in casu palaestrae); bene vero ut Ecclesia ministro magis digno provideatur. De hac sententia scripsit S. Lig. (L. 4. n. 109): « Revera non videtur constare quod inter « Episcopum et oppositores intercedat pactum illud obligans « rigorose ex iustitia commutativa; et, non constando de tali « pacto, non videtur constare de tali obligatione ». — Quod autem de beneficiis, idipsum de officiis dicendum esse videtur.

Hinc inferes: Qui ad obtinendum officium vel beneficium

hypocrisim adhibent, aut falsa sive scientiae sive probitatis documenta in concursu adducunt, male quidem se gerunt, quatenus officii vel beneficii collatorem non sine societatis damno graviter decipiunt; sed iustitiam commutativam erga competitores non violant, et proinde ad restitutionem non tenentur. Secus esset si calumniis illos affecissent, aut vi et dolo eos directe ab officii vel beneficii consecutione impedivissent. Insuper dignior praetermissus in omni casu appellationi recurrere potest, ut beneficii collatio invalidetur; non enim constat quod ipso facto irrita sit.

Quaer. II° An publica onera imponentes, cum sola probabilitate procedere possint; taxam scilicet indicere, quamvis de tributi iustitia non certitudinem sed solum probabilitatem habeant? Resp. Affirmative. Ita Sporer (Tr. 5. § 5. n. 155).

Quaer. III° An exactores de tributi iniustitia certitudinem habentes, illud exigere possint? Resp. Theologi hoc in puncto rigide loquuntur; sed sensus communis habet, exactores tributum etiam iniustum a Principe iam indictum exigere posse, si secus officium amittere cogerentur. Ratio est quia subditi contra principem quidem, sed non contra exactores inviti sunt.

Quaer. IV° An piae beneficentiae administratores ad restitutionem tencantur, si contra mentem piorum testatorum dotes vel alia subsidia distribuant? R. Affir. si de iniqua distributione clare constet, et restitutio possibilis sit. Illi enim sunt velut executores testamentarii (qui haeredibus et non aliis bona defuncti tradere debent); unde personae a piis testatoribus vocatae in proprio iure stricto laederentur (Lugo I. 49).

### Fraudatio tributorum

476. Nomine tributorum intelligo taxas omnes sive directas sive indirectas; quidquid nempe gubernio, provinciae vel locali communitati solvitur, v. g., pro praediis, fabricis, molitura, divitia mobili, iure successionis, descriptione contractuum, domesticis, eorumque vestimentis (*livree*), animalibus, curribus, titulis honorificis, charta obsignata (*carta bollata*), chartis lusoriis, delatione armorum, venatione, manu-mortua, quota concursus, obsignatione auri et argenti, ponderibus et mensuris, introductione mercium exterarum in regnum (*diritto di dogana*), introductione rerum comestibilium in civitatem vel occisione animalium (*dazio di consumo*), violatione alicuius legis cui mulcta infligitur (ut puta, si sal, tabacum vel pulvis sul-

phureus clandestine *di contrabando* vendatur; vel sortitio *il lottino* clanculum exerceatur etc.).

477. Quid itaque de subditis qui aliquod tributum declinandi viam invenerint?

R. Tributo iam declinato, in praxi ad restitutionem (seu ad tributi ipsius solutionem) obligari non debent. Onus enim solvendi tributa probabiliter provenit non iam a pacto tacito quo subditi se obligaverint ad solvendum principi (tamquam eorum mandatario) praecise unusquisque pro rata quidquid necessarium erit ut publicis expensis prospiciatur; bene vero a lege principis ipsius qui determinat qua ratione ea, quae necessaria est, pecuniae summa colligi possit. Videtur autem quod ad hunc effectum non iam ope conscientiae, sed ope officialium suorum et mulctarum pertingere velit; quasi dicat: *aut solvite aut periculo mulctae vosipsos exponite;* id enim satis est, et conscientiae gravamen supervacuum esset. Ita reapse rem hanc sensus communis (qui est optimus legum interpres) semper intellexit; nec desunt Theologi magni nominis qui hoc probabile esse censent. Cf. Navarrum (23, 55), Lugo (36, 42), Gury (740-744), Frassinetti (Diss. VII. n. 1) et S. Lig. (n. 616). Neque dicas defraudationes redundare in damnum modo aliorum subditorum (qui sic magis gravantur), modo ementium eadem tributa, modo eorum qui venditionis privilegium (*la privativa*) habent; de facto enim haec damna vel non subsistunt, quia fraudationes mulctis compensantur, vel in contractu computata fuerunt. — Haec sententia confirmatur quia probatissimi Theologi (nempe Lugo 36, 43; Laymann III. 3. 3. 6; Sporer V. 5. 155 etc.) docent, sufficere probabilitatem de excessu tributorum, ut subditi (propitia occasione obventa) subterfugere possint. Satis autem constat non deesse gubernia in quibus de hoc non probabilitas dumtaxat sed certitudo adest; in quibus nempe manifestissime publica pecunia prodigitur, dissipatur, direptionibus exponitur, ad iniqua devolvitur etc. etc.; unde in iis locis tributa non totaliter iusta esse possunt. Et, si res ita se haberent, tunc a fortiori restitutionis obligatio adesse nequiret. Nihil autem dico de taxis funditus iniustis et vetante iure canonico impositis.

Unusquisque tamen videt quod ad restitutionem tenerentur tributorum emptores seu conductores, si summam in contractu statutam non solverent. Idem dic de officialibus, si ex tributis iam exactis aliquid suppilarent. Idem quoque dicendum videtur de iis qui tributorum praepositos corrumpunt (qua de re vide

Cod. Poen. art. 224); nisi forte de evitando tributo iniusto et de seipsis redimendis ab iniqua vexatione ageretur.

Quod demum non liceat armata manu vectigalium praepositis resistere, satis per se manifestum est.

### Fictio paupertatis.

478. Quoad exiguas eleemosynas quae pauperibus ostiatim mendicantibus dari solent, non graviter peccant nec ad restitutionem tenentur pauperes, quamvis maiorem ea qua reipsa laborant paupertatem et miseriam fingant; vel causa otiositatis (dum laborare possent) mendicandi consuetudinem contraxerint; vel demum eleemosynarum partem in superfluis insumant. Haec enim omnia notissima et communissima sunt, nec domini his de causis pauperes ad restitutionem obligare volunt.

Si vero paupertas fingeretur ab eo, qui nullo modo pauper esset ingentemque pecuniae summam occulte possideret, aut si ageretur de magna et extraordinaria subventione fictis motivis extorta; tunc vera fraus intercederet; pro qua fictus pauper eleemosynas ostiatim collectas veris pauperibus, magnam vero subventionem danti restituere deberet. Cf. S. Lig. (622), et Diana (V. IV. Tr. 7. R. 56. 4).

### Defectiones in officio

479. Unusquisque ordinariam et casuum gravitati proportionatam diligentiam in officio suo ad modum viri probi adhibere debet; unde qui, sive non agendo sive male agendo, muneri suo non satisfacit, imprimis tenetur pro rata defectus ad restitutionem mercedis, nisi forte de illam dantis condonatione satis constet. Damna insuper resarcire debet (quamvis gratuito officium exerceret), si quae eis obvenerint, quibus, officium suscipiendo, illud probe se fore adimpleturum tacite spopondit. Sed quoad restitutionem ob damna, oportet 1° ut officium bona temporalia respiciat (ut puta, si de famulo, ministro, medico, advocato, iudice, curatore, custode etc. agatur); si enim officium pro rebus non temporalibus sed spiritualibus institutum fuisset (prout esset officium Parochi, Confessarii etc.); tunc, si damna temporalia ex officio non bene adimpleto profluerent, nulla reparationis obligatio exurgeret, nisi damna modo positivo et iniusto, v. g., decipiendo, causata fuissent; quo casu reparatio debetur ratione non officii, sed noxiae deceptionis;

sicut alius quilibet (maxime si doctum se venditaret) ad reparationem teneretur, si proximum damnose deciperet, aut iniustitiam consuleret. — Oportet 2° ut damna ex gravi negligentia aut ignorantia non condonabili profluerint, et quidem probabiliter (Cf. dicta n. 420) cum gravi culpa theologica; quae (ut advertit Frassinetti not. 66) fere semper deest, qui enim minus sapit magisve negligens est, ut plurimum magis praesumit, scrupulisque caret.

### Res inventae

480. Inventio dat dominium si res inventae dominum non habeant. Talia sunt

I°. Ea quae adhuc a nemine occupata fuerunt, v. g., gemmae quae in littore maris interdum reperiuntur.

II°. Ea quae a domino voluntarie reiecta aliisve quomodolibet derelicta fuerunt, prout accidere solet quoad spicas, uvas, glandes, nuces, castaneas etc. quae post collectionem remanserunt. Item quoad fungos, ligna domino inutilia etc. — Dixi *voluntarie*; talia enim non essent ea, quae propter incendium vel naufragium deiiciuntur.

III°. Ea, super quae dominus (quamvis invitus), non iam ex hominum iniuria sed fortuito casu, amplius dominari nequit; quatenus connexio rei cum domino ita ad nihilum reducta fuerit, ut de re sua iam nullo modo disponere possit. (Cf. Lugo VI. 103, et Lessium II. 3. 1). Ex hoc capite ab inventore retineri possunt

1°. *Animalia fera quae ab eorum dominis fugerunt.* — Idem die non iam de animalibus domesticis (qualia sunt, v. g., oves, boves, equi, gallinae etc.), sed de cicuratis, qualia sunt, v. g., apes, palumbes, cuniculi etc., si consuetudinem ad dominum redeundi amiserint. Attendendae sunt tamen leges locales. Cf. Cod. It. Art. 713. 462.

2°. *Thesauri.* — Thesaurus, iuxta novas leges, definitur quodlibet obiectum mobile et pretiosum, absconditum aut sepultum, de quo nemo probare possit esse suum (Cod. It. Art. 714). — Lessius (II. 5. 58), aliis vivide contradicentibus, sensit nihil referre, quamvis sciri possit a quorum maioribus antiquitus depositio facta fuerit; ipsa enim (ait ille) temporis diuturnitas, qua domini rem suam esse ignorarunt nullumque dominium in ea exercuerunt, sufficit ut res dominum amiserit, et quasi mortua fiat illius qui eam veluti ad vitam revocavit.

Theologi uno ore fatentur, thesaurum iure naturae spectare totaliter inventori (quamvis forte agi de re pretiosa ab initio non cognoverit. Scavini II. 520); et neutiquam domino fundi, eo quod nec pars nec fructus fundi sit *. Attamen leges civiles dicunt, thesaurum inter inventorem et dominum (directum) fundi dividi debere. Haec dispositio, utpote quae legi naturali vulnus infligit, strictam interpretationem admittit; unde, si quis in flumine, platea aut via publica thesaurum detegeret, nihil restituere deberet; quia haec loca sunt omnium et sunt nullius, et non nisi lato sensu dominum habent. — Quaeritur an lex de danda hac medietate domino fundi obliget in conscientia ante iudicis sententiam? Affirmant communiter, quia agitur de lege non poenali, sed proprietatis determinativa, et iuxta hanc sententiam plures responsiones dedit S. C. Concilii quoad thesauros in Beneficiorum fundis repertos (Cf. Scavini II. 520). — Nihilominus Laymann (III. 1. 5. 23) dubitanter loquitur, aliosque dubitantes S. Lig. (602) indicat. Sotus (V. 3. 3) dixit, hanc legem forsan statutam fuisse ad servandam pacem. Quid itaque si inventor, nullo teste, thesaurum invenerit? Caramuel (II. 288) respondet: « Gratias agat Deo, beatior sine teste ». Verum est quod agitur de lege proprietatis determinativa. Sed multae aliae leges huiusce generis probabiliter in conscientia non obligant ante iudicis sententiam; quando enim a lege naturali exorbitant, quo strictius fieri potest, interpretari debent, nisi aliquid in contrarium clamet. Exemplum habes in testamento informi; et alia exempla vide apud Lessium (II. 14. 57) et Gousset (n. 702). — Sed haec sententia, contra communissimam inventori thesaurum ex integro concedens, eritne probabilis? R. Saltem deserviet ut inventor facilius in bona fide relinqui possit; et certe probabilis erit quoad casum satis practicum eorum, qui antiqua numismata aliaque non ingentis voloris inveniunt; tunc enim Gousset (703) et Scavini (l. c.) aperte dicunt, inventorem nihil domino fundi tradentem nullo modo esse inquietandum. — Leges civiles statuunt etiam, thesaurum cedere totaliter domino fundi, si non casu repertum sed ex industria (v. g., fodiendo clandestine in fundo alieno) quaesitum

* Thesaurus, si naturalem cum inventore connexionem habet, quamdam etiam, statim ac ad vitam revocatur, cum domino fundi connexionem (quae dominii fundamentum est) habere videtur. Et sic leges civiles hoc etiam in puncto, prouti solent, in iure naturali fundarentur. Quia tamen Theologi omnes, ut dixi, contra sentiunt, a communissima sententia recedere temeritas erit, nisi forte aliquando sapientiores aliter iudicaturi sint.

fuerit. Sed hanc dispositionem esse poenalem et proinde non obligare ante iudicis sententiam, fatentur communiter.

3°. *Res inventae*; quae scilicet non ita pridem dominum habebant; sed quisnam hic sit, sciri nequit. — Iure naturae inspecto, inventor ad sequentia tenetur.

A) Si in domo propria rem domini ignoti inveniat, ex sola charitate ad inquisitiones faciendas nec non ad rei curam interim suscipiendam obligari potest.

B) Si alibi inventam accipiat secumque deferat; tunc ex hoc ipso obligationem suscipit utiliter gerendi negotium domini; et tenetur ex iustitia inventionem non occultare, imo media idonea adhibere, ut notitia rei apud se existentis ad dominum perveniat (caute tamen ne domini ficti illam repetant), et interim rei ipsius (v. g., ut fructificet, ut non pereat etc.) suscipere curam, pro qua ad mercedem ius habebit.

C) Si dominus appareat et talia signa praebeat, ut rem esse illius dubitari nequeat, tunc ei tradi debet; et inventorem (praeter dictam mercedem) nihil exigere posse, iure naturae inspecto, dicunt TT.; sed hoc durum mihi videtur (Cf. n. 481). — Si duo vel plures illa super re ius dubium habeant; eo quod certum sit uni ex illis spectare, sed ipsi quoque nesciant quisnam verus dominus sit; tunc, divisione vel sorte adhibita, res illis tradi debebit; ad hoc enim verum ius habent. Palao (XIII. D. unic. 19. 1). Cf. dicta (n. 386. *Quartus casus*). — Qui obiecta furtiva invenit, et ignorat quibus ablata fuerint, si sit haeres furis (in cuius proinde onera succedit), certe tenetur eorum pretium distribuere pro rata iis, qui a defuncto expilati fuerunt, si nempe ignoret quibus praecise ea obiecta spectarent; et, si prorsus nesciret quinam expilati fuerint; tunc pauperibus restituere deberet (Cf n. 415. I°). Si autem inventor non sit furis haeres, neque cognoscat personas quae obiecta illa in individuo sibi vindicandi aut saltem inter se dividendi (iuxta mox dicta) ius habeant; tunc nec domino restituere tenetur (quia illum invenire nequit), neque pauperibus, quia lex ad id obligat quidem fures, aliosque malae fidei possessores sed non alios, ut bene probant Sporer (IV. 3. 108), Lessius (XIV. 38) aliique. Ergo ad nihil teneri potest; et sic sensit etiam Gury (Cas. conse. I. *De Dominio* Cas. XV). Quid de eo qui ex furis ipsius indicatione rem furtivam (v. g., alicubi sepultam) invenit? R. Si cum bona intentione quaerendi dominum illam accipiat, dicerem quod, domino quaesito et non invento, illam retinere possit. Quando enim aliquis furti particeps non fuit et dictam

intentionem bonam dominoque utilem habet, dominus ipse videtur esse contentus quod rem accipiat, eamque retineat si forte inquisitiones in vacuum iturae sint; ut cum Tamburinio dicam etiam infra (n. 482).

D) Domino non comparente, longo tempore iam elapso, nullaque (moraliter loquendo) in inquisitionibus spe remanente; res inventa fit inventoris; illa enim pristinum dominum amisit, eamque (utpote nullius) inventor sibi applicare potest; convenit enim ut res humanis usibus destinatae dominum habeant. Ad iudicandum autem an inventor expectaverit vel inquisierit sufficienter, ex rei pretiositate et ex gradu probabilitatis dominum adhuc inveniendi, inspectis circumstantiis, diiudicari debebit. Ordinarie biennium sufficiet; quo elapso, inventor nec pauperibus, nec domino ipsi (si casu postea detegeretur) rem tradere tenebitur. Haec sententia probabilis est, eamque tenent Theologi multi. Quia tamen sententia opposita (quae dicit, dominium nunquam extingui, et in casu extremo rem distribuendam esse pauperibus iuxta praesumptam domini voluntatem) sua probabilitate non caret; non esset inquietandus dominus si, casu rem suam reperiens, illam arriperet; maxime si publica auctoritate res inventori adiudicata non fuerit aut legitima praescriptio non intercesserit (Cf. S. Lig. 603). — Quid si dominus non sit simpliciter ignotus sed certe adsit, v. g., inter decem, qui tamen ius divisionis non habeant, eo quod novem mala fide et tamquam fures, unus vero iuste rem repetat, sed quisnam hic sit ignoretur? R. Tunc inventor forsan quidem diutius expectare debebit, sed tandem rem sibi applicare poterit. Nunquid enim debebit maximam partem furibus illis dare; ut dominus minimam habeat? Cur? Ex praesumpta (dices) domini voluntate. Sed contra est, quod in rebus inventis ad hanc praesumptam voluntatem probabiliter non datur obligatio attendendi. Maxima itaque rei inventae pars non dictis furibus, sed inventori spectat; qua non tenebitur se privare cum adeo mala distributione ut dominus minimam habeat; id enim inconveniens videtur, et proinde hic valebit effatum: *Maior pars trahit ad se minorem.*

E) Si inventor nimis cito, aut inquisitionibus neglectis, rem consumpserit, et postea dominus appareat; videndum an mala fide processerit; et, si bonâ, utrum factus sit ditior; et sic iuxta regulas generales casus resolvitur.

F) Si inventor (et hic est casus valde practicus) inventionem quidem occultaverit et studiose inquisitiones omiserit; sed, si muneri suo satisfecisset, nesciat utrum dominus (quem nunc

invenire impossibile est) appariturus fuisset; tunc, si bona fide processit, ad nihil tenetur; si vero mala, quum veram iniuriam verumque damnum domino intulerit, eum privando spe rem suam recuperandi, pro rata huius spei ad restituendum pauperibus obligari debebit.

481. Hucusque dicta valent, solo iure naturae inspecto. Ius civile apud nos (Art. 715) decernit, rem inventam Syndico loci statim esse tradendam; quod nisi fiat, Codex poenalis (Art. 634) mulctas et poenas statuit. Si intra biennium dominus non apparet, res inventori adiudicatur; si autem appareat, decimam pretii partem inventori tradere debet.

Equidem inventor, si iuxta hanc legem se gerat, tranquillus in conscientia esse poterit. Sed peccabitne si forte Syndico rem non tradat, solumque iuxta regulas a iure naturae profluentes se gerat? Negative si agatur de rebus exigui momenti, pro quibus lex non videtur usu recepta. Adde incommodum quoad loca quae a Municipii residentia distant. Si etiam ageretur de rebus magni momenti, probabilis opinio docet, leges civiles, quae sub mulctis et poenis aliquid iubent, pro foro externo et regula tribunalium, non vero ad conscientiam vere ligandam (quatenus a iure naturali exorbitant) valere; sic enim communiter huiusmodi leges interpretari videntur. Vide Navarrum (Enchir. XXIII. 55).

482. Quid si quis rem non iam invenerit, sed apud se habeat, v. g., commodatam, depositam etc., et cuius sit non reminiscatur, dominumque invenire nequeat? Resp. Poterit illam sibi applicare; perinde enim est ac si de re inventa agatur. Lessius (XIV. 38).

Idem dicit Tamburini (Dec. VIII. Tr. 2. c. 8. n. 12, et Tr. 4. c. 1. § 3. n. 31) de re furtiva incerti domini empta cum intentione illam retinendi, si dominus non compareat.

483. Si peregrinus incognitus apud te decesserit intestatus, nec illius haeredes inveniantur, poterisne eiusdem bona tibi applicare? Affirm. Neque obstat lex (Cod. It. Art. 758) bona huiusmodi (quae *vacantia* dicuntur) publico aerario assignans; de solis enim immobilibus probabiliter intelligi debet, et certe (saltem ante iudicis sententiam) quoad mobilia non obligat. Gury (576. III).

### Fructus industriae.

484. Casus I. Famulus 1° satagit ut minori pretio res emat; 2° missus ad unam apothecam, adit aliam ubi minori pretio

res aeque bonae emuntur; 3° iussus modo dispendioso aliquid acquirere, minori dispendio idem acquirit; 4° eundem semper mercatorem adit, et sic in rerum emptarum mensura et qualitate melius tractatur, et subinde strenas obtinet; 5° cum alio mercatore pactum inivit eius negotium semper adeundi, dummodo aliquid quotidie ei daret simulque dominum optime tractaret; 6° pecuniam pretiosiorem ab hero acceptam cum viliore immutat et sic lucrum percipit. — His de causis fructum (ut ait) industriae suae sibi posse reservare censet.

Resp. ad I. Famuli ordinariam diligentiam adhibere debent ex munere proprio, ut minori pretio res emant. In casu itaque fructus industriae non debitae contingeret dumtaxat, si famulus sollicitudinem extraordinariam modosque exquisitos adhiberet, ut minoris emeret. Cavendum ab hallucinatione, atque insuper ne nimiam temporis iacturam faciat.

Ad II. Famuli tenentur admonere herum, si missi ad unam apothecam advertant, viliori pretio alibi passim res aeque bonas emi posse. Si tamen non passim, sed solum propter exquisitas inquisitiones aut cum speciali incommodo hoc lucrum obtineri posset, tunc industriae titulus locum haberet. Cavendum tamen ne herus omnino exigat ut designata apotheca adeatur.

Ad III. Si possibilitas obtinendi rem illam minori dispendio sit communiter nota, tunc famulus de hoc herum (si id ignoret) admonere debet. Si autem famulus exquisitis inquisitionibus dumtaxat id cognoscere potuerit, tunc industriae suae fructu gaudere poterit. Denique si dominus omnino vellet (etiam morose) ut modo a se indicato res procuretur, ei parendum esset.

Ad IV. Si famulus ad eundem semper mercatorem (quem probum esse novit) divertit, muneri suo satisfacit; et, si mercator in mensura abundat, id non erga famulum sed erga dominum facit; et proinde famulus hac de causa nihil sibi applicare potest. Si tamen strenas acceptet, in hoc nihil mali; dummodo famulus, propter dona, oculos non claudat et heri damna toleret, aut ad alios mercatores divertere omittat, si forte eos fore domino suo magis utiles adverteret.

Ad V. Si revera dominus optime tractetur, et maxime si agatur de rebus pretium fixum habentibus, utique potest famulus (nisi sit domus oeconomus) suae industriae tribuere, si ope pacti specialis aliquod emolumentum (de quo herus non cogitat et oeconomus cogitare deberet) sibi procuret. Sed in praxi res huiusmodi periculi plena est.

Ad VI. Si herus omnino vellet ut famulus ea pecunia pre-

tiosiori uteretur, ei parere deberet. — Si herus de possibili et obvia pecuniae immutatione nihil sciret, famulus illum commonefacere deberet. Si tamen immutatio in usu non esset, et famulus adverteret, hoc modo lucrum aliquod percipi posse, tunc industriâ suâ gaudere posset, nisi forte dominus aegro animo hanc immutationem passurus esset. S. Lig. ( III. 856 ).

485. Casus II. Minister magnam pecuniae summam ( vulgo iacentem ) quotannis a domino accipit, v. g., ut animalia pro colonis emat, vel tributa solvat, vel expensis domesticis consulat. Ille muneribus suis exacte et prompte satisfacit ; sed quando in aliquibus intervallis pecunia inutiliter in capsa remaneret, illâ pro se utitur fructumque perceptum sibi applicat.

Resp. Hic quoque casus est periculi plenus ; in praxi enim ministri avaritiâ excoecati non exacte muneribus suis satisfaciunt et sinunt ut dominorum negotia detrimentum patiantur. Non facile itaque dominorum consensus praesumi potest. Interdum insuper si nempe minister cautionem non praebuerit ) superadditur periculum ne res malevertant, ne scilicet pecunia aliis negotiis applicata non ita sit tuta pro domino, prout esset si in capsa remaneret. — Si tamen pecuniam esse aeque tutam ex constanti experientia pateret, ministrum semper esse promptum, et dominum eius servitio apprime contentum ; tunc domini ipsius consensus praesumi posset, eo quod pecuniae fructum pro iis intervallis neque pro se exigat, neque ministro vetet. — Id certe verum est si dominus videat et taceat ; aut permittat ut minister pecuniam acceptam cum sua confundat.

Caeterum unusquisque videt quod si minister, ultra summam ut supra iacentem, alias summas accumularet, dominum admonere, aut iuxta iam cognitam vel praesumptam illius voluntatem lucrosis negotiis in domini favorem illas expendere deberet.

486. Casus III. Sartor 1° accepto mandato emendi pannum, quaerit voluminum residua aut pannum aliqualiter huc illuc laceratum, ita tamen ut sua industria scissuras evitare et aeque bene vestem conficere possit. Sic solvit minus, sed a domino pretium commune exigit. 2°. Imo fingit pretium adhuc paullo maius, ad tempus, quod in emptione adhibuit, compensandum. 3°. Cum in arte non mediocriter peritus sit, modum novit vestimenta cum minori panni quantitate, quam ceteri, conficiendi ; et quod superest, ut industriae emolumentum servat. 4°. Demum fragmenta sibi retinet. Quid de Sartore isto ?

Resp. Ad I. Si vera sint exposita, non est inquietandus ; dominus enim nullum damnum patitur, nec sartor dictam indu-

striam adhibere tenebatur; cuius proinde fructum sibi applicare potest. Gury (Cas. consc. 563). Secus si dictum pannum a mercatore ei oblatum fuisset, statimque cognovisset scissuras facili negotio evitari posse, tunc enim nullam industriam adhibuisset.

Ad II. A quantitate temporis in hac emptione insumpti decisio pendet. Si temporis dispendium non sit notabile, et speciatim si sartor sponte ad pannum procurandum se obtulerit: tunc nihil exigere potest.

Ad III. Sartores non mediocriter periti maiore prae caeteris mercede compensari solent; et communiter ratio adducta ex hallucinatione procedit. Nihilominus si quis inter sartores suae classis, extraordinariâ de facto habilitate vel industriâ, vestem aeque bonam et solidam cum minori panni quantitate perficeret: non esset inquietandus si, non maiorem aliis mercedem recipiens, industriae suae emolumentum sibi applicaret. Gury (l. c. 562).

Ad IV. Fragmenta et residua magna (quae, v. g., ad thoracem conficiendum deservire possent) certe restitui debent, nisi sartor ius compensationis habeat, eo quod, v. g., dominus mercedem (quantum iustum erit) non sit soluturus. Quoad fragmenta minora, domini partem quidem exigere solent pro casu quo vestis nonnihil scindatur; sed, si sartor aliquam horum partem sibi reservet (tamquam sibi utilem, domino vero inutilem), facile conniventia supponi potest; speciatim si merces aliquantulum minor exigatur; maxime vero si loci sartores communiter ita se gerant, unde dominus aliud neque expectet neque exigat. Cf. Gury (Compend. 615. et Cas. 562).

## § III.

### *De quibusdam contractibus in quibus frequentius iniustitiae occurrunt.*

#### Emptio - Venditio.

#### *De emptione rei furtivae.*

487. Casus I. Titius emit res, quae ei occulte deferuntur; et modo suspicatur, modo aperte cognoscit, illas esse furtivas. — Potestne haec emere? Teneturne ad restitutionem?

Resp. I. Quamvis aliquid occulte emendum deferatur, non statim iudicari debet, illud esse furtivum. Interdum enim agitur

de re vel nemini ablata, vel iure compensationis (cf. n. 349) aut alio legitimo titulo accepta; prout speciatim contingit quoad miseras uxores, quibus mariti ea quae omnino necessaria sunt suppeditare nolunt (cf. n. 364. *Tertius casus*). Si itaque emptor, attenta qualitate venditoris aliisque circumstantiis, credere debeat, verum furtum non intervenisse; tunc absque ulla difficultate emere poterit. Si autem prima fronte graviter dubitet; tunc venditorem interroget; et, quatenus in eius favorem probabile iudicium efformare possit, non erit inquietandus si emat; si enim id esset illicitum, quomodo possent vendere ii, qui ex una parte in vendendi necessitate versantur, et ex alia solum clandestine et in circumstantiis quae suspectum ingerunt venditionem exequi possunt? — Si itaque res occulte delata sive satis certe sive probabiliter furtiva non sit, emi potest. Stante sola probabilitate, inquisitiones fieri deberent; sed istae in facti specie ut plurimum nimiis difficultatibus et incommodis subiiciuntur; quapropter ordinarie sufficiet si emptor sit paratus restituere, si dominus casu detegatur.

II. Si constet de furto; tunc emere non licebit nisi cum intentione restituendi rem emptam domino suo, prout infra melius explicabitur. Secus enim emptor rem alienam domino invito sibi applicaret, aut saltem furta iterandi occasionem praeberet; et quidem haec culpa, supposita materiae gravitate, gravis erit; maxime si, te non emente, alii emptores difficile inveniri possent. — Sed quoad restitutionem distinguendum est. Si enim venditor fuerit filiusfamilias aut uxor, recolendum est quod (ut alibi notavi et ex ipsis Codicibus infertur; v. g., ex Cod. Poen. It. Art. 635) saepe patres et mariti non quoad substantiam sed quoad modum dumtaxat (auferendi nempe sine licentia) inviti fuerunt; saepe etiam, quamvis omnino inviti fuerint ante factum, attamen rebus iam venditis, neque restitutionem neque factae venditionis rescissionem exigunt. De hoc probabile iudicium efformari potest ex circumstantiis, v. g., si pater sit nobilis, dives et non avarus; si filius non sit puer sed adultus; si res non sit pretiosa; si casus non sit frequens; si filius vel uxor valde diligatur; maxime vero si pretium in vestibus aliisque rebus, superfluis quidem sed domum delatis, insumptum fuerit. Quatenus ita sit, emptor ad restitutionem obligari non potest; si enim paterfamilias exigeret ut emptor restitueret, tunc filius molestiis pro pretio recepto obnoxius remaneret; et sic condonatio ei facta ad quid deserviret? (Cf. Lugo XXI. 55). Idem dicendum videtur de rebus emptis a pauperibus, quas per

agros huc illuc suffurati sunt ; domini enim post factum restitutionem exigere non videntur.

Si autem praesumi debeat quod dominus ne post factum quidem condonationem concessurus sit et quod contractum recognoscere nolit (prout ordinarie contingit si agatur de furtis contra extraneos commissis) ; sequentes hypotheses supponi possunt.

A) Si res empta fuerit vili pretio cum intentione eam domino restituendi ; tunc ei comparenti dari debebit ; sed emptor prius (et quidem sub conditione sine qua non) exigere poterit, ut, pro negotio ex eius praesumpta voluntate utiliter gesto, pretium solutum refundat ; non secus ac qui aliquid expendit, ut ab incendio substantias domini absentis salvaret, expensarum compensationem exigere potest. Sanchez (De Matrim. II. XLI. 30). — Et si, factis inquisitionibus, dominus non compareat, quum sit possessor bonae fidei, illam ex integro (agitur enim de re quae dominum amisit) sibi applicare poterit. Tamburini (Dec. VIII. II. VIII. 12).

B) Si res empta fuerit mala fide (nempe sine intentione eam domino reddendi) et apud emptorem adhuc extet ; tunc ille poterit quidem eam restituere venditori ad recuperandum pretium (S. Lig. 570) ; sed, si hoc non faciat, debet rem ipsam domino ad quem clamat reddere, neque pretium solutum (tamquam sibi ex iustitia debitum) exigere potest ; quando enim illam emit, non domini sed suum negotium gessit. Si autem illam destruxisset ; tunc ad valoris restitutionem teneretur. In praxi tamen, propter incertitudinem ne forte fur aut emptores praecedentes restituerint aut restituturi sint, non obligatur ex integro ; sed, pro rata spei harum restitutionum, aliquid sibi reservare potest ; non enim est aequum quod dominus pro uno furto ad pluries ex integro repetitam restitutionem ius habeat *. Id multo magis admitti debet si dominus esset ignotus, et restitutio in manibus pauperum fieri deberet ; tunc enim sufficit quod emptor restituat qua parte, emendo rem vili pretio, factus est ditior ; tota enim ratio cur possessor malae fidei, domino non invento, pauperibus restituere tenetur, est ne hominibus iniquis integrum sit ex alieno ditescere, ut dixi (n. 415).

* Quid enim si res unius aurei valorem habens ad centum malae fidei possessores successive transierit ? Nunquid hi singuli, nescientes quid alii fecerint, aureum restituere debebunt ; et sic efficere ut secreto et causâ non indicatâ (prout solum in praxi ordinarie fieri potest) domino, cui unum ablatum fuit, centum perveniant ? Cf. dicta (n. 112).

(') Emptor malae fidei, si rem vendiderit, erga emptorem furti ignarum de evictione tenetur; non vero si ille quoque rem esse furtivam sciebat. Cod. It. art. 1485. Sed ad quid tenebitur erga dominum? Lessius (XXI. 135) sic distinguit; vel poterat rem domino restituere vel non poterat. Si poterat; illum compensare debebit sicut si rem non vendidisset. Si vero non poterat (prout accidit etiam quoad bonorum ecclesiasticorum revenditores); tunc restituere debebit dumtaxat 1° quatenus ex venditione vel rei fructibus lucratus fuerit et sic ditior evaserit; 2° quatenus venditio effecerit ut res recuperatu difficilior facta fuerit. Ratio est quia tunc de re aliena nihil possideret, et per illam alienationem nihil damni domino intulisset.

Quid si quis rem privatim emerit ignorans (aut leviter dumtaxat dubitans) illam esse furtivam, unde bona fide et sine intentione eandem domino tradendi emptionem perfecerit?

R. Ad nihil tenetur 1° si bona fide illam destruxerit aut vendiderit quin factus sit ditior; 2° si dominum invenire nequeat. — Potest etiam rem venditori reddere ad pretium recuperandum; unde, si in gratiam domini id non fecerit, ab eo (cuius utiliter negotium gessit) compensationem exigere potest. — Ab his casibus praescindendo, non obstante iactura pretii, domino rem suam adhuc extantem tradere debet; res enim ad dominum clamat. Gury (644). Id tamen intellige si satis constet, furem debito suo non satisfecisse, et proinde dominum ius ad rem suam adhuc retinere. Si de hoc dubitaretur, vide dicta (n. 386).

Casus II. Caius in mercatu publico res furtivas emit. Peccatne? Teneturne ad restitutionem?

R. Iuxta novas leges (Cod. It. art. 709. Gallic. art. 2280), qui rem furtivam emit in nundinis vel mercatu, aut occasione publicae licitationis, aut a mercatore qui eiusmodi merces divendit, non tenetur illam reddere domino, nisi pretium solutum ei refundat.

TT. non conveniunt utrum hae leges in conscientia valeant. Commercium tamen valde expeditum et tutum reddunt, et sic probabile est omnino quod iustae sint, et quod proinde subditi etiam in conscientia se illis conformare possint. Oportet tamen ut emptor bona fide procedat aut saltem certitudinem de furto non habeat. Et sub hac limitatione censeo, emptorem non peccare atque ad restitutionem (pretio non recuperato) minime teneri. Quia tamen opinio contraria sua probabilitate non caret, illamque etiam cl. Ballerini (n. 586) tenet, non esset du-

mnandus rei dominus si illam, pretio quoque non refuso, repeteret vel occulte acciperet.

*De venditione mercis vitiatae*

488. Ut venditio mercis vitiatae tamquam iniusta culpari possit, oportet ut dolose peracta fuerit. Haec est regula generalis. Sed specialiter

Quaer. I°. Utrum animalia vendi possint absque ulla vitiorum indicatione, et quidem pretio quod haberent si quovis vitio carerent? R. Affirmative apud nos; haec enim est lex mercatus, iuxta quam omnes, quin ullo modo de improbitate redarguantur, se gerunt. Postea tamen emptor, vitio detecto, actionem habere potest interdum *redibitoriam* (nempe ad contractum rescindendum), et interdum *aestimatoriam* (nempe ad pretium imminuendum); dummodo intra terminum praefixum reclamet. Ita generatim; si enim ageretur de vitio valde periculoso (ut puta, si bos enormiter cornu peteret); tunc, saltem venditione secuta, emptor aliquo modo admoneri deberet ex iustitia.

Quaer. II°. Utrum merces adulteratae aut quomodolibet vitiatae venales exponi possint? R. Si nulli usui deserviant vel damnum dumtaxat allaturae sint, ita ut supponi nequeat aliquem eas exquirere (ut puta, si ageretur de medicinis, carnibus, ovis etc. putridis, de seminibus corruptis etc.), tunc venditioni exponi non possunt. — Si autem alicui usui deserviant; nihil vetat quominus exponantur, dummodo vitium oculis pateat, aut saltem communiter sciatur quod merces, sic occulte adulteratae aut reconditum vitium habentes, etiam a probis mercatoribus vendi solent; tunc enim dolus non adest. Exemplum habes 1° In cera, in telis, in anisis, in oleo, in vino aliisque rebus innumeris sive mixtis sive interdum totaliter fictis. 2° In iis qui vendentes cannabem, fructus, ova, pisces etc., partem deteriorem recondunt et meliorem foris exponunt. 3° In venditione mercis aliquam occultam imperfectionem innoxiam habentis (v. g. calcei ex debili corio confecti), dummodo pretium imminuatur. 4° In scrutariis, et circulatoribus, qui sua ipsa professione palam faciunt, ea quae vendunt defectibus non carere aut valde ambiguae utilitatis esse. 5° Idem dic de venditionibus, quae expresse (prout dicunt) ad saccum ossium fractorum (nempe quin venditor de defectibus teneatur) peraguntur; aut si venditor, pretium enormiter minuendo, rem esse valde defectuosam satis significet, ut puta, si bibliopola librum

habens, in cuius medio aliquae paginae desunt (qui si integer esset, v. g., viginti fr. valeret), illum ad pondus chartae, v. g., pro uno franco vendat. — Si e contra vitium neque sub oculis cadat, neque viri probi soleant talem vel talem defectum eo modo occultare, ut puta, si quis ad emptorem decipiendum in sacci summitate bonum triticum, subtus autem lolio mixtum reconderet; tunc dolus intervenit, et merces sic venales exponere salva iustitia non licet. Interdum tamen aliquis levis dolus ad nihil reduci potest, ut puta, si aquam lacti immisceres quia emptores, te derelicto, ab aliis sic facientibus, minori pretio vel abundantiori mensura allecti, lac emerent. Cf. S. Lig. (n. 820).

Quaer. III. An venditor, qui in mercium suarum expositione irreprehensibilis sit, emptorem non interrogantem admonere teneatur, si forte mercem vitiatam eligat? Huic quaestioni sic optime respondet Lessius (XXI. 91): « Si emptor suo iudicio « fidens aliquam (mercem) ex multis eligat, nihil interrogans, « praeterquam de pretio, non peccat venditor contra iustitiam, « etiamsi occultum vitium non aperiat, modo non vendat supra « iustum, sed detrahat de pretio pro ratione vitii.... Nam ex- « ploratio rei ad emptorem pertinet, nec emptor merito queri « potest de iniuria sibi facta per venditorem, qui vitium non « aperuit; sed, si deceptus est, sibi imputet.... Adverte tamen: « Etiamsi non sit contra iustitiam non monere emptorem, dum « suo iudicio fidit, tamen potest esse contra charitatem; ut si « videat emptorem ex simplicitate decipi, et putet rem ei fore « inutilem quamvis aliis inutilis non sit. Quod si etiam putatur « fore noxia, ratione occulti defectus, videtur quoque ex iusti- « tia teneri aperire defectum....., ut si vendat equum ster- « nacem, oves interno morbo laborantes, tigna vitiosa. Puto « tamen ante contractum ad hoc non teneri, quando emptor « suo iudicio rem emit, ut dictum est; modo illâ post contra- « ctum monitione, omnia damna et incommoda possint caveri ». Dices: Emptor, si vitium cognovisset, minori pretio aut forsan nullo modo rem illam emisset. R. Quid inde? Si hac de causa contractus irritari aut immutari deberent, nihil firmi in commercio esset. Tunc itaque dumtaxat obiectio valet, quando error aut fuerit circa substantiam (ut puta si stamnum pro argento emptum fuerit) aut venditor ita dolose processerit ut veram iniuriam emptori irrogaverit. Lessius (l. c n. 90), Laymann (IV. 17. § 2), Sanchez (De Matr. I. 64. n. 5). Vide speciatim cl. Ballerini (ad n. 777).

Quaer. IV. Quid si petenti mercem puram, aut tali defectu

immunem, aut cuiusdam qualitatis, venditor mercem mixtam, aut eo ipso defectu laborantem, aut diversae qualitatis offerat et vendat?

R. Interdum clare constat quod merx oblata emptori non deservit. Petenti, v. g., oleum ad condiendum; vinum merum pro Missis vel pro infirmo; telam lineam ad sacra indumenta conficienda; trabes pro tecto domus; equos currui aptos; grana cannabis seminanda; ova incubanda etc.; nunquid oleum soli combustioni aptum; vinum lymphatum; tela ex gossypio; trabes fragiles; equi indomiti; grana soli volucrum cibo apta; ova incubationi inepta deservirent? — In his casibus venditor vel det mercem iuxta petitionem, aut contractum declinet.

Interdum e contra satis constare potest quod res oblata aeque deservit. Unus, v. g., dicit: Volo telam; sed eia age sit bona, sit fortis, ex puro lino, optimae qualitatis, et (quod magis interest) parum expendere volo. Pauper dicit: Da mihi libram carnis; sed attende! Sit ex bove, non ex vacca; vel sit vervecis, non ovis, pondus abundans, mantissa bona. Muliercula emens lac caphaeo immiscendum dicit: Cave! Sit purum, non sit mixtum cum serotino, mensuram abundantem mihi praebe. Altera hyemali tempore emens ova ad iusculum conficiendum dicit: Cave! Sint recentia, non sint in infusione servata etc. — In his casibus, quamvis res datae petitioni non correspondeant, facile est quod aeque deserviant et emptor, considerata pretii imminutione aut mensurae abundantia, nihil damni subeat; et tunc venditores non sunt inquietandi; huiusmodi enim emptorum exigentiae ut plurimum vel sunt dumtaxat ad modum precis, vel sunt insulsae et (saltem pro bono commercii quod secus nimis impediretur) non attendendae. Si tamen venditor non esset certus de aequali utilitate et speciatim in rebus alicuius momenti; tunc, si a contractu abstinere aut mercis suae defectum aperire nolit, saltem emptorem implicite commonefacere debet ut sibi caveat, dicendo, v. g., hae sunt merces quas habeo; vide, observa, et quod tibi placet elige. Quoad medicinas tamen cautissime procedi debet. Scripsit S. Lig. (821): « An sit iniustitia vendere quid pro quo, ut solent pharmacopolae, si quod traditur sit aeque vel fere aeque utile? Negant « probabiliter Sporer, Salm., Lugo etc., dummodo exigatur « iustum pretium rei traditae. Ratio est quia tunc non adest « diversitas substantialis quoad finem emptoris. Tamen ut ven- « ditor in hoc excusetur, debet esse certus non dubius de tali « aequitate virtutis ».

Quaer. V. An, quae dicta sunt de merce vitiata, dicenda sint etiam de puella nuptura; an scilicet illa quoque (si non interrogetur) proprios defectus pandere non teneatur? TT. communius dicunt, puellam revelare debere defectus, qui nuptias noxias redderent, ut puta, si morbo gallico laboraret, aut infamis aut perditis moribus imbuta aut sterilis aut ex alio gravida esset etc.: non vero defectus qui nuptias minus appetibiles dumtaxat redderent, ut puta, si puella ab omnibus reputaretur nobilis, ditissima, pulchra, virgo etc., sed de facto plebeia, pauper, deformis, corrupta, vidua etc. esset. Cf. Sporer (286), Salmant. (99), S. Lig. (861) etc. Sed Sanchez (VI. 27. n. 9, et I. 68. n. 8), nulla facta distinctione et ne ipso quidem morbo gallico excepto, censet puellam non interrogatam ad nihil ex iustitia revelandum teneri, et solum posse accidere casus in quibus (sive de primi sive de secundi generis defectibus agatur) sin minus obligari ex charitate, saltem vehementer adhortari debeat, ut vel a nuptiis abstineat durante defectu, vel prius illum patefaciat, ne matrimonium infelicissimum exitum habeat. Sanchezio Trullenchus, Dicastillus, Hurtado aliique non pauci adhaerent. Speciatim quoad casum puellae ex alio gravidae, vide observationes et rationes non spernendas apud Croix (n. 183).

Sed quid si foemina de tali vel tali defectu a viro sponsalia contracturo interrogetur? R. Si agatur de defectu non probroso (ut puta, si vir exquireret an coelebs an vero vidua sit) tunc sincere respondere debet; in negotio enim adeo gravi iuvenis ius habet verum rei statum cognoscendi; et, si puella mendaciter responderet, a gravi dolo excusari nequiret; et, si dolus causam contractui daret, per veram iniuriam sponsum ad matrimonium adduceret. Si autem ageretur de defectu ex occulto delicto proveniente aut aliter probroso, tunc ius ad sinceram responsionem ambiguum redditur; nimis enim durum est quod misera puella propriam infamiam revelare debeat, maxime quando (matrimonio celebrato) ope alicuius artificii vel aliquo eveniente casu defectum occultandi, spem habeat. Id ipsi S. Ligorio (n. 865) probabile visum fuit; scripsit enim: « Sponsa ab alio « corrupta, etiamsi interrogetur a sponso, an fuerit ab alio « cognita, poterit dissimulare et negare per restrictionem non « pure mentalem, respondendo non esse corruptam, subintelli- « gens in communi aestimatione aut ad aperiendum tibi ». Iuvenes interdum sic puellam ficte alloquuntur: — Dic mihi sincere an sis virgo: si defectum sincere fatearis tibi parcam teque eodem modo in uxorem ducam; sed si defectum occultaveris,

et, matrimonio contracto, te virginem non invenero, divortium faciam et repudium tibi dabo =. Puella dicit: = Non sum virgo =. Iuvenis reponit : = Tibi valedico, mulierem enim corruptam ducere nolo =. Quid de hoc casu? Resp. Si fictio facile cognosci nequeat, de iniquissima proditione hic agitur ; et iuvenis ex contractu dolose quidem sed serio celebrato promissioni suae stare tenetur ; ut enim alias dixi : *Verba ligant homines.*

Quaer. VI. An etiam in aliis contractibus venditor de aliquo mercis vitio interrogatus, illud negare possit? R. Dantur casus in quibus venditores ex una parte ius habent merces vitiatas vendendi aut etiam adulterandi, ita ut, considerata vilitate pretii aliisque circumstantiis, in venditione nullo modo peccent ; et ex alia, si faterentur mercem tale vitium habere aut tali modo a se vitiatam fuisse, probro aut gravibus iacturis (propter hominum ignorantiam) exponerentur. Exemplum habes in muliercula quae, ut se indemnem servet (ut paulo supra dixi), aquam lacti immiscuerit ; vel in venditore caphaei (*caffettiere*) qui glandibus, cicere, hordeo etc. caphaeum lacti miscendum adulteret. In his casibus utique non sunt inquietandi venditores, si interrogati negative respondeant. Interdum tamen, si emptor deceptus damnum subiturus esset, venditionem declinare deberent.

Si autem, quin ullum probrum aut damnum subeant, defectum patefacere possint, ut puta, si interrogarentur an tela colorem persistentem habeat, tunc sola causa venditionem peragendi ordinarie non sufficit, ut contra veritatem respondere possint. Dixi *ordinarie ;* observandum est enim 1° Quasdam interrogationes esse adeo insulsas simulque frequentes, ut responsio falsa communissima evaserit iamque comoediam sapiat nihilque significet. Exemplum habes in mulierculis petentibus an lac sit serotinum, quibus ad unum omnes respondent, esse matutinum. 2° Qualitatem etiam personarum considerari debere ; venditores enim infimae notae (v. g., qui merces in platea vendunt) adeo frequenter mentiri solent, ut eorum mendacia (quamvis forte mille iuramentis firmata) iam neminem decipiant, et sic naturam doli et fraudis vix habere possint. Cf. Gury (n. 897).

489. Haec prae oculis haberi debent etiam quoad alia mendacia non solum venditorum, sed etiam emptorum et proxenetarum. Venditores supra meritum rem laudant, et falso dicunt, v. g., sibi plus valere, vel tale pretium eis oblatum fuisse ab aliis nec vendere voluisse etc. Emptores e contra rem vituperant, fingunt necessitatem emendi non habere, vel ab aliis minori pretio emere potuisse et noluisse etc. Proxenetae demum

fingunt, mercem illam optime esse sibi notam; et apud emptorem dotes, apud venditorem autem vitia exagerant etc. etc. S. Lig. (n. 805) dicit: « Communiter non praestatur fides mendaciis vendentium, dum satis noscuntur haec esse communia « stratagemmata; unde ipsi regulariter non tenentur ob id ad « restitutionem ». Sed addit sequentem limitationem: « Si aliquando venditor certe animadverteret emptorem mendaciis « credere et ideo maioris emere, tunc quidem ab iniustitia is « non est excusandus »; quae quidem limitatio reperitur etiam apud Bonacinam (De Contract. q. II. p. 4. n. 31). At vero (dummodo merx non ultra commune pretium vendatur) haec limitatio passim excluditur ab aliis Theologis, inter quos Salmant. (II. 84) dicunt: « Homines communiter norunt haec esse « stratagemmata negotiatorum, quibus fidem non praestant: « et, si fidem incaute praestent, sibi imputent. Sic Trullench, « Rebellus, Bonacina; licet hic auctor quamdam limitationem « adhibeat, quam merito non admittit Trullench ». Cf. Reuter (n. 160), Gury (Cas. conse. n. 965), Croix (n. 956).

490. Quandonam ergo (dices) vera fraus veraque iniustitia et onus restitutionis propter mendacia in contractibus aderit? R. Quando aliquod damnum subsistat, et mendacium tale sit, ut etiam persona prudens (consideratis circumstantiis) decepta remanere debuisset. Cf. Gury (Cas. conse. 928. 940. 965).

Quaer. VII. An venditio mercis occulte vitiatae possit esse invalida; et ad quid teneatur venditor, eâ peractâ?

R. Si vitium sit substantiale, ut puta, si candelabrum ex aurichalco tamquam aureum emptum fuerit; aut si illud vitium ad modum conditionis sine qua non exclusum fuerit; tunc venditio est nulla; neque interest utrum dolose an vero bona fide venditio peracta fuerit.

Si vitium fuerit quidem accidentale, sed dederit causam contractui, ita ut, si cognitum fuisset, emptor non emisset; tunc si venditor dolose processerit, contractus quidem est validus (ut patet a matrimonio sub tali dolo celebrato), sed rescindibilis si emptor illum rescindere velit, quo casu venditor ad id tenebitur sub gravi vel sub levi secundum quod graviter vel leviter emptori interest ut rescindatur. Ordinarie, re iam tradita, si pretium iustum fuerit, obligatio huiusmodi levis erit.

In aliis autem casibus contractus tenet et rescindi nequit. Attamen venditor tenetur 1° restituere excessum pretii, si forte (attento eo vitio) res tanti non valebat, et ultra summum pretium vendita fuerit. Idque valet quamvis venditor bona fide

processerit; 2° Si vero dolose processisset, tunc, quamvis pretium non fuerit ultra summum, tenetur aliquid restituere, si forte emptor, secluso dolo, minori pretio rem emisset aut ab aliis emere potuisset. Tenetur etiam 3° compensare damna, si quae emptori, ex rei vitiatae usu, prout praevidendum erat, obvenerint. Cf. cl. Ballerini (ad n. 777), et Cod. It. (art. 1502).

### *De pretio*

491. Quaer. I. Quales sint principales pretii distinctiones?

R. Distinguitur imprimis in *legale* et *vulgare*. Legale publica auctoritate taxatur (prout accidit, v. g., in venditione panis, salis, tabaci etc.). Qui merces huic pretio subiectas vendunt, ad restitutionem tenerentur, si propria auctoritate pretium augerent, seu (quod in idem recidit) merces adulterarent aut in pondere emptores fraudarent.

Pretium vulgare subdistinguitur in *fixum* et *conventionale*.

Fixum dicitur, non quatenus immutari nequeat, sed quatenus idem cum omnibus servatur. Usuvenit speciatim in apothecis, ubi res minutatim venduntur. Iniustitia tunc quoque contingit si in pondere, mensura, aut rei qualitate, modo hic modo ille fraudetur, vel si merx valde deterior evaserit et nihilominus, pretio et pondere non immutato, aliquibus tradatur.

Pretium conventionale contingit quando, eo quod fixum non sit, contrahentes singulis vicibus illud determinant.

Distinguitur etiam in *currens* et *exceptionale*. Currens est illud, iuxta quod merces eiusdem qualitatis eo tempore communiter emuntur. Exceptionale est, quod in quibusdam circumstantiis extraordinariis a pretio currenti dissidet, et nihilominus iustum reputatur.

Demum pretium conventionale currens maiori vel minori latitudini (quin iniustum evadat) subiicitur; unde subdistinguitur in *summum*, *medium* et *infimum*. Haec latitudo in rebus, quae passim inveniuntur, frequenter venduntur, et facili negotio optime cognoscuntur, exigua est; in aliis vero (maxime si ementes diversissima pretia offerre soleant, vel occasio illas vendendi rarissime occurrat) magna vel maxima esse potest. — In primo casu a fere omnibus; in secundo a solis peritis pretium aestimari potest. Cf. Gury (Cas. n. 926. 956).

Quaer. II. An semper licitum sit emere et vendere pretio currenti? Affirmative; nec obstat 1° Si illud sit irrationabile, prout apud Indos specula, tintinnabula etc. plurimi aestimaban-

tur. Salmant. (XIV. II. 99). 2° Si in ignorantia fundetur, ut puta, si venditor sciat brevi esse imminuendum. Tunc tamen charitas exigere potest ut non uni dumtaxat magnam mercium copiam vendas. Lessius (XXI. 43). Idem dic si aliquid a peritis communiter parum aestimetur, sed emptor peritissimus magnum valorem rei illi inesse dignoscat, ut schola nostra Faventina docet. Idem dic a fortiori si emptor bona fide vili pretio rem emerit credens non esse pretiosam, dum a peritis quoque talis aestimaretur, quamvis aliquis peritissimus forte aliquando illius valorem deprehendere posset. Reuter (161), Gury (Cas. 925). Non obstat 3° Si ex hominum malitia pretium causatum fuerit, v. g., propter notitias falsas, vel quia mercatores merces indigenas alibi exportaverint et exterarum introductionem impediverint, vel quia divites vendere nolint, vel demum quia aliqui monopolium fecerint. Ita (contra alios) Salmant. (l. c. 57), Reginaldus, Bonacina, Diana et D'Annibali (II. 438. not. 25). Non obstat 4° Si circumstantiae quae rei pretium imminuunt contra emptorem non militent; ut puta, si merx vitiata ei aeque deserviat, vel si difficilis exactionis creditum (quod minoris emit) ab eo facillime exigi possit.

Quaer. III. Quibus in casibus pretium exceptionale, absque laesione iustitiae, locum habere possit? Resp. Casus magis practici sunt sequentes.

A) Si emptores fortuito casu (v. g., occasione festivitatis, spectaculi, transitus militiae etc.) crescant; tunc enim pretium elevatur. E contra, si emptores deficiant, pretium quoque imminuitur.

B) Si agatur de merce ultronea; si nempe venditor privatum emptorem quaerat, mercem ei offerat illumque roget ut emat. Id enim indicat, emptores, qui eo modo (nempe statim) mercem illam emere velint, esse paucos; et sic (iuxta effatum: *merx ultronea vilescit*) pretium imminuitur. Caietanus dicit pro tertia parte, alii usque ad dimidium et forte magis. Sporer (V. 12). Minori itaque pretio emi potest; idque speciatim si emptor re illa non indigeat, et, emendo, incommodum subeat. Neque obest si venditor sit pauper et propter necessitatem vendere quaerat. Gury (893). Charitas tamen tunc suadere potest, ut currenti pretio res ematur. Notant Salmant. (II. 103) quod merces a clamantibus per vias divenditae, quodam modo tamquam ultroneae considerari, et ideo minoris emi possunt.

Idem dic si obiectum propter aliquam qualitatem aestimabile vendi velit ei, cui eadem qualitas nihil aut fere nihil deservit.

Hinc aurifabri iuste (saltem ut plurimum) solum pondus argenti vel auri considerant, si quae eis emenda deferantur. Gury (Cas. n. 907).

C) Si emptor non publicum venditorem sed hominem privatum et venditioni non dispositum roget ut ei aliquid vendat. Tunc pretium crescit, speciatim si emptor non ex necessitate, sed ad solum lucrum vel oblectamentum (vulgo *ben mi stà*) rem illam exoptet. Sic iuxta sensum communem, contra TT. plurimos, docet Gousset (840), a quo vix elongatur Sporer (V. 25) inquiens: « Certe non indigenti et libere volenti sic excessive emere non fiet iniuria, ideoque, nisi repetatur, venditor « pretium acceptum iuste retinebit ». Cf. Scavini (393. not. 2).

Sedulo tamen notari debet quod sicut propter mercem ultroneam, ita etiam propter *ben mi stà*, variat quidem pretium sed non indefinite. Quodnam sit iustum pretium in his quoque casibus ordinarie saltem a peritis intelligi poterit.

D) Si pretium sit aleatorium; si nempe ambo contrahentes quanti res valeat ignorent, et, scientes se id ignorare, aliquod pretium determinent et sorti se committant.

Dixi *scientes se id ignorare;* aliud enim esset si ex ignorantia crederent mercem tanti valere, dum longe plus vel minus valet. Salmant. (II. 88).

E) Si res empta quidem fuerit infra pretium infimum, sed a venditore perito. Interdum enim mercatores, quia pecunia ad debita solvenda indigent, aut quia alias merces emere volunt, aut quia iam satis lucrantur et adventores allicere satagunt, aut quia alicui adventori favorem specialem facere intendunt etc. aliquas merces vilissimo pretio vendunt; unde, si venditor sit peritus (ut dixi), praesumi debet quod non ex errore sed libera voluntate sic vendat. Aliunde, dato etiam casu erroris, mercatores illum sibi imputant, nec restitutionem ab emptoribus exigunt. Adde quod saepe pretium videbitur quidem infra infimum, sed, propter occultum mercis vitium, tale non erit. Rarus etiam erit casus in quo emptor peritus, si forte ultra summum pretium aliquid emerit, restitutionem a venditore exigat, nisi ab eo veri nominis fraude circumventus fuerit. Si itaque haec duo concurrant, nempe quod fraus absit et quod contrahentes sint periti, generatim (saltem post factum) neque emptor neque venditor inquietari debet, si forte pretium vel summum excesserit vel ad infimum non pervenerit. Hinc scripsit Laymann (XVII. 6): « Si contrahentes sciant iustum mercis valorem, atque sine cogente necessitate, nulla item vi aut fraude

« interveniente, supra aut infra iusti pretii limites contractum « emptionis et venditionis celebrent, donationem praesumendam « esse : idemque sentiendum de locatione aliisque contractibus o- « nerosis. Nam universim si quis sciens se non debere, aliquid « solvat, donare censetur : quare tamquam indebitum repetere « non potest ». Cf. Tamburini ( VII. § XI ). Hinc libri veteres, mobilia non nova, res antiquae etc., quae apud veteramentarios reperiuntur, vilissimo pretio, quamvis longe pluris valeant, emi possunt. Gury ( 900 ).

Aliud dici deberet si contrahens peritus non esset, ut puta, si puer, mulierecula, rudis etc. pro gemma, vel pictura, cuius pretiositatem ignorat, quid minimum exigeret. Cf. Gury ( Cas. 781. 930 ).

F ) Si venditio publica licitatione ( vulgo *all' asta* ), aut quomodolibet per emptores simul concurrentes perficiatur. Tunc enim forum speciale constituitur ex illis qui parati sunt rem statim emere, et ex eorum oblationibus pretium efformatur, et summum erit illud quod a magis offerente dabitur. Ita ex legibus et consuetudine. Cf. Bonacina ( III. IV. 21 ), S. Lig. ( 808 ), Gury ( Cas. 856 ), Cod. It. ( Art. 1536 ). — Quia tamen interdum licitantes fervore excoecati aut necessitate coacti enormissima pretia offerunt ; multi censent laesionem, iusque proinde compensationis tandem aliquando locum habere posse. Cf. Lugo ( XXVI. 45 ).

G ) Quae in apothecis, tabernis, diversoriis etc. minutatim emuntur, magis valent ; minus e contra si in magna quantitate emantur. Hinc librarii, qui, alicuius defuncti bibliothecam ementes, libros novos sicut alios tenui pretio emunt, non sunt inquietandi. Gury ( Cas 927 ).

H ) Mercatores, ut summum pretium obtineant, aliquid supra summum petere solent. Si emptor nulla interiecta difficultate pretium petitum praebeat, non erit inquietandus venditor si illud recipiat, dummodo differentia sit exigua et in pondere vel mensura, si fieri possit, abundet. Secus, se errasse et minori pretio rem illam dare posse, fateri deberet.

I ) Ut dixi ( n. 487 ), in venditione animalium, vitiis non patefactis, pretium statuitur remanente postea iure reclamandi. Si forte emptor intra debitum tempus non reclamet, venditor non erit inquietandus si pretium, de quo conventum fuit, retineat aut exigat.

K ) Generatim probatae commercii leges, iuxta diversos vendendi modos, notabiles diversitates in pretiis iuste constituere

possunt; sic v. g., quoad libros, aliud est pretium associationis et catalogi; aliud quo venduntur librariis; aliud quo librarii per speciales conventiones privatis vendunt etc.

L) Pretium iuste variare potest si pacta specialia superaddantur, v. g., ut carnes, pisces etc. pretio fixo per totum annum tradantur; ut pretium non statim sed vulgo *a respiro* solvatur; ut merces ad talem locum transvehantur etc.

M) Si donatio admisceatur; ut puta, si mercator consanguineo, amico, benefactori, superiori etc. infra pretium minimum aliquid vendat. — Idem dic de rebus emptis a circulatoribus: qui enim ab illis unguenta, pulveres etc. immodico pretio emit, intra se dicit: sive vera sive falsa haec sint, sive valor adsit sive non adsit, hoc pretium solvere contentus sum.

N) Si venditor ex venditione speciale damnum seu cuiuslibet speciei sacrificium subeat. Id tamen intellige si rogetur ut vendat, non vero si ultro rem suam venalem exponat, ut recte notant Salmant. (II. 89).

Quaer. IV. An pretium exceptionale locum habere possit, quia venditor mercem maiori pretio emerit, vel subierit maiores sumptus, quam vulgo alii subeant; vel quia, propter speciale infortunium sibi obventum, si mercem currenti pretio venderet, nihil lucraretur aut etiam iacturam faceret?

Resp. Negative. Gury (901. 4).

Quaer. V. An pretium sit iniustum solum quando infimum non attingit vel summum excedit? R. Negative, sed etiam quando contrahentes fraudibus aliisve mediis iniustis efficiunt, v. g., ut emptor emat pretio summo id quod medio aut infimo emeret; vel ut venditor pretio infimo vendat id, quod fraude seclusa medio vel summo venderet; tunc enim etiam verum damnum iniuriose causatum subsistit. — Oportet tamen ut non mendacium dumtaxat sed vera fraus intercedat, iuxta dicta (n. 489). — Hinc ab iniustitia excusari nequeunt mercatores, qui dona famulis largiuntur, et sive donorum ipsorum magnitudine sive aliis signis eos impellunt non solum ut illorum negotium frequentent (in quo nihil mali esset), sed etiam ut muneri proprio deficientes absque ulla difficultate pretio summo semper consentiant. — Iniusti quoque esse possunt, qui aliquid pretio infimo emere volentes, fictos oblatores adhuc minus offerentes praemittunt; haec enim industria, nisi in eo venditionis genere vulgare stratagemma evaserit et nisi venditor sit valde peritus, a fraude damnosa excusari nequit. — Restitutio autem generatim iuxta pretium medium metiri debebit.

Quaer. VI. An monopolium sit contra iustitiam?

R. Quatuor modis monopolium contingere potest.

Primus : Si respublica alicui concedat privilegium ut solus aliquod mercium genus vendat ; et tunc licet.

Secundus : Si mercator impediat ne ab aliis mercatoribus merces advehantur, ut penuria in civitate maneat et sic ipse maius lucrum faciat. Tunc videndum an vi aut fraude introductionem impediat, quo casu tum erga cives tum erga mercatores ad restitutionem tenetur ; an vero solis precibus impediat, quo casu probabiliter ad nihil tenetur. Cf. supra dicta n. 422, et Lessium XXI. 153). Tenetur etiam ad restitutionem erga cives, si falsas notitias spargeret, ut suarum mercium pretium elevatum maneat. S. Lig. (815).

Tertius : Si venditores inter se conspirent ut solum tali pretio vendant. Tunc si conveniant vendere ultra summum pretium, iniusti sunt. Secus si pretio iusto vendere decernant, sive medio sive etiam summo. Idem dic de emptoribus, vel operariis et artificibus qui inter se conveniunt de non emendo, vel de non locando operas suas, nisi tali pretio. S. Lig. (817).

Quartus magisque practicus : Si unus vel pauci mercatores magnam sive tritici, sive uvae, sive fabae sive alterius generis frugum quantitatem emant, ut postea magno pretio illas vendant? R. Lessius (l. c. 151), Croix (946), Molina et alii non pauci (contra plures) censuerunt, hoc modo iustitiam non violari ; ementes enim non prohibuerunt quominus alii emerent et sic nemini iniuriam intulerunt. Si postea res emptas reservent, illasque tempore eis magis convenienti vendant, iure suo pariter utuntur : et sic non apparet qua ratione iustitiam violent. Id maxime diebus nostris verum erit, quum, propter viarum facilitatem, merces ex aliis civitatibus accersiri possint, et sic monopolia perniciosa, quae rerum pretia notabiliter vexent, vix possibilia evaserint.

Quaer. VII. An in publicis licitationibus venditor sit iniustus si fictos licitatores immittat ut pretium augeatur ; et e contra an licitatores sint contra venditorem iniusti, si vi et fraude, aut precibus, aut ope pecuniae alios licitatores avertant, vel cum iisdem (prout nunc communiter fit) conventionem ineant non augendi pretium, ut postea inter seipsos lucrum dividant?

R. Venditor (exceptis casibus in quibus, prout hodie saepe usuvenit, palam cum aliis licitatoribus concurrit) tacite se obligat ut rem magis offerenti adiudicet, quin ipse clandestine concurrat ; si enim concurreret, tunc magis offerens aut rem

non haberet, aut illam iniuste auctam obtineret. In hoc conveniunt TT. communissime. — Attamen si venditor sciret, licitantes aliquid in eius damnum clandestine moliri ; tunc ipse quoque posset per auctionarios a se missos clandestine sibi providere, ut monopolium inutile reddat seque ab illa vexatione liberet. Idem dic si in loco esset usus tales auctionarios mittendi, ut emptorum monopoliis iam nimis frequentibus obex opponatur. Audio autem, hanc cautelam absque ulla nota passim adhiberi. Hinc scripsit Scavini ( II. 405 ): « Inspecto modo quo hodie « licitationes fieri solent, non tam facile est damnandus vendi- « tor, qui per se vel per alios licitaretur ». Idque maxime verum est si licitatio sit coacta, et non a domino sed auctoritate publica fiat. Gury ( 909 ).

Licitatores qui alios a licitando avertunt, si vi et fraude utantur, semper erunt iniusti contra illos, et etiam contra venditorem qui a parte sua sincere procedat. — Si aliqua dumtaxat exigui influxus prece utantur; tunc iniusti nullo modo censentur. In his conveniunt TT. communissime. — Si autem ope pecuniae aliisve mediis, ut ut in se non iniustis, attamen valde allicientibus aut ( promissione non licitandi vel non augendi pretium iam obtenta ) valde cogentibus, uterentur : tunc alia distinctio fieri debet. Si venditor, sive determinando pretium infra quod rem suam dare non vult, sive per se ipsum vel per alios licitando, sibi consuluit ne pretium nimis descendat; tunc iniustitia non adest si etiam licitatores, pacta inter se statuendo, sibi consulant ne pretium nimis ascendat. Ita TT. non pauci, v. g., Gousset ( 843 ), Scavini ( II. 405 ), Gury ( 910 ), Bouvier etc. Neque dissentit S. Lig. ( 808 ). Si e contra venditor periculo vendendi rem suam quocumque vilissimo pretio expositus remaneat ; tunc licitantes certe iniusti sunt, si conveniant ut pretium infra infimum privatae emptionis descendat ; illi enim licitationem impediunt eiusque naturam pene destruunt ; et sic utilitate iuste emendi infra infimum gaudere non possunt. Si autem in pretium iustum, quamvis infimum, conspirent ; tunc nonnulli Auctores, cohaerenter supra dictis ( q. VI ), illos ab iniustitia excusant. Cf. Lugo ( XXVI. 45. 172 ), Navarrum apud S. Lig. ( 808 ), cl. Ballerini ( 910. not. *b* ), D' Annibali ( II. 436. not. 4 ) et Diana ( VI. III. 73 ). — Ita quidem TT. ; sed leges in illos, qui sive vi sive ope pecuniae licicitatores arcent, severis poenis animadvertunt. Cod. poen. Art. 402. De conventione autem non augendi pretium , quid iuxta leges civiles dici debeat, vide Scavini ( l. c. not. 2 ).

Quaer. VIII. Quid de illis, qui ad publicas licitationes concurrere minitantur, aut reapse concurrunt, non iam ut res eis adiudicetur, sed ut a veris licitatoribus pecunia eis (ut recedant) offeratur; vel ut in damnum alicuius pretium augeant?

Resp. Hos neque a vera fraude neque a restitutionis onere, saltem si periculo ut res eis adiudicetur non exponantur, excusari posse censeo. Cf. *Monitore Eccles.* (V. II. pag. 43).

Quaer. IX. Quomodo determinanda erit restitutio quando aliquid pretio iniusto venditum vel emptum fuit?

R. Videndum imprimis an bona vel mala fide contractus locum habuerit. — Si bonâ; tunc (nisi praescriptio intercesserit) emptor supplere debet pretium usque ad infimum, et venditor restituere debet quidquid ultra summum percepit. De fructibus autem interim perceptis neuter tenetur (Cf. n. 390). — Si vero contrahens mala fide processerit, tunc tenetur etiam de fructibus, qua parte excessui percepto correspondent. Tamburini (L. 8. Tr. 3. c. 8. n. 1). Si demum non solum malam fidem sed etiam fraudem adhibuerit; tunc restitutio ordinarie iuxta pretium medium taxari debebit, ut dixi (Q. V).

Verum est quod in foro externo non datur actio, nisi in favorem *venditoris* obiecti *immobilis*, et quidem pro solo casu in quo laesus fuerit *ultra dimidium* iusti pretii et *recurrat intra biennium* (Art. 1529); sed in conscientia obligatio est ut supra, iuxta omnes. Cf. Laymann, Salmant. etc.

Quaer. X. Quid de illis qui ad pretium solvendum monetis falsis utuntur?

Resp. Si bonâ fide moneta falsa expendatur; tunc Lugo (XXVIII. 6) sic dicit: « Eum, qui bona fide monetam falsam « expendit non factus ea de causa locupletior (*quia scilicet « ex contractu oneroso illam acceperat et pro eodem valore « per contractum etiam onerosum expendit*), tunc solum teneri « ad restituendum, quando is cui ipse pecuniam illam solvit « passus est detrimentum aliquod; si enim nullum detrimen- « tum passus est, quia ipse etiam bona fide eam expendit, et « solvit personis ignotis, quibus restituere non tenetur, quia « nescit an ipsae etiam detrimentum passae sint; liber erit e- « tiam ille primus ab onere restituendi ». E contra dicunt Salmanticenses (XIII. I. 90): « In omnium sententia nemo potest « monetam falsam, quam cum errore accepit, aliis in pretium « rei scienter tradere, quia error unius alteri nocere non po- « test ». Sed quid si hoc nocumentum non sit verisimile vel omnino non subsistat, eo quod, v. g., falsitas difficillime di-

gnoscatur iamque per manus innumeras moneta illa transierit. aut venditor scienter illam accipere consentiat, aut non in debiti solutionem sed in donum vel eleemosynam tradatur, aut demum priori domino restituatur? R. Quod priori domino restitui possit, ambigendum non videtur; quod autem cursus commercialis, absque damno immediati contrahentis, ei relinqui queat; id certe legibus civilibus severissime interdicitur. (Cod. poen. art. 316). Attamen TT. in hoc quoque casu iniustitiam propter solum damnum immediati contrahentis recognoscunt. et notant dumtaxat adesse posse reatum contra charitatem eo quod non deerunt in posterum qui malo animo illam monetam falsam pro bona expendent, et probabiliter tandem aliquando aliquis eam expendere nequibit et sic damnum subibit. Sporer (V. 163) scripsit: « Quid si quis nummum adulterinum, v. g., « talerum plumbeum, alteri donet, vel det, quem scit eo animo « accipere, ut alterum decipiat? R. Eum peccare, eo quod co- « operetur ad falsationes multas inde secuturas, saltem peccato « scandali; *non item iniustitiae* ». Idem dicit Laymann (III. I. 5. 5). Ratio est quia venditores, circa monetam falsam ab emptoribus acceptam, non solent esse inviti, nisi quando illam expendere nequeant aut nolint; tunc enim dumtaxat damnum subirent.

Quaer. XI. Quid de venditore, qui non nisi pretium infimum obtinere potuit, et proinde aliquid in pondere vel mensura detrahit? R. Quum emptor, conveniendo de pretio infimo, iure suo usus fuerit; venditor in casu iniustus est. — Attamen aliqui contradicunt, dicentes adesse infidelitatem sed non iniustitiam. Cf. Salmant. (XIV. II. 82).

Quaer. XII. Quid si in contractus executione bona fide error intercesserit, v. g., emptor non tantum solverit quantum solvere debebat? R. Ordinarie error reparari debet ex iustitia; maxime si, eo non reparato, laesio locum habeat, et inter datum et acceptum aequalitas non amplius subsistat. Dixi *ordinarie;* si enim agatur de erroribus, qui ex scripto non patent, sed. v. g., in numeratione pecuniae acciderunt; mercatores ut plurimum, postquam emptor discessit, nihil scire volunt, et reparationem neque dant neque exigunt. Aliqui etiam malunt potius aliquod damnum subire, quam de errore moneri.

Quaer. XIII. Utrum ille, cui aliquid traditur vendendum, possit sibi aliquid ex pretio retinere, si vendat rem pluris quam ei a domino praescriptum fuit? R. Si dominus pretium summum statuerit, et res supra hoc pretium vendita fuerit, tunc ex-

cessus emptori restitui debet. Si autem pretium statutum fuerit infimum aut medium; tunc venditor excessum retinere poterit in tribus casibus. Primus: Si considerari debeat tamquam fructus suae industriae specialis, ut puta, si rem meliorem reddiderit, vel ad alias civitates advexerit etc. Secundus: Si suo labori debeatur; eo quod neque famulus sit, neque pro incommodo suo compensationem recipiat, neque circumstantiae persuadeant quod ille gratis opus suum praestare intendat. Tertius: Si dominus expresse ei dixerit: si quid amplius receperis, tuum erit. Idem dic si ex aliis indiciis satis pateat, hanc esse illius voluntatem. Si vero dominus indicaverit quidem suam esse intentionem ut res non vendatur minoris, sed non ut venditor sibi retineat excessum, quem forte obtinere poterit; si insuper hic excessus neque eius speciali industriae neque in compensationem sui laboris debeatur: tunc idem excessus ex iustitia non venditori sed domino debetur. Salmant. (II. 73), Palao (V. XVI) aliique communiter.

Hinc caupo, qui mercede conductus vinum tali pretio, quod dominus taxavit, vendere debet; si, aquam aut vinum deterius adiungens, eodem pretio illud vendat, poterit quidem non esse iniustus erga emptores, sed maius lucrum inde perceptum non sibi applicare sed domino ex iustitia dare debet.

Quae dicta sunt de iis qui vendunt pro aliis, dicenda sunt etiam de illis qui pro aliis emunt.

Quaer. XIV. Quid de illis, qui, postquam tempus solutioni praefixum iam advenerit, moras trahunt?

R. Si non solvant, quamvis solvere possint; tunc non solum ad solvendum, sed etiam ad reparanda damna ex mora culpabili subsecuta, tenentur; et, si haec damna non nisi modo confuso aestimari possint, auctario legali standum erit (Cod. civ. Art. 1231). — Si autem solvere non possint; tunc videndum an cum creditoribus de mutuo cum auctario convenire queant; an paullatim satisfacere possint etc.

Quaer. XV. Quid de cessione bonorum?

R. Circa bonorum cessionem, circa illum scilicet qui omnia bona et iura sua creditoribus cedit, haec pauca teneto.

I. Potest esse 1° criminosa (*bancarotta frodolenta*); 2° culpabilis (*bancarotta semplice*); 3° inculpabilis (*fallimento semplice*). Est criminosa, si debitor absque vera necessitate foro cesserit et proinde bona occultaverit aut debita simulaverit et sic se decoctum finxerit. (Cod. di Commerc. Art. 703). — Est culpabilis, si bonis cedere coactus fuerit quia nimiis expensis sive

personalibus sive domesticis indulserit ; vel sorti et periculis nimis se commiserit ; vel malam et negligentem administrationem tenuerit etc. (Art. 698-701). — Est inculpabilis, si ex mero infortunio bonis cedere debuerit.

II. « Duo privilegia seu commoda consequitur qui bonis ces-« sit. Primum est quod liberatur a carcere, nec amplius potest « molestari. Secundum est quod, si postea aliqua bona acqui-« rit, non spoliatur omnibus iis bonis, sed solum convenitur « in quantum commode facere possit, et relicta ei pauca qui-« dem sed congrua sustentatione (*dicente glossa : illum teneri « solvere, deducto tamen semper ne egeat*) ; quod etiam in « conscientiae foro locum habet, cum sit privilegium iure con-« cessum » Ita Lugo (XXI. 36), cui S. Lig. (699) Trullenchum referens consonat. Quum autem raro accidat quod bonorum cessor postea accumulet plus quam ad congruam sustentationem (seu ad decentiam sui status) sufficit, hinc ad illa debita antiqua ex integro solvenda difficile tenebitur ; unde, quamvis postea res eius sat bene vertant, creditores nihil amplius exigere solent. Si tamen de facto ad fortunam adeo pinguiorem veniret, ut congruae sustentationi superflua haberet ; tunc debita ex integro solvere in conscientia deberet, nisi creditores plenam et absolutam condonationem ei fecissent, quae in concordatis modo ordinario executis non subintelligitur. Ita dicunt TT. communissime.

III. Ut debitor a reliqua debitorum parte solvenda, quemadmodum explicavi, eximatur, oportet ut in bonorum cessione sincere processerit ; si enim bona abscondisset aut aliis modis (Cf. Gury Cas. 728-731) *fraudulenter* se gessisset, tunc nec leges nec creditores eum ullo modo absolverent. Hodie leges (saltem in multis locis) iam provident, ut bonorum cessori vestes, instrumenta artis et mobilia stricte necessaria, ad usum relinquantur (Cod. Comm. Art. 564) ; imo ut ex eius bonis alimenta ei eiusque familiae suppeditentur (Art. 582. 613) ; unde, si ille clandestine bonorum suorum partem occultasset, iam subsidia bis reciperet et cessionis fraudulentae reus esset (Art. 703), nulloque beneficio frui posset (Art. 621. 652). Id tamen intellige, nisi de re exigui momenti, quae cessionem graviter non vitiet, agatur : tunc enim creditorum conniventia praesumi potest. Idem dic si leges aut legum executores nullo modo aut perperam providerent ; et proinde cessor ea, quae absolute sunt necessaria (iudicio viri prudentis) ad tenuiter vivendum, spectata conditione suae personae et eorum quos alere tenetur,

abscondere posset, ut dicunt TT. communissime. Tunc enim ius naturae subintrat, atque insuper praedicta conniventia supponi debet: sed non semper in eodem gradu, quatenus creditores ad largius indulgendum erunt proni, si debitor ex mera infelicitate bonis cedere coactus fuerit. Cf. Lessium XVI, 42), S. Lig. (699), Gousset (772), Gury (Cas. 727), et Scavini (II. 630), qui ait: « Iure naturae potest sibi aliquid clam retinere, « si certo videat quod pars sibi assignanda insufficiens sit sui « suorumque necessitatibus: et, si iis omnino indigeat, potest « iudici interroganti respondere se non habere (quod nempe « teneatur cedere. S. Lig. III. 158). Ceterum in hac re caute « procedendum; quia plerumque bonorum cessores suas neces- « sitates plus nimium exaggerant, nunquam contenti ».

Observari potest demum quod debitor bona cedentis, cessione facta, erga creditores debitor evadit, eisque proinde et non bona cedenti debitum solvere debet; nisi forte agatur de re parvi momenti, et magnae bona cedentis inopiae provisum non fuerit. Gury (Cas. 728).

### Mutuum

492. Mutuum est contractus quo mutuans dat mutuatario pecuniam vel triticum vel quidquid aliud primo usu consumptibile, cum obligatione tantundem reddendi; et ordinarie, si agatur de pecunia, cum auctario (vulgo *frutto*, *interesse*). — Alicubi, v. g. in Gallia auctarium exigitur non solum pro pecunia, sed etiam pro aliis rebus mutuatis. — Hic contractus modo iuste, modo iniuste perfici potest.

493. Ad dignoscendum in praxi an hoc vel illud mutuum iustum sit, regula suprema a sensu communi timoratorum desumitur. S. Congr. S. Officii (26 Mart. 1840) in quodam responso dixit: « Expendat facti circumstantias et praxim quae « vigebat apud viros timoratae conscientiae et provideat ». Cf. *Monitore Eccles.* V. I. pag. 400.

494. Speciatim quoad obligationem mutuatarii tantundem reddendi, si agatur de tritico, vino et similibus, haec regulariter (nempe praescindendo a pacto speciali) in suo esse materiali considerantur, et proinde in eadem quantitate et qualitate restitui debent; nec respicitur an pretio creverint vel decreverint. (Cod. civ. Art. 1823). Si tamen mutuatarius rem acceptam in natura reddere nequeat, tunc eius valorem reddere debebit. Valor autem aestimatur iuxta pretium rei tempore et loco re-

stitutionis, et si de tempore et loco nihil conventum fuerit, tunc iuxta pretium quod actu mutui res ipsa habebat. Cf. Ballerini not. ad n. 852.

Quoad pecuniam e contra, non materia monetarum, sed earum valor tempore mutui subsistens inspicitur. Mutuos dedi. v. g., 200 francos in decem aureis. Secluso pacto speciali, non decem aurei, sed 200 franci considerantur; unde, si postea aurei sive ex lege sive ex consuetudine pretio crescerent aut decrescerent, id creditum meum non immutaret, et mutuatarius non iam decem aureos sed 200 francos mihi reddere debebit.

495 Quid si mutuatarius, qui 200 francorum valorem sincerum et expeditum a me accepit, restituere mihi velit 200 francos in monetis, quae talem quidem legaliter valorem habent, sed in commercio longe minus valent; prout in nummis papyraceis accidere solet? R. Iure naturae supplementum (vulgo *agio*) adiungi deberet; secus enim aequalitas inter acceptum et datum non servaretur. Sed subintrant leges civiles et disponunt ut monetae papyraceae, quamvis practice minus valeant, tamen pro aeque valentibus tradi possint et recipi debeant; imo apud nos (L. 1. Maii 1866) cautum fuit ut moneta papyracea ad instar monetae sonantis cursum coactum habeat, non obstante quacumque legum dispositione aut pacto conventionali. TT. conveniunt, monetam papyraceam acceptandam esse in conscientia pro bono publico; sed non conveniunt circa supplementum. Gousset (n. 773) aliique censent, illud tradendi obligationem non adesse. Avanzini e contra cum aliis docuit, vim legis non eousque procedere ut hanc quoque obligationem destruat. Cf. Scavini (II. 577). Propter has itaque opiniones, debitor supplementum denegare, et creditor exigere poterit. — Censent insuper TT., legem istam (utpote quae a iure naturae exorbitat) stricto sensu interpretari debere; unde, quatenus pacta specialia irritat, dicunt non valere 1° si contractus (in quo expresse moneta chartacea exclusa fuit) post legis ipsius promulgationem celebratus fuerit; lex enim (aiunt) de pactis antecedentibus loquitur; 2° si pactum non fuerit genericum (de solutione scilicet facienda in moneta sonante, prout lex dicit), sed peculiaribus circumstantiis, de quibus lex non loquitur, determinatum; v. g., si statutum fuisset ut dentur tot unciae auri; vel ut solutio fiat in extera regione; vel ut, solutione facta in nummis papyraceis, augmentum solvatur; vel demum ut solutio fiat in auro non obstante lege contraria quae forte in posterum suboriatur. Cf. D' Annibali (II. 516) et Scavini (l. c.),

apud quem S. Poenitentiariae responsio his theoriis cohaerens reperitur.

496. Quoad auctarium, dico specialiter, hoc iuste exigi posse si aliquod ex titulis sequentibus adsit.

1. *Damnum emergens, et lucrum cessans;* si nempe mutuator animadvertat aut timeat, quod, propter illius summae privationem, damnis, incommodis aut sacrificiis pretio aestimabilibus obviam ire poterit.

2° *Periculum amittendae sortis;* si nempe mutuatarius pignus, cautionem sufficientem, uno verbo plenam securitatem non praebeat.

3° *Fructus pecuniae;* si nempe pecuniae summa mercatori aut viro industrioso detur: fructus enim negotiationis partim quidem industriae mercatoris, sed partim etiam pecuniae mutuatoris tribui debet. Dices: mutuo secuto, pecunia desinit esse mutuatoris et fit mutuantis: unde, si fructificat, non illi sed isti fructificat. Resp: nummos materiales fieri quidem mutuantis, sed dominium valoris (in quo tota pecuniae vis consistit) apud mutuatorem remanere; cui proinde fructificare potest.

4° *Bonum publicum:* si nempe talis sit societatis conditio, ut, potius quam interdicere ut aliquid ex pecuniae mutuo percipiatur, expediat ut ad instar aliarum rerum quasi locetur pro pretio quod communiter iustum reputatur. — Apud nos lex civilis (huius publici boni interpres) concedit ut inter privatos 5 0/0 et in commercio 6 0/0 percipiatur (Art. 1831). De percipientibus auctarium istud ex hoc titulo, Ecclesia pluries declaravit non esse inquietandos; quae verba non meram tolerantiam sed positivam permissionem significant, ut ait S. Lig. (III. 765). Quid si etiam inter privatos, ut hodie communiter fit, non 5 dumtaxat, sed 6 0/0 percipiatur? Tunc quoque mutuantes non esse inquietandos respondit S. C. S. Off. 28 Febr. An. 1872. Cf. *Monitore Eccles.* V. I. pag. 400. — Cl. D' Annibali (II. 520) scripsit: « Penes nos licitas semper esse dixerim usuras legiti-
« mas, idest quincunces (5 0/0), vel semisses (6 0/0); et, si
« quis titulus extrinsecus accedat, septuances (7 0/0); immodi-
« cas regulariter supra decunces (10 0/0): quae vero inter has
« tenent, diiudicandas esse ex lucro quod creditori interim ces-
« sat, ex damno, ex periculo amittendae sortis, ex difficultate
« exactionis; sed caute et sobrie ». Kenrick Archiep. Baltimor. (L. 1. tr. 11. c. 6. n. 96) anno 1860 scripsit: « Ius auctarium
« maius (*legali*) recipiendi repeti posse existimamus *ex libero*
« *contrahentium consensu.* Patet, consensum illum liberum non

« esse, quoties oritur ex angusta re et magni damni periculo : « quamvis enim quis cum magna animi voluptate mutuum ac- « ceptet, quo eripiatur, illud facit necessitate qua laborat a- « dactus ; aliud videri posset, quando lucri maioris intuitu, « lacto animo accipit mutuum, nulla rei familiaris angustia « cogente. Quod si de plena voluntate contrahentium constet, « praesertim post factum, qui usuram accipit, vix est ad re- « stitutionem cogendus; *consensus enim vitium tituli sanat.* Non « semel contigit, aliquem accepisse a mercatore, cui mutuam « dedit pecuniam, sortem cum 10 0/0 post annum ; deinceps, « confessario suadente, eum adiisse et excessum auctarii obtu- « lisse, quem alter noluit accipere, se libere dedisse affirmans et « fidem fallere probro ducens ». Quam doctrinam (maxime post factum) probant Gury (Cas. n. 906) et Scavini (II. 571).

497. Ceterum si nec damnum emergens, nec lucrum cessans, nec periculum amittendae sortis, nec pecuniae foecunditas, nec bonum publicum etc. auctarium legitimum redderent; tunc non nisi iniuste perciperetur ; non enim semper, non enim ubique hic ultimus boni publici titulus (maxime si non de pecunia sed de aliis rebus agatur) subsistit ; quandoquidem contingere potest quod aliquando aut alicubi societati magis expediat ut (seclusis primis quatuor titulis) auctarium interdicatur, ut mutua gratuita foveantur. In Bulla *Vix pervenit* Benedicti XIV (an. 1745) haec leguntur : « Diligenter animadvertendum est, falso sibi « quemquam et nonnisi temere persuasurum, reperiri *semper* « ac praesto *ubique* esse vel una cum mutuo alios titulos legi- « timos vel secluso etiam mutuo contractus alios iustos, quo- « rum vel titulorum vel contractuum praesidio, quotiescumque « pecunia, frumentum aliudve id generis alteri cuicumque cre- « ditur, toties semper liceat auctarium *moderatum*, ultra sor- « tem integram salvamque, recipere... Neminem etiam id saltem « latere potest quod.... multis in circumstantiis, praeter unum « mutuum (*gratuitum*), alteri nullo vero iustoque contractui « locus esse possit ». Utrum autem cum his Benedicti XIV ver- bis componi possint ea quae cl. Ballerini (n. 867. not. *a*) dicit, Sapientes iudicabunt.

### Promissio

498. Promittere est dare ius ad aliquid, quod a promittente dari vel fieri debebit. Promissio acceptata obligat ex iustitia ; graviter vel leviter iuxta circumstantias. Ad constituendam

obligationem gravem in promissione gratuita exigitur materia valde (S. Lig. 720 dicit *quadruplo*) maior ea quae ad furtum aut aliam gravem damnificationem exigitur; promissor enim agit de proprio, fur de alieno.

Adsunt promissiones improprie dictae, quae nempe non sunt verae promissiones, dum promissor verum ius dare non intendit: sed dumtaxat vel 1° suam voluntatem manifestat, vel 2° fiduciam ingerens fatetur se tale quid fore adimpleturum. In primo casu nullam obligationem suscipit: in secundo ex virtute veracitatis et fidelitatis plus vel minus obligari potest. Cf. Ballerini apud Gury (798).

499. In praxi casus verae promissionis, obligantis ex iustitia et graviter, rarus est; et in dubio non supponitur. Contingit tamen 1° si promissio iuramento serio confirmetur; 2° si fiat in scriptis ad modum obligationis, vel coram testibus ad hoc vocatis; 3° si promissor in re momentosa aliquem tutum reddat, qui proinde in ea promissione fundatus negotiis suis consulat, ut puta, si quis pecuniae summam pro tali die alicui, eà gravissime indigenti, promittat.

500. Promissionis obligatio cessat 1° si promissarius renuntiet; 2° si promissionis executio evaserit illicita; 3° si noxia aut inutilis promissario evaserit; 4° si notabilis mutatio seu impedimentum satis excusans subortum fuerit.

### DONATIO

501. Quoad donationem pro praxi sequentia delibare sufficit.

I. Ad donationis validitatem usus rationis et sufficiens cognitio exigitur. Hinc a pueris et senibus omnino stupidis dona acceptare non licet. S. Lig. 721.

II. Donatio ex errore, si error circa personam donatarii aut circa substantiam rei donatae versetur, invalida prorsus erit. Si autem versetur circa causam donationis, v. g., si Titius munera Caio tribueret quia falso credit Caium esse bonum, vel pauperem, vel illi beneficum etc.; tunc donatio est valida. Attamen si error ita dederit causam donationi, ut, eo secluso, nihil donatum fuisset; tunc donatio erit rescindibilis. Donatarius tamen neque ad errorem detegendum neque ad restitutionem tenebitur, nisi donator reclamet, aut nisi ipse donatorem fraudulenter in errorem induxerit, simulque circumstantiae sint ita dispositae ut praesumendum sit quod donator, si de ea fraude certior fieret, rei donatae restitutionem omnino exigeret. Lessius (XVIII. 129).

III. Donationes ad certum finem, quamvis finis non obtineatur, saepe validae et firmae sunt; idque contingit si ex una parte finis non censeatur intentus ad modum conditionis, qua non verificata, restitutio exequi debeat; et ex alia parte fraus absit. Exempla. Petrus dedit puellae 100 aureos, dicens: occasione tui matrimonii tibi deservire poterunt. Titius munera plurima largitur puellae, ut illam ( fraudulenter non promittentem ) ad peccatum inducat; sed tandem nihil obtinere potest. « In simi-
« libus donationibus allectivis potest aliquis, v. g., praedicta
« puella acceptare *, etsi non intendat praestare quod donator
« sperat, cum donatio sit absoluta, animo alliciendi, non obli-
« gandi. Unde si spe frustratus repetat, dicens se non dedisse,
« nisi sub tali obligatione, non tenetur puella credere: quia,
« eo ipso quod donator non expressit conditionem, praesumitur
« sine ea dedisse, et repetere vel animo vindictae vel ut con-
« sensum extorqueat ». Ita S. Lig. n. 736.

Aliud dici deberet si finis censeatur intentus ad modum conditionis, qua non secuta restituendum sit. In hac classe veniunt munera sponsalitia, a sponso sponsae tradita, si absque sponsi ipsius culpa matrimonium non sequatur; maxime si haec dona sint momentosa et expresse repetantur. Gury ( II. 228 ). Idem dicunt si pater donaverit pecuniam filio, ea dumtaxat intentione, ut, v. g., libros emat, vel lauream sibi procuret, vel patrimonium sacrum sibi constituat etc. Lessius ( XVIII. 126 ).

* Intellige 1. *Salva iustitia;* non vero si pericula considerentur. Foemina enim acceptans et conservans donum de facili in magnum periculum seipsam coniicit, pravisque insuper viri intentionibus alimentum praebet; ut plurimum enim, nisi sperandi occasionem ipsa dedisset, vir non donasset, et, si munera retineat, foedam spem in eo fovebit, qui nova media tentabit. Interdum tamen, si huiusmodi dona acceptentur, nihil mali erit, ut puta, si foemina pravum quidem viri animum dignoscat, sed urbanitas non sinat ut donum respuatur, eo quod videatur dari ex affinitate vel honesta amicitia; et, si respueretur, hoc esset exprobrare et manifestare turpem animum donantis: ad quod charitas obligare nequit, ut recte dicit Lugo ( XVIII. 51 ). Observari potest insuper quod, si puella non amplius tentaretur, non esset ei suadendum ut munera viro restitueret; sed, si haec peccandi occasionem ei praeberent, expedire potius poterit, ut in eleemosynis illa eroget aut igni tradat.

Intellige 2. *salva iustitia erga donantem;* interdum enim munera ad iniustitiam contra alios perpetrandam impellere possunt; prout in casu iudicis, munera (speciatim magni momenti) acceptantis ab eo, cui forsan favere iuste non poterit. Virtus iustitiae illum obligat ut munera oblata modeste recuset (quod et leges positivae severissime iubent. Cod. poen. Art. 218 ); et post acceptationem restituat, saltem si ea non consumpserit et absque inurbanitate restitutionem facere possit. Cf. Lugo ( XXXVII. 130 ).

IV. Oportet ut donans rei donatae dominium liberamque administrationem habeat, aut saltem a domino donandi facultatem acceperit. Hinc donare nequeunt 1° Tutores de bonis minorum, nisi agatur de parvis donationibus remuneratoriis et eleemosynis ordinariis; 2° Minores sine consensu patrisfamilias aut tutoris, qui tamen consensus quoad modicas donationes proprio statui convenientes deesse non poterit; 3° Uxores sine consensu mariti sive expresso sive tacito (Vide dicta n. 415. VIII). 4° Religiosi sine licentia Praelati. Quoad Religiosos notari debent sequentia.

A) In quovis casu Religiosi (et Moniales) voto paupertatis constricti donationes aut eleemosynas, ultra limites propriae regulae aut permissae consuetudinis, sine licentia praelati saltem praesumpta (si nempe praelatus adiri nequeat et casus urgeat), facere non possunt. Lugo (III. 167).

B) Si bona propria habeant et simplicibus dumtaxat votis teneantur; tunc, si de bonis iisdem absque licentia disponant, dispositio erit quidem illicita, sed valida. Gury (II. 155. q. 2).

C) Si autem solemnem professionem, solemne paupertatis votum includentem, emiserint; tunc (excepta speciali dispensatione Pontificia) eorum bona, sive ante professionem habita sive postea acquisita, Monasterio seu Ordini cedunt; unde, si absque licentia de iisdem disponerent, non solum illicite sed etiam invalide disponerent. S. Poenitentiaria die 18 Apr. 1867 concessit ut Religiosi a Gubernio suppressi aut dispersi acceptare possint haereditates iisdem provenientes, imo et de iisdem disponere; sed semper cum debitis licentiis. Quaesitum fuit an Religiosus sic evadat dominus haereditatis acceptatae? S. Poenitentiaria (21 Maii 1880) negative respondit, et dixit: « Declarat vero eadem S. Poenitentiaria mentem suam, in concedenda facultate expressa n. XVII. Instructionis sub die 18 « Apr. 1867 datae, nullatenus fuisse ut per Superiores generales Ordinum regularium subditis in Italia suppressis indulgeri valeat proprietas seu dominium bonorum quacumque « ratione sibi obvenientium, quae iidem regulares, ratione solemnis professionis, non sibi sed Monasterio seu Ordini acquirunt ». Si itaque Religiosus de his bonis absque licentia disponeret, non solum illicite, sed etiam invalide disponeret.

D) Quaeritur an peccet Religiosus qui accipit ab extraneo pecuniam in pia opera ad libitum impendendam? R. Sanchez aliique, quibus cl. Ballerini (II. 157) subscribit, tenent, hunc Religiosum contra paupertatis votum non peccare, quia pecuniam non

tamquàm propriam sed tamquam aliis distribuendam acciperet.

E) Quid de iis qui a Religiosis dona accipiunt? R. Si agatur de bonis Monasterio pertinentibus, et donatarius sciat vel praesumere debeat quod Religiosus sine licentia Praelati donationem fecerit; tunc ad restitutionem tenetur (et hic est casus Papae reservatus). Si tamen id quod accepit decem scutatorum (53 fr.) valorem non attingat, a S. Poenitentiaria facilem remissionem (data aliqua eleemosyna Monasterio) obtinere poterit. — Si autem agatur de bonis, quorum dominium directum penes Religiosum fuerit; tunc donatio, quamvis illicita, valida fuisset, et sic donatarius ad restitutionem non teneretur. Lugo (III. 79. et seqq.).

Quid de donationibus factis a Beneficiatis ex fructibus beneficii? R. Donationes, quae, attentis circumstantiis moderatae et convenientes diiudicari debent, validae et licitae sunt; nihil enim impedit quominus Beneficiati fructibus beneficiorum utantur etiam ad illa quae ad decentiam vel munificentiam proprii status et dignitatis pertinent. Si autem donationes immodicae aut quomodolibet reprehensibiles essent; tunc certe, sicut quilibet alius, a fortiori beneficiatus male se gereret. Sed donationes essentne invalidae? Donatarius tenereturne ad restitutionem? Negandum certe, si donationes ex parsimoniis factae fuerint; aut si donatarius esset in dubio; sed probabiliter negari potest in quocumque casu; non enim constat quod in fundationibus beneficiorum strictum onus iustitiae erogandi superflua in usus pios impositum fuerit; et Tridentinum dicit quod beneficiatus (si munera sua adimpleat) *facit fructus suos*. Onus ex virtute religionis et charitatis adest certe; sed hanc obligationem esse personalem et non transire ad illos qui donationem acceptarunt sensisse videtur Lugo (IV. 50) dicens: « Licet (donatio) af-« ferat secum aliquod nocumentum pauperibus vel operibus « piis, quibus illa bona dari debuissent; non teneor ego, ut di-« xit Lessius, cum aequali damno meo procurare commodum « alienum negligendo meum; praesertim cum neque illud alie-« num commodum certum sit; nam, si ego respuam dona ob-« lata, dabuntur aliis, qui vel nesciant Clerici obligationem, « vel etiam illam scientes oblata dona non refutabunt ». Sed circa hanc quaestionem hodie parum practicam non immoror. Vide, si placet, S. Lig. (III. 491) et Scavini (II. 511).

V. Oportet ut donatio iura aliorum non offendat. — Pater, v. g., cum praeiudicio legitimae filiis debitae donare non potest (Cod. Civ. Art. 1091. 805). Sed de hoc alibi.

Quid de eo qui aere alieno gravatus, potiusquam debita solvat, donationes facit? Et quid de donatario qui huiusmodi donationes acceptat?

R. Donans, si in impossibilitate debitis suis satisfaciendi se constituat, certe contra iustitiam delinquit; attamen, quum de re adhuc sua disponat, donatio est valida (ut recte tenet Lugo XX. 112); nisi aliqua lege civili irritetur, prout accidit in Gallia quoad donationes et venditiones quae fiunt intra decem dies cessioni bonorum immediate praecedentes. Gury (Cas. 728).

Donatarius iuste acceptare potest donationem, si donator suo labore et industria adhuc debitis suis satisfacere possit, quamvis ex ignavia non sit satisfacturus. Idem dic cum Lessio (XX. 170) si donator iam antea firmiter statuisset non satisfacere; tunc enim donationis acceptatio nihil damni creditoribus infert. Ad nihil pariter tenetur donatarius si bona fide donationem acceptaverit remque donatam ita consumpserit ut non sit factus ditior. Ab his autem tribus casibus praescindendo, Theologi inter se acriter disputant. Cum Molina sic benignissime loquitur Lessius (l. c. 168): « Si non inducis ad donandum, « sed donator sponte tibi donat, non teneris ad restitutionem « in foro conscientiae etiamsi scias ipsum per hoc fieri impo- « tentem ad solvendum... Quia illae res nemini sunt obstrictae, « et ipse est earum dominus, et nulla lege est inhabilis ad « transferendum earum dominium: ergo transfert reipsa. Nec « obstat quod ille peccet donando, quatenus per hoc reddit se « impotentem ad solvendum creditoribus; quia tu non es causa « cur velit donare, sed, supposito quod ipse sponte velit, tu « acceptas utens iure tuo; nec enim iustitia nec charitas postu- « lat, ut negligas tuum commodum etiamsi inde per accidens « sequatur alteri tantundem damni ». Cf. Lugo (XX. 113).

VI. Oportet ut donatio legibus civilibus non irritetur. Sic apud nos (Art. 1056) non valent donationes (etiam remuneratoriae vel aliqualiter onerosae), nisi publico instrumento peractae fuerint; et (Art. 1052-1073) multa alia exiguntur ut stipulatio valida sit. Sed haec publicae stipulationis necessitas non respicit donationes usuales rerum mobilium, quae certe validae sunt quamvis brevi manu fiant. Id patet ex sensu communi, ex ipsis Iurisperitis (qui articulo 707. Cod. civ. innituntur), et demum ex Theologis, inter quos vide Gousset (799), D'Annibali (507), et Scavini (449).

Nonnulla alia quoad donationes exponam infra, speciatim ubi de Testamentis agam.

502. Quaer. I. Qui promisit se aliquid esse daturum alteri pro executione rei illicitae, tenetur ne promissionem servare?

R. Supponendo rem esse illicitam non solum a parte promittentis sed etiam a parte promissarii ita ut absque peccato exequi nequeat, tunc promittens ante factum se retractare potest, et, retractatione secuta, ad nihil tenetur; secus enim promissarius ius peccandi haberet, quod stare nequit. Sed post factum promissio certe servari debet 1° si id quod promissum fuit non habeat rationem pretii, prout accidere solet in casu matrimonii promissi inter adamantes sub conditione copulae prius obtinendae, ut dixi (n. 465); 2° si (ut notaverunt Covarruvias, Medina aliique) agatur de facto illicito solum propter circumstantiam depravantem (prout explicavi supra l. c.). Si autem agatur de facto illicito per se (prout esset homicidium, fornicatio etc.) et res promissa fuerit ad modum pretii; tunc, utrum promissio servari debeat, acriter hinc inde disputatur. Sententia negans certe est probabilis, ut fatetur etiam S. Lig. (III. 712); peccatum enim in commercio poni nequit, nec pretio aestimabile est. Adde antiquas et novas leges, quae dicunt ex pravis actionibus nullum ius, quamvis conventiones praecesserint, oriri posse. Vide S. Lig. (l. c.) et Cod. It. (Art. 1119. 1122). Multi excipiunt casum meretricis, et aiunt post factum ei pretium deberi. Idque concedendum si agatur de meretrice publica et approbata, non quia fornicatio in meretrice sit pretio aestimabilis, sed quia leges, sicut pro publico bono meretrices tolerant, ita etiam exigunt ut qui illis utuntur, singuli aliquid ad modum taxae solventes, illas alant. Meretrices vero non approbatae et concubinae sunt pestis societatis et ruina familiarum, neque a legibus ullam assistentiam habent; unde non est cur, quoad mercedem iniquitatis, ullum privilegium eis concedamus. Hinc scripsit Diana (T. 8. Tr. 7. Res. 59): « Non erit neganda ab-« solutio, si aliquis rem habuerit cum meretrice, si postea « nollet solvere mercedem consuetam, etiamsi eam dare pro-« miserit ». Certissime autem mercedem solvendi obligatio non adesset, quatenus excessiva foret (ut puta si vulgari scorto 100 aurei promissi fuerint), aut si promissio propter alterius contrahentis fraudem et dolum facta fuerit. Lugo (XVIII. 45. 60).

503. Quaer. II. Qui ex parte sua opus iniquum iam praestitit potestne id quod ei promissum fuit exigere, aut iam acceptum retinere? R. Affirmative; quamvis enim probabile sit quod nihil

ei debeatur, tamen probabile est etiam quod post factum ad mercedem promissam ius habeat ; in actione enim criminosa praeter partem moralem etiam pars physica labori et incommodis plus vel minus subiecta adest, quae semper pretio aestimabilis esse potest. Hinc rectissime scripsit Roncaglia ( De Rest. c. 6. q. 4 ) : « Stante probabilitate utriusque sententiae, ego « in praxi ita me gererem. Si ille, qui promisit aliquid pro actio- « ne peccaminosa, nondum impleverit promissum, illum non « obligarem ad aliquid tribuendum, propter fundamenta primae « sententiae. Si vero iam dedisset pecuniam promissam pro a- « ctione turpi, non obligarem qui eam recepit ad restitutionem, « propter fundamenta secundae » ; multo magis quia in iure romano ( L. 8. ff. de condict. ob turp. caus. ) legitur : « Solutum « ob turpem causam non posse repeti ».

504. Quaer. III. Qui opus iniquum non adhuc perpetravit, potestne rem, quae pro opere ipso ei data fuit, retinere ?

R. Si res data ei fuerit absque pacto et mere ut ad opus iniquum peragendum alliceretur, tunc, salva iustitia erga donantem, illam retinere poterit, iuxta dicta ( n. 501. III ). Si autem cum pacto et sub conditione operis iniqui praestandi eandem rem acceperit ; tunc illam restituere debet ; nam vel habet animum delictum consummandi, et tunc peccat contra virtutem quae per illud delictum offenditur ; vel non habet talem animum, et tunc peccat contra iustitiam, retinendo pretium absque voluntate dandi id pro quo pretium ipsum acceptatum fuit. Lugo ( XVIII. 49 ).

### Contractus de rebus debitis

505. Quaestio est, utrum pro actione vel omissione debita ( v. g., ad abstinendum ab homicidio, ad munus proprium adimplendum, ad cessandum a blasphemiis, ad satisfaciendum praeceptis Ecclesiae etc. ) si aliquid receptum fuerit, restitui debeat ?

R. Decisio pendet a circumstantiis et maxime ab intentione dantis. Tu, v. g., das Caio decem aureos ut non blasphemet, non fornicetur, pravos socios relinquat, boni christiani muneribus satisfaciat etc. In his casibus, intentio tua est ut Caius decem aureos habeat quin ad ullam restitutionem teneatur. Lessius ( XIV. 71 ). — Idem dic si iudici vel medico ( caeteroquin stipendium iustum a communitate iam recipienti ) ad modum doni spontanei aliquid dares, ut libentius erga te muneri suo

satisfaceret. Verum est quod leges positivae horum donorum acceptationem prohibere possunt ( Cod. poen. Art. 217 ); sed hae leges ( saltem ante iudicis sententiam ) ad restitutionem non obligant ( Lugo XXXVII. 134 ). — Finge e contra quod medicus te aegrotum non curet, iudex sententiam iniustam tibi minitetur, sicarius necem tibi intentet etc., nisi pecuniam ei solvas; in his casibus pecuniam quidem ( ad redimendum te ipsum ab iniusta vexatione ) illi dabis, sed intentio tua non erit ut iure illam retineat. Hoc enim tuum pecuniae sacrificium a praecedenti iniuria oritur; unde ab iniuriae ipsius auctore reparari debet; nec de facili supponendum quod tu, in hominis contra te adeo iniqui commodum, iuribus tuis renuntiare velis. Lessius ( l. c. 63 ).

Quid si centum aureorum erga te debitorem Titium habeas, illique a longo iam tempore iniquam moram trahenti dicas: solve quinquaginta, et pares erimus? R. His verbis indicas quidem quod, habitis quinquaginta aureis, debiti residuum nec iudicialiter nec privatim postulabis; sed non quod etiam in conscientia Titium omnino liberum relinquas. Plenam tamen etiam in conscientia condonationem facere poteris; sed oportet ut ex aliis adiunctis de hoc constet.

Quid si Petro aliquid dederis ut a vexatione non contra te sed contra alios directa cesset? R. Videndum qua intentione dederis. Si ad modum doni, ut nempe Petrus amicus tuus a furtis et homicidiis cesset; tunc certe Petrus gratias quidem tibi agere debebit sed ad restitutionem non tenebitur. Si autem ad modum pretii; si nempe Petrus, ut a vexatione desistat ( v. g., ut vitam Paulo relinquat ), pretium a te in vexati favorem superveniente exigeret; tunc TT. cum Lugo ( XVIII. 63 ) communiter dicunt, Petrum esse iniustum et consequenter ad restitutionem teneri; venderet enim id quod suum non est. Aliqui tamen ( nempe Sotus IV. q. 7. a. 1. et Navarrus XVIII. 34 ) id negare videntur, quia Petrus teneretur quidem a vexatione abstinere, sed non in gratiam tui, ( nisi forte cum vexato stricta necessitudine iungereris ); unde si hoc modo abstineret, favorem non stricte debitum tibi faceret, et sic non esset iniustus si pro illo aliquid exigeret. Sed, quidquid sit de hoc, ius naturae dictat ut contractus huiusmodi ( saltem quando vexatio ad hoc facta fuerit ut pecunia a tertiis extorqueatur ) ad minus sit rescindibilis; unde in *L.* 2. *De condict. ob turp. caus.* scriptum fuit: « Iulianus dicit: si dedero tibi ne hominem occidas, condici ( nempe repeti ) posse ».

506. Aliquid pro praxi dicam 1° de nonnullis contractibus simoniacis ; 2° de stipendio Missae ; 3° de alienatione rerum Ecclesiae.

CONTRACTUS SIMONIACI. Hi proprie consistunt in venditione rerum sacrarum, quatenus sunt tales *. Res huiusmodi infinitum valorem habent, et ex hoc ipso iuste vendi nequeunt ; secus enim Sacramentum vel Sacramentale maximo pretio, v. g., pro centum mille aureis vendi posset, quod est absurdum. Praeterea Sacerdotes habent quidem potestatem res sacras distribuendi, sed non tamquam domini bene vero tamquam ministri, qui non vendendi sed gratis tradendi officium habent. Quare sicut Principis Eleemosynarius esset iniustus si ( propter eleemosynarum distributionem aut quia hunc vel illum aliis praeferat ) a pauperibus, quibus gratis subvenire debet, pecuniam exigeret ; ita et in casu.

Dixi, res sacras vendi non posse *quatenus sunt tales* ; si enim pecunia propter aliud pretio aestimabile exigeretur, tunc iniustitia non adesset. Hinc vasa et indumenta sacra ab eorum dominis iuste vendi possunt, dummodo propter consecrationem adnexam nihil amplius exigant. Idem dic de thecis in quibus sacrae reliquiae custodiuntur, si nempe pro reliquiis praecise aliquid non exigatur. Advertit tamen Lessius ( II. xxxv. 158 ) aliquid exigi posse pro sacrificio quod, Reliquias ipsas alii tradendo, subitur. Idem dic demum de sacris functionibus propter laborem et incommodum materiale ( speciatim extrinsecum et extraordinarium ) quod ad illas peragendas exigitur : qui enim in gratiam alterius occupatur et laborat, nunquam erit iniustus si mercedem, aut ( si sic dicere mavis ) stipendium ad vitae suae sustentationem exigat ( cf. Laymann VIII. 41, et 81 coroll. ). Id tamen intellige nisi ex officio easdem functiones gratis peragere teneatur ; tunc enim, si mercedem exigeret ; iniustus esset. — Haec omnia dicta sunt, inspecta iustitia ; interdum enim contra alias virtutes peccatum adesse potest. Vide supra ( n. 113 ). Item Salmant. ( XIX. n. 16 ) et Monit. Ec. ( I. pag. 573 ).

Sed in praxi contractus simoniaci contingere solent praecipue occasione collationis beneficiorum ; si nempe beneficia non gratis

* Dixi *proprie* ; in sensu enim minus proprio simonia adesse potest etiam in venditione rei temporalis ; si nempe spirituali ita adnectatur ut haec vendi videatur, et Ecclesia venditionem interdicat.

conferantur sed vendantur. Haec venditio ( quamvis venditor fateretur se non officium sacrum sed temporalem beneficii dotem respicere ) est iniusta, non solum quia clerici ut plurimum cogerentur emere id quod gratis obtinere debent ; sed etiam, imo praecipue , quia beneficia non sunt Episcoporum aut Patronorum, sed Ecclesiae quae nullo modo consentit ut vendantur; unde venditio, utpote quae esset de re aliena invito domino, irrita est , et pretium restitui debet. Nihil hic dico de alia malitia , quae adesset contra Religionem , quatenus beneficia sacra cum mercibus confundere sacrilegum est.

Quaer. I. Quid si actu concursus pecunia Patrono offeratur, ab eoque acceptetur, et beneficium tradatur ; sed pactum expressum non intercedat ? R. Salmanticenses ( XIX. I. 30 ) et S. Lig. ( III. 61 ), ut Simonia conventionalis et realis cum onere restitutionis constituatur, pactum expressum exigere videntur ; sed omnino dicendum quod pactum tacitum (quale in casu intercederet ) sufficiat. Nonne enim tunc etiam beneficium emeretur ? Ita tenent Navarrus ( XXIII. 102 ), D' Annibali ( III. 429 ), et Viva qui ( in Prop. 45 Inn. XI. n. 16 ) dicit, hanc esse emptionem rei spiritualis « ad eum modum quo , quando quis Iudici « dat munera alicuius momenti , tunc in morali aestimatione « non censetur gratis illa dare , sed animo obligandi illum ad « ferendam iniquam sententiam ; et Iudex litem illi adiudicando « dicitur iustitiam vendidisse ». Idem cum Anacleto ( Tit. III. 15 ) sensit Lessius ( II. XXXV. 36 ) inquiens : « Simonia con- « ventionalis est quando proceditur ad externam conventionem... « Et haec conventio non tantum fit verbis expressis et directis, « sed etiam... sola pretii oblatione in speciem donationis ; dum « tamen ex circumstantiis adverti potest » ; inter quas circumstantias valent speciatim sequentes ; nempe si collatio beneficii sit imminens , dum prius munera non dabantur ; si munus consistat in pecunia aut in alio obiecto magni valoris ; si subiectus sit indignus aut parum dignus ; si dans et accipiens sint avari etc.

Quaer. II. Quid si Episcopo vel Patrono diuturnum servitium praebeatur cum intentione quidem obtinendi beneficium loco mercedis ; sed ita ut ex circumstantiis externis haec malitia non clare appareat ? Et quid si obiectum magni valoris ei offeratur cum intentione quidem sic emendi beneficium ; sed ita ut extrinsecus non constet an ad modum muneris, an vero ad modum pretii obiectum idem datum fuerit ? R. Tunc simonia mentalis locum habet ; unde apud Croix ( III. I. 58 ) scripsit Suarez : « Simonia mentalis dicitur, quando actus exterior, qui

« in illa intervenit, talis est, ut in illo non statim appareat ma-
« litia simoniae ; nec ex his, quae circumstant actum, probari
« possit ». Multi autem fatentur quod simonia mentalis reatum quidem includit ; sed neque collationem irritat, neque onus restitutionis producit ; unde scripsit idem Croix (l. c. 202) « An
« simonia mentalis inducat poenas? R. Communiter probabilius
« negant. Hinc si quis servivit Episcopo, animo recipiendi be-
« neficium tamquam pretium servitii, et Episcopus dederit be-
« neficium tamquam illius servitii pretium, si nullum adfuit
« pactum, sed uterque finxit se gratis facere ; accipiens bene-
« ficium non tenetur resignare, nec Episcopus tenetur solvere
« servitium ». Excipe tamen : nisi fictio fuerit manifesta ; si enim ageretur de servitiis pro quibus stipendium dari solet, nec verisimile sit quod famulus vere intendat servire gratis ; tunc, iuxta dicta in quaest. praeced., non percipio quomodo Episcopus loco stipendii beneficium ei conferens de sola simonia mentali accusari debeat, et realem (quamvis commutatio tacita inter temporale et spirituale evidenter locum habeat) effugere possit.

Quaer. III. Quid si quis obsequia, servitia, munera Episcopo praebeat ex sincera intentione ostendendi ei subiectionem, existimationem et amorem ; attamen etiam cum spe beneficium ab eo obtinendi? R. Id nihil mali est. Imo si praedicta praeberentur etiam ex fine principali captandi benevolentiam Episcopi, ita ut, amota spe beneficii obtinendi, eadem non praestarentur, adhuc simonia non adesset ; captare enim benevolentiam illorum qui beneficia conferre possunt nemini interdicitur, dummodo non eo usque res procedant ut servitia et munera in beneficii emptionem iuxta supra dicta resolvantur aut resolvi videantur. Idem dic de Episcopo qui, ad gratitudinem ostendendam, beneficium alicui conferret. Cavere tamen debebit ne, beneficiis excoecatus, digniores, maxime si de Paroeciis agatur, praetermittat. Cf. S. Lig. (III. 51).

Quaer. IV. Quid si quis Episcopo, Patronis, aut Electoribus aliquid tribuat, ut illos sibi inique infensos reddat placatos, et sic ab iniusta vexatione se eximat? R. Si aliquid eis tribuendo ita se gerat, ut expresse aut tacite collationem aut praesentationem emat ; tunc cum communissima sententia dicendum est, manifestam simoniam realem intervenire, et beneficium esse resignandum. Cf. Lessium (II. XXXV. 106). Si vero de reconciliatione dumtaxat paciscatur, aut ne elector alios electores inique subornet, aut si nullo pacto intercedente munera dumtaxat tribuat qualia ad pacem concludendam tribui solent,

ita ut quoad electionem aut praesentationem libertas remaneat: tunc dicerem cum Palao ( XVII. III. XX. 4 ) nullam simoniam locum habere.

Quaer. V. An sit simonia dare pecuniam mediatori, ut Episcopum vel Patronum adeat, et beneficium ( sive exponendo merita sive adhibendo preces ) obtineat? R. Fatentur TT. non esse simoniam si pecunia mediatori tradatur pro suo incommodo, ( v. g., si interim propria negotia relinquere, iter suscipere etc. cogatur ); item pro simplici meritorum narratione; non vero si pro intercessione pecunia tradatur, quia tunc ope pecuniae proxime sibi viam sterneret ad beneficium obtinendum, et ius canonicum mediatores quoque damnat. Sed Gury hanc exceptionem non admittit, et ( Cas. conse. I. 287 ) dicit; « Horum ratio valde infirma videtur; nec probari potest, in« tercessionem, quae in casu emitur venditurque, rem spiri« tualem esse. Ius canonicum mediatores quidem damnat; sed « per mediatores illos intelligit, qui hoc officio functi sunt ad « contractum simoniacum conficiendum inter duos, qui de re « spirituali cum alia temporali contrahebant: non illos, qui « pecuniam accipiunt ad intercedendum, ut Episcopus, v. g., « gratis ordines aut beneficium conferat ».

Quaer. VI. An sit simonia dare pecuniam competitori, ut abstineat a concursu ad beneficium, quod tu praetendis?

R. Affirmant communiter; et hic quoque pro ratione adducunt esse simoniam proxime sibi sternere viam ope pecuniae ad beneficium obtinendum. Sed hanc rationem esse valde infirmam, iam mox dicebam cum Gury; seclusa enim venditione rei spiritualis pro pretio temporali non est cur de simonia verba faciamus, nisi aliqua lex positiva efficiat, ut tamquam simoniacum quoad poenas considerari debeat id, quod naturaliter simoniacum non esset. In casu autem dicit Elbel ( n. 609 ) cum Pasq., abstinentiam a concursu ( quae emitur ) rem spiritualem non esse. Aliunde nulla lex canonica casum istum simoniacum declarat. Videtur itaque quod sententia de simonia in facti specie praecipitari non debeat.

Quaer. VII. An sit simonia dare pecuniam, aut munera ( etiam levis momenti ), examinatoribus occasione concursus ad paroeciam? R. Affirmandum est omnino ex iure canonico. Cl. Ballerini ( n 289. III. *b* ) ita scribit: « His ( examinatoribus ) « sub poenis simoniae propriis interdicitur ne *quidquam prorsus* « recipiant sive a candidato ( qui dando incurreret easdem poe« nas, etsi alioquin sufficientia relaturus esset suffragia ), sive

» ab aliis. Et quamvis aliqui a poenis excusare eos velint ob « materiae levitatem, veluti si modica esculenta vel poculenta « quis examinatori largitus sit, obstant tamen tum verba de- « creti (Trid. XXII. 18 de Refor.) *ne quidquam prorsus*, tum « S. Congr. declaratio. Vid. Thesaur. (*De Poenis Eccl. V. « Simonia c.* 4) ».

Quaer. VIII. Episcopus vel patronus, qui pretium simoniacum accepit, cuinam illud restituere debet? R. Thesaurus (l. c. c. 2. n. IV) sic dicit : « Si simonia non fuit... utrinque com- « pleta, sed alter dedit pretium, alter beneficium non contulit « seu dispositionem non fecit conventam, communis sententia « docet, pretium ante sententiam declaratoriam restituendum « eidem a quo solutum est.... Si autem simonia fuit utrinque « completa, tunc alii dicunt restituendum esse ecclesiae cui per « simoniam iniuria illata est; alii dicunt, ante sententiam de- « claratoriam, restituendum ei qui illud dedit : alii dicunt re- « stituendum pauperibus.... Et sunt omnes istae probabiles sen- « tentiae, ut tuto quis eligere possit quam maluerit, ut ait « Sanchez dub. 114. n. 12 » ; qui addidit quod, si patronus sit pauper, pretium acceptum sibi retinere poterit. Lessius autem (II. XXXV. 157) dicit quod Pontifex in retentione pretii dispensare potest.

Quaer. IX. Ad quid teneatur qui per simoniam realem beneficium obtinuit?

R. 1° Si simonia perpetrata fuerit cum aliquo dumtaxat patrono, dum alii absque simonia candidatum praesentarunt : tunc collatio valida est, et sic provisus ad nihil tenetur. Secus si praesentatio fiat a collegio et cum aliquo ex ipso collegio simonia intercesserit. — Si simonia occulte perpetrata fuerit a tertio in odium candidati (ut nempe eius provisio irrita sit) : tunc quoque collatio valet. Si autem perpetrata fuerit a tertio in favorem provisi, sed eo ignorante; tunc irrita est; attamen fructus quos durante bona fide percepit, restituere non tenetur, nisi qua parte ditior evaserit : et, si per triennium sic in beneficii possessione perseverasset, tunc vitium collationis sanatus fuisset, et provisus beneficium tuta conscientia retinere posset. Cf. cl. Ballerini (n. 293. v. *Nullitas* not. *a*).

2° Si ipse provisus simoniam perpetraverit, aut cum notitia simoniae ab aliis perpetratae beneficium acceptaverit; tunc, tamquam possessor malae fidei, in conscientia et ante quamlibet iudicis sententiam non solum beneficium resignare (nisi sanationem a Pontifice obtineat), sed etiam fructus (non vero

emolumenta stolae ) tum extantes tum consumptos ( quos nunquam suos facere potuit ) restituere tenetur. Crediderim tamen quod fructus, qua parte correspondent stipendio praestitis servitiis convenienti ( nempe stipendium oeconomi ) retinere possit. Sed cui haec restitutio fieri debet? Hic quoque varii varia opinantur; et probabile est quod restitutio pauperibus fieri possit, unde beneficiatus, si sit pauper, illam sibi applicare queat ut nuper dicebam; sed in praxi ad plenam conscientiae tranquillitatem compositionem pontificiam expostulare expedit. Vid. Salmant. ( XIX. IV. 32 ).

Fit quaestio an pensiones, quas Gubernia ( postquam Ecclesiam spoliaverunt ) Episcopis, Parochis et Canonicis tribuunt, non secus ac essent beneficiorum fructus considerari debeant? R. De hoc dubitavit Gousset ( I. 450 ) dicens, has pensiones merum servitii stipendium esse. Sed quoad illa loca, ubi ex Concordato cum Romana Sede hae pensiones bona ecclesiastica evaserunt ( quatenus Pontifex loco fructuum beneficiorum illas acceptavit, et sic inter Ecclesiae iura reposuit ) nulla dubitandi ratio superesse videtur, multo magis quia hoc sensu S. Poenitentiaria duas responsiones dedit, quas refert Gury ( I. 563 ). Idem videtur dicendum etsi concordatum non intercesserit; quamvis enim tunc, antequam a beneficiatis acceptentur, bona ecclesiastica non sint; tamen, acceptatione facta, talia evadunt et fructuum beneficiorum locum tenent.

Quaer. X. Quid si Praelatus, volens, v. g., nepoti suo per aetatem incapaci procurare beneficium quod nunc vacat, illud conferat alteri cum pacto ut suo tempore illud ipsum eidem nepoti resignet? Quid si Parochus Paroeciam alicui renuntiet cum pacto ut pensionem annuam ei suppeditet? R. Hae, similesque conventiones ( cf. Scavini II. 139 ) ad simoniam confidentialem pertinent ( intellige nisi beneplacitum apostolicum obtineatur ); et proinde, praeter alias poenas, beneficii collationem invalidam reddunt; restitutionis onus producunt; et demum efficiunt ut nova beneficii collatio Romano Pontifici reservata remaneat. Scavini ( l. c. 143 ).

Quaer. XI. Quid si simonia fuerit materialis; si nempe ita irrepserit bona fide ut neque provisus, neque superior, neque tertius quispiam, uno verbo, nemo coram Deo deliquerit? R. In hoc casu provisio est valida. Invaliditas enim non iure naturae sed a sola lege ecclesiastica oritur, quae, in odium delicti et ad praecavendam simoniam malitiosam dumtaxat, hanc poenam invexit. Croix ( III. I. 205 ).

307. Stipendium missae. Circa istud notanda sunt sequentia.

I. Stipendium etiam pinguissimum pro unica Missa acceptari potest, dummodo scienter et sponte datum fuerit. (S. C. C. die 27 Ian. 1877). Nihil pariter vetat quominus, accepto stipendio pro Missae applicatione, aliud recipiatur ab eo qui aperte dicat se non applicationem sed solam celebrationem seu (uti aiunt) praesentiam exigere. Lambertini (Instit. LVI. 9). In quibusdam Capellaniis reapse sola praesentia exigitur. Quomodo autem dignoscatur an fundator applicationem an vero solam praesentiam voluerit, vide Scavini (III. 269).

II. Stipendium approbatum seu consuetum exigi et ante celebrationem in pactum deduci potest, cavendo tamen a scandalo per quantum possibile erit. Imo Episcopus potest legem ferre ne stipendium taxato minus acceptetur. S. Lig. (VI. 320).

III. Secluso iusto titulo, stipendium consueto maius peti nequit: et certe illud exigere aut importune expostulare, aut ab ignaro petere, latrocinium esset; unde Sacerdos pro excessu ad restitutionem teneretur. Salmant. (XIX. II. 23).

IV. Iustus titulus augmentum exigendi consistit in incommodo extraordinario et extrinseco; v. g., si longum iter ad Missam celebrandam suscipi deberet, si hora celebrationis esset incommoda, si Sacerdos pinguiori emolumento privari cogeretur etc. Salmant. (l. c. 18).

Petes utrum in iis casibus raris, in quibus duae vel tres Missae eodem die celebrantur, duplex vel triplex stipendium recipi possit? R. Quoad tres Missas, quae die Natalis D. N. I. C. celebrantur, affirmative; in aliis vero casibus negative; id enim Ecclesia (ne videatur quod Missa propter pecuniam celebretur) districte prohibet, quamvis Sacerdos esset pauper (S. C. C. 25 Sept. 1858), aut in usus pios stipendium impensurus esset (S. C. 21 Mart. 1863). Si tamen intuitu non applicationis, sed, v. g., itineris, laboris et incommodi, aliquid tribueretur, annuente Episcopo, acceptari posset (S. C. 23 Mart. 1861) Parochi tamen, si non duas sed unicam Parocciam habeant, et propter eius vastitatem *binare* (idest secundam Missam celebrare) cogantur; tunc, applicatâ primâ pro populo, stipendium pro secunda recipere possunt; quandoquidem non duo sed unicum stipendium reciperent (Scavini III. 271). Nihil pariter vetat quominus Sacerdos binans, si forte pro confratre defuncto, iuxta piae (cui adscriptus sit) confraternitatis regulas, Missam applicare debeat, illam ea in occasione applicet; tunc enim stipendium non reciperet, sed charitatis actum adimpleret (S. C. 14. Sept. 1878).

V. Qui pro Missis celebrandis stipendium acceptavit, oneri suo rite satisfacere debet ex iustitia. Sed circa hoc multa considerauda sunt.

*a*) Oportet imprimis ut Sacerdos Missas applicet, nec periculo oblivionis ( eas non statim et rite notando ) se exponat ; et, quamvis certus esset, v. g., talem defunctum, pro quo Sacrificium petitur, eius fructu gaudere non posse, nihilominus illud pro aliis ad libitum applicare nequiret, nisi sub conditione quod nullo modo obligationi suae defecturus sit. Probabile est enim quod, si Missa illi defuncto non prosit, Sacrificii fructus eius propinquis devolvatur. Scavini (III. 183).

*b*) Oportet ut applicatio sit valida. Ad hoc exigitur ut saltem ante aut actu consecrationis ( nempe ante finem verborum *Sanguinis mei* ) intentio efformetur ; secus, stipendium percipi nequiret. Sufficit tamen applicatio *habitualis*, nempe prius efformata et nunquam retractata ; item *implicita*, dicendo, v. g. : Fructus Missae cedat cui cedere debet ( nempe iuxta intentionem Parochi vel Sacristae etc. ) ; vel : Applico pro eo cui, iuxta meas susceptas obligationes, applicare debeo etc. ; item *conditionalis*, v. g. : Si Sacrista intentionem efformavit, pro ea applico ; secus talem aliam intentionem efformo. — Quid si Sacerdos decem Missas pro decem diversis personis celebrare debens, illas celebraverit, sed quin determinaverit cui personae unumquodque Sacrum cedere deberet ? R. In praxi intentio huius Sacerdotis est ut Missae applicentur prout applicari debent ; id enim subintelligitur ( Gury II. 357 ) : unde sic distinguendum. Si dictae Missae datae fuerint successive, tunc ( iuxta axioma *qui prior est tempore potior est iure* ) de facto ita applicatae fuerunt ut primo prima, secundo secunda etc. cederet. Si autem eodem tempore pro decem diversis datae fuerint, tunc unumquodque Sacrificium, pro rata, omnibus cessit. Sed, ad avertendum quodlibet periculum, singulorum offerentium eleemosynae in folio distinctim adnotentur, et iuxta adnotationis ordinem applicentur. — Quaeritur an valide et licite applicari possit Missa antequam petatur ? R. Si actu celebrationis subsistat causa, propter quam Missa postulabitur ( v. g., si Sacerdos celebret pro iam defuncto, pro quo cras invitabitur, celebrationem sic anticipando ; aut etiam si dicat : applico pro primo, qui, prout Deus scit, Missam pro causa nunc existente a me petiturus est ) ; tunc applicatio valida et licita erit. Si vero fiat in genere pro primo offerente, seu pro causa quae hic et nunc forsan subsistit et forsan non subsistit ; tunc periculum

frustrationis aderit, et proinde huiusmodi applicationes illicitae erunt. S. Lig. (VI. 337) et cl. Ballerini (II. 377. q. 19. not. a). — Quid de Sacerdotibus, qui applicare debentes iuxta mentem Sacristae, dubitant an eo mane intentionem adhuc efformaverit? R. Valide applicant, si celebrare intendant iuxta praesentem aut mox futuram intentionem Sacristae Deo cognitam, quae intentio iam implicite aderit, si intendant applicare prout applicare possunt et debent. — Quid de variis erroribus qui in applicationibus contingere solent; v. g., 1° Debebam iuxta intentionem prius efformatam applicare *pro populo* aut pro quodam qui stipendium mihi dedit, et ex oblivione aliam efformavi intentionem, quam, si priorem meminissem, non efformassem? 2° Debebam applicare pro defuncto, sed ex mala intelligentia applicavi pro defuncta? 3° Invitatus die funeris applicavi pro defuncto cuius exequiae peragebantur, sed intentio Sacristae erat ut pro alio applicarem? R. In primo casu adfuit intentio explicita et praedominans applicandi *pro populo*, aut pro illo qui stipendium dedit; in secundo adfuit intentio absoluta applicandi missam datam, et sic implicite pro defuncto; in tertio casu potuit adesse intentio implicita applicandi iuxta mentem Sacristae, si nempe aliquando concepta fuerit generalis intentio ut Missae omnes cedant cui cedere debent; et quatenus ita sit, tunc in singulis his casibus applicatio valida fuit. Ratio est quia Missae applicatae seu Deo oblatae fuerunt vi prioris intentionis. Missa enim applicatur quando primitus intentio efformatur, nec postea praeter celebrationem quidquam aliud requiritur, ut bene probat Lugo (De Sacr. in gen. VIII. 9. 4). Intentio autem subsequens, si (ut supponimus) in errore fundetur, primam non destruit, et apud Deum nihil valet; unde applicatio in suo robore permanet. Hoc ad minus probabile esse debet. Caeterum, quum alterutra applicatio valida certe fuerit, melius erit (quando fieri potest) ut alia vice Sacrum applicetur ei cui applicatum non fuit. Cf. Gury (II. 355. et Cas. II. 335. 342. et I. 6).

*c*) Utrum Sacerdos, qui circa Missarum applicationem *probabiliter* muneri proprio satisfecit, quietus esse possit? R. Affirmative; idque apertissime docuit Lugo (De Euch. XIX. 249) inquiens: « Qui promisit Sacrum applicare pro aliquo, satisfa-« ciet applicando applicatione probabili »; loquitur autem de casu, in quo non gratis, sed accepto stipendio Missa applicanda fuerit.

*d*) Si designatum fuerit qua in Ecclesia aut in quo altari Missa celebranda sit, haec adiuncta (nisi dispensatio ab Epi-

scopo obtineatur) observari debent. Idem dic si qui stipendium dedit, dixerit, v. g., celebrandam esse Missam *de Requiem*, aut votivam, aut in sabbato ad honorem B. Virginis, aut ante talem Imaginem, aut pro defuncto in altari privilegiato (quo in casu Missa *de Requiem*, si intra hebdomadam ritus permittat, legenda erit. Gury 376). An autem horum adiunctorum omissio culpam gravem aut levem constituat, ex circumstantiis diiudicari debebit.

*e*) Circa tempus, intra quod Missae adventitiae celebrari debent, regula ordinaria est ut celebrentur *infra mensem*, iuxta responsum S. C. C. (17 Iul. 1755). S. Lig. tamen (VI. 317) id restringit ad Missas pro defunctis; quoad alias enim probabile censet « nequaquam peccare sacerdotem qui dicit Missam « promissam infra duos menses ». Et Gousset (II. 299) absolute dicit: « Si (quod saepe evenit) ille qui honoraria dedit, inten« tionem suam non manifestaverit, si nullum tempus pro cele« bratione Missarum constituerit, communis (*in Gallia*) est « opinio, sufficere si intra duos menses celebrentur ». Sed in hoc locorum consuetudines (quae propter penuriam vel multitudinem Sacerdotum legitime variare possunt) considerandae erunt. Apud nos adhuc praevalet persuasio quod infra mensem celebratio regulariter exequi debeat. Dilatio autem, quae tres vel quatuor menses excedat, merito gravis censeri potest (Gury II. 369).

Sed, si de offerentis intentione constet, huic intentioni standum erit. Haec est regula suprema. Hinc non sufficeret celebrare intra mensem, si Missa exigatur, v. g., pro tali die, pro tali solemnitate, pro nunc defuncto etc. Idem dic si petita fuerit pro causa urgenti, v. g., instante praelio, in periculo mortis, imminente sententia iudicis vel conscriptione militari, pro partu felici etc. — E contra differri poterit celebratio post mensem aut duos menses si offerens consentiat expresse, aut ex adiunctis satis clare dignoscatur talem esse eius intentionem. Hinc si unus oblator uni Sacerdoti centum v. g. Missas celebrandas dedisset, utique sufficeret si intra quinque aut sex menses celebrarentur. Citius tamen celebrari deberent si non uni Sacerdoti sed Communitati traditae fuissent. In his tamen casibus melius erit oblatoris intentionem explorare et cum eo convenire.

Quoad oblationes quae in capsulis animarum purgantium a Christifidelibus reponuntur, aut occasione concionis pro defunctis offeruntur, non est necesse ut infra mensem aut duos menses in Missis erogentur. Id tamen intellige quatenus loci

consuetudo ( de cuius honestate iam nemo dubitet ) maiorem latitudinem permittat. Certe tamen ad minus intra annum omnia erogari debent. Scavini ( III. 266 ). — Petes an oblationes eleemosynarum pro Missis, quae magna in copia ad Sanctuaria occasione Solemnitatis afferuntur, possint acceptari, quamvis non nisi post longum tempus erogari queant? S. C. C. ( die 23 Nov. 1697 ) dixit : « Non posse, nisi de consensu eorum qui « eleemosynas tribuunt ». Hic tamen consensus iam adesset, si Christifideles scirent, non infra modicum sed solum infra longum tempus Missas celebrari solere.

*f*) Quoad numerum Missarum, quaer. 1° An diminui possit, quia stipendia acceptata consueto stipendio minora sint aut evaserint? Negative ( seclusa fraude a parte oblatoris ). Privata auctoritate, nemo potest hac de causa Missarum numerum diminuere, ut expresse cautum fuit in Bulla *Nuper* Innocentii XII. n. 3. — Quaer. 2° An numerus Missarum ab offerente assignatus diminui possit propter *utensilia* ( nempe propter expensas luminum, vini, hostiae etc. )? R. Negative ; nisi forte Ecclesia pauper alio modo celebrationi Missarum providere nequeat. S. C. C. ( 23 Nov. 1697 ). — Quaer. 3° An idem numerus diminui possit, quia Capellaniae reditus non amplius sufficiunt? R. Si causa insufficientiae ab augmento stipendii provenerit ; tunc reductio, privata auctoritate, certe fieri nequit ( Trid. Sess. XXIV. c. 4 ) ; si vero provenerit a defectione redituum, tunc, si defectio sit totalis ( dos beneficii, v. g., pro aliquo anno evasit totaliter infructifera ), beneficiatus eo tempore celebrationem supprimere poterit ( S. Lig. VI. 324. 331 ) ; si autem sit partialis, tunc est iterum distinguendum. Si haec sit per accidens, dum prius fructus superabundabant et postea pariter superabundare poterunt, tunc beneficiatus nihil imminuere potest ( Tambur. Meth. Miss. III. I. 96 ) ; si autem sit stabilis, tunc pristinum Missarum numerum in posterum celebrare non tenebitur, et ( quatenus agatur de re clara ) privata auctoritate reductionem efficere poterit : prout sentiunt plures apud S. Lig. ( n. 331 ). Caveat tamen ne ex propria culpâ reditus deficiant ; beneficiati enim strictissime tenentur curare ut reditus conserventur, et media etiam coactiva in hunc finem, si opus sit, adhibere debent, ne Missas supprimere cogantur ( Ferraris *Missae Sacrif.* Art. 2 ). Caeterum in suppressionibus et reductionibus huiusce generis, ut periculum hallucinationis evitetur, reposci debebit consilium viri prudentis, et melius esset adire Episcopum, cui tandem ratio reddenda erit. — Quaer. 4° An Benefi-

ciatus seu Cappellanus, qui Missae quotidianae onus habet, a celebratione vel applicatione interdum abstinere possit? R. Seclusa iusta causa, certe non potest. Iustae causae essent 1° infirmitas; 2° si aliquando ex motivo conscientiae ad celebrandum non esset dispositus; 3° si propter humilitatem et reverentiam interdum (nempe semel in hebdomada) abstinere mallet; 4° si aliqua vice (nempe quinquies aut sexies in anno) pro suis defunctis applicare vellet; 5° si ex necessitate itineris suscipiendi vel ex alio impedimento vel ex quacumque causa rationabili (non exclusa moderato oblectamento) a celebratione abstineat. Sed tenebiturne tunc supplere per alium? R. Affirmative, si secus (re in complexu considerata) magna deficientia exurgeret. (pro casu infirmitatis dicunt: ultra duos menses). Si autem deficientia non sit adeo notabilis, tunc supplere non tenetur (quum famulis etiam aliqua rationabilis libertas concedatur, iisque, si brevi tempore aegrotent, stipendium non imminuatur). Excipe nisi ex verbis fundatoris aut ex indole fundationis satis constet, quod Missa nunquam deesse debeat; ut puta, si fundator dixisset: Volo ut Missa quotidie celebretur in tali ecclesia et tali hora fixa ad commodum populi; aut: Capellanus celebret quotidie sive per se sive per alium; aut: Capellanus curet ut Missam quotidie celebrare faciat etc. Cf. Tamburini (Meth. Miss. III. III.), Diana (II. LX), Lugo (Resp. mor. V. IX), S. Lig. (VI. 333), Lambertini (Inst. LVI. 6).

*g*) Ad quid teneatur qui Missam quidem celebravit, sed circumstantias ab oblatore requisitas neglexit? R. Si circumstantia requisita tanti momenti fuerit, ut, ea non servata, oblator aliam Missam celebrare facere cogatur; tunc Sacerdos ad novam celebrationem vel ad stipendii restitutionem tenebitur. — Ad hanc restitutionem TT. obligant etiam casu quo Missa pro causa urgenti celebrari deberet, et Sacerdos solum postea illam celebraverit; sed in praxi oblatores aegre quidem ferrent quod Sacerdos ita negligens fuerit; sed, Missâ pro iis iam tandem celebratâ, stipendii restitutionem non exigerent. In hoc tamen aliisque casibus, si forte pro adiuncta circumstantia stipendium auctum fuerit, hoc augmentum retineri nequiret; nisi eleemosynis aut aliis piis operibus defectus compensaretur. Notandum quod si Missa in altari privilegiato legenda erat, idque servatum non fuerit; haec omissio, lucrando indulgentiam plenariam defunctis applicabilem (qualis est indulgentia *Viae Crucis*), compensari poterit. — Gury et Ballerini (III. 376. 377).

*h*) Propter Missas non celebratas interdum obtineri potest

condonatio (vulgo *sanatoria*) a Sede Apostolica, vel compositio a reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe; sed S. C. C. (23 Nov. 1697) monuit, « praefatas condonationes et reductiones « ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu aequa com- « miseratione : compositiones vero a dicta Fabrica nonnisi ex « causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et « praesertim cum illa : *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse ac solere ». Si itaque cum huiusmodi malitia omissio contigerit, vel si alia condonatio in antecessum obtenta fuerit, id in supplicatione indicari debet. — Inter causas rationabiles praecipua est *paupertas* Sacerdotis, sive *absoluta* sive *relativa*, propter quam nempe indigeat labori, studio, concionibus etc. incumbere sive ut vivat, sive ut sui status decentiam conservet. Vide dicta (n. 385),

VI. Quaeritur an Sacerdos Missam quam, accepto stipendio, applicat, applicare etiam possit pro aliis a quibus stipendium non accepit, ita ut una eademque Missa satisfacere possit tum ei qui stipendium dedit, tum obligationi applicandi, v. g., propter Missam sive gratuito promissam sive iuxta piae confraternitatis regulas celebrandam ? R. Hoc admitti poterit, si Sacerdos veram et strictam applicandi pro aliis obligationem non habeat, et applicare intendat solum conditionaliter, nempe quatenus sine praeiudicio illius qui stipendium dedit aliqua applicatio subsistere possit. — Cl. Ballerini (II. 352. not. *a*) absolutam quoque applicationem tunc licere contendit, quia ex una parte (quum unicum receptum fuerit stipendium) nulla Ecclesiae prohibitio in contrarium adest; et ex alia longe probabilior (ut ait) sententia est, idem Sacrificium ei qui stipendium offert aeque valere, sive pro eo solo, sive pro aliis centum aut mille aut etiam pro omnibus fidelibus vivis ac defunctis simul applicetur; Sacrificii enim valor est infinitus, et quamvis in sua applicatione limitem habeat, tamen haec limitatio non est a parte sui, sed solum a parte subiecti qui propter suam dispositionem maioris fructus recipiendi capax non est; unde, si Missa offeratur pro uno, hic recipiet fructum per quantum capax est; et, si offeratur pro eo aliisque mille, omnes recipient fructum per quantum capaces erunt; et sic ille primus per aliorum accessionem in nihilo praeiudicabitur. Sed, si ita esset, tunc ad quid Missae applicatio? Cur nempe restringere intentionem et applicare, v. g., pro talibus defunctis, vel pro uno vel pro una; si isti in nihilo praeiudicarentur quamvis applica-

tio extenderetur ad omnes? Reponunt, applicationem pro hoc vel illo specialiter factam respicere non iam Sacrificium sed alias preces quae a Sacerdote in Missa nomine Ecclesiae recitantur; unde si hae preces, v. g., pro uno specialiter recitentur, ei iuvant magis quam si pro duobus vel tribus recitarentur. Sed (ego dico) si applicatio Missae in his precibus consistit, tunc, si forte Sacerdos ante consecrationem non applicasset, parum interesset sive actu consecrationis sive etiam postea applicaret. Quid insuper si Sacerdos esset excommunicatus; unde nomine Ecclesiae easdem preces offerre nequiret? Nunquid proinde invalide Missam applicaret? Ad quid insuper tanta Missarum multiplicatio occasione funerum? Ad quid anniversaria? Ad quid tot Missae perpetuae, si unica Missa sufficit ut defunctus sublevetur per quantum est capax? Strictius autem loquendo de casu nostro, si applicatio Missae in dictis precibus consistit; tunc, applicatione facta pro eo qui stipendium dedit, quomodo sine eius praeiudicio applicatio ad alios extendi poterit? Equidem contraria, quam cl. Ballerini tenet, opinio a pluribus Theologis sustinetur; sed a plurimis aliis reiicitur (cf. Lugo De Euch. XIX. XII), illamque et ego, maxime quia ab Ecclesiae sensu nimis abhorrere videtur, reiiciendam esse censeo.

VII. Quoad illos, qui Missas acceptant et postea aliis celebrandas tradunt, sequentia considerari debent.

*a*) Interdum obligatio potest esse personalis; et tunc Missae aliis tradi nequeunt. Pingue stipendium, v. g., datum fuit Sacerdoti eximiae pietatis, et oblator satis clare significavit suam esse voluntatem ut celebret personaliter. Quoad capellanias tamen obligatio personalis nunquam recognoscitur, nisi in fundatione adsint haec praecisa verba: *per se ipsum* (Cf. Lugo Resp. mor. V. XXVI.).

*b*) Interdum obligatio est localis, ut nempe Missae in tali Ecclesia vel altari celebrentur; et tunc tradi nequeunt aliis, nisi sub conditione quod ibi celebrent. Et hic notandum quod S. R. C. (17 Dec. 1695) decrevit quod « Missae, ad satisfaciendum « eleemosynis alicui Ecclesiae traditis, non sunt celebrandae « per exteros, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes « eiusdem Ecclesiae ». Imo generatim voluntas oblatorum esse censetur, quod Missae (nisi ita superabundent ut in civitate vel pago intra tempus conveniens celebrari nequeant) ad loca longinqua non mittantur.

*c*) Si pecuniae summa in suffragiis erogari debeat neque offerentes determinaverint stipendium, prout accidit in collectis

vulgo *pro purgatorio* ; tunc Rector ecclesiae sacerdotibus celebrantibus vel mortuorum officium recitantibus dare poterit stipendium iuxta loci consuetudinem, et iuxta praesumptam oblatorum voluntatem omnia erogare. Si autem versetur in dubio an tali vel tali modo praedictam pecuniam, eiusve partem, erogare possit, Episcopum consulat.

*d*) Sacristae tenentur Missas adventitias cum adiunctis requisitis et indicatione diei adnotare, adimplementum procurare, et tempestive intentiones absque confusione efformare. Si quando, attentis circumstantiis, grave periculum sit ne aliquis Sacerdos intentionem diversam efformet, illum admonere debent. Sed quid si singulae Missae applicandae sint pro diversis, et, confluentibus multis Sacerdotibus, duo eodem tempore Missam incipiant, et Sacrista non determinaverit quisnam pro uno et quisnam pro alio applicare debeat? R. Intentio Sacristae est ut Missae applicentur pro illis personis eo modo quo applicari poterunt. In casu autem non aliter fieri potest nisi ut ambo Sacerdotes pro illis duabus personis applicent. Sic ergo fiet, et oblatoribus nihil damni obveniet.

*e*) Qui Missas sibi oblatas alii tradit, videat imprimis cui tradat, ut reapse applicentur. Moneat quoque de adiunctis, et praecipue a quanto tempore eas acceperit, ut intra mensem (vel duos menses, iuxta supradicta) a die oblationis celebratio absolvatur. Melius erit insuper ut Missas, si sint pro diversis, distincte adnotatas tradat.

*f*) S. C. Concilii (9 Sept. 1874) vetuit ne bibliopolae et mercatores colligant Missarum eleemosynas, ut Sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, loco eleemosynarum libros aliasve merces rependant. Ratio est quia 1° Huiusmodi collectiones apud Christifideles male audiunt, et turpe mercimonium sapiunt; 2° Quum ut plurimum de viris saecularibus et parum meticulosis agatur, plurimae inordinationes acciderent; et Missae partim non celebrarentur, et partim celebrarentur quidem sed non intra tempus debitum, non in ecclesiis designatis, non cum stipendio quod ab oblatoribus datum fuit. Adde maximam confusionem quae ipsarum applicationum validitatem in discrimen coniicere potest.

Attamen eadem S. Congreg. interrogata utrum improbandi sint administratores diariorum religiosorum, qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente; respondit: Negative, dummodo nil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa sti-

pendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, *exclusa quacumque studiosa collectione Missarum*, et docto cui de iure de sequuta Missarum celebratione. — Idem dixit de iis qui, cum non sint bibliopolae nec mercatores *nec aliter Missarum celebrandarum quaesitores*, verum Ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus Missarum celebrandarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros evulgandos eas celebrandas offerunt Sacerdotibus, ut inde hi stipendii loco libros accipiant. — Apud Monit. Eccles. An. I. pag. 478.

*g*) Urbanus VIII, Innocentius XII in Bulla *Nuper* et Benedictus XIV in Bulla *Quanta cura* districte prohibuerunt ne Sacerdotes, qui Missas susceperunt celebrandas cum certa eleemosyna, easdem aliis, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandas committant. Porro id non solum avaritiam sordidissimam prodit, turpe mercimonium sapit, et Christifideles ab eleemosynis ad celebrandas Missas offerendis alienat; sed etiam furtum restitutioni obnoxium constituit, quatenus intentio fidelium est ut integrum stipendium Sacerdoti Missam celebranti et non aliis spectet. Idem dic si Missae a pio testatore relictae fuerint; tunc enim executor testamentarius, si Missas celebrare faciat alibi ubi stipendium est minus, salva iustitia augmentum sibi retinere nequit; eadem enim ratio viget. S. Lig. (VI. 322).

Haec tamen lex quasdam habet exceptiones. I° Quoad beneficiatos Innocentius XII dixit, hanc legem non habere locum, sed « satis esse ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium « celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam « secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione « beneficii aliud cautum fuerit ». — II° Si stipendium consueto pinguius datum fuerit non tam intuitu Missae, quam personae, v. g., propter amicitiam, propinquitatem, gratitudinem etc.; tunc Sacerdos excessum retinere potest. S. Lig. (VI. 321). Idem dic si clare constet quod augmentum spectet, v. g., Paroco pro iuribus stolae, vel (occasione Missae cantatae) propter inservientes, ceram, organum etc. Cf. declarationem S. C. C. (25 Iul. 1874) apud *Monit. eccles.* (I. pag. 464). — III° Ecclesiae, quae Missarum onera acceptaverunt, aliquid detrahere possunt pro utensilibus, si non habeant reditus qui in his expensis licite erogari possint. (Bulla *Nuper*). Caeterum Ecclesiae sufficienter provisae poterunt quidem huiusmodi Missas non acceptare nisi utensilla suppeditentur (Gousset 301); sed, si absolute eas acceptaverint, nihil detrahere possunt. S. Lig. (322 in fin.). — IV° Si forte (v. g., occasione solemnitatis)

aliquis praesto sit qui Missarum eleemosynas a turmatim offerentibus acceptet, nihil obstabit quominus pro illius mercede ex eleemosynis perceptis (iuxta praesumptum oblatorum consensum) aliquid detrahatur. S. Lig. (322. d. 3). — V°. S. C. Concilii interrogata an liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim propriis reditibus careant? Die 25 Iul. 1874 respondit, oblatorum consensum esse necessarium; secus non posse. — VI° Quamvis ex Missarum eleemosynis nihil detrahi possit ex avaritia et fine lucri, etsi Sacerdos substitutus huic imminutioni ei expresse indicatae consentiret (Bened. XIV. Encycl. *Quanta cura*); attamen, si finis esset honestus et irreprehensibilis (v. g., ad causam piam vel propter Sacerdotis paupertatem), et si substitutus nullo modo coactus libenter consentiret; tunc nihil vetaret quominus ex praesumpto oblatorum consensu pars stipendii (aut etiam totum) retineri possit. Cf. Acta S. Sedis (V. III. p. 558) et Frassinetti (Not. 117. ad n. 368).

508. Alienationes rerum ecclesiae et locorum piorum. Nomine alienationis intelligo venditionem, donationem, permutationem, locationem, mutuum, uno verbo quamlibet dominii sive directi sive utilis translationem. — Loquor imprimis de alienationibus quae a Parochis, vel monasteriorum Praelatis, vel legitimis locorum piorum administratoribus paraguntur. Hoc in puncto pro praxi sequentia delibare sufficit.

*a*) Nihil alienari potest nisi propter Ecclesiae vel loci pii utilitatem; unde, si quid alienetur, oportet ut aliud magis utile substituatur. Cavendum quantum fieri potest ne pretium (si summam ingentem constituat) in manibus Parochorum diu remaneat, cum periculo ne Ecclesia post Parochi mortem illud amittat. In hoc peccatum mortale de facili committi potest.

*b*) Res exigui momenti alienari possunt, nullâ petitâ licentiâ, dummodo statim substitutio fiat, et Episcopi consensus certo praesumi debeat. (Bertapelle n. 435). Attamen in pignus collocari nequirent; pro hoc enim superioris consensus non adesset. (Lambert. Notit. 69).

*c*) Res sive mobiles sive immobiles alicuius quidem momenti, sed valorem 25 scutatorum aureorum, nempe scutatorum 41 argenteorum (Fr. 220) * non superantes (dummodo fundi maioris

* Ita decisum fuit a S. C. C. in Favent. 22 Mart. 1711. Sed, quum monetae

partem non constituant), alienari possunt; sed expressa Episcopi licentia omnino exigitur. Scavini (III. 637), Lambertini (l. c.) etc.

*d*) Alienationes rerum sive immobilium sive mobilium, si praedictum valorem superent, ordinarie fieri nequeunt, nisi Apostolicae Sedis beneplacitum obtineatur; et prohibentur gravissime sub Excommunicatione (*Ambitiosae*), de qua alibi verba faciam. Dixi *ordinarie*, quia sine hoc beneplacito 1° Locari possunt fundi ecclesiastici, sed (ne locatio successori aut ipsi beneficiato nocet) neque anticipata solutione (Trid. XXV. de Ref. XI), neque ultra triennium fructiferum, nisi forte fiat ad solam vitam beneficiarii, vel ita ut transacto triennio consensus renovatus censeatur, nisi contrahentes a contractu recedere velle declaraverint. (S. Lig. IV. 187. not. 7. et Scavini III. 639). — 2° Alienari possunt bona ecclesiastica, si occurrat casus urgentis necessitatis vel magnae utilitatis, neque suppetat tempus Romam recurrendi. — 3° Pecunia Ecclesiae (si secus otiosa remaneret) ad mutuum lucrosum dari potest. In his tamen casibus licentia Episcopi peti debebit. — 4° Ex consuetudine suppellectiles Ecclesiae (etiam pretiosae) ad alias aeque pretiosas magisque utiles statim comparandas distrahi possunt. Reiffenstuel (Tom. III. tit. 13. n. 14) et D' Annibali (III. 93). — 5° Si res aliqua data fuerit Ecclesiae, ea intentione ut Parochus de eadem pro suo libito in Ecclesiae ipsius utilitatem disponere possit. In his duobus casibus nulla licentia necessaria erit. Cf. Scavini (III. 637), D' Annibali (III. 93) et S. Lig. (l. c.) contra alios.

*e*) Oblationes, quae a fidelibus Parocho traduntur, suntne bona ecclesiastica, an vero pleno iure Parocho ipsi spectant? Regula suprema est ut menti offerentium stetur; videndum nempe an Parocho, an potius Deo, B. Virgini, aut alicui Sancto oblationem faciant. — Quae dantur, v. g., occasione funerum, matrimoniorum, benedictionis mulierum post partum etc., haec (non secus ac stipendium Missae) parocho dantur. E contra vota, quae ad altare huius vel illius Sancti appenduntur, illi Sancto dedicantur. Cerei oblati ad aliquam gratiam obtinendam, statim vel intra tempus praefixum accendi debent, atque etiam ex integro cremari, neque pars pro Missis servari potest, nisi forte Parochus esset valde pauper, quo in casu parochiani non

valor ab anno 1711 usque ad ann. 1880 non parum decreverit, praedicta summa augenda esse videtur iuxta proportionem n. 367 a probatis Auctoribus indicatam.

censentur inviti. Collectae quae fiunt ad festivitatem, v. g., alicuius Sancti celebrandam, ex integro in hunc finem erogari debent fideliter et convenienter; et, si forte aliquid remaneat, vel pro anno sequenti vel ad augendum cultum speciatim illius Sancti reservari debet. — Sed quid de oblationibus, quae apud nos sive in cera sive in pecunia, occurrente festivitate Purificationis B. M. Virginis vel Solemnitate Corporis D. N. I. C., Parocho traduntur? Certe mens fidelium est ut cum his sacrae functiones toto anni cursu cum debito luminum decore peragantur; unde Parochi aut illorum haeredes, qui Ecclesiam ita spoliant, ut quoad ceram nullo modo aut non sufficienter provisa remaneat, a gravi et valde scandaloso latrocinio excusari nequeunt. Si autem cera superabundet, tunc non peccabit Parochus, si (nullâ etiam petitâ ab Episcopo licentiâ) ceram inutilem divendat, ut in rebus Ecclesiae decori inservientibus pretium impendat; aut etiam ut (si esset pauper et muneribus propriis bene satisfaceret) suae sustentationi consulat; si enim parochiani id scirent, non essent inviti. Sed quid si Parochus non esset pauper, et ceram superabundantem sibi applicaret? Tunc quoque a furto excusari non posse censeo. Quod enim cerae (etiam superabundantis) proprietatem Parochus non habeat, sat clare patet tum quia, si forte vendatur, id fit clam ne parochiani quidquam resciant; tum etiam quia, si a Parochi haeredibus auferatur, multae quaerimoniae et magni clamores semper fiunt. Neque officit quod Parochiani interdum quo magis Parochum diligunt, eo magis in oblatione abundent; quamvis enim oblationem Ecclesiae faciant, tamen credunt eo magis fore Parocho acceptam quo maior est, quum ea quae ad eius Ecclesiae decorem et ornamentum deservire possunt, illi cordi esse, et indirecte in illius utilitatem et honorem redundare existiment. Ad summum admitti potest quod in quibusdam paroeciis aliquae familiae, de cultu Dei nihil sollicitae, parum vel nihil curent quidquid tandem de cera fiat; quo in casu aliquid forte Parochus, salva iustitia, sibi applicare poterit, maxime si oblatio non in cera sed in pecunia facta fuerit.

*f*) Quoad arbores: beneficiati ad modum usufructuariorum disponere quidem possunt de ramis qui periodice caedi solent, et sic de foliis et fructibus; sed non de ipsis arboribus nisi in quantum Ecclesia consentiat; arbores enim non usufructuario sed domino spectant et quid unum cum fundo ipso constituunt. Ecclesia autem nunquam consentit ut arbores cum notabili fundi deterioratione non aliunde compensata, seu cum successorum

damno, caedantur; unde usurpatione et damnificatione gravissima se reos reddunt, qui arbores ad finem lucri caedunt, semper evellendo et nunquam plantando, unde demum fundi quam maxime deteriorantur. Quid itaque Ecclesia permittit? Resp. 1° Ut caedantur arbores si pro beneficii fabricis et restaurationibus necessariae sint; tunc enim fundi deterioratio (si locum habeat) compensatur; 2° Ut (intellige semper cum onere novae plantationis, si haec iuxta bonae culturae regulas fieri debeat) evellantur arbores mortuae; aut casu fractae; aut corruptioni proximae; aut, quamvis virides, si ad ignem dumtaxat aptae sint atque ad usum foci pro se et colono parce adhibeantur; demum si omnino evellendae sint, eo quod noceant vel nova plantatio (*un nuovo filare*) necessaria sit. Duo tamen sedulo notari debent. 1° Arbores annosae (v. g., quercus) sine expressa et formali Superioris licentia nunquam caedi possunt, prout a S. C. Episcoporum et Regularium die XIV Febr. 1840 decisum fuit; 2° Si magna caesio fieri deberet et novae plantationes non exigerentur, aut in proportione multo minus valerent; tunc summa ex arborum venditione percepta, detractis expensis, non secus ac pars fundi vendita fuisset, in beneficii favorem investienda esset. Cf. Vecchiotti (II. IV. 42); Bonacina (I. De Alien. bonor. eccl.); Ferraris (v. *Alienare* art. I. et IV); Roncaglia (Consil. XXII); Potestas (n. 941).

509. Nunc dicendum est aliquid de contractibus circa bona ecclesiastica a gubernis in his ultimis perturbationibus usurpata.

*a*) Prima fronte videri potest quod, usurpatione iam peracta, parum vel nihil interesse debeat Ecclesiae si eius bona, donec ab ipsa recuperari nequeunt (si iam impediri non possit ne ea divendantur) ad alios possessores usurpationis non complices transeant ab iisque retineantur; sed non semper est ita; et in pluribus casibus Ecclesia utiliter dominio suo uti potest et exigere ut sine eius licentia et sine quibusdam conditionibus sibi utilibus contractus non peragantur. Hinc ad modum regulae generalis sequentia statui possunt. 1° Si Ecclesiae nihil intersit ut licentia petatur, et reapse saltem tacite permittat ut, licentia non petita, quidam contractus ineantur; tunc nulla culpa aderit. 2° Si e contra valde ei intersit ut licentia petatur et quaedam conditiones serventur, idque de facto exigat; tunc contractum absque licentia celebrantes a peccato mortali excusari nequeunt; multo magis si Ecclesia sub excommunicatione contractum prohibeat. 3° Si demum licentiae petitio intersit quidem sed non graviter; ita ut Ecclesia nonnihil dumtaxat sit in-

vita: tunc mortale peccatum adesse nequibit, et ad illum casum excommunicatio extendi non poterit. Cf. Scavini IV. 226. — Sed haec generatim dicta non sufficiunt. Veniamus ad particularia.

*b) Emptio immobilium*, districte interdicitur et quidem sub Excommunicatione Pontifici reservata (de qua alibi verba faciam). Patet Allocutione Pii IX (25 Iul. 1873) et responso S. C. S. Officii (8 Iul. 1874), ex quo aperte patet, pro hoc casu valere Decretum Concilii Trid. Cap XI. de Refor. Sess. XXII. — Licentia emendi hodie difficile conceditur (cf. Scavini IV. 225); et, si concedatur, exigi solet ut emptor prius consignaverit syngraphum ab ipso subscriptam, Ordinario quamprimum transmittendam ac caute in Cancellaria Dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se suosque haeredes subiicere declaret.

1°. Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae eiusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi ipsa bona et rem utilem in eis gerendi.

3°. Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.

4°. Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis, seu locis piis, ad quae de iure pertinent.

5°. Monendi haeredes et successores per syngraphum subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. Ita S. Poenitentiaria 1. Iun. 1869. — Has conditiones sic explico.

Prima conditio vetat 1° ne fundus emptus vendatur aut quolibet alio modo alienetur, ita ut ad alios (nisi per haereditatem) transire nequeat. Per hoc et per syngraphum Cancellariae traditam diminuitur periculum ne Ecclesia fundum irreparabiliter amittat. Vetat 2° ne emptor ius proprietatis sibi vindicet, dum tamquam administrator dumtaxat ad nutum Ecclesiae illum legitime retinere poterit.

Secunda conditio imponit onus ordinariam adhibendi diligentiam ut fundus in bono statu servetur. Quid si, v. g., aedes ruinam minitentur; unde magnae expensae necessariae sint? R. In hoc casu emptor (quamvis sine licentia emisset), peritiâ factâ et Episcopo traditâ, ius ad indemnitatem (si futurum sit ut Ecclesia fundum sibi vindicet) semper habebit (Monit. Eccl. V. I. pag. 240).

Tertia conditio imponit obligationem 1° inquirendi an et quaenam onera fundo empto adnectantur; 2° si pensiones a Gubernio persolutae onerum satisfactioni sufficiant, tunc emptor ad nihil tenebitur (S. Poenit 23 Maii 1873); si vero Gubernium

illud onus suppresserit, vel pensionem insufficientem praebeat, tunc (nisi in Apostolico rescripto aliter statutum fuerit) emptoris obligatio subintrat: nec quidquam ei suffragatur si forte beneficiatus propter pensionis exiguitatem onerum reductionem obtinuerit; haec enim reductio non emptori sed soli beneficiato favet (Monit. Eccl. V. II. p. 1. pag. 59). Si tamen etiam fundi reditus nimis exigui essent, tunc emptor quoque reductionem petere poterit.

Quarta conditio subventionis quantitatem non determinat; neque locum haberet, si ecclesia, attenta summa quam ex pensione vel conversione recipit, nihil damni pateretur (S. Poenit. 23 Maii 1873).

*c*) *Emptio mobilium.* Pro his quoque emendis licentia exigitur, quae ab Episcopis (iure delegato) obtineri poterit, nisi agatur de re pretiosissima quae 500 scutorum valorem superet. — Licentia concedi solet sub sequentibus conditionibus; nempe, « remoto prudenter scandalo, atque erogata eleemosyna, favore « praesertim Ecclesiarum vel personarum ad quas res emptae « spectabant, ab Ordinario sive a Confessario taxanda, quatenus « emerint pretio quod, iudicio Ordinarii seu Confessarii, fuerit « minus iusto: ita tamen ut si agatur de rebus quae non sint « usu consumptibiles, sive quae servando servari possint, ea- « rum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, « et parati sint eas quandocumque Ecclesiis vel locis piis, re- « cepto soluto pretio, restituere; et curando pro viribus ut « suppellectiles, vasa et utensilia sacra in usum aliarum Ec- « clesiarum seu Oratoriorum transferantur, nec in profanos usus « assumantur ». S. Poenit. apud Scavini (IV. 227). Attamen, nulla petita licentia, apud nos semper empti fuerunt fructus terrae (nempe triticum, uva etc.) quamvis ad fundos illegitime retentos spectent; nec Ecclesia unquam Christifideles ab his emptionibus deterruit, neque illos de necessitate licentiam petendi admonuit. Et ex hoc coniicere licet, quod circa huiusmodi fructus licentia tacita (nisi in posterum Ecclesia reclamet) semper adsit.

*d*) *Revenditio*, ut patet ex supradictis, prohibetur. Sed quid si, contra vetitum aliquid revenditum fuerit? S. Poenitentiaria (1 Iun. 1869) declaravit, deponendum esse lucrum exinde iniuste perceptum in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus aliisque complicibus, ut propriae conscientiae consulant, cum obligatione standi mandatis

Ecclesiae (Cf. n. 487. c). — Lucrum tamen in manibus Ordinarii deponendum intelligitur non quod ex melioramentis, sed quod ex fundo (prout in statu pristino erat) provenerit. Si forte hoc lucrum statim et ex integro solvi nequeat, facile obtineri poterit ut obligatio illud per quotas annuas solvendi sufficiat. S. Poen. 21 Maii 1878 apud Monit. Eccl. (V. I. pag. 442).

*e*) *Locatio - conductio.* Episcopi habere solent facultatem concedendi ut fundi usurpati etiam ultra triennium conduci possint. Conditiones sunt sequentes. 1° Contractus est revocabilis ad nutum Ecclesiae ; 2° Si conductionis pretium fuerit minus iusto, eleemosyna personis sive ecclesiae cui fundus spectabat tradi debet ; 3° Conductor facere debebit quantum poterit sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium et templorum, si in eodem fundo forte adsint; 4° Cavendum erit ne conductio scandalum ingerat. S. Poen. (1. Iun. 1869).

Haec valent quoad conductionem fundorum rusticorum ; si enim de fundis urbanis ageretur, apud nos, vidente et tacente Ecclesia, nemo licentiam petit. Idem dic de agricolis, qui contractum (vulgo *colonia* aut *mezzadria*) ineunt, et fundos colunt.

*f*) *Redemptio beneficiorum.* Licentia redimendi beneficia patronis concedi solet cum sequentibus conditionibus ; nempe 1° Retinendi bona redempta ; quae proinde vendi nequeunt ; 2° Eadem bene conservandi ; 3° Impendendi fructus in satisfactionem summae Gubernio persolutae (quatenus haec summa repeti velit), ut tandem beneficium sicut prius integrum liberumque remaneat ; ad quem effectum obtineri potest etiam ut onera reducantur, et in casu vacantiae beneficium ad tempus vacans servetur ; 4° Si autem beneficium Rectorem habeat, hic nullum damnum pati debet ; 5° Redintegratione secuta, Rectoris praesentatio et omnium onerum adimpletio sicut prius peragi debent ; 6° Pro his obligationibus syngrapha Ordinario tradenda est ; 7° Per syngraphan etiam de his admonendi sunt haeredes, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. S. Poenit. (23 Ian. 1868 et 13 Iun. 1869).

*g*) *Hypothecae vel census impositio.* Bona ecclesiastica sive empta sive redempta nulli hypothecae vel censui subiici possunt ; idque etiam in Extrav. *Ambitiosae* districte prohibitum fuit. Cf. Monit. Eccl. (V. II. p. 1. pag. 90 et 122).

*h*) *Participatio.* Casus participationis innumeri esse possunt, et iuxta varias circumstantias varie resolvi debent. Exempla. Empturo fundum ecclesiasticum minimo pretio pecuniam suppeditasti ea lege, ut in revenditione maiori pretio peragenda

magnam ingentis lucri partem tibi tribuat. In hoc casu (non secus ac dixi supra *v. Revenditio*) lucrum sic ex fundo perceptum Ecclesiae tradere debes. — Emptionem fundi ecclesiastici efficaciter consuluisti. Male fecisti, sed si, consilio tuo seclusо, fundus certe ab alio veniâ non munito emptus fuisset, tunc Ecclesiae damnum non attulisses, cui proinde nihil restituere deberes. — Emptionis peractae tabellio publicum actum confecit; et, lite exorta, causidicus emptorem defendit etc., iudex sententiam in eius favorem dicit. Putarem, Ecclesiam contra tabellionem, causidicum et iudicem non esse invitam; ordinarie enim ipsa nullum damnum patitur, sive Caio sive Sempronio fundus adiudicetur; et si etiam, concurrente aliquo veniam habente, aliquod damnum pateretur, non de facili credendum est quod ab his Officialibus magna sacrificia exigat absque ulla utilitate; si enim ipsi recusarent, alii statim praesto essent. Cf. *Monitore Ecc.* (V. II. p. II. pag. 58).

510. Quid de censuum vel livellorum redemptione (*francatione censi, livelli*)? R. Non solum livella (quae suapte natura non sunt redimibilia) sed etiam census (qui suapte natura redimi possunt), si sint in favorem Ecclesiae, ab eorum debitoribus redimi nequeunt, nisi beneplacitum apostolicum obtineatur (Cf. Scavini IV. 229. 10. not. 1); idque non obstante lege civili, quae concedit ut censuarii et enphiteutae erga Ecclesiam debitores possint semper census et livella redimere, et quidem ope schedarum debiti publici, quae in commercio valorem nominali minorem habere solent. — Si tamen praedictum beneplacitum obtineatur, *quoad census* exigi solet ut erogetur in manus Ordinarii quidquid minus de capitali summa gubernio persolvitur, ad effectum illud conservandi favore locorum piorum ad quae census pertinebat. *Quoad livella,* vide Scavini (l. c. in fine).

## § IV.

### *De testamentis et successionibus.*

511. Quoad testamenta et haeredes testamentarios pro praxi recolenda sunt sequentia.

I. Interdum adesse potest obligatio condendi testamentum non solum ex charitate, v. g., ne lites suboriantur; sed etiam ex iustitia: si nempe restitutiones aut debitorum solutiones alio modo exequi nequeant. Sed quid si absque infamia haec declarari nequeant, aut testator timeat quod haeres legata in hunc

finem facta non sit executurus? R. Tunc fiduciis (si id fieri possit) recurrendum erit. Cf. Frassinetti (V. I. not. 82).

II. Haeres (vel legatarius) fiduciarius, qui expresse vel tacite promiserit se testatoris voluntatem iuxta secretam fiduciam adimpleturum esse, ad illam adimplendam quamvis legaliter cogi nequeat, tamen in conscientia (propter promissionem) districte tenetur. Ita omnes. Cf. Gury (Cas. I. 857), Scavini (II. 527) etc.

III. Haeres, si modo iniusto (v. g., vi, dolo, metu, promittendo advocare tabellionem et non advocando etc.) impediverit ne moribundus in aliorum favorem testamentum faceret, ad restitutionem tenetur: ita ut, si moribundus omnia aliis reliquisset, omnia restituere debeat. Quid si partem dumtaxat aliis reliquisset? R. Iure naturae hanc partem tantummodo restituere debet: sed leges civiles illum tamquam indignum ab hereditate prorsus excludunt (Cod. It. Art. 725). Dicerem tamen id valere solum post iudicis sententiam, tum quia agitur de lege poenali, tum quia lex, quae a iure naturali exorbitat, intelligi debet quod obliget quanto minus fieri potest. Cf. Lessium (XIV 57), et Gury (Cas. I. 353). Vide supra (n. 422. in fin.).

IV. Si testator descendentes vel ascendentes vel coniugem superstites relinquat, tunc legitimam eis relinquere debet, quae iuxta diversos codices diverso modo taxatur. Apud nos legitima filiorum (sive legitimi sint, sive legitimati, sive adoptivi) est medietas bonorum omnium, quae in tot partes subdividi debet quot sunt filii, quin inter masculos et foeminas ulla distinctio fiat. In filiorum (aut descendentium) defectu, legitima ascendentium est tertia pars. Quota hereditatis coniugi semper debetur: attamen in solo usufructu: et sic taxatur. Si coniux concurrit cum filiis, tunc consideratur ut filius; et proinde, detracta legitima filiis debita, ex reliqua hereditate detrahi debet pars aequalis parti quae uni ex filiis contigit; si autem concurrat cum ascendentibus, tunc quarta pars bonorum omnium ei spectat; et, si neque descendentes neque ascendentes adsint, tertia. Filiis naturalibus (si non legitimati sed legaliter recogniti fuerint) quotae quae, si essent legitimi, eis spectaret, medietatem vel duas tertias partes habere debent, secundum quod cum legitimis aut soli succedunt (Art. 805. et seqq.). Vidua tamen, si, non adhuc elapsis 10 mensibus a morte mariti, novum matrimonium contraheret, praedictum usumfructum imo et quidquid aliud a marito defuncto obtinuisset, amitteret. Art. 128.

Pars bonorum, quae detractâ legitimâ remanet, dicitur *disponibilis*, quatenus testator pro libito de illa disponere potest; et, si eius limites praetergressus fuerit, tunc haeredes in legitima praeiudicati dispositiones ita reducere possunt, ut integram legitimam habeant (Art. 821). Idem dic si testator propter donationes extra testamentum factas praedictis haeredibus praeiudicaverit; hae enim donationes quoque (his reclamantibus) reduci possunt (Art. 1091).

Ex his infertur, dispositiones *ultra disponibilem* non esse ipso facto nullas, sed solum rescindibiles, si nempe haeredes, aperta successione, reclament; prout dicunt etiam Lugo (XXIII. 147) et Gousset (I. 794). Hinc qui sive inter vivos sive per testamentum acceperit plus quam pars disponibilis patiebatur, non erit inquietandus si, praeiudicatis non reclamantibus, nihil restituat. — Idque a fortiori dici debet si dispositiones non extraneos sed filios respiciant, quatenus scilicet pater valde abundaverit cum uno filio et aliis quotam legali legitimae inferiorem reliquerit; maxime vero si ex causa rationabili (quamvis in Codice non considerata) sic processerit; unde scripsit Gury (I. 827). « Non sunt facile inquietandi filii, qui maiorem paternae « haereditatis partem non sine alterius haeredis detrimento ac- « ceperunt, quando ex rerum adiunctis coniici potest, parentes « ex aliqua iusta causa ipsis favisse... Imo Theologis non paucis « videtur, legem civilem non posse ita obligare parentes ad « aequalitatem inter filios servandam. Itaque eos *per se* a culpa « eximunt, si de caetero honestae filiorum sustentationi pro- « viderint, nec pravo fine moveantur ».

V. Testator non potest *proprio filio spurio* aliquid praeter alimenta relinquere; filius enim spurius ex legibus aliquid aliud ex paterna vel materna haereditate obtinendi incapax declaratur. Sed advertendum 1° Oportere ut tamquam talis declaratus fuerit sive a iudice sive a proprio parente testatore (Gury Cas. I. 868, et D'Annibali II. 545. not. 16); 2° Spurios heic a novis legibus italicis eos dumtaxat censeri, qui aut *adulterini* sint (quatenus nempe nati fuerint a personis quarum vel una dumtaxat actu conceptionis coniugata fuerit); aut *incestuosi* in sensu valde restricto (quatenus nempe nati fuerint a personis inter quas matrimonium subsistere nequiret ob impedimentum affinitatis in linea recta, aut consanguinitatis in secundo gradu collaterali computationis civilis). Art. 767. 180. Attamen ex iure canonico, nempe ex Constit. *Quae ordini* S. Pii V, filii nati ex patre detento impedimento Ordinis tamquam spurii et

paternae haereditatis incapaces semper habendi erunt. TT. communissime dicunt, hanc succedendi incapacitatem (quia nimis necessarium est ut filii legitimi ab illegitimis et maxime spuriis distinguantur) vigere non solum pro foro externo, sed etiam in conscientia ante quamlibet iudicis sententiam; et patrem graviter peccare si haereditatem aut legatum relinquat spurio, qui omnia restituere debet; idque (saltem iuxta legem civilem Art. 773) quamvis per interpositas personas acceperit. D'Annibali (II 545. not. 18). Vide tamen Salmant. (XIV. v. 66). Excipiuntur, ut dixi, alimenta, quae, inspiciendo tum conditionem parentum tum numerum haeredum legitimorum, iuxta bonum et aequum determinari debent; et TT. dicunt comprehendi non sola cibaria, sed etiam vestitum, habitationem, et (si opus sit) convenientem famulatum; imo filiam spuriam a patre (etiam clerico, attamen cavendo a scandalo) dotem percipere posse. Cf. Roncaglia (Consil. XXVIII), D'Annibali (II. 561), Salmant. (l. c. 51) et alios apud Dianam (VI. vii. 48).

VI. Dispositiones testamentariae interpretari atque executioni mandari debent iuxta testatoris intentionem, nempe iuxta id quod habebat in mente quando dispositionem fecit. Talis autem intentio eruitur a naturali et obvio verborum sensu, nisi ex circumstantiis argui debeat testatorem in sensu plus vel minus alieno a naturali locutum fuisse. Hinc inferenda sunt sequentia.

*a*) Si testator reliquerit dotes puellis matrimonium contracturis suppeditandas, verbum *matrimonium* non iam civiles sed ecclesiasticas nuptias significat. Ita apud civilia quoque tribunalia decidi potest. Cf. Del Vecchio (II. 68), et Scavini (II. 537).

*b*) Verbum *puella* (*zitella*) significat foeminam quae saltem duodecimum annum compleverit. Exigitur etiam ut nunquam nupserit; viduae enim non dicuntur puellae. Bonacina (III. xvii. 8. 4. n. 8-9).

*c*) Verbum *virgo* significat puellam quae suo honore gaudeat, quamvis secreto virginitatem amiserit. Aliqui censent, virginitate occulte amissa, dotem posse quidem dari sed non a puella peti; sed hic scrupulus est. Optime scripsit Laymann (III. ii. 3. n. 5): « Cum publice virgo habeatur, in externa « politia omnibus virginum privilegiis gaudet, ita ut, iuxta mo- « rem patrium, sertum, v. g., capite gestare possit. Similiter « itaque et dotem quasi virgo petere. Neque alia testatoris mens « fuit, quam ut dos daretur puellae, quae publice censeretur « virgo et casta... Discrimen observandum est inter simulatum « pauperem, et simulatam virginem quod illius simulatio iniusta

« et perniciosa sit : haec autem habeat ius dissimulandi suum « defectum, quamdiu bonam famam publice retinet ». Ita sentiunt quoque Salmant. ( XIV. v. 190 ), Croix ( III. n. 604), et D' Annibali ( II. 563. not. 14 ).

*d*) Quid de dotibus distribuendis puellis *honestis?* Excludendane esset puella quae notorie semel vel iterum fornicata fuerit, aut solum cum illo, quocum matrimonium contractura est, peccaverit? Aliqui ita sentire videntur, sed meo sensu non bene. Audiatur Sanchez ( De Matr. VII. xci. 31-36 ): « Legatum mi« nime perdi, admissa una vel altera fornicatione ; sed quando « foemina ita passim sui corporis copiam facit, ut merito dici « possit inhoneste vivens... ; unde in proverbium abiit : *Una « hyrundo non facit ver*.... Inhoneste et non caste vivere ha« bitum fornicandi petit ; ac subinde non contravenietur con« ditioni castae et honestae vitae ( ut amittatur legatum sub « illa relictum ) per unam vel alteram fornicationem.... Dedu« citur quid sentiendum sit de legato annuo relicto ut quotannis « distribuatur ad collocandas in matrimonium foeminas honestae « vitae, seu honestas... Existimo posse distribui foeminae quae « semel vel iterum fornicationem admisit ».

Scite tamen hic auctor ( l. c. 33 ) advertit, hanc doctrinam non esse extendendam ad casum usufructus relicti a marito viduae *donec honeste et caste vixerit*, « quia nullus sanae mentis « persuadere sibi poterit, virum, qui ex viduae fornicatione de« honoratur, dum expressa conditione petit in legato vitam vi« duae castam et honestam, solum petere ne sit meretrix... Cum « sit gravissima viri et consanguineorum utriusque coniugis in« iuria, ea fornicatio viduae, recedendum est a proprietate illo« rum verborum ( caste et honeste vivere, quae habitum im« portant ) et dicendum est violari eam conditionem unica for» nicatione ». Et idem dicit quoad dotem relictam propriae consanguineae determinatae sub conditione *si semper honesta remanebit;* tunc enim coniiciendum esset, « testatorem deside« rasse in ea specialem quamdam honestatem et pudicitiam, « prospiciendo honori suae prosapiae » ( l. c. n. 36 ).

*e*) Legatum relictum a marito propriae uxori sub conditione *si lectum meum servabis*, amittitur per secundas nuptias, quia intentio testatoris est ut eius thorus inviolatus servetur ; idque valet quamvis matrimonium civile non celebraretur. Sanchez ( l. c. n. 23 ). Cf. Cod. civ. ( Art 850 ) et Scavini ( IV. 555. in not. ).

*f*) Usufructus relictus, *durante coelibatu aut viduitate*, amittitur per matrimonium ; sed contingere potest quod solum

matrimonium ecclesiasticum non sufficiat ; si nempe ex una parte mens testatoris fuerit dumtaxat ut foemina pro interim sufficienter provisa remaneret, et ex alia, deficiente matrimonio civili (ex quo pro casu divortii aut mortis mariti iura habentur), ipsa non sufficienter provideatur ; aut pauperi nupserit, cui nunquam nupsisset si legatum perdere debuisset. In dubio expectare poterit ut haeredes recurrant iudici, qui iuxta testatoris mentem sententiam ferre debebit.

*g*) Usufructus a marito viduae relictus *donec cum filiis steterit*, utrum amittatur si vidua ad secundas nuptias transeat, quamvis cum filiis habitare velit, probabiliter hinc inde disputatur. Si tamen optimo viro nuberet, non intelligo cur usumfructum amittere debeat, maxime si vidua sic multo melius bono filiorum consuleret. Cf. Sanchez (VIII. xci. 47).

*h*) Legatum *in favorem pauperum*, si testator nihil omnino determinaverit, iuxta legem civilem (Art. 832), locali publicae beneficentiae instituto cedit. Si autem distributionem haeredi commiserit, tunc plures TT. censent quasdam regulas esse servandas, nempe praeferendos esse pauperes testatori magis coniunctos ; item concives ; item magis indigentes ; item pauperes probatioris vitae ; item nobiles a proprio statu delapsos ; item verecundiores ; item foeminas periclitantes ; item religiosos mendicantes ; item moniales valde indigentes etc. etc. Sed hae regulae grosso modo interpretari debent ; secus enim in tricas conicerent et infinitis scrupulis et perplexitatibus executores testamentarios exponerent. Melius forsan dixit Bonacina (III. xvii. 8. § 4. n. 2) : « Testatoris voluntas adimpleri videtur qui- « buscumque pauperibus tradatur..., etiamsi extent alii maiori « paupertate laborantes ». Idque multo magis si testator dixerit, haeredem vel executorem testamentarium distributionem facere posse *pro libito suo*. Et haec doctrina etiam ad casum dotium puellis honestis tradendam applicari poterit.

VII. Si legatum exequi nequeat in forma propria, nempe praecise iuxta id quod testator in mente habebat quando dispositionem fecit ; tunc animadvertendum est quod qui in favorem alicuius aliquid disponit, duas habet intentiones ; unam (ut ita dicam) generalem nempe eidem favendi ; secundam particularem, nempe favendi tali vel tali modo. Interdum generalis intentio favendi est adeo praedominans ut modus quid accidentale evadat ; unde, si legatum modo indicato adimpleri nequeat, mens testatoris est ut meliori modo possibili aliter adimpleatur. Huius naturae generatim esse praesumuntur 1° Legata pia, ut

patet ex Tridentino (Sess. XXV. VIII): quia testator voluit, haeredem carere illo legato, et summam illam expendi in bonum animae suae (Lugo XXIV. 305); 2° Legata in favorem personae determinatae ex affectu erga eandem. Titius, v. g., legavit dotem nepoti suae tradendam occasione eius matrimonii aut si nupserit. Dos ei debetur, quamvis, actu mortis testatoris, iam nupserit, aut potius, religiosam professionem emittendo, nuptias spirituales inire velit (Bonacina III. VII. 8. § 4. n. 6. 7). In his itaque duobus casibus legata, quamvis in forma propria adimpleri nequeant, generatim non fiunt caduca, et ab haeredibus solvi debent. Dico *generatim*, aliud enim esset si ex testamenti verbis aliisve circumstantiis de contrario constaret: ut puta, si Titius dixisset: Lego dotem Caiae si Livio nepoti meo nupserit.

VIII. Legatorum piorum executores ad stabiles aut momentosas illorum commutationes procedere nequeunt. Si forte aliquod legatum in forma propria iam amplius adimpleri nequeat, tunc commutatio Episcopo spectat; si vero adhuc quidem adimpleri possit, sed melius esse videatur ut alio modo erogetur, tunc beneplacitum Apostolicum necessarium erit. Lugo (l. c.) et Scavini (II. 347. 533). Si tamen de commutatione levis momenti pro casu raro ageretur, tunc Executores privata etiam auctoritate commutationem ipsam iuxta praesumptam testatoris mentem (nempe iuxta id quod disposuisset si casum praevidisset) exequi poterunt. Exemplum. Agitur, v. g., de dotibus quae quotannis distribui debent puellis orphanis matrimonium contracturis quae annum 24 praetergressae fuerint. Equidem executores neque viduis, neque puellis religionem ingressuris, aut parentes inutiles aut minorem aetatem habentibus easdem dotes distribuere possunt. Si tamen aliquo anno circumstantiae omnino extraordinariae occurrerent, et praecipue si puellae cum requisitis a testatore designatis omnino deficerent, nonne tunc commutationes huiusmodi parvi momenti privata quoque auctoritate facere possent? Cf. S. Lig. (930. d. 3) et Bonacinam (l. c. 8).

IX. Quoad dispositiones testamentarias informes (nempe legalibus solemnitatibus destitutas et proinde in foro externo invalidas) sequentia notari debent.

*a*) Unus testis, etiam probatissimus, nunquam sufficit ut huiusmodi dispositiones ullam obligationem producere possint. Cf. Scavini (II. 530).

*b*) Dispositio quae, etsi informis, tamen certe facta fuerit (quum de ipsa sive per duos testes, sive viva voce testatoris,

sive schedula ab eo subscripta constet), an in conscientia robur habeat. hinc inde probabiliter disputatur. Haeres itaque ab intestato illius executionem recusare poterit; et haeres ex tali testamento informi eandem exigere, et res quas forte in manu habeat retinere, easve (haereditate adhuc iacente) sumere; imo (iuxta nonnullos) occulta etiam compensatione contra haeredem, qui bona defuncti iam occupaverit et legaliter possideat, uti poterit. Sed hoc ultimum, quia nimiae perturbationes propter solum ius incertum provocarentur, in praxi probabile non videtur. Cf. S. Lig. (III. 927), Tambur. (Dec. I. III. 3. n. 18), Gousset (I. 796), Croix (III. n. 1118, et III. 1. 962) etc.

*c*) Donatio *causa mortis* (qua donans paciscitur se posse donationem revocare, et rem donatam non fieri donatarii nisi absque revocatione mortuus fuerit) hodie ex novis legibus nec tamquam donatio (Cod. civ. Art. 1066), nec tamquam testamentum nisi in testamento inclusa fuerit, sustineri potest. Hinc ad dispositionem testamentariam informem reducitur; unde donatarius post mortem donantis rem donatam et non repetitam (ante iudicis sententiam) retinere poterit. Gousset (l. c. 797).

*d*) Attamen dispositio informis certe valet et in conscientia obligat non solum si promissio intercesserit (prout dixi n. II); sed etiam si satis constet testatorem illam fecisse ut propriis obligationibus satisfaceret et conscientiae suae consuleret. De hoc dubitari nequit; idque patet etiam quia quidam Canonicus Andegavensis S. Poenitentiariae sequens dubium proposuit: « Eudorius coelibatarius, haeredibus necessariis destitu-« tus, graviter decumbens, *ut animae suae consulat*, statuit « partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem Bo-« nifacium legatarium universalem instituit per testamentum « debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio « tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab « ipso, ut eamdem fideliter exequatur. Bonifacius vero, mortuo « Eudorio, haereditatem integram servat, ex eo quod testa-« mento valido illam teneat (*et privata illa dispositio, utpote « informis, iuridice invalida sit*). Postulatur utrum in con-« scientia tutus esse possit? » Et Responsio fuit sequens: « S. « Poenitentiaria respondet, in casu exposito Bonifacium teneri « in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certe cogni-« tam, pro foro conscientiae » Die 23 Iun. 1844.

*e*) Plurimi censent, dispositiones testamentarias, etsi informes, ad causas pias semper et certe valere, quamvis testator nulla ductus obligatione illas fecerit. Cf. Gury (Cas. I. 859).

Vecchiotti ( II. iv. 52 ), Scavini ( II. 328 ) etc. Fundamentum potissimum in praefata S. Poenitentiariae responsione collocant. At vero alii, inter quos D'Annibali ( II. 542 ), rem non adeo clare evinci, et grave dubium adhuc remanere censent. Caeterum pro praxi omnes advertunt cum Gousset, ut omni quidem modo confessarius piae dispositionis executionem suadeat, vel inducat saltem poenitentem ad rem cum legatariis vel piis locis componendam ; ast ( supposita bona fide ) caveat ne rigidam obligationem imponat et renuenti absolutionem deneget.

X. Si quis ante mortem expresserit suam esse voluntatem relinquendi pecuniae summam, v. g., Titio ; sed, repentino casu morte praeventus, testamentum, ne informe quidem, facere potuerit ; licebitne Titio eandem summam clam accipere ? R. Negative certe si defunctus non seriam et firmam voluntatem sed propositum vagum faciliterque mutabile dumtaxat expresserit. Negative etiam si haeredes in pacifica haereditatis possessione iam sint : idque patet a fortiori ex dictis ( n. praec. *b* ). Negant quoque Theologi in quovis casu et quamvis haereditas sit adhuc iacens. Scavini ( II. 528 ), Gousset ( I. 798 ), Frassinetti ( not. 82 ) etc. Attamen Gury ( Cas. 1. 800 ) scripsit : « Minime damnanda foret Lucina, si exiguam pecuniam pro « Sacris ad intentionem defunctae faciendis ( *prout in testamento* « *disponere statuerat* ) impenderet, si verum sit fratrem ( *hae-* « *redem* ) impium aut incuriosum nulla vel paucissima pro so- « roris anima procuraturum esse ; tunc enim voluntas mori- « bundae certe praesumenda foret ». Sed ( ego dico ) si voluntas praesumpta sufficit ut sumatur pecunia pro Missis ; cur non sufficiet ut sumatur ad alium quemcumque finem a moribunda intentum ? Qui aliquid accipit iuxta praesumptam domini voluntatem, si non peccat in aliis casibus, cur peccare debebit si de ultima morientis voluntate agatur ; et, quin turbationes provocentur, id exequi possit ? Nonne insuper testamenti substantia in hac voluntate ( maxime si iam pluries fuerit expressa ) consistit ?

512. Nunc dicendum est aliquid circa successiones *ab intestato ;* declarandum est nempe quibusnam cedat haereditas illius, qui sine valido et acceptato testamento moritur.

I. In hoc casu leges civiles testamentum supplent. Videndum est itaque quid propriae nationis codex disponat. Apud nos

*a* ) Si adsint descendentes, nempe filii legitimi aut legitimati, vel proles filiorum ; hi totam haereditatem adeunt ; quae in tot partes aequales dividitur quot sunt filii sive viventes,

sive mortui cum dicta prole; nec ulla distinctio fit inter masculos et foeminas (Art. 736. 737). Attamen 1° Coniux superstes tamquam filius computatur, aequalemque filiis partem habet, sed in solo usufructu (Art. 753). 2° Filii naturales *recogniti* (iuxta Art. 181. 192) ius habent ad medietatem portionis, quae eis spectasset si legitimi aut legitimati fuissent (Art. 744). 3° Spurii (de quorum paternitate vel maternitate iuxta Art. 193 constet) ius habent ad alimenta (Art. 752).

*b*) In defectu descendentium legitimorum, si adsint filii naturales, isti succedunt, qui tamen cum ascendentibus et coniuge defuncti dividere debent, iuxta Art. 745-747.

*c*) In defectu etiam filiorum naturalium, haereditas dividitur inter ascendentes, fratres, sorores, et coniugem, iuxta Art. 738 et 754.

*d*) In defectu ascendentium, fratrum et sororum; divisio fit inter coniugem et consanguineos proximiores defuncti, sed, si non adsint consanguinei intra sextum gradum computationis civilis (nempe si ne secundi quidem consobrini adsint), tunc tota haereditas coniugi devolvitur (Art. 755).

*e*) Deficiente quoque coniuge, consanguineis usque ad decimum gradum (nempe usque ad quartos consobrinos) haereditas debetur (Art. 742).

*f*) His quoque deficientibus, fiscus (nempe publicum aerarium) haeres erit.

II. Antiquis legibus vigentibus, alicubi filii masculi excludebant foeminas quibus sola dos congrua debebatur. Novae leges foeminas masculis aequiparant. Sed quid si masculi, novis legibus non attendendo, totam adeant haereditatem, et sororibus (quae iam dotem receperunt), nisi iudicialiter compellantur, nihil tribuant? Cogine debent sub peccato mortali et sub denegatione absolutionis ut, etiam ante iudicis sententiam, partem aequalem, prout novae leges statuunt, nihil detrahendo nihilque abscondendo, sororibus tribuant? Quaestio gravissima et valde practica haec est; de qua auctores hactenus non egerunt. Dicerem, fratres (quousque hoc punctum magis non elucidetur) adeo absolute non esse cogendos, nisi satis pateat, voluntatem quoque defuncti fuisse ut foeminae masculis aequipararentur. Rationes sunt sequentes. 1° Praesumendum est voluntatem paternam fuisse, ut bona sua in propria domo et in filiorum manibus conserventur; si enim multi patres interrogarentur, fere omnes talem esse propriam voluntatem dicerent; prout legislatores (maxima ex parte) senserunt. Filii itaque haereditatem

retinerent ex patris voluntate ; et hoc fundamentum satis firmum esse videtur. 2° Leges civiles, in statuendis regulis pro successione, defunctorum voluntatem iuxta communiter contingentia interpretari debent, idemque est ac si pro iis testamentum facerent ; sed in casu hanc voluntatem minus bene interpretari videntur. 3° Quod filii partem aequalem sororibus ante iudicis sententiam dare debeant nimis durum videtur, saltem quando ipsi patrem senescentem semper custodierunt propriosque labores ad paternum assem servandum vel augendum contulerunt, dum sorores, patre iamdudum relicto, alibi laborarunt. 4° Hi filii, si etiam timoratae conscientiae sint, peccare non credunt, si sororibus (quae congruam dotem iam habuerunt) nihil aliud tribuant : imo, si illae aequaliter dividere praetendant, id pro vexatione habent, cui solum coacti cedere debere existimant. 5° Quando, tali vel tali modo agendo, ius naturae sat bene servatur ; tunc, si forte lex civilis aliud determinet, plura habemus exempla in quibus probati Theologi docent, subditos ante iudicis sententiam non teneri legi civili sponte se subiicere, si hoc grave admodum, incommodum et damnosum eis sit ( vide supra n. 415. X. v. *Sed alii*) ; maxime si ( eo modo agendo ) ius naturae non solum sat bene sed melius servetur. Vide Gousset ( I. 702 ).

III. In locis ubi matrimonium civile viget, sequentes casus occurrere possunt. 1° Titius, contracto solo matrimonio ecclesiastico, moritur intestatus quin filios legaliter recognoverit ; et sic haereditas ascendentibus et collateralibus devolvitur. — 2° Caius coniunctus civiliter cum Bertha et ecclesiastico ritu cum Livia, ex utraque liberos suscepit, et ( Liviae filiis legaliter non recognitis ) moritur intestatus ; unde haereditas Berthae eiusque filiis adiudicatur. — 3° Sempronius, solo matrimonio civili contracto, moritur intestatus cum filiis, qui proinde totam simul cum matre haereditatem adeunt ; et sic ascendentes exclusi remanent. — 4° Moevius, solo matrimonio civili cum Lavinia coniunctus, moritur intestatus sine prole. Lavinia itaque haereditatis partem sibi vindicat, quae ( si matrimonium civile non adfuisset ) Moevii consanguineis ex integro spectasset. — 5° Lucretia, mortuo marito, quotam viduae spectantem accipit. Sciendum quod, iuxta novas leges, si vidua, non adhuc elapsis decem mensibus a morte mariti, secundas nuptias civiliter ineat, praedictam quotam amittit ( Cf. Art. 128, et Scavini IV. 555. pag. 753. in not. ). Lucretia itaque, ut quotam eandem non amittat, coram Ecclesia dumtaxat nuptias contrahit. —

Quaeritur an quidquid per huiusmodi successiones acquiritur, tuta conscientia retineri possit?

Haec etiam quaestio valde practica est, et de ea nihil hucusque a Theologis dictum reperii. Ego censeo imprimis quod claris dispositionibus legis naturalis et divinae standum sit. Lex autem naturalis et divina clamat quod filii ex matrimonio ecclesiastico procreati sunt legitimi, et paternam haereditatem saltem magna ex parte habere debent, et quidem ita ut aliis filiis ex fornicatione, concubinatu, vel adulterio progenitis praeferantur. Ab hoc iure ne a patre quidem excludi possunt. Censeo insuper quod toties quoties pater decesserit, dum cum propriis filiis ex matrimonio ecclesiastico susceptis vivebat, non solum magna ex parte sed ex integro haereditas iisdem filiis eorumque matri tradi debeat in conscientia; talis enim est defuncti voluntas, quam lex civilis non aliter interpretari debebat. — Quando autem iuri naturae et voluntati defunctorum vis clare non inferatur, tunc legis civilis dispositionibus etiam in conscientia stari poterit.

Hinc in primo casu ascendentes et collaterales Titii totam haereditatem filiis et viduae illius relinquere debent. — In secundo maior ad minus haereditatis pars filiis ex matrimonio ecclesiastico susceptis debetur. — In tertio demum, quarto et quinto casu haeredes legales inquietandos non esse dicerem; donec sapientiores aliter decidendum esse non ostendant.

513. Quoad successionem sive ab intestato sive ex testamento notandum est 1° quod, si haeredes sint plures et unus ex his debitum habeat erga defunctum, illud in divisione haereditatis computare debet, aut (si de debito ex occulto delicto agatur) cohaeredibus postea occultam restitutionem facere tenetur. Excipe nisi a defuncto ante mortem, vel a cohaeredibus (sive expresse, sive tacite, sive praesumptive) condonatio concessa fuerit. Excipe etiam nisi cohaeredes debita non minora erga defunctum habeant. Hinc facile resolves quid dicendum sit de filio, qui furta domestica commiserit aut fraudibus pecuniam a patre extorserit, et nunc simul cum fratribus haereditatem paternam adeat. Si enim agatur de veris furtis (cf. n. 361. *Tert. cas.*), patre non solum quoad modum clam auferendi sed etiam quoad substantiam invito (cf. n. 369. VII); si insuper haec furta verum damnum attulerint (interdum enim filii insumunt in vitiis ea quae pro honestis recreationibus a patre postularunt, et tunc, ut notat Lugo XXIV. 212, verum damnum non afferunt); si praeterea alii fratres quid simile non perpetraverint; et si pater

in testamento partem minorem filio reo non assignaverit, quia de illius furtis nihil sciverit; si demum, consideratis circumstantiis (l. c. indicatis) et praecipue an furta ingentia fuerint et occulta remanserint, condonatio neque a parte genitoris defuncti, neque a parte fratrum praesumi possit; tunc furta perpetrata in divisione haereditâtis certo certius computanda sunt.

Notandum est II°, quod aliqua interdum a patribus dantur filiis non absolute, sed in partem legitimae, nempe ad modum legitimae anticipatae; unde haec quoque in divisione computari debent. Sed quomodo cognoscitur an ea, quae data fuerunt, huiusmodi generis sint?

R. Aliqua sic communiter dari solent, unde, si pater ea dederit nihilque in contrarium dixerit, computari debent. Huiusmodi sunt 1° Dos et suppellex filiae tradita sive matrimonii sive professionis religiosae occasione; 2° Patrimonium sacrum a patre filio constitutum. (Cod. civ. Art. 1007). 3° Fundi filio, v. g., occasione eius matrimonii, a patre assignati (Scavini II. 531). Haec, inquam, ita dari solent ut postea computentur, sed intellige quoad sortem non vero quoad fructus, qui alimentorum locum tenent (Lugo XXIV. 202, et Cod. civ. Art. 1013). Attamen nihil vetat quominus pater haec etiam ita tribuat, ut non sit necesse quod postea in haereditatis divisione computentur (dummodo alii filii in legitima praeiudicium non subeant); si enim pater potest aliquid absolute donare extraneo, cur non filio? Oporteret tamen ut hanc intentionem, a communi usu alienam, exprimeret.

Alia sunt quae dari quidem possunt a patre cum onere ea computandi, sed communiter hoc modo dari non solent; et haec computari non debent, nisi pater (quando dedit) hoc pactum adiecerit. In hac classe a Theologis recensentur sumptus ingentes a patre facti ut filius magnum bonum assequatur (v. g, pro studiis, laurea doctorali, assecutione dignitatis, beneficii etc.), vel a magno malo (v. g., carcere, debitis, militiae periculis etc.) liberetur. Pater (inquam) exigere potest ut expensae huiusmodi computentur, idque maxime si filius ex bonis propriis sibi providere posset; sed oportet ut, antequam expensae incantur, filius huic computationi consentiat. Cf. S. Lig. (III. 955), Lugo (l. c.), D'Annibali (II. 597. not. 12) etc. — Attamen leges civiles et Iurisconsulti dicunt, expensas pro educatione et instructione computari non debere; et e contra quaslibet donationes publico actu confectas; nec non expensas ad solvenda debita filii, vel ut ei procuretur quodlibet officium aut statum,

vel ut a militia eximatur, esse computandas (Cf. Art. 1001. 1007. 1009. et Scavini II. 531). Ego dicerem, post iudicis sententiam standum esse cum lege civili; sed ante sententiam cum Theologis, qui iuri naturali pressius adhaerent, stari posse.

## APPENDIX

### DE ELEEMOSYNA ET CORRECTIONE FRATERNA

514. Lex divina, dum prohibet ne, occidendo, furando etc., malum proximo inferamus; iubet etiam ut (prouti possumus) auxilio ei praesto simus et ingruentia mala sive corporalia sive spiritualia ab eo avertamus; secus enim proximum nostrum non vere diligeremus: unde (1. Ioan. 3) legitur: « Fratres, non « diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ». — Malis corporalibus eleemosynâ, et spiritualibus correctione fraterna speciatim subvenimus.

#### *De eleemosyna.*

515. Hoc in puncto doctrinas nimis rigidas et nimis laxas apud Theologos non paucos invenio.

Multi (Cf., v. g., Laymann c. VI. 4) dicunt: = Si proximus in gravi necessitate versetur, succurrere ei tenemur quamvis a nostro statu aliqualiter decidere cogamur; si autem in extrema necessitate versaretur; tunc, non obstante substantiali a proprio statu lapsu, ei succurrere debemus, cum vita proximi bono nostro longe inferiori (qualis est altioris status conservatio) praevalere debeat =. Haec doctrina nimis rigida est; si enim ne ad propriam quidem vitam conservandam quispiam expensas adeo ingentes facere tenetur ut familia a proprio statu decidat, quomodo ad illas teneri potest ut vita alterius conservetur? S. Thomas (2. 2. XXXII. 6) loquens de proximi necessitate *extrema*, dicit, divitem, qui cum aliqua privatione altitudinem proprii status imminuente ei succurrat, esse laude dignum, sed non dicit quod ad id teneatur. En sua verba: « Quando occur- « reret *extrema* necessitas alicuius privatae personae, vel e- « tiam aliqua magna necessitas reipublicae; in his casibus *lau-* « *dabiliter* praetermitteret aliquis id quod ad decentiam sui « status pertinere videretur, ut maiori necessitati subveniret ».

Apud alios e converso (teste D' Annibali II. 87) sequentes inveniuntur propositiones. Nemo tenetur *sub gravi* eleemosy-

nam facere neque in communi neque in gravi pauperum necessitate. Obligatio gravis ad necessitatem extremam reducitur; et quidem pro casu dumtaxat in quo non solum vitae sed etiam statui superflua habeantur, deductis nempe expensis necessariis pro educatione filiorum, dotibus filiarum, infortuniis futuris, hospitalitate, conviviis aliisque munificentiis propriae conditioni convenientibus (ut explicant Roncaglia III. 3. et S. Lig. II. 31). Raro ergo accidit quod divites (tot ac tantis subtractionibus factis) plura in bonis suis habeant quam ad statum eorum necessaria sint (ut concludit Laymann l. c.). Divitibus itaque, qui solum in proximi necessitate extrema et ex solis superfluis statui eleemosynam dare volunt, absolutio denegari nequit; lex enim dubia non obligat, et quando de gravitate obligationis non constat, peccaret Confessarius si illam imponeret. Alios auctores refert cl. Ballerini (I. 228. not. *a*) qui dicunt: « Non facile « quempiam damnandum, quia est nimis difficile iudicare cui « et quantum sub gravi teneamur dare; quia incertum est per « quid necessaria a superfluis distingui possint; et quae et quanta necessitas in paupere requiratur; quantum etiam unicuique « ad naturam et statum sit necessarium; et an vera sit an simulata pauperis necessitas; et an sint alii divites qui velint « illi succurrere; multaque alia incerta sunt ob quorum ignorantiam non sunt facile damnandi ». Sed propositionibus huiusmodi certe ego non assentior. Doctrinam autem, quae culpam mortalem in omissione eleemosynae ad casum rarum reducit, censeo esse laxissimam, Christianae charitatis destructivam, et cum Evangelio incompossibilem. Quidquid sit de numero et auctoritate Theologorum, a quibus haec doctrina tradita fuerit vel ex quorum principiis huc illuc sparsis deduci possit, omnino standum est cum Evangelio, in quo (Matth. XXV) haec reperiuntur: « Tunc (Christus iudex) dicet et his qui a sinistris « erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis eius. Esurivi enim et non dedistis « mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes « eram et non collegistis me; nudus et non cooperuistis me: « infirmus et in carcere, et non visitastis me..... Amen dico « vobis: quamdiu non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium aeternum ». Porro Christus Dominus hic propter omissionem eleemosynae aliarumque subventionum corporalium ad poenas aeternas damnat non iam paucos aliquot sed multitudinem. Quomodo itaque peccatum mortale hoc in puncto ad casum rarum reduci potest? Omissis

itaque subtilibus distinctionibus, quae ad hanc absurdam doctrinam adducunt, verum principium est quod unusquisque tenetur sub gravi succurrere proximo suo graviter indigenti toties quoties sat faciliter id praestare potest. Qui divitias non habent necessitatibus passim occurrentibus certe succurrere non tenentur quia ipsa frequentia efficit ut hoc praestare nequeant ; attamen hi quoque sub gravi interdum ad subveniendum proximo teneri possunt ; v. g., vicinus vicino (occurrente aliquo magno infortunio, pro quo auxilium imploret) ; medicus alicui pauperi infirmo ; advocatus alicui pauperi viduae vel orphano iniuste oppresso ; consanguineus consanguineo graviter indigenti ; et demum unusquisque si proximus in extrema necessitate versetur. — Sed divites necessitatibus etiam passim occurrentibus (pauperibus nempe, qui, v. g., propter senilem aetatem vel infirmam valetudinem labori inepti famem patiuntur) facili negotio succurrere possunt ; et proinde unusquisque pro parte sua ad id tenetur ; et illi, qui nihil aut fere nihil dare volunt, a peccato mortali excusari nequeunt ; agitur enim de re magni momenti, pro qua oportet ut non levis sed gravis obligatio urgeat. Multi in hoc deficiunt ; et proinde nil mirum si Christus Dominus praenuntiaverit, multitudinem hac de causa aeternae damnationi fore subiectam. Praeterea ( 1. Io. 3 ) legitur : « Qui « habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum « necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ? » Et S. Ambrosius ( De offic. I. 31 ) subiunxit : « Grandis culpa est si, sciente te, fidelis egeat, « si scias eum fame laborare, aerumnam pati, praesertim si « mendicare erubescat ». Rarissimus est casus in quo vir dives ab eleemosyna facienda eximatur ; oporteret enim ut vel esset in loco ubi miseriae sublevandae non reperirentur, vel in talibus versaretur circumstantiis ut vere sine gravi sacrificio eleemosynam facere nequiret Sed in praxi ex una parte miseriae graves, gravissimae et quasi extremae pene ubique abundant ; et ex alia quoad divites summa etiam notabilis, quae in eleemosynis quotannis erogetur, ( avaritia seclusa ) vix sensibilis esse solet ; neque profecto filiorum educationem, filiarum dotes, atque alia ad decentiam status pertinentia ( Domino ipso virum misericordem benedicente ) eleemosyna impediet ; scriptum est enim : « Qui dat pauperi non indigebit ». Dico insuper : Eleemosyna nonne inter ea, quae ad decentiam status pertinent ; imo, nonne ante convivia aliasque munificentias collocari debet? Cf. Gury (Cas. conso. I. 219).

Circa quantitatem pecuniae in eleemosynis erogandae aliqui cum S. Lig. (Hom Ap. IV. 18) dicunt sufficere ut ex redditibus decentiae proprii status superfluis dentur duo pro centum si necessitates pauperum sint *communes;* si vero sint *graves*, tunc multi cum Roncaglia (VI. III. 3) dicunt omne superfluum dari debere; si demum sint *gravissimae* seu extremae, tunc quantum oportet, subtractiones faciendo ex iis quoque quae statui necessaria sunt. — Sed haec regula partim non concordat cum iis quae supra diximus cum S. Thoma, et partim nulla ratione fundatur. Cur enim duo dumtaxat pro centum et non tres vel quatuor ex superfluis dari debent? — Praeterea in praxi quomodo applicabitur? Necessitates communes nunquid sunt leves? Necessitates graves et gravissimae quandonam absunt? Nonne semper abundant? Insuper istud statui superfluum quomodo determinatur? Si necessaria pro victu, vestitu, educatione, dotibus, conviviis, solatiis, munificentiis, famulis, ministris, infortuniis praesentibus et futuris etc. detrahi debent, profecto superfluum difficile invenies, difficilius determinabis. Ego itaque censeo, rem huiusmodi determinari non posse; et divitem esse graviter culpandum si nihil aut fere nihil in eleemosynam tribuat; e contra non esse inquietandum, si curam pauperum habeat, quae, iudicio boni viri, inspecta quantitate eius divitiarum et maiori vel minori pauperum numero et necessitate, sufficiens videatur.

### *De correctione fraterna.*

516. Haec definitur: Monitio salutaris qua quis peccatorem a peccato revocare conatur. Ordinarie ad emendationem peccatoris ipsius, sed aliquando ad alios fines et praecipue ad evitandum aliorum scandalum dirigitur. Correctionem quis perficere potest interdum per se; interdum vero ope Superiorum; et isti rigidius ad corrigendum tenentur.

Ut qui non est superior ad correctionem aliquam pro solo bono fratris delinquentis per se ipsum (utique benevole et secreto in camera charitatis) efficiendam teneatur, sequentia requiruntur.

*a*) *Cavendum est imprimis ne correctio sit noxia.* Attamen ut talis considerari non deberet, si nocumentum quod timetur (v. g., momentanea excandescentia), in comparatione boni quod speratur, parum esset aestimandum; maxime si ageretur de articulo necessitatis, nempe de iam iam morituro in evidenti

peccato mortali : si enim ex correctione ( a persona magis idonea et meliori modo possibili exequenda ) nova etiam peccata timerentur. hic timor conversionis spei ( ut ut modicae ) difficile praevalebit. Caeterum ( secluso hoc casu extremo ) in praxi correctiones inter privatos et aequales saepe saepius vere noxiae sunt : ut plurimum enim formidandum est ne in sinistram partem accipiantur, nova mala provocentur et nihil boni obtineatur. Idque speciatim si correctiones essent nimis frequentes, aut erga personas ignotas quarum indoles non cognoscitur, aut in casibus repentinis sine ponderatione, maxime vero si quis coram aliis aliquem corrigat, aut temere absque certitudine delicti et propter meros suspectus corrigere soleret. Vide etiam dicta ( n. 214 ).

*b*) *Oportet ut correctio sit utilis;* ut scilicet emendatio saltem ad tempus speretur. Ad correctionem quamvis non noxiam tamen inutilem nemo teneri potest. Inutilis autem censenda est si de iis agatur qui non iam ex fragilitate vel ignorantia sed ex profunda malitia peccant ; scriptum est enim ( Eccl. I. 15 ) : « Perversi difficile corriguntur ». Item si agatur de vitio antiquo, pro quo neque conciones neque aliae exhortationes profuerunt. Idem dic si res sit de superbis, aut si qui corrigit eodem vitio notorie laboret.

*c*) *Oportet etiam ut sit necessaria.* Correctio utilis erit laudabilis : sed, ut obliget, debet esse necessaria. Talis autem non censetur 1° si de peccato mortali aut de proximo eius periculo non agatur ; 2° si peccatori alia auxilia aequalis aut maioris efficaciae praesto sint ; oportet scilicet ut alia media non adsint, aut ( quamvis adsint et applicentur ) non proficiant ; tu autem corrigendo proficere possis. Quid si peccator facili negotio sibi prospicere posset, idque non faciat ? Tunc quoque, si tu fratrem lucrari valeas, eum adiuvare debebis ; sed obligatio erit multo minor quam si aliis mediis destitutus auxilio tuo efficaci vere indigeret, ut notat Diana ( VII. IV. 6 ).

*d*) *Debet quoque esse opportuna ;* quatenus nempe, si futurum sit ut correctio alio tempore, alio loco, vel ab alia persona cum maiori efficacia et securitate peragatur ; tunc non potest adesse obligatio illam peragendi ; imo interdum differri debebit quamvis novus relapsus praevideatur ( Cf. n. 234 ).

*e*) *Necesse est denique ( saltem ordinarie ) ut sine gravi difficultate correctio fieri possit;* idque speciatim si fructus parum speretur, aut si peccator per se ipsum cum minore incommodo et labore sibi prospicere posset, ut notat Lugo ( De Poen. XXII.

13). Inter graves difficultates recensetur etiam quidam timor et magnà verecundia, maxime si agatur de inferiore qui superiorem corrigere debeat. — Dixi *saltem ordinarie*; si enim ageretur de casu extremae necessitatis, nempe de imminenti periculo (maxime involuntario) damnationis aeternae, contingere potest quod multae difficultates etiam vere graves sperni debeant.

517. Ex hucusque dictis patet quod obligatio correctionis pro solo bono proximi delinquentis ad casum rarum reducitur; et in hoc consentiunt Theologi passim. Speciatim scrupulosi (qui si ad id obligarentur infinitis angustiis exponerentur et innumeras imprudentias committerent) ab ista obligatione eximuntur.

Casus rari in quibus correctionis fraternae obligatio occurrere potest, accidunt speciatim inter consanguineos et amicos, v. g., ut delictum non committatur, ut pax concludatur, ut matrimonium ecclesiasticum (civili iam contracto) celebretur, ut in Paschate aut in morte Sacramenta suscipiantur etc. Porro in his circumstantiis facile est quod correctio non iam damnosa sed utilis, atque insuper necessaria, opportuna et facilis sit. Tunc obligatio illam faciendi (et forte iterum atque iterum repetendi) ordinarie erit gravis; et interdum etiam inferiores erga superiores (v. g., filii erga genitores) ad illam (speciali tamen adhibito respectu) tenebuntur. — Non tamen crediderim, quamlibet culpam mortalem proximi sufficere ut omissio correctionis debitae (quae caeteroquin interdum solo silentio et turbationis ostensione perfici potest) mortalis censeatur; quandoquidem D. Th. (2. 2. q. 73. a. 4), agens de non corrigente detractorem, scripsit: « Si non placeat ei peccatum, sed ex timore *vel ne-* « *gligentia* vel etiam verecundia quadam omittat repellere de- « trahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens « et plerumque venialiter ». Hinc Christifideles, nisi agatur de enormi delicto aut malo extraordinario impediendo, vel de articulo extremae necessitatis, obligationem corrigendi proximum sub culpa mortali non cognoscunt. Vide dicta (n. 244. et 312).

518. Frequentius, et strictius ad corrigendum teneris, si agatur de scandalo aliorum, ut puta, si loquentem de turpibus coram iuvenibus, aut impios sermones contra Religionem facientem quempiam audires. Equidem si corrigendo valde timeres ne peiora effutiantur et scandalum augeatur, corrigere non deberes; sed, si existimes aut magis speres fore ut correctio scandalum imminuat, ad illam teneris, quamvis forte ei quem corrigis neque necessaria (eo quod, v. g., ex mera ignorantia peccet),

neque utilis, sed potius noxia sit, dummodo tamen ex correctione maiora scandala in posterum non timeantur. Aliunde in huiusmodi casibus cum maiori incommodo corrigendi obligatio adest; et saepe expedit ut publice et gravissimis verbis peccator obiurgetur et confundatur.

519. Interdum adesse potest obligatio ut, sive per te ipsum sive per alium, rem Superiori aliunde illam non scienti deferas; idque accidit quando ex una parte sine nimia difficultate delationem facere queas cum bona spe quod Superior remedium appositurus sit; et ex alia correctionem privatam facere nequeas, aut existimes quod superior cum multo maiori prudentia, securitate et efficacia procedere poterit. Quando autem melius esse videtur ut res Superiori deferatur, expedit ut privata correctio nullo modo tentetur: si enim haec exitum felicem non sortiatur, delatio (quae postea fieri deberet) odio non careret et difficultatibus malisque consequentiis exposita remaneret. Sensu tamen communi patet quod obligatio harum delationum obvia esse nequit, et (nisi forte agatur de communitatibus religiosis, in quibus ex speciali regula Superiori quidquid minimum denuntiandum sit) ad casus extraordinarios restringi debet: secus enim discordiae acerrimae, ut plurimum sine ullo fructu, ubique accenderentur. Huiusmodi casus accidunt speciatim in familiis, scholis, collegiis, seminariis, et paroeciis, si forte aliquid occulte machinetur, quod Paterfamilias, Magister, Rector, aut Parochus non ita cito aliunde rescire possit, et res adeo gravis sit ut promptum validumque remedium exigat. Idem dic si aliquis Sacerdos occulte petra scandali esset, qui sine mora Episcopo denuntiari deberet, neque profecto haec obligatio ad solum casum sollicitationis restringitur. In his tamen caute procedendum, ne forte innocens cum gravissimo suo damno apud Superiorem infametur; unde prius consilium prudentis confessarii ordinarie exposci debebit, maxime si Superior non multa prudentiae laude fruatur.

520. Peccata aliorum non solum correctione, sed interdum aliis mediis impediri debent. Titius, v. g., existimat esse mortale id quod veniale duntaxat est. Charitas suadet ut ab hoc errore eripiatur. Dices: peccabit saepius. Esto. Sed melius est permitti innumera venialia, quam unum mortale, ut recte dicit S. Lig. (III. 130). Aliud exemplum dari potest in subtrahendo media (v. g., complicem, arma, vestes, pecuniam, vinum etc.), quibus aliquis ad peccandum utitur; id enim non quidem semper sed interdum fieri potest et debet. Idem dic si quis alium

detineret, quandoque etiam per vim, ne malum vel delictum perpetret. Diu tamen quempiam per vim sua libertate privare non licet; imo momentanea quoque detentio quid iniuriosum aut inconsultum esse potest. In huiusmodi enim gravitas delicti considerari debet; facilius enim quis absque iniuria detinere poterit alium (quasi furentem) ne homicidium committat, quam si ad fornicandum pergere vellet. Haec item facilius licita erunt consanguineo, coniugi, amico, quam extraneis. Cavendum etiam ne ex violenta detentione vel mediorum subtractione maiora mala provocentur. Cf. S. Th. (2. 2. LXVI. 3. ad 3), Lugo (XXI. 34), et D'Annibali (II. 91).

521. Superiores (nempe Episcopi, Parochi, Rectores communitatum religiosarum et quorumcumque collegiorum, Magistri, Patresfamilias, Heri, Tutores, Mariti etc.) ad subditos corrigendos tenentur strictius, cum maiori incommodo, et frequentius maxime si verbis verbera aliasve poenas ad obedientiam obtinendam superaddere possint. Imo notandum quod saepe, speciatim Patresfamilias et Rectores communitatum religiosarum, non solum propter graves sed etiam propter leves culpas subditos corrigere debent.

522. Loquendo autem in particulari de obligatione, quam habent Parochi impediendi privatis correctionibus (quo nomine intelligo etiam alia media coercitiva) peccata Parochianorum, noto sequentia.

I. Quamvis Parochus, quoad praedicationem, Sacramentorum administrationem et bonum exemplum, muneri suo satisfaciat; nihilominus plurima peccata, vitia et scandala semper remanebunt; multi enim Ecclesiam non frequentant, vel concionem sibi non applicant, vel tentationibus et difficultatibus vinci sinunt. Malis huiusmodi maxima ex parte remedium adhiberi nequit; sed aliqua per privatas correctiones congrue et efficaciter e medio auferri possunt. Discreto harum quoque correctionum onere gravatur Parochus; et, si in hoc graviter deficeret, timere deberet de illa Domini exprobratione (Ezech. XXXIII. 5): « Si non fueris locutus, ut se custodiat impius « a via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem « autem eius de manu tua requiram ». Dixi *discreto;* si enim petas cum quanto incommodo Parochus ad hoc tenetur, respondendum est quod, quamvis necessitas extrema vel adeo gravis occurrere possit, ut Parochus cum magno (et forte etiam vitae) sacrificio damnationem alicuius animae aut publica scandala impedire debeat (bonus enim pastor animam suam dat pro

ovibus suis' ; attamen casus, in quibus Parochus cum magno sacrificio ad correctiones vere teneatur, nequeunt esse frequentes ; et in genere statui debet quod obligatio corrigendi non potest esse adeo incommoda vel molesta, ut, si talis esset, nemo officium Parochi sumere vellet. Hinc scripsit Lugo (XIV 133) : « Neque enim tenetur superior cum quolibet suo damno « (inordinationes) impedire ; nec ad hoc gravissimum onus in- « tenduat se se obligare, quando huiusmodi munera suscipiunt, « sed ad rationabilem et prudentem vigilantiam et curam, quae « proportionata debet esse, et maior ad maiora, minor ad mi- « nus gravia praecavenda ». His praemissis, veniamus ad particularia.

II. Parochus tenetur vigilare et inquisitiones facere ; secus enim plurima cum laterent, aut non tempestive ad eius notitiam pervenirent. « Quae potest esse pastoris excusatio (scripsit « D. Gregorius) si lupus oves comedit, et pastor nescit? ». Vigilet itaque imprimis circa proprios familiares, et dein circa adolescentulos suae ecclesiae inservientes, ne scilicet in locis reconditis turpia committant. Notet diligenter quinam pueri Doctrinam Christianam non frequentent, et quinam Parochiani praecepto paschali non satisfaciant. Vigilet speciatim circa clericos qui suo tempore ad sacros ordines promoveri debent. Occasione benedictionis domorum in Paschate, observet an imagines obscoenae a muris pendeant ; an religionis signa animadvertantur ; an adsint lecti sufficientes ut sexuum separatio servetur. Occasione census animarum, si prudenter possit, inquirat ad quas scholas seu apothecas filii mittantur ; an filiae alibi serviant et ubinam ; an pax in familia adsit etc. Specialiter quoque vigilet circa illas puellas quae, mortua matre, solum cum patre et quasi sine ulla custodia remanserunt ; istae enim in magno periculo versari solent ; et tunc Parochus aliquam bonam et provectioris aetatis vicinam rogabit, ut quasi mater earum curam suscipiat, et, si aliquod periculum suboriatur, illud ei indicet. Si forte impiorum aut haereticorum scholae in paroecia adessent, tunc quam maxime vigilare deberet ne filii ad illas mittantur. Summam denique vigilantiam sub gravissima obligatione adhibere deberet, si quidam perversi aliquam sectam vel alia Paroeciae adhuc bonae extremam ruinam allatura machinarentur.

Sed tenenturne Parochi minutiores inquisitiones facere, ut de quolibet parochiano sciant quibus moribus sit imbutus? R. Negative. Tunc enim non solum onus intolerabile et infinitis

scrupulis subiectum Parochis imponeretur, sed etiam Parochiani id quam maxime aegre ferrent et Parochum odio haberent. Haec minuta inquisitio (ut ait Diana T. VII. Tr. IV. R. 25. n. 3) « generat scandala, et occasionem praebet odiis et dissensionibus. Nam homines moleste ferunt, sua ab aliis facta « scrutari, et suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, cuius honori adversatur et aestimationi, quam de se « optimam omnes habere cupiunt ». Hinc Theologi passim observant, Parochum inquirere quidem debere, sed in genere, quaerendo nempe (speciatim circa illas Paroeciae partes quae a parochiali residentia longe dissident) an quidpiam inordinati adsit. Si tamen Parochus aliquem fundatum et gravem suspectum circa rem (cui, iuxta dicenda paullo infra, remedium apponendum sit) haberet; utique tunc vigilare specialiter et inquirere teneretur.

At vero, sic vigilando et inquirendo, prudenter admodum et caute procedere debet, ne alia et forsan longe maiora mala provocet. Imprimis confessionali non utatur; secus enim multi id advertentes accederent non iam ad confitenda cum spiritu poenitentiae peccata propria, sed ad facta aliorum enarranda, et confessionale in locum querelarum dicteriorumque, ne dicam murmurationum et calumniarum, converterent. Plurimi demum a confessione apud Parochum faciendam prorsus abhorrerent, tum propter timorem huiusmodi molestarum interrogationum, tum speciatim ne tamquam delatores publice habeantur. Res demum eo desinerent ut eius confessionale desertum remaneret, et Parochus quoad Sacramenti Poenitentiae administrationem inutilis redderetur. Extra confessionale quemlibet (delationes facere non assuetum) Parochus audire poterit, dummodo non facile credat; spontanei enim delatores saepe saepius ex passione loquuntur, decipiunt aut saltem res valde exaggerant. At vero delationum vel inquisitionum frequentia magnam prudentiam exigit. Parochus qui multis delatoribus, aut paucis quidem sed secretum non servantibus (quales saepe sunt sacristiae inservientes) vel iudicio aut bona conscientia carentibus, se circumdaret, odiis iurgiisque aditum aperiret, et tandem propriam auctoritatem et existimationem in discrimen coniiceret, speciatim si foeminarum (maxime vero si propriae ancillae) delationes assidue exquireret aut libenter audiret. Exceptis itaque casibus raris, Parochus ab aliquo bono Sacerdote dumtaxat, aut viro gravi, notitias paroeciae regimini necessarias exquirere debebit.

III. Postquam Parochus aliquid audiverit, non praepropere procedat, sed circumstantias consideret, ne tamquam certum habeat id quod tamquam dubium dumtaxat aestimari debet. In dubio autem (nisi res sit adeo gravis ut etiam tunc procedere debeat) sinat ut tempus rem bene dilucidet ; secus enim periculo alios temere offendendi et seipsum despectui exponendi obviam iret.

IV. Debebitne Parochus particulares correctiones adhibere etiam propter peccata valde communia seu in Paroecia sua valde diffusa? R. Pro his, publicis quidem exhortationibus, sed non privatis correctionibus uti debebit. Istae enim immodice Parochum gravarent illumque exosum redderent: imo res eo tandem desineret, ut Parochiani illum despicerent et vocati ad eum non accederent. Ita reapse sentiunt Parochi etiam optimi. Verum est quod multi Theologi dicunt, pastores oves suas in peccato mortali existentes corrigere debere; sed hoc intelligendum est per quantum moraliter fieri possit et bono Paroeciae regimini deserviat. Vide De-Varceno, Del-Vecchio et Scavini, qui (I. 452) scripsit : « Plerumque impossibile est ut omnes « singillatim corrigantur, cum nimius sit delinquentium nu- « merus : quo in casu correctio prudenter fiat passim in cate- « chesibus et publicis concionibus ».

V. Quibus itaque in casibus privatae correctiones fieri debent? In theoria id vix determinari potest. Peccata enim, vitia et scandala quae in quibusdam locis et temporibus communissima sunt et proinde privatim non corrigenda, in aliis locis et temporibus rara erunt, et sic correctionis obiectum esse poterunt. Nihilominus, saltem pro multis paroeciis non totaliter et non enormissime corruptis, dicendum est quod Parochus de regula ordinaria ad privatam correctionem vel ad aliquod speciale remedium apponendum procedere debet in sequentibus casibus.

*a*) Si agatur de scandalo publico; quod praecipue provenit a meretricibus, publicis concubinatibus, matrimoniis pure civilibus, puellis antequam matrimonium ineant uterum gestantibus, cinysmo aliisque nuditatibus, profanatione festorum, publicis ludis tempore divinorum officiorum continuatis, choreis et serotinis conversationibus (si valde in usu non sint). Idem dic multo magis de publicis scandalis contra fidem, v. g., si parochianus protestantibus domum pro templo vel scola locare vellet.

*b*) Si agatur de aliis magnis scandalis, quamvis privatis ; v. g., si in aliqua domo masculi cum foeminis promiscue dormirent; si imagines obscoenae exponerentur etc.

*c*) Si genitores circa filiorum educationem valde delinquant: v. g., si ad doctrinam Christianam eos non mittant; si sinant ut filii vel filiae magnis periculis (quin necessitas ullo modo excuset) se exponant, etc.

*d*) Si quis praecepto paschali non satisfecerit (dum alii communiter satisfaciunt), aut periculose decumbens Sacramenta non petat.

*e*) Si magna rixa aut discordia suboriatur; et idem dic si inter maritum et uxorem divortium illegitimum adsit.

*f*) Si Parochus sit praesens quando aliquod peccatum (v. g., gravis detractio) committitur.

*g*) Speciali demum et minutiori modo corrigere debet clericos ad Ordines Sacros se disponentes, et orphanos quavis pene custodia destitutos.

VI. Dixi correctionem fieri debere *de regula ordinaria*, ut innuerem, in recensitis quoque casibus non semper esse faciendam, et quasdam exceptiones locum habere posse.

Prima exceptio: *Si correctio tamquam perniciosa iudicari deberet*, quatenus vel nihil boni esset sperandum sed solum maiora mala essent formidanda; vel bonum quod speratur in comparatione mali quod timetur longe minus aestimandum esset. Dicebat S. Bernardus (Serm. 42. in Cantic.): « Mallem « aliquando tacuisse, quam ad tantam reprehendisse perniciem ». Casus tamen huiusmodi (affulgente aliqua etiam valde tenui resipiscentiae spe, quae vix unquam deerit) contingere nequit si agatur de scandalo enormissimo, vel si peccator iam in limine mortis et damnationis aeternae versetur. Caeterum in sequentibus circumstantiis correctio tamquam perniciosa haberi debebit.

*a*) Si agatur de hominibus incredulis, qui iam cum Ecclesia et Sacerdotibus nihil commune habere volunt. Ita dicit Frassinetti (Manuale n. 69. 81). Quaedam tamen facilius ab istis quam a catholicis interdum obtinentur, dummodo ad modum non correctionis sed gratiae petantur. Ex quadam naturali honestate et comitate, vel propter respectum uxoris et filiorum, vel ad propriam potentiam ostendendam aut animi generositatem, et maxime si res petita in ipsorum utilitatem vel honorem redundet, non raro Parochorum petitionibus obsequuntur. Idem dic si interdum ipsi aliquid a Parocho petant, aut aliqua alia propitia eos adhortandi occasio se praesentet. De caetero verissimum est quod, ordinarie, si de amasia relinquenda vel de re simili ageretur, Parochus non nisi acrem persecutionem et peiora mala ex correctione expectare deberet.

*b*) Si ex una parte timendum sit ne correctio in malam partem accipiatur, et ex alia agatur de hominibus catholicis quidem sed praepotentibus, qui in odium Parochi inordinationes et scandala multiplicabunt. Vae Parochis, qui inimicum potentem et perpetuum (maxime si divitiis vel auctoritate praeditus sit) in Paroecia habent!

*c*) Si Parochus subditum non bene cognitum paullo acriter corrigeret, speciatim si delictum prorsus occultum et valde probrosum (v. g., furtum, sodomiam etc.) ei improperaret; maxime vero si de illo certus non esset.

Notandum, non facile supponi debere quod correctio erga pueros, adolescentulos et mulieres perniciosa futura sit.

Secunda exceptio. *Si correctio non quidem perniciosa sed prorsus inutilis censeri debeat.* Talis autem duobus modis esse potest: nempe 1° Si credendum sit quod subditus per se ipsum emendabitur, aut certe maior spes in aliis mediis ordinariis collocari debeat: 2° Si de bono effectu correctionis sit desperandum; ut puta, si ageretur de meretrice impudentissima, vel de homine iam a longo tempore habituato et peccante non iam ex fragilitate sed ex pura malitia seu ex profunda voluntatis perversitate. Porro ad inutile nemo tenetur.

Regula itaque generalis erit quod Parochus ad correctionem tenebitur, quando alia media ordinaria non proderunt, correctio vero valebit; quod facilius accidit si persona corrigenda indigeat ut Parochus illam adiuvet. Advertendum tamen 1° Quod interdum correctio, quamvis sit inutilis respectu peccatoris, potest esse necessaria si forte parochiani scandalizarentur eo quod Parochus videat et non corrigat; sed hoc scandalum (si Parochus zelo praeditum se ostendat) non facile supponendum. 2° Quod, loco correctionis, aliquando adhiberi possunt alia media paullo extraordinaria, de quibus infra aliquid dicam.

VII. Circa modum correctionis, documenta sequentia deservire poterunt.

*a*) Curet imprimis Parochus ut sit ipse irreprehensibilis, utque a parochianis existimetur et ametur.

*b*) Pro felici correctionis exitu Deum oret.

*c*) Efficaces paret rationes non solum supernaturales, sed etiam naturales; mala enim et pericula temporalia quae ex peccatis profluunt, pro iis praecipue qui Deum parum timent, optime deservire possunt. Obiectiones autem et difficultates praevideat, atque ad illa solvenda maiori qua poterit efficacia se paret.

*d*) Interdum tempus opportunum expectari debet; v. g., si parochianus brevi accessurus sit ad Parochum pro eleemosyna; vel si hic et nunc passiones sint nimis accensae etc.

*e*) Si correctionis publicitas non sit necessaria, et haec personae corrigendae displicere possit (prout ordinarie contingit): tunc correctio secreto fieri debet, et curandum ut familiares nihil audiant nihilque sciant. Imo interdum expedit ut Parochus parochianum non advocet (maxime per alium), sed potius ipse ad illum accedat, quin alii quidquam suspicari possint.

*f*) Pastor clarissime patefaciat quod ex solo ovis suae amore et ex puro desiderio eius boni temporalis et aeterni, prout munus suum exigit, correctionem facit.

*g*) Homines amore et timore moventur. Parochus primitus (saltem ordinarie) viam amoris tenebit; idque maxime si personae corrigendae aetas, educatio, conditio et indoles specialem respectum et lenitatem exposcant. Delictum itaque non exaggerabit; et, si illud dubium foret, cavebit ne loquatur quasi certum esset. Imo, etsi Parochus sciat, delictum certissime fuisse commissum, non raro melius erit ut hanc cognitionem abscondat, et de solis dicteriis quae in Paroecia fiunt sermonem habeat. Si qui corrigitur bonis etiam qualitatibus polleat, has laudet; et dicat se paternam admonitionem facere, quia scit illum esse bonum atque obtemperaturum. Correctio suapte natura amorem proprium offendit, et totum periculum ne boni pastoris verba in malam partem accipiantur, ex hac amoris proprii offensione procedit; quem proinde, per quantum possibile est, quietum servare et quodammodo blandiri oportet. Parochus itaque, sepositis obiurgationibus verbisque vehementibus, serio quidem, sed mitissime loquatur; neque ab hac via recedat, si forte (prout saepe accidit) correctus aliquod verbum paullo iniuriosum contra illum proferat. Imo interdum expedit ut Parochus indirecte procedat, et, quasi delictum commissum ignoraret, de illo ne verbum quidem faciat; sed, si peccator aliud vitium minus quidem probrosum sed a Parochis corrigi solitum habeat, ex hoc occasionem sumat illum adhortandi et simul aeternas veritates meliori modo possibili in eius mentem revocandi, ut a miserrimo peccati mortalis statu eum eripiat. — Prima correctione non iuvante, interdum secunda et tertia tentari debebit; unde scripsit D. Chrysostomus: « Dixisti semel « et non audivit: dic bis et ter et toties donec persuaseris ». Si tandem per viam amoris nihil obtineri possit, tunc Parochus (si prudentia id sinat) viam timoris tentabit, quin tamen in

obiurgationibus et minis limites excedat, ne scandalum ingerat aut (attenta minarum qualitate) familiis se odiosum reddat.

*h*) Si foeminae iuventute adhuc florentes corrigendae sint, curet ut cum matre vel in confessionali veniant; et in exhortatione facienda teneritudines evitet. Caveat speciatim, si forte aliqua puella sit gravida et oporteat illam abscondere ut clam parturiat, caveat (inquam) ne ipse locum quaerat aut pecuniam ei suppeditet. Caveat quam maxime ne motivo correctionis aut auxilii ipse personaliter ad foeminam iuvenem aut malae famae se conferat, si sola domi moretur. Caveat uno verbo ne seipsum et proprium honorem in gravissima discrimina coniiciat.

*i*) Si Parochus animadvertat esse impossibile aut non opportunum ut per se ipsum peccatorem admoneat; tunc videat an ope alicuius personae familiaritate vel amicitia eidem coniunctae convenienter et efficaciter suum intentum obtinere queat. Foeminae, quamvis vitam devotam non profiteantur, si rogentur a Parocho ut alicui inordinationi in propria familia existenti remedium apponere satagant, talem ac tantam adhibere solent curam et industriam, ut saepe saepius obtineant ea, quae Parochus suo immediato interventu nunquam obtinuisset. — Si ne hoc quidem modo proficere possit, interdum recurrere poterit correctioni negativae; quatenus scilicet, v. g., eleemosynas, vel favores, vel obsequia, vel signa benevolentiae, quae prius praestabat, amplius non praestet aut imminuat.

Frassinetti (Man. n. 86) suggerit etiam ut Parochus ope epistolae peccatores huiusce generis admoneat. Sed heu quot epistolae (apud nos) scribi deberent! Heu quoties huiusmodi epistolae in conversationibus, cafacis et cauponis Parochum publicis irrisionibus exponerent! Apud Theologos, qui Frassinettium praecesserunt, hoc medium indicatum non invenio; illudque practice excludi debere censeo, nisi forte ex una parte de persona educatissima (ad quam Parochus accedere nequeat), et ex alia de casu gravissimo et urgentissimo agatur; et tunc quoque cum maxima ponderatione procedendum esset, ne aliquod verbum minus prudens e calamo elabatur. Quid si Parochianus gravi infirmitate laboraret? Expediretne tunc ut Parochus, si eius visitationes recusarentur, epistolae recurreret? R. Negative. Quis malas, quae ex hac epistola oriri queunt, consequentias divinare potest? Si potius Parochus aliis mediis magis congruis procuret ut aditum obtineat, semper aliquam spem remanebit quod saltem in extremis advocetur et scandalum sepulturae mere civilis evitetur; sed, si propter hanc epi-

stolam infirmus eiusque familia vehementer irritetur (quo nil facilius), nonne haec spes prorsus evanesceret?

Praeter correctionem, adsunt alia media quae iuvare possunt ut haec vel illa inordinatio e medio tollatur aut minuatur. Hoc in puncto notanda sunt sequentia.

I. Quaedam media, dum inordinationem aliquam e medio tollunt, aliud forsan maioris momenti malum suscitant; et haec adhiberi non debent. Illi itaque Parochi, qui curant ut domini modo hanc modo illam familiam ex fundo arceant; vel (ut aliquem parochianum a periculo eripiant) modo hunc modo illum seductorem nominatim vituperant aut infamant; vel demum semper in eo sunt ut brachium saeculare invocent et parochianos in carcerem coniiciant; hi, inquam, Parochi caveant ne mala multo maiora provocent; ne scilicet parochianorum benevolentiam amittant, et multas familias ita irritent ut contra sacerdotes acerrimum et perpetuum odium concipiant. Idem dic de parochis qui meretricibus, concubinis, aliisve maleviventibus pecuniam suppeditant ut a peccatis desistant, dum forsan bonos pauperes et puellas honestas sine ullo subsidio relinquunt. Systema huiusmodi nihil boni obtinere solet; et, si etiam interdum aliquo modo proficeret, haec utilitas comparari nequiret cum damno quod ex alia parte oriretur; notitia enim quod parochus non bonis sed perversis subsidia confert, efficit ut boni animo deiiciantur; et pravi ansam ad enormitates perpetrandas et ad fingendam poenitentiam sumant. Ordinarie itaque videant prius veros et stabiles poenitentiae fructus, et postea subsidia praestent.

II. Quaedam media multa peccata impediunt quin ullum aut fere ullum malum provocent; sed sunt ita extraordinaria ut inter parochorum obligationes nunquam recensita fuerint. Huiusmodi essent si Parochus, v. g., domos huc illuc conduceret ne a meretricibus habitentur; aut functiones extraordinarias, exercitia, missiones etc. valde multiplicaret. Laudandus quam maxime qui sic facit, sed ad tantum non tenetur; supponi enim nequit quod subsistant obligationes quae perpetuo ignoratae fuerint.

III. Alia denique media optime deserviunt, satisque ordinaria apparent, unde Parochi timoratae conscientiae ad illa adhibenda vere se esse obligatos censent. Exempla. Sacerdos scandalosus in Paroecia adest. Parochus Episcopum admonere debet, et quidem iterum iterumque si Episcopus non provideret et scandalum non cessaret. Si talis sacerdos confessione abuteretur; tunc Parochus (quamvis Episcopus illum adhuc non su-

spendisset) licentiam administrandi Sacramentum Poenitentiae in propria Ecclesia ei concedere nequiret, nisi forte ex prohibitione maiora mala pertimesceret. Si esset proprius Capellanus seu vicarius, illum quamprimum dimittere deberet. — In aliqua domo propter extremam miseriam lecti sufficientes non adsunt; unde foeminae cum masculis promiscue dormiunt. Utique tunc Parochus, si possit, providere tenetur (non tamen pecuniam sed lectum suppeditabit). — In fluminibus et in littore maris adolescentes se lavant et publicum pudorem gravissime offendunt, aut in aliqua bona paroecia meretrix maximam ruinam infert: et iam familiae clamant quod Parochus remedium quovis pacto apponere deberet. Etiam in his casibus meliori modo possibili providendum esset; et, si alia media deficerent, brachium saeculare (quatenus assistentia sperari posset) invocari deberet. Quamvis enim supra dixerim non expedire quod Parochi semper in eo sint ut brachium saeculare invocent, nihilominus tales dari possunt circumstantiae, in quibus (attenta gravitate et raritate casus, communi approbatione, aut cautela qua proceditur) expediat, aut etiam omnino oporteat, ut talis recursus locum habeat. Ut autem Parochi sciant quibus in casibus a brachio saeculari assistentiam vel aliquod adiumentum sperare possint, ex nostris codicibus sequentes articulos transcribo *.

* *Quoad meretrices* (Regolamento sulla prostituzione)

Art. 17. Sono considerate come meretrici le donne che esercitano notoriamente la prostituzione..... L'autorizzazione ad una meretrice di rimanere in abitazione particolare (nempe extra postribulum) sarà concessa..... con molto riserbo, e sempre previo il consenso del proprietario della casa. = Licentia legalis necessaria est ut meretricium toleretur (Art. 20). Ut autem haec licentia obtineatur, exigitur non solum ut domus proprietarius consentiat, sed etiam ut mulier bis in hebdomada visitationibus medicorum se subiiciat (Art. 71), nec alibi, absque nova licentia, ultra triduum se conferat (Art. 29).

Art. 32. È assolutamente vietato alle meretrici 1. Di abitare presso un venditore di bevande spiritose, vino, birra e simili. 2. D'uscire vestite in modo poco decente od in istato d'ubbriachezza. 3. D'affacciarsi alle finestre o di stazionare sulle porte anche della propria abitazione. 4. Di fermarsi o frequentare le vie principali, le piazze e le pubbliche passeggiate. 5. Di commettere atti indecenti nei luoghi pubblici, e di tenervi discorsi osceni. 6. Di seguire i passeggieri per le vie, o di adescarli con parole o segni. 7. Di rimanere fuori di casa senza giusta causa dopo le ore otto di sera dal mese di ottobre al marzo inclusivamente, e dopo le ore dieci negli altri mesi. 8. Di girovagare nelle vie, specialmente in quelle adiacenti alla loro abitazione, sopratutto nelle ore vespertine. 9. È vietata alle meretrici la frequenza ai teatri, e saranno punite quelle che vi si presentassero in modo indecente.

Art. 41. L'autorità non acconsentirà mai che si stabiliscano postriboli

## ARTICULUS VIII.

### DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO.

523. « Non falsum testimonium dices » (Matth. XVIII. 9). Mendacium tam in iudicio quam extra iudicium heic prohibetur.

Quaer. I°. Quid sit mendacium?

nelle vie frequentate della città, nè in vicinanza di case di educazione, di pubblici stabilimenti, e di edifizii destinati al culto.

Art. 45. Le finestre dei postriboli debbono essere provviste di vetri appannati nell'inverno, e di persiane fisse e chiuse nell'estate sino all'altezza di due metri dal suolo interno della camera.

Art. 59. È proibito ai tenenti-postribolo d'ammettere nelle loro case donne che non abbiano ancora compiuta l'età di 16 anni.

Art. 61. L'ufficio di questura.... ordinerà la chiusura immediata dei postriboli clandestini, ossia aperti senza autorizzazione.

Art. 60. Se qualche prostituta dimostra intenzione di abbandonare il meretricio, il tenente-postribolo deve tosto avvertire il direttore dell'ufficio sanitario, dal quale sarà incoraggiata ad attuare l'ideata risoluzione. L'essere la prostituta in debito col tenente-postribolo non sarà in tal caso ostacolo alla sua uscita. — Art. 25. Se nell'interrogatorio deferto alla donna nell'atto della sua iscrizione, si riconosca aver essa intrapreso il meretricio senza aver calcolato la gravità della situazione, o non di sua libera volontà, o che desideri di abbandonarlo, ne sarà immediatamente avvertita la di lei famiglia. Qualora non possa rientrare in famiglia e desideri di essere ricoverata in qualche ritiro di ravvedute, l'ufficio procurerà di agevolarne i mezzi.

*Quoad lenones* (Codice penale) Art. 421. Chiunque avrà eccitato, favorito o facilitato la corruzione di persone dell'uno o dell'altro sesso, minori degli anni ventuno, e chiunque le avrà indotte alla prostituzione, sarà punito col carcere non minore di tre mesi, ed estensibile a tre anni. Art. 424. Il Marito che prostituisce la propria moglie sarà punito colla reclusione.

*Quoad scandalum* (Codice penale) Art. 420. Chiunque offenda l'altrui pudore od il buon costume in maniera da eccitare il pubblico scandalo, sarà punito col carcere estensibile a sei mesi. - Se l'oltraggio al pudore è seguito in privato, e vi sia querela della parte offesa, il colpevole sarà punito col carcere estensibile a tre mesi.

*Quoad adulterium et concubinatum* (Codice penale) Art. 482. Non si può procedere per adulterio senza querela del marito contro la moglie. Art. 483. Non si può procedere per concubinato senza querela della moglie contro il marito, il quale abbia tenuto la concubina nella casa coniugale.

*Quoad sodomiam, incestum et stuprum*; vide Cod. poen. Art. 425. 481. 489 et seqq.

*Quoad ludos aleatorios*, vide Cod. poen. Art. 474 et seqq.

*Quoad conventiculas periculosas* (Legge e regol. sulla sicurezza pubblica) Art. 26. Ove occorra di sciogliere una riunione o un assembramento nell'interesse dell'ordine pubblico, le persone assembrate saranno prima invitate a sciogliersi dagli uffiziali di pubblica sicurezza... Art. 117. La recidiva potrà esser punita anche col carcere.

R. Est locutio contra mentem, seu formaliter falsa. Dicitur *locutio*, quatenus nempe quis, sive verbo sive gestu sive epistola, loquatur; et intellige *cum aliis;* qui enim falsa quidem proferret, sed cum nemine loqueretur, mendax non esset, quamvis casu aliqui eius verba audirent; obligatio quippe veritatem dicendi oritur ex locutione proximo nostro directa, qua nos sincere loqui implicite testamur. — Dicitur locutio *contra mentem seu falsa formaliter;* quatenus, si quis verum diceret, nihilominus mendax esset, si illud in mente sua falsum existimaret; et e contra mendax non foret qui ex errore innocenti falsum diceret putans esse verum. Hinc, v. g., si dixero: Petrus est in platea; idem est ac dicam: Credo Petrum esse in platea; unde si vere id non crederem, mendax essem, quamvis forte Petrus de facto in platea esset. — Locutio non est falsa nec mendacium subsistit 1° Si aliqua restrictio a quolibet viro prudente subintelligenda sit; ut puta, si ego, interrogatus an talis puella honesta sit vel an talis vir sit probus, affirmative respondeam, quamvis de opposito ex secreto commisso certus sim; in huiusmodi enim responsionibus semper subintelligitur restrictio: per quantum scio de scientia communicabili; 2° Si quisque prudens intelligere debeat, locutionem esse ludicram aut ironicam, quamvis auditores ex propria imbecillitate decipiantur, imo etsi qui loquitur hanc deceptionem desideret; ut puta, si quis prima die aprilis bardum cum saxis in gyrum mittat; vel si puero dicat: *vide, vide, volat asinus;* aut: *si malus fueris, veniet lupus et te comedet;* aut: *pueri nascuntur in arbore vana* etc. E contra locutio est falsa et mendacium non declinatur, si verba, ex vi propria aut ex contextu sermonis seu collocutionis, viros etiam prudentes decipere debeant; nec refert 1° si isti ex eo solo capite deceptionem effugiant quia forte loquentis vitium (eum nempe esse mendacem) cognoscunt; 2°

*Quoad reatus sacrilegos* (Cod. poen.) Art. 183. Chiunque con violenze, o vie di fatto, o minacce, o tumulti, impedisca, interrompa, o turbi le funzioni o cerimonie della Religione dello stato, nelle Chiese o fuori di esse, sarà punito colla pena del carcere estensibile a sei mesi, e con multa estensibile a Lire 500.

Art. 185. Chiunque con animo deliberato proferisca pubbliche contumelie ad oltraggio della Religione, sarà punito con multa estensibile a £ 500, e cogli arresti. - Incorrerà nella stessa pena chiunque pubblicamente commetta fatti che siano di natura da offendere la Religione, od eccitare il disprezzo, e producano scandalo. Art. 187. Gli insulti e gli oltraggi contro i ministri della Religione nell' esercizio delle loro funzioni sono puniti colla pena del carcere estensibile a sei mesi e con multa estensibile a lire cinquecento.

si loquens in corde suo aliquid recondat, quod conformitatem verborum cum mente sub aliquo respectu inducat. Hoc ultimum est bene notandum, et proinde exempla adiicio. Si tibi de homine blasphemo, qui forte praeterit, Titius dicat : iste est latro ; mentitur Titius, etsi in mente sua concipiat illum propter blasphemias esse latronem honoris divini. Si herus famulum de fracto nuper vitro argueret ; ille vero constanter negaret unquam se vitrum fregisse, subintelligendo intra se *mense praecedenti ;* nonne pariter mentiretur? Vide Laymann (De Iuram. XIII. 6) qui n. 12. subdit : « Si oratio vere ambigua sit, sed se- « cundum circumstantias ad unum sensum determinata, v. g., « si viatori quaerenti a te utrum in sylva latro sit, respondeas : « non est latro in sylva, intelligendo quod non comedat in « sylva...., mendacium est ». Idem notat d'Annibali (II. 312).

Mendacium subsistit non solum quando totaliter sed etiam quando partialiter sermo falsitate laborat ; v. g., si dubia dentur ut certa, si ea quae vera sunt exaggerentur etc.

Mendacium dicitur *damnosum*, si damnum proximo inferat, prout accidit, v. g., in calumniis. — *Officiosum*, si in propriam aut alienam utilitatem proferatur. Sic mentiuntur filii et servi, v. g., ut aliquem laborem, aut correctionem aut punitionem declinent ; mentiuntur matres ut filiorum culpas patri occultent ; mentiuntur uxores ad virorum obiurgationes evitandas ; mentiuntur ostentatores, adulatores etc. — Demum dicitur *iocosum*, si ad merum iocum (dum tamen non satis pateat de ioco agi) proferatur.

Quaer. II°. Cur mendacium sit illicitum ?

R. Quia 1° ad commercium et convictum humanum necesse est ut unusquisque (ut honestis suis finibus consulat) plenam fidem aliorum dictis praestare possit. 2° Homines, dum loquuntur, implicite sinceritatem promittere censentur, ut supra dicebam. 3° Mendax auctoritatem amittit, et, etiam quando veritatem dicit, fide indignum se reddit. 4° Mendacium veritatem et saepe charitatem quoque et iustitiam laedit. 5° Mendax titubat, verecundia suffunditur, et vituperabilem se reddit. Antiqui dicebant : Mendacium colapho pensandum. 6° Sacra Scriptura (Eccl. XX. 26. Prov. VI. 16) dicit : « Opprobrium nequam in « homine mendacium..... Sex sunt quae odit Dominus..... lin- » guam mendacem ».

Quaer. III°. An dentur aliqui casus exceptionales in quibus mentiri liceat?

R. Quamvis hodie TT. id communissime negent, et dicant,

mendacium ita esse intrinsece malum, ut in nullo prorsus casu licitum evadere possit; attamen quovis tempore percepta fuit necessitas admittendi quod aut mendacium in quibusdam circumstantiis liceat, aut locutio contra mentem interdum non debeat appellari mendacium, aut nec mendacia nec menti contraria aliquando sint ea quae talia omnino esse videntur.

Enimvero multi senserunt, mendacium interdum licere. Plato (De Republ. III): « Deo quidem indecens et inutile esse « mendacium; hominibus vero quandoque utile et necessarium, « ut eo tamquam medicamento utantur ». Origenes (in 6° Stromatum) hanc sententiam approbavit. Cassianus (Collat. 17. c. 8): « Mendacio utendum tamquam helleboro, quod sumitur « imminente aliquo exitiali morbo ». Chrysosth. (De Sacer. 1. in fin.): « Ille fallax iure dicatur, qui id inique aggreditur, non « autem qui id sano consilio facit. Saepeque contingit ut fallere « sit opus, ut per huiusmodi artem magna utilitas importetur ». Bonacina (De 8. pr. II. 1) dicit, suo tempore aliquos Theologos idem sensisse; et Laymann (IV. m. 13. 9) fatetur, doctrinam de illicitate mendacii in quovis casu, antiquis fuisse incognitam, et etiam tempore S. Augustini a multis reiectam. Bolgeni S. I. (Del possesso n. 166): « Mendacium quavis culpa vacat, « si sit medium unicum ad obtinendum finem, qui omnino ob« tineri debeat, maiorisque necessitatis sit ».

Alii, ut dixi, senserunt, locutionem contra mentem interdum non esse mendacium. Grotius (De iur. belli III. 1. § 11) scripsit, mendacium esse « repugnantiam non iam cum mente « sed cum iure existente et manente eius ad quem sermo diri« gitur ». P. Cattaneus S. I. (Lez. XLIV) dixit quod, si conformatio verborum cum mente in secretorum praeiudicium redundare aut iniquitatibus auxilium ferre deberet; tunc huius conformationis obligatio adesse nequiret, et sine mendacio verba contra mentem (quatenus id necessarium sit) audacter et rotunde proferri possunt. Vide etiam Pallavicinum (III. xi. 23).

Alii autem, nempe (ut ait Cardenas) plus quam 50 Auctores, cum Sanchez (Dec. III. v. 15) protulerunt doctrinam de usu licito restrictionum pure mentalium cum nimia generalitate; sed isti a Clem. XI (Pr. 26. 27) damnati fuerunt.

Alii demum sustinent 1° mendacium in nullo prorsus casu et ne ad vitam quidem sive propriam sive alienam salvandam licere; 2° locutionem contra mentem semper esse mendacium; 3° restrictiones pure mentales, nempe sensus in mente reconditos sed extrinsecus non apparentes (prout supra explicavi) admitti

non posse. Haec, inquam, sustinent; et nihilominus in conclusionibus talia concedunt, quae cum his principiis vix et ne vix quidem conciliantur, et in mendacium recidere videntur. Sic S. Lig. (III. 162) dicit quod uxor adulterii rea, interrogata a viro an adulterium commiserit, potest (ad salvandam vitam) affirmare et iurare se esse innocentem (intelligens se evasisse innocentem propter confessionem sacramentalem!), imo dicere rotunde se adulterium non commisisse (intelligens pro adulterio idololatriam!!!). Et (subdit Wigant X. iv. 62) si maritus dicat: tu mihi violasti fidem; ipsa respondere poterit: fidem non violavi (intelligens fidem catholicam!). Hic auctor dicit etiam: Si quis interrogetur an occiderit canem vel gallum, sine mendacio respondere poterit: non occidi canem (intelligens coeleste aut marinum!!); non occidi gallum (intelligens hominem gallicum!). Et S. Lig. (165) subiungit quod famulus interrogatus an herus domi sit, respondere potest: egressus est (intelligens in praeterito); et si forte herus sit in luctu, dicere poterit: est foris (intelligens illum esse remotum a consortio hominum).

In tanta sententiarum atque idearum confusione, censeo seponendam esse quaestionem de nomine (an scilicet haec vel illa propositio dici debeat mendacium; *quod enim mendacium aliquando liceat, dicere nolo*): et inquirendum an interdum, loquendo contra mentem, aliquem sine culpa ulla decipere possimus?

R. Affirmative. Et casus huiusmodi sunt sequentes.

1. *Si id optime deserviat ad deludendum* (a burlare) *malefactorem.* Exempla. Titius me interrogat ubi sit Francisci domus; et ego, quum casu resciverim eum velle hunc occidere, prompte dico: *Franciscus est in villa sua: perge illuc confestim:* et interea admoneo Franciscum domi suae reapse residentem ut sibi caveat. — Latro armata manu me interrogat, utrum magnam pecuniae summam Sempronio solverim; et coniicio eum velle hunc expilare. Ego solvi quidem, sed latronem eludo dicens: non solvi. — Quum scias mortalibus inimicitiis te esse subiectum, virum incognitum obvium habes, qui dicit: esne tu N. N.? Tu prompte respondes: non sum; et incognito rursus sciscitanti: quis itaque es tu? dicis te esse alium. — Notorium est quod Terentius hoc mane ad me venit. Quidam se praesentat dicens: estne adhuc in hac domo Terentius? Ego, quum sciam hunc ad mortem quaeri, statim dico: non adest, abiit. — Quum domus, in qua ego nunc habito, paullo antea habitaretur a Lucretia meretrice, venit quidam huius mutationis inscius, et confusus dicit: ubinam itaque habitat nunc Lucretia? Ego

statim dico : vade ad talem viam, ad talem domum numero tali. Sed illuc, v. g., conventum Capuccinorum aut maniconium inveniet. — Puella aut uxor honesta, ut stuprum declinet; quamvis mater aut maritus longe absit; Fuge, fuge (clamat); venit mater, venit maritus. — Baronius (Annal. an. 369) narrat de virgine Euphrasia, quae ad postribulum ob fidem Christi damnata, cum se a violenta militis oppressione eam violare volentis tueri non posset, promisso militi antidoto quo eius corpus nullis hostium ictibus laedi posset, si a stupro abstineret, ex oleo et cera mixtura facta et collo peruncto, suasit militi, ut experiendi causa gladio collum fortiter percuteret, quod dum miles faceret, virginis primo ictu caput amputavit. Sic Euphrasia iniquum militem delusit, sibique martyrii gloriam promeruit.

2. *Si id optime deserviat ad deludendum temerarium, qui, absque ullo iure et contra omnes bonae educationis leges, aliena negotia et res secretas scire velit.* Huiusmodi temerarii dicunt, v. g.: Si veritatem dicere vis, tu talis furti vel homicidii auctor fuisti; aut: Filia tua gravida remansit; in domo tua hoc vel illud factum fuit; vicina tua hoc vel illud tibi dixit; tu tali iuveni confidentiam praebuisti, et quidquid voluit tecum fecit. Quis venit a te? Quid dixit? Quid dixisti? Quid fecisti? Quid emisti? Quid manducasti? Quo ivisti? etc. etc. Porro contra has interrogationes (si sint temerariae ut dixi), ad occultanda secreta et negotia propria non semper sufficit silentium, aut dicere: *Quid ad te? Ego negotia mea tibi revelare nolo;* saepe enim haec agendi ratio confessioni aequivalet et patefacit esse verum id quod interrogans suspicatur; unde non raro oportet ut temerarius investigator, ut nihil deprehendere possit, verbis omnino falsis positive deludatur (*sia burlato*). Idem dici debet de interrogationibus, quamvis non aperte temerariis, tamen exorbitantibus; directis nempe ad extorquendam confessionem ex una parte non debitam, et ex alia nimis probrosam, malis consequentiis subiectam, et extraordinario modo incommodam; ut puta, si maritus interrogaret uxorem an adulterium commiserit; si pater coram aliis scire vellet a filia an stuprum passa fuerit; si famulus interrogaretur a domina an herum ad talem vel talem foeminam duxerit etc. Gury (Cas. cons. I. 417) sentit, idem esse dicendum de eo qui interrogatus a vectigalium praeposito an aliquid tributo subiectum habeat, respondeat: *Nihil habeo;* quamvis revera aliquid habeat.

3. *Idem dicendum videtur de quibusdam exiguis deceptionibus innocentibus quae a pietate vel charitate* erga deceptum

*insinuantur*. Mater, v. g., secretissime cognovit, filium suum suicidium aut homicidium meditari; et proinde, nesciens quo alio modo remedium apponere possit, dicit proficiscendum esse Neapolim absque mora ad pinguissimam capiendam haereditatem; sicque illum Neapolim ducit et hac magna distractione a delicto avertit. — Pater moribundus me redeuntem a fratre Americae residente, quem heu! miserandum in modum interemptum inveni, anxie interrogat quomodo valeat filius suus, in quo statu illum invenerim, quid de patre quid de matre sua ille dixerit etc. etc. Ego itaque, ne fatali nuntio extremas patris horas contristem eique mortem accelerem, ei dico: bene valet, in bono statu illum reperi, de te, de matre hoc et illud dixit etc. etc. — Titius postulat: quaenam sit via quae ad Forum-Livii ducit. Sciens ego, Titium hac via expectari ab inimico illum interfecturo; nec potens (eo quod, v. g., sit surdus) hanc rationem ei significare, digito viam oppositam quae ad Forum-cornelii ducit ei indico.

Hos itaque dicerem esse casus exceptionales in quibus, quamvis falsum dicatur, nihilominus mendacium aut non subsistat aut non sit culpabile. Mendacia huiusmodi (si hoc nomine quis ea appellare velit) commercio humano non nocent sed potius favent. Implicita promissio sincere procedendi in locutionibus nostris ad hos casus non extenditur. Qui ita se gerunt nec fide indigni evadunt, nec auctoritatem et fiduciam ullo modo amittunt. Iustitia et charitas nullam laesionem patiuntur. Tota difficultas ad veritatis laesionem reducitur; sed non pauci dantur casus, in quibus error melior est quam veritas; et multae fictiones (utique veritati oppositae) prorsus licitae censentur, ut mox videbimus. Denique sensus communis (a quo tutius quam a Theologis legum naturalium interpretatio colligitur) nihil mali in dictis loquendi modis reperit.

Obii. 1°. Si mendacium non est intrinsece malum, tunc etiam Deus mentiri posset. Resp. Negative. Scripsit Lugo (De Fid. IV. 23): « Licet daremus, hominem in aliquo necessitatis casu « posse mentiri ad evitandum aliquod malum, quod alia via « vitari non poterat; Deus tamen hoc titulo mentiri non posset: « quippe qui facillime posset consequi illum finem sine men- « dacio ».

Obii. 2°. Alexander III. (Cap. *Super eo* De usuris) dixit, Scripturam sacram prohibere pro alterius vita mentiri. Resp. Haec verba intelligenda sunt vel de mendacio prolato coram iudice, ne quis ad mortem damnetur, iuxta illud (Matth. 18):

« Non falsum testimonium dices » ; vel de mendacio quod non iam ad deludendum ipsum occisorem, sed cum alio proferatur ; ut puta, si quis tibi diceret : nisi dixeris Caio hoc vel illud mendacium, ego occidam Sempronium. Cf. Viva ( Prop. 27. Inn. XI. n. 21 ). Caeterum ( Eccl. VII. 14 ) legitur : « Noli velle mentiri « omne mendacium : *assiduitas enim illius non est bona* ».

Obii. 3°. Si mendacia interdum licerent, tunc unusquisque formidare posset ne qui loquitur aliquam habeat occultam causam quae mendacium legitimet, et sic verba nullam securitatem suppeditarent. Resp. Causae occultae, etsi gravissimae, mendacium legitimare nequeunt ; secus enim verissimum est quod in perpetua diffidentia versaremur, nullamque securitatem in verbis virorum etiam probissimorum collocare possemus. Hinc tamen non sequitur, hac securitate indigere etiam malefactores, temerarios aliosque, quibus non iam sinceritas sed mendacium ( quod tamen innocentem deceptionem potius appellarem ) optime quadrat. — Aliunde, si obiectio vim haberet, illicitae essent quoque tot restrictiones abnormes et captiosae quae ab audientibus non subintelliguntur atque ( ut vidimus ) in mendacium recidunt, et nihilominus ab auctoribus mendacium in quovis casu reprobantibus passim ( et interdum forsan plus aequo ) approbantur.

Quaer. IV°. Quid de gradu culpae in mendaciis ?

R. Culpa est gravis in duobus casibus. 1° Si iuramentum superaddatur ( vide dicta n. 94 ) ; 2° Si mendacium sit graviter perniciosum, quatenus credatur, et proximo, sive quoad vitam, sive quoad bona fortunae sive quoad famam, grave damnum inferat. Idem dic si religioni aut societati graviter noceret, prout ordinarie contingeret, v. g., si Sacerdotes calumniis afficerentur ; si tamquam bene morati apud Episcopum clerici ad sacros ordines promovendi falso laudarentur ; si sufficientis doctrinae testimonium imperitis publica officia petentibus traderetur ; si falsitates contra religionem aut in illius favorem praedicarentur ; si in docendo principia falsa et perniciosa traderentur ; si quis ex respectu humano se non esse Christianum, se non esse catholicum protestaretur etc. Aliqui dicunt, mendacia levia evadere posse gravia etiam propter scandalum, attenta qualitate personae et mendaciorum frequentia ; sed hoc difficile videtur. Notari potest demum quod mendacium non evadit grave eo quod in confessione proferatur, nisi eo tendat ut Confessarius quoad materiam necessariam aut quoad doloris et propositi existentiam decipiatur.

Mendacia autem simplicia, sive iocosa sive officiosa sive leviter perniciosa, quamvis asseveranter aut ex consuetudine proferantur, venialem culpam non excedunt. Imo multa mendacia officiosa, quae maxime a mulieribus, ad pacem servandam et ne mariti blasphement, proferuntur, propter ignorantiam et bonam fidem, culpa vacant. Qua de re scripsit Roncaglia: « Caveat (confessarius) ab admonendo rudes, mulierculas et « quosdam alios crassioris capacitatis, qui putant non esse pec- « catum officiose mentiri, ne herus vel hera repleant domum « clamoribus, vel aliquem dimittant a famulatu etc. Si admo- « neantur, nihilominus perseverabunt in suis mendaciis, et ex « remotione ignorantiae peccabunt ».

Quaer. V.° Quid dicendum de verbis ambiguis?

R. Haec sunt, quae, praeter sensum obvium, alium habent sensum intelligibilem et legitimum; in quo scilicet a personis etiam probis absque ulla mendacii nota identidem usurpantur. Exempla. Pauperi obolum in eleemosynam poscenti, dicimus: *Nihil habeo* (nempe aut vere nihil habeo, aut nihil habeo tibi dandum) — Poscenti an herus domi sit, famulus respondet: *Non est domi* (nempe aut vere domi non adest, aut non adest pro te). Gury (Cas. conse. I. 416). — Titius pauper aut improbus petit pecuniam mutuam a Sempronio, qui respondet: *Non habeo pecuniam* (quod significat aut vere non habeo, aut non habeo pecuniam dandam tibi non restituturo). — Caio aliquid emere volenti sed pretium non soluturo, mercator dicit: *Non habeo id quod petis.* — Urbanitate sic exigente, dicimus, v. g.: *Sum tuus servus obedientissimus; mandatis tuis semper promptus ero; domum meam ex toto corde te invito; si veneris, rem pergratam favoremque summum mihi feceris; quod invitationem meam non acceptes valde aegre fero etc.* — Interrogati an cibus vel potus, nobis ex urbanitate porrectus, bonus sit; respondemus: *Bonus, excellens est.* Porro haec et similia verba iuxta communem acceptionem non testantur, animum nostrum esse talem qualis indicatur, sed hoc in ambiguo relinquunt. — Medicus dicit aegroto: *Eia age, bono animo esto; infirmitas tua levis momenti est... Medicina non est amara... Sectio ictu oculi perficitur, nihilque doloris senties; noli timere.* Haec etiam verba in ambiguo relinquunt an sincere, an vero dumtaxat ad timorem repellendum dicantur; et communiter a medicis, quin de mendacio redarguantur, dici solent. — Interdum ambiguitas oritur ab aliquo gestu vel signo quod verbis adiungitur, ut puta, si quis equum emere volens consilium meum petat, et

ego, sciens illum esse multis vitiis obnoxium, respondeam subridens : Eme, eme securus ; equum meliorem non invenies in universo mundo.

Quando autem sic pateat sermonem esse ambiguum, certe mendacium non adest. Culpa tamen contra charitatem interveniret si audiens ex simplicitate aequivocum non intelligeret et damna subiret, et loquens id animadvertens absque ullo incommodo clare se exprimere posset.

Quid si audiens dicat : iura id esse verum ? Qui ambigue locutus est, potestne iuramentum superaddere? R. Si ambiguitas respiciat animum loquentis, quatenus incertum remaneat an sincere, an vero ludicre vel ex urbanitate aut blandimento sermo factus fuerit ; tunc, si hoc modo sermo se habuerit, iuramentum de veritate superaddi nequit. — Si autem ambiguitas respiciat alia quae subintelligi debent ; prout in casu respondentis : *Non habeo pecuniam* ( nempe *dandam tibi non restituturo* ) ; tunc iuramentum, salva veritate, superaddi potest.

Theologi inter verba ambigua ea etiam recensent, quorum ambiguitas vix et forte ne vix quidem intelligi possit ab audientibus, quamvis prudentes sint ; attamen in mente loquentis vere subsistat, atque etiam extrinsecus aliquo modo reperiatur. Exempla habes supra ( Q. I. in fin. ). Hae ambiguitates a verbis absolute falsis nonnihil discrepant, quatenus falsitatem quidem quoad audientes, sed veritatem quoad loquentem praeseferunt. Si itaque in quibusdam casibus ( v. g., ad deludendum malefactorem aut temerarium ) verba omnino falsa adhiberi possunt, ut dixi ; liceitas adhibendi ambiguitates huiusmodi paullo amplius extendi poterit ; unde non damnarem miseras uxores quae, ad servandam pacem et ne mariti blasphement, dicunt, v. g., se expendisse octo quando expenderunt decem ( quamvis enim expenderint decem, vere expenderunt octo ) ; aut interrogatae an talem domum adiverint vel cum tali persona locutae fuerint, respondent : *Tibi dico, non* ( nempe : Profero hoc verbum, *non* ) ; et, quia veritatis fundamentum non deest, iurare etiam poterunt absque peccato mortali ; imo et licite omnino, si causa adeo gravis et urgens intercedat, quae iuramentum quoque excusare videatur ; advertendum est enim, causam maiorem nequiri ad sic aequivocandum cum iuramento quam sine illo. Vide S. Lig. ( III. 151 ).

Quaer. VI°. Quid de mendaciis in contractibus ? R. Hac de re pro praxi sufficiunt ea quae dixi supra ( n. 488. Quaer. VI ). Noto dumtaxat non esse mendacium si mercator de merce sua

dicat : *Carius mihi valet*, si id verum sit, computatis expensis apothecae, ministrorum etc. S. Lig. (1. c. 164).

Quaer. VII°. Quid de mendaciis quae a reo eiusque advocato in iudicio proferuntur?

R. Reus dicitur ille qui in iudicio sive criminali sive civili accusatur, sive nocens sit sive innocens. Hac notione praemissa, loquamur prius de reo in iudicio civili.

Reus in iudicio civili (si interrogetur et vere sit debitor) certe non potest debitum denegare; et si, propter denegationem, actor litem perderet litisque expensas solvere cogeretur, reus etiam quoad illas ad restitutionem teneretur. — Si autem debitor non esset, tunc quaedam responsiones falsae materialiter sed verae formaliter (nempe ad mentem iudicis interrogantis) licitae erunt. Exempla. Qui ex haereditate occultavit aliqua sed ita ut non teneatur ex illis solvere creditoribus, potest negare se occultasse aliquid (nempe creditoribus debitum). — Qui sponsalia irrita aut rescindibilia inivit, potest negare se contraxisse sponsalia (nempe adimplenda). — Qui mutuum accepit, si postea restituerit vel ius compensationis acquisierit, potest negare se accepisse mutuum (nempe adhuc restituendum). S. Lig. (III. 158). Attamen secutae restitutionis falsam apocham aut falsos testes de visu adducere nefas esset; id enim esset mendacio deludere non solum actorem inique exigentem, sed etiam iudicem. Scavini (I. 522).

Responsiones falsae materialiter sed verae formaliter permittuntur quoque reo in iudicio criminali. Hinc qui occidit hominem ex inadvertentia inculpabili vel ob necessariam defensionem (quam probare nequeat), negare poterit se illum occidisse. Qui ad iustam compensationem aliquid abstulit, negare poterit se quidquam abstulisse. Innocens qui delicti ab alio commissi indicia praebuit, unde delictum ei imputatum fuit, negare poterit se ea indicia praebuisse etc. Fatentur etiam TT., reum negare posse delictum toties quoties a iudice incompetenti aut praeter formam legitimam interrogatur. Si autem legitime interrogetur; tunc Theologi antiqui communissime dicebant, delictum fateri debere, quamvis de causa capitali ageretur. Sed Lugo aliique cum S. Lig. (IV. 274) mitius loquuntur, et dicunt quod, stante periculo sententiae mortis aut alterius poenae gravissimae, reus a dicta confessione excusari potest. Frassinetti tandem (not. 97) et D' Annibali (II. 649) illum excusant, quamvis de poena non atrociori sed simpliciter gravi agatur. Hae sententiae benignae probabiles sunt. Enimvero mendacium

non adest; huiusmodi enim denegationes adeo communes evaserunt, ut reus denegans iam non dicatur mentiri sed nolle fateri. Lex naturalis ad hanc confessionem (ut nempe sic malefactores convinci et propter bonum publicum puniri possint) obligare nequit; secus enim quisque malefactor deberet sponte sua se in carcerem coniicere, ab eoque, ne portis quidem apertis, fugere posset; quod dici non debet. Cf. D'Annibali (II. 648). Lex civilis autem inutiliter prorsus obligationem adeo arduam imponeret; a malefactoribus enim actum heroicum exigeret. Aliunde (maxime inspectis novis legibus) non apparet quod reo (quamvis interrogetur) obligatio respondendi aut crimen fatendi imponatur; imo expresse interdicitur ne ei iuramentum deferatur. Accusatori et testibus spectat ut crimen probent; reo autem ut se defendat. Cf. *Cod. di proced. pen.* (n. 232-236). Sed, quidquid sit de hoc in theoria, in praxi certe Confessarius urgere non debet reum ut crimen fateatur, illumque in sua bona fide relinquere debet, ut dicit etiam S. Lig. (l. c.).

Reus confessus interrogatur an complices in crimine habuerit (Art. 239). Ad decidendum utrum ad hanc confessionem teneatur, observari debet an revelatio utilis sit; si enim ex probationum defectu inutilis esset, ad illam non teneretur. Observandum est etiam an necessaria videatur (quatenus, v. g., de turma latronum, de monetarum falsariis, vel de magnum malum sive publicum sive privatum machinantibus agatur). Observandum est demum cum quanto sacrificio revelatio fieri possit. Cf. Laymann (III. VI. C. 5. n. 8).

Reus testium auctoritatem potest reddere suspectam (Art. 237. *Cod. di proced. civ.*); sed in hunc finem, quamvis eorum crimina occulta (maxime si ab iis iniuste laedatur aut ipsi sponte se obtulerint) revelare queat: nunquam tamen calumniis recurrere poterit. Cf. S. Lig. (n. 277), et Lugo (XL. 23).

Quae de reo dicta sunt, de advocato etiam, qui illius personam repraesentat, dici debent.

Quaer. VIII. Quid de mendaciis in iudicio prolatis a testibus?

R. Testes in materia civili, et ut plurimum etiam in materia criminali, ante omnia sub iuramento se obligant ad dicendam integram veritatem et nihil aliud quam veritatem. Cf. *Cod. di proced. civ. Art.* 242, e *di proced. penale. Art.* 297. 172. Si itaque falsum deponant sive contra reum sive in illius favorem, non solum mentiuntur sed periurant. Idem dic si, quum facti notitiam habeant, asserant se nihil scire.

Attamen sine mendacio et periurio dicere possunt se nihil

scire (nempe ita ut deponere teneantur) *in sequentibus casibus*. 1° Si a iudice incompetenti aut quovis modo non iuridice interrogentur; 2° Si rem sciant dumtaxat sub secreto commisso, nempe propter confidentiam factam ad honestum consilium vel auxilium obtinendum; unde ipsae leges civiles vetant ne in testimonium vocentur medici, chirurgi, pharmacopolae, obstetrices, advocati etc. quoad illa quae sub secreto sciunt, exceptis casibus in quibus iura expresse exigunt ut denuntiatio fiat. (*Cod. di proced. pen. Art* 288). Idem dic si quis per iniuriam (v. g. litteras aperiendo) secretum cognoverit. — Attamen solum secretum promissum (si nempe quis casu delicti notitiam habuerit et a delinquente rogatus secretum ei promiserit), etsi iuratum, non sufficit. D' Annib. (II. 635). 3° Si cum reo sint proxime coniuncti. Hinc parentes, filii, fratres, patrui, nepotes, nec non affines in iisdem gradibus, et demum coniux a testimonio ferendo excusantur; imo ipsa lege (Art. 286) expresse excluduntur. 4° Si suis oculis nihil clare viderint; testis enim advocatur ut deponat de scientia propria et certa, non vero de aliena aut incerta, nisi de hac expresse interrogetur, idque de auditis a personis fide dignis et non aliter intelligi deberet. D' Annibali (l. c.). 5° Si pro certo habeant, delictum fuisse quidem commissum, sed sine culpa. 6° Si ex testificatione grave damnum sibi ipsis timeant; qua de re Lugo (XXXIX. 10) haec habet: « Si ex testificatione timeam notabile damnum « mihi (tunc excusor).... : nam praeceptum iudicis non obligat « cum tanto detrimento in causis ordinariis. Propter damnum « tamen commune tenemur etiam cum gravi detrimento testi- « ficari; imo et aliquando propter bonum privatum proximi, « quod secundum regulas prudentiae et charitatis praeferendum « esset proprio periculo, quod possemus testificando subire ».

Testis qui cum damno alterius falsum deposuit, si ex inculpabili errore id fecerit, tenetur quidem se retractare, si utiliter et sat faciliter possit; sed, si sententia iam lata fuerit, damnum illatum reparare non tenetur. Si vero cum malitia processerit, et retractatio valere possit, ad illam tenebitur et quidem cum incommodo maiori illo quod innocens subiturus esset; et in quolibet casu ad damnorum reparationem obligabitur. — Si autem non falsum deposuerit, sed veritatem occultaverit dicendo se nihil scire, quum in accusati favorem testificari debuisset; tunc peccavit certe contra iustitiam legalem et obedientiam iudici debitam, nec non contra iuramentum; sed probabiliter iustitiam commutativam non violavit (sicut illam

non violasset si citationi non obtemperasset) et proinde in tali casu ad damnorum reparationem in conscientia non tenetur. S. Lig. (IV. 270).

Quaer. IX. Quid de simulationibus seu fictionibus?

R. Videndum quo fine adhibeantur. Si ex rationabili motivo, tunc quavis culpa carent. Exempla. Caius, ne pravis sermonibus participare cogatur, somnum fingit. — Titius, ne a latronibus expiletur, more pauperum misero vestitu utitur et sic pauperem se fingit. — Lucius, ne scandalum praebeat, pietatem et devotionem (quam in corde non habet) simulat. — Livia, ut sponsi exprobrationes declinet, virginitatem fingit. — Lucretia, ut corporis defectus tegat, quibusdam fictionibus nemini noxiis utitur. — Terentius in morte parentum fletum simulat. — Sempronius pro sua comoditate comâ fictâ, dentibus fictis etc. utitur. — Seius, ne alii sciant quo vadat, ad alium locum se dirigit etc. — Haec profecto licent; advertendum est enim quod tacita promissio procedendi sincere et iuxta mentem adest quoad verba, scripta et gestus; sed non aeque quoad alia facta.

Si vero fictiones ex pravo fine seu ex reprehensibili motivo adhibeantur, tunc culpabiles erunt. Exempla. Caius, ut laborem (ad quem a patre vocaretur) declinet, somnum fingit. — Titius, ut eleemosynas extorqueat, paupertatem simulat. — Lucius, ut facilius haereses spargat, pietatem et devotionem ficte ostendit. — Lucretia vano prorsus motivo se infarcit. — Sempronius ut furta committat, barba, vestibusque fictis utitur etc.

## CAPUT III.

### DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

### ARTICULUS I.

#### DE AUDITIONE MISSAE IN FESTIS DE PRAECEPTO

524. Quaer. I°. Quomodo audienda sit Missa?

R. I. Audienda est *integre;* sed hoc in puncto sequentes distinctiones fieri debent. — Illi qui perveniunt Missâ iam incoeptâ sed ante offertorium, non tenentur aliam audire, quia Missae substantia ab offertorio incipit. Si tamen ex voluntaria negligentia id evenisset, culpa adfuisset, sed non mortalis. — Qui perveniunt post offertorium, si fortuito casu id accidat, non equidem peccant; sed, si possint, aliam Missam audire

tenentur ; si vero non possint, tunc saltem illi Missae parti assistere debent, dummodo non pervenerint, Missâ quasi finitâ, tunc enim ad nihil tenerentur. Si autem non fortuito casu sed voluntarie adeo cunctentur ut solum post offertorium Ecclesiam ingrediantur, tunc peccant mortaliter, nisi aliam Missam audiendi intentionem habeant. — Adverte tamen quod communiter Christifideles pro validitate Missae non ad Offertorium sed ad Evangelium attendunt. — Notari potest insuper quod non sufficit audire duas dimidias Missas, quae a diversis Sacerdotibus celebrantur ; Ecclesia enim praecipit fidelibus ut intersint integro et perfecto Sacrificio, quod non accidit nisi offertorium, consecratio et communio in eadem Missa reperiantur.

II°. Audiri debet *attente*. Quamvis quaelibet distractio voluntaria aliquam culpam includat, tamen difficile est quod attentionis defectus sit talis ac tantus, ut Missa fuerit tamquam non audita et alia audiri debeat ; secus enim hoc praeceptum nimiis scrupulis aditum aperiret nimisque grave evaderet. Hinc, ut Missa fuerit tamquam non audita, oportet ut distractio fuerit continua, intensa et non facilis. Si quis itaque toto aut fere toto tempore Missae (et speciatim ab offertorio usque ad communionem) loqueretur cum socio circa negotium, quod funditus mentem occuparet, certe Missam non audiret. Secus si identidem dumtaxat aliquod verbum diceret, aut si mente aut oculis in aliquod obiectum abriperetur; in primo enim casu attentio ad Missam non destruitur, et in secundo ( quamvis forte attentio destruatur) de re nimis facili agitur ; unde, nisi reflexe consideretur tali modo ad Missam attendi non posse, praecepto satisfieri videtur. Scavini (I. 254). — Si quis tempore Missae ad concionem attenderet, aut confessionem sacramentalem perageret, Missam non audiret ; Missae enim non attenderet, sed aliud faceret, nec cum Sacerdote Sacrificium offerente uniri censeretur. Nihilominus, si aliam Missam audire nequiret et confessionem ad aliud tempus facile differre non posset ( prout contingere solet in famulabus et uxoribus se cito expediendi necessitatem habentibus) ; tunc praesumendum est Ecclesiam consentire, maxime si momento consecrationis attentio praestaretur.

III°. Audiri debet *modo humano ;* unde ebrius vel dormiens vel non advertens quod Missa dicatur non satisfaceret. Secus esset si quis vexatus a somno dormitaret quidem, sed ita leviter, aut per intervalla ita brevia, ut in substantia Missam quoque audiret. D'Annibali. ( III. 469 ).

IV°. Exigitur *intentio ;* qui enim ingressus Ecclesiam ob alios

fines, Missam quidem audiret, sed sine ulla intentione se uniendi cum Sacerdote ad Sacrificium offerendum (seu nulla efformata intentione audiendi Missam), praecepto non satisfaceret. Intentio tamen audiendi Missam non debet confundi cum intentione satisfaciendi praecepto, quae non exigitur; imo si quis intenderet audire Missam ex sola devotione, atque intentionem satisfaciendi praecepto prorsus excluderet; nihilominus satisfaceret. S. Lig. (I. 163. 164). Quid si die festo duas Missas audire deberes, unam ad satisfaciendum praecepto, aliam ex voto vel poenitentia sacramentali, et primam Missam audiens non praeceptum, sed votum vel poenitentiam intenderes? R. Praecepto satisfaceres; sed aliam Missam ad satisfaciendum voto vel poenitentiae audire deberes. Notari potest demum quod prava aliqua intentio adiuncta intentioni audiendi Missam, praecepti impletionem non impedit, si aliunde sufficientem attentionem non excludat. Exemplum habes in eo qui pergit ad Ecclesiam ut quidem Missam audiat, sed etiam ut foeminam videat. Cl. Ballerini (I. 347. not. *c*).

Quaer. II°. Ubinam Missa audiri debeat?

R. Non sufficit ut Missa audiatur, sed oportet ut (secluso privilegio) audiatur in templo vel oratorio publico; ubi nempe populus vel saltem aliqua communitas assistere possit; unde oratoria, quae legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, conservatoriis, carceribus et hospitalibus, tamquam publica considerantur. In privatis autem oratoriis (quae in domibus nobilium esse solent) Missae praecepto satisfacere licet (diebus solemnioribus exceptis) domino dumtaxat eiusque familiae, eaque praesente, hospitibus et aliquibus famulis quorum praesentia in oratorio tempore Missae conveniens sit. D'Annib. (III. 8) et Baller. (I. 348). Advertendum est insuper quod dominus potest quidem hoc privilegio uti, sed non obligatur; unde, si forte Ecclesiam adire nequiret, Missam audire in oratorio non teneretur, maxime si ad Missam habendam stipendium Sacerdoti dare deberet. Cf. Ballerini (l. c.).

Missa audiri potest in quacumque Ecclesiae parte, quamvis Sacerdos eam celebrans propter Ecclesiae ipsius vastitatem valde longe sit; non enim exigitur ut Missa praecise audiatur, sed sufficit ut sciatur eam tunc celebrari. Necessitas tamen audiendi Missam in ecclesia, non ita stricte accipi debet ut distantia exigua obstet, satis enim est ut locus cum Ecclesia immediate communicet; ita ut qui Missam audit tamquam unus ex assistentibus non absone existimari possit.

Si festum sit locale, satisfacitne qui extra territorium Missam audit, ita ut domum rediens Sacro iterum interesse non teneatur? R. In rigore (secus ac sentire videtur Antoine De Leg. IV. VI.) Missa audiri debet in loco ubi praecipitur, extra enim praeceptum non adest; et proinde qui Missam extra territorium audit nulli praecepto satisfacere potest. Praeterea si incolae Missam alibi audirent, localis solemnitas in loci templis non distingueretur. Attamen si, vidente et tacente Ecclesia, populi pars alibi concurrere soleat, tunc pro satisfactione standum erit. Imo in quocumque casu, postquam quis bona fide alibi ad Missam audiendam se contulerit, facillime supponi potest quod Ecclesia (pro his casibus raris) ab ulteriore auditione dispenset.

Quaer. III°. Quinam teneantur audire Missam?

R. Tenentur omnes Christifideles (nisi sint excommunicati vel legitime excusentur) postquam septennium compleverint. Plures dicunt attendendum esse non iam an puer septennium compleverit, bene vero utrum rationis usum sat perfecte acquisierit, quod etiam ante septennium contingere potest. Sed haec regula nimiis perplexitatibus et scrupulis aditum aperiret; et aliunde, quum iamdudum in proverbium evaserit quod pueri ad leges Ecclesiae observandas obligari incipiunt solum quando septem annos compleverint, iuxta hunc antiquissimum et communissimum fidelium sensum lex interpretari debet. Adde, casum pueri, qui usum rationis sat perfecte acquisierit ante septennium, esse rarum; leges autem positivae pro casibus raris non fiunt. Hanc sententiam S. Lig. (III. 270) vocat probabilem. Cf. D'Annibali (I. 191. not. 32), et Salmant. (XXIII. II. 130).

Quinam tenentur Missam audire, si festum sit locale? R. Hoc in puncto claritatis gratia, praemittenda sunt nonnulla principia circa incolas, advenas, peregrinos et vagos.

*Incola* est qui a nativitate alicubi residet. — *Advena*, qui extra proprium territorium posuit domicilium (nempe residentiam cum animo ibi manendi perpetuo), vel quasi-domicilium (nempe residentiam cum animo ibi manendi per maiorem anni partem, prout accidit in famulis, scholasticis, militibus in praesidio etc.). — *Peregrinus* est qui alicubi extra proprium territorium versatur, sed sine animo ibi manendi nec perpetuo nec per maiorem anni partem. Huiusmodi sunt viatores et mercatores, quamvis forte longo tempore alicubi morentur, eo quod circumstantiae impraevisae de die in diem occurrant, quae discessum retardant. Huiusmodi sunt etiam divites, qui autumnali

tempore duobus vel tribus mensibus ruri degunt. Cf. Gury (II. n. 846. 847 cum notis). — *Vagus* denique est qui nullam patriam habet, et de uno in alium locum se transfert continue.

Incolae et advenae, donec in proprio territorio, seu ubi domicilium aut quasi-domicilium habent, actualiter versantur (secus enim iam peregrini evaderent), omnibus legibus localibus tenentur; et proinde, si in loco festum de praecepto celebretur, Missam audire debent.

Peregrini legibus particularibus loci in quo versantur non subiiciuntur (nisi quoad contractus); attamen loci ipsius privilegiis gaudere possunt. Si itaque illuc festum locale celebretur, ad Missam (secluso scandalo) non tenentur; et, si illuc festum generale sit suppressum, tunc pariter a Missa audienda abstinere poterunt. — Peregrini patriae suae nec privilegiis gaudent nec legibus ligantur. Si itaque festum generale in patria sit suppressum, sed in loco observetur, Missam audire debent; et e contra, si in patria festum locale vigeat, illud (postquam discesserint) celebrare non tenentur. Sed quid, si quis a patria sua discedat eo ipso die in quo festum locale celebratur? Teneturne ante discessum audire Missam? R. Certe tenetur, si tempore ultimae Missae adhuc sit in patria. Certe e contra non tenetur, si summo mane proficiscatur et Missae tarde incipiant. Utrum vero ante ultimam Missam discessurus unam ex primis audire teneatur, disputant Auctores; et probabiliter non tenetur: posita enim obligatione audiendi Missam ante discessum, sequeretur quod qui nullam ex primis Missis audivit, si vellet absque peccato discedere, teneretur expectare ultimam (nisi incommodo vere gravi excusetur); sed haec obligatio retardandi discessum ut Missa expectetur non subsistit; legislator enim praecipit quidem ut Missa audiatur, sed non praecipit ut unusquisque in loco maneat ut illam audire possit. S. Lig. (I. 157).

Vagi demum solis legibus communibus tenentur; et, sicut peregrini, particularibus locorum legibus non subiiciuntur, sed nihilominus locorum ipsorum privilegiis fruuntur; unde, quoad Missam, resolves ut supra. S. Lig. (I. 159).

Quaer. IV. Quaenam causae ab auditione Missae excusent?

R. Excusat quodlibet impedimentum notabile seu motivum rationabile; nempe quaevis causa mediocriter gravis quae notabile aliquod damnum aut incommodum afferat. Ratio est quia Ecclesia est discreta et pia mater, quae filios suos nimis onerare non vult. S. Lig. (III. 324). Differentia tamen fieri debet

inter omissionem Missae pro una vel altera vice, et omissionem perpetuam aut diuturnam, pro qua causa maior exigitur. Advertendum est etiam quod, si impedimentum removeri aut cum auditione Missae conciliari sat facile possit, id fieri debet. — Hae regulae valent etiam circa illos qui subditos habent, quatenus iisdem libertatem Missam audiendi denegare possunt aut relinquere debent, secundum quod motivum rationabile habeant aut non habeant. In omnibus autem casibus a consuetudine et praxi timoratorum regula tutissima sumi poterit. Ex his principiis generalibus, sequentes casus particulares resolves.

I. Propter *damnum in bono vitae*, excusantur 1°. Aegroti, puerperae, valetudinarii et convalescentes, etiam in dubio (consulto tamen medico aut persona prudenti, si possint). 2°. Qui ad Ecclesiam adeundam (v. g., propter distantiam, intemperiem, viae asperitatem, virium debilitatem, senectutem, statum, conditionem etc.) nimiae et non consuetae defatigationi subiicerentur. Nec vectura uti tenentur; nisi consuetudo aliter exigat; prout apud nos contingit quoad nobiles ruri degentes; qui insuper (attento etiam scandalo) non facile excusari debent, eo quod magnam noctis partem ludendo insumpserint, et mane hora Missae dormientes illam relinquant. 3° Sunt qui dicunt se Ecclesiae aerem ferre non posse. Hoc motivum non semper est insulsum. Non solum quibusdam foeminis gravidis, sed etiam aliis, Ecclesiarum aerem physice graviterque nocere (interdum usque ad deliquium) compertissimum est; et medici catholici dicunt, huic rationi, consideratis circumstantiis, suum pondus dari debere. Cf. Capellmann (*Medicina pastoralis. De frequentatione templi*). 4° Excusantur ii, qui a satellitibus inquiruntur (vulgo *banditi*); item milites, si illis audiendi Missam tempus non relinquatur; et in genere quotquot propter Missae auditionem gravibus periculis aut poenis obviam irent. 5° Excusarem denique illos qui machinam triturantem ducunt (*i macchinisti delle trebbiatrici*), quamvis tempore Missae a labore supersedeant, casu quo praecedenti nocte non dormierint, et sic somno aliquantulum indulgendi extraordinariam necessitatem habeant.

II. Propter *damna in bonis fortunae* excusantur quotquot in operibus vel officiis sibi licitis ita occupantur, ut sat commode neque antea aut postea Missam audire, neque opus suspendere, aut ad aliam horam differre, neque alios (saltem alternatim) sibi substituere possint. Hoc (speciatim ubi Missarum penuria adsit; maxime vero si Missa vel unica celebretur, aut valde

distet, aut difficile inveniatur) contingere potest quoad laborantes in fusoriis, machinam viae ferreae (intellige semper eo die) ducentes, nautas, molitores, viatores, muliones et aurigas (qui neque differre neque interrumpere queant iter absque gravi iactura), gregem vel domum ex necessitate custodientes, etc. Idem dic de famulis vel ministris operum, quibus herus vel apotecae dominus libertatem non relinquit ut Missam audire possint. Circa istos specialiter notandum quod, si, aliquantulum citius surgendo vel opus solerter finire curando, Missam audire queant, ad id tenentur. Si hoc fieri nequeat, tunc alium dominum inquirere debent ; exceptis sequentibus casibus, nempe 1° Si id raro accidat ; 2° Si alibi idem inconveniens aut forsan peiora mala inventuri essent (cf. De Occasionariis n. 269) ; 3° Si nimis grave aut damnosum eis sit illud servitium deserere ; 4° Si dominus propter veram necessitatem eorum opera ita indigeat ut eos ad Sacrum mittere nequeat. — Notari etiam potest quod, si forte unica Missa adsit et aliquis semper domi remanere debeat, curandum est ut modo unus, modo alius alternatim domi remaneat ; ita tamen ut dominus se ipsum Missa privare (nisi paucis vicibus) non teneatur, ut ad illam famulos mittat. Quid de tabernariis (*bottegai*), cauponibus, pharmacopolis, barbitonsoribus, sutoribus, sartoribus, et sarcitricibus ? R. Supposito etiam quod licite labori aut venditioni incumbant iuxta dicta (n. 145. 159), difficile est quod momentum et possibilitatem Missae audiendae absque gravi damno, si velint, non inveniant ; unde in praxi excusari nequeunt, nisi forte in aliquibus circumstantiis extraordinariis, quae certe admitti debent, dicente S. Lig. (III. 332) : « Valde probabiliter excusa« tur, qui ob Missam audiendam omittere deberet negotium « cum damno gravi ». — Quid de amissione lucri ? R. Amissio lucri non utique exigui, sed (attenta conditione personae) notabilis et extraordinarii (ut puta si hora Missae pauperi occurreret occasio lucrandi quatuor vel quinque francos) damno gravi aequiparatur, et proinde excusat.

Propter *alia incommoda propria*, sufficientem excusationem constituunt 1° Magna verecundia, v. g., apud nos, si quis calceos non haberet, si nobilis veste aut famulatu convenienti careret, si puella nimis verecundaretur eo quod in Missa proprii matrimonii publicationes fierent (intellige semper nisi haec incommoda, v. g., alibi Missam audiendo, declinari facile possint) : 2° Publica reprobatio, ut puta, si quis tempore luctus contra morem foris prodiret, maxime si agatur de vidua, aut si cada-

ver adhuc domi adsit. 3° Necessitas spiritualis, ut puta, si quis confessionem sacramentalem peragere indigeret, neque ad aliud tempus illam differre posset, ut supra dicebam.

Propter *damna et incommoda aliorum*, excusantur praecipue 1° Matres et nutrices, quae aliis infantulos custodiendos relinquere nequeant; 2° Assistentes infirmis, non solum si eorum assistentia personalis vere necessaria sit, sed etiam si infirmus ex ipsorum discessu nimis perturbetur.

Propter *bonum spirituale proximi*, excusantur speciatim 1° Puellae quae ex fornicatione uterum gestant; tunc enim, praeter infamiam nimiumque ruborem, scandalum quoque interveniret. 2° Mater quae necessitatem haberet remanendi domum ad custodiendam filiam degentem in periculo. 3° Uxor quae propter auditionem Missae proprio marito occasionem praeberet zelothipiae, magnae et ineluctabilis discordiae, aut blasphemiarum. Propter blasphemias tamen omittere quidem posset Missam pro aliqua vice, sed non perpetuo; et idem fere dic de timore discordiae: si enim mulier in hoc cedat, cedere etiam debebit quoad confessionem, orationes, religiosam filiorum educationem etc.; unde nescio qualis discordia tanto malo praevalere possit. 3° Foemina, quae advertisset se in Ecclesia ab aliquo turpiter concupisci, maxime si molestiis gravibusve tentationibus exponeretur; nec aliam Ecclesiam adire posset. 5° Si hora Missae occasio opportunissima se offerret aliquod magnum malum (v. g. rixam) impediendi, vel bonum (v. g. pacem) procurandi.

Hucusque dicta sunt fere totaliter iuxta doctrinam S. Lig. (L. III. 324-332).

## ARTICULUS II.

### DE ABSTINENTIA A CARNIBUS EXTRA IEIUNIUM

525. Quaer. I. *Quid veniat nomine carnis?* R. Veniunt carnes quae diebus interdictis communi Christifidelium sensu vetitae reputantur. Ista est regula suprema. Si haec ad dubium solvendum in aliquo casu non sufficiat, vide utrum animal sit calidum an vero frigidum, si enim sanguinem calidum habeat, tunc decernendum est eius carnem esse vetitam; nec quidquam negotii facessit si forte ex piscibus vescatur aut partim in aquis vivat. Hinc fulix inter carnes recenseri debet, ut patet etiam ex responso Congregationis regularis disciplinae apud Scavini

(I. 404. 20). Idem dicendum de anitris et mergis quibuslibet. Aliqui apud S. Lig. (III. 1011) lutras, et castores inter pisces recensent; sed, ut notat Capellmann (Medicina pastoralis C. III), non recte. Respice tamen timoratorum consuetudinem.

Carne interdicta, interdicitur etiam ius ex carne; item sanguis et medulla. Vetantur quoque condimenta ex larido et sagimine, nisi consuetudine permittantur vel indulto; quod in nostra Dioecesi dari solet, exceptis Vigiliis S. Ioseph, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, et Nativitatis D. N. I. C.; nec non die Cinerum, tribus diebus quatuor temporum quadragesimae, et ultimis quatuor diebus maioris hebdomadae. Notandum quod laridum et sagimen, de quo indultum loquitur, est suinum; non vero caponis vel alterius animalis, ut constat ex responsione S. Poenitentiariae apud Scavini (I. 404. 18). Concesso autem larido ad modum condimenti, adhiberi etiam posse dicerem ea minutissima frustula, quae ex ipso larido trito et liquefacto remanent; dummodo laridum fuerit purum; non vero cum carne mixtum.

Quaer. II. *Quinam sint dies extra ieiunium in quibus a carnibus est abstinendum?* R. Sunt omnes dies veneris et sabbati, et alicubi superadduntur tres dies Rogationum nec non Vigilia S. Marci. Excipitur solemnitas Nativitatis D. N. I. C., quando in diem Veneris aut Sabbati incidit; tunc enim carnes permittuntur, nisi speciale votum aut regularis observantia obstet. Excipiuntur etiam nonnullae regiones (v. g. Hispania) in quibus Sabbatum ab hac lege excluditur. Notandum tamen quod alicubi (v. g., in Belgio) facultas comedendi carnem in Sabbato conceditur quidem cuilibet, sed oportet ut expresse petatur. Facultas autem illuc sic obtenta ad totam familiam, ad famulos, ad operarios, ad amicos et hospites (titulo gratuito seu ex mera benevolentia ad mensam receptos) extendi potest. Attamen facultas huiusmodi est territorialis; unde qui illam obtinuit, si forte alibi peregrinetur, ubi privilegium non viget, eâ uti nequit. Vide Gury (Cas. consc. I. 493).

Quaer. III. *Quid de gradu culpae in violatione huius legis?* R. Culpa *per se* est mortalis. Attamen (secluso scandalo) evadere potest venialis ex parvitate materiae. Loquendo de carne, Sporer (De Iciun. n. 11) dicit: « Non damnarem peccati mor-« talis eum qui absque ulla necessitate, etiam ex mera levitate, « curiositate vel gulositate, die iciunii modicum frustillum car-« nis, v. g., instar nucis communis, mediam aviculam, vel

« quid simile (*unica vice*) devoraret ». Quoad offas autem non carne sed solo iure carnis aut sagimine (deficiente indulto) conditas, quantitas paullo maior ad materiam gravem constituendam exigitur. Gousset (I. 301) sentit, unicam offam ordinariam (*una sola menestra*) semel in die sumptam materiam gravem (intellige, ut dixi, secluso scandalo) non constituere. Id tamen apud nos pro peccato mortali haberetur, nisi aliqua alia circumstantia culpam imminuat. Advertendum est enim quod, stante etiam materia gravi, culpa evadere potest venialis propter aliquam aliam circumstantiam quae non a toto sed a tanto excuset, maxime si materia sit quidem gravis sed in infimo gradu. Exempla dabo paullo infra.

Quaer. IV. *Quaenam causae ab hac lege excusent?*

R. 1° Carentia habitualis usus rationis. 2° Consuetudo legitima. Circa consuetudines notari debet quod regulam principalissimam efformant, et quod magna adesse potest diversitas inter locum et locum; quatenus in eodem praecise casu lex abstinentiae alicubi vigeat et alibi non. Insuper non desunt consuetudines quae primitus ex abusu ortum habuerunt; vel, dum aliquam personarum classem rationabiliter exemptam reddiderunt, illos etiam eiusdem classis individuos comprehenderunt, qui per accidens ab exemptione excipi deberent. Hoc ultimum facile et cito contingit, maxime si motiva exemptionis insufficienter quidem, attamen aliqualiter pro iis quoque individuis subsistant; unde isti (nisi clare excludantur) in exemptione comprehendi censentur. Exemplum habes infra n. 10.° Attamen in quovis casu oportet ut consuetudo vere tamquam legitima habeatur, quatenus absque ullo scrupulo et scandalo etiam a personis timoratae conscientiae epulae vetitae sumantur; secus enim non de consuetudine bene vero de corruptela ageretur, prout accidit in quibusdam locis in quibus die Veneris et Sabati carnes comeduntur, et (in obsequium legis!!) piscis quoque manducatur. 3° Deficiente consuetudine, quae aliquam personarum classem generatim et indistincte a lege eximat, videndum an grave et extraordinarium incommodum adsit, a quo excusatio repeti possit. Incommodum, quod ordinarie ipsam abstinentiam comitatur, utique non excusat; imo nec incommodum leve quod superaddatur. Hinc, v. g., paullulum rheumatismi, nonnihil insoliti laboris, expensarum compendium ex avaritia, respectus humanus, periculum ne carnes marcescant (dum pauperibus dari possunt), mala imaginaria, adventus hospitum vigiliam non servantium, quibuscum prandere cupis etc., haec profecto

non excusant. Bene vero excusat incommodum grave (ut dixi) et extraordinarium; excipe nisi motiva ordinis superioris (v. g., si in odium religionis comestio praeciperetur) clament ut, non obstante eo incommodo, abstinentia servetur; unde difficilius quis excusabitur iis in locis, ubi lex abstinentiae religiosissime adhuc ab omnibus observatur, ne lex adeo salubriter vigens paullatim suo robore carere incipiat.

Ab his principiis deducitur quod abstinentiae legem non tenentur observare sequentes.

1°. *Pueri* ante septennium completum; et quidem probabiliter, quamvis forte rationis usu pollerent. Attamen in tali casu dare illis carnes non expediret.

2°. *Perpetuo amentes*, quamvis forte olim sanae mentis fuerint, ut ait D' Annibali (I 191). Idem dic de semifatuis, si habitualiter mortalis culpae incapaces sint. — Ebriis tamen, vel ad breve tempus insanientibus, vel saepe lucida intervalla habentibus carnes dare (nisi ad medicinam) non licet; ea enim quae obiter transeunt, hominem adhuc legibus subiectum relinquunt. Per accidens excusaretur quidem ebrius si manducaret; sed qui carnem illi daret nullam excusationem haberet.

3°. *Omnes infirmi ex morbo acuto. Convalescentes ex morbo gravi. Infirmi ex morbis lentis quidem, sed iam graviter sanitatem labefactantibus*, prout sunt phthisis; cancer; struma (nempe glandularum inflammatio); clorosis (nempe menstruationis inordinatio quae tandem ciborum appetentiam prorsus auferre solet); diabetes (nempe extraordinaria urinae profusio cum siti inextinguibili); quidam herpes quem nos dicimus *pellagra*; chronicus stomachi catharrus; extraordinarius sive ex utero, sive ex haemorroidibus, sive ex naribus fluxus sanguinis; ampla et purulenta plaga etc. Notandum tamen quod infirmitates lento gradu procedentes (excepto herpete praedicto) non solent excusare in primis stadiis. Attamen tunc quoque excusant, si aeger ova et lac non toleret (hi enim cibi dolores ventris alvique profluvia in quibusdam individuis producunt).

4°. *Eo die vel tempore quo quis medicinam sumit semper excusatur*; tunc enim praeter morbum id etiam intervenit quod cibi esuriales sunt difficilioris digestionis et salutarem medicinae efficaciam turbant. Hinc excusantur qui balnea faciunt; qui aquas minerales bibunt; qui tempore verno herbarum, seri, iodii, aut mercurii curationes faciunt; qui stomachum purgant etc. Idem dic de iis qui seria de causa (v. g., propter phthisim pulmonàriam) cauteria habent.

5°. *Stomachi debilitate laborantes* adeo ut cibum non appetant, vel cibos esuriales digerere nequeant. Cavendum tamen ab hallucinatione; non raro enim corporali saluti simul et abstinentiae prospici potest, v. g., si oleum coctum aut quaedam piscium et condimentorum species evitentur, vel si lac et ova potius adhiberi queant, quae pene sicut carnes nutriunt; duo enim ova saltem tribus bonae carnis unciis aequivalent, ut ait Capellmann (Med. past. C. III).

6°. *Interdum foeminae gravidae aut lactantes*, si nempe valde debiles sint cibosque esuriales non tolerent. Aliquando excusantur quamvis perfecta sanitate fruantur; gravidae enim interdum vivissimae, persistenti et quasi invincibili carnis cupiditati subiiciuntur; et tunc abstinentia gravibus sanitatis perturbationibus aut etiam seriis morbis occasionem dare posset. Nutrices autem aliquando carnibus indigent propter puerum infirmum; lac enim ex carnibus multo melior est; ex cibis autem esurialibus (quamvis forte abundans esset) valde minus nutriret, ex eoque puer infirmus optimo nutrimento indigens non satis aleretur.

7°. *Pauperes mendicantes* (si ex vera indigentia mendicent et misere vivant) manducare possunt carnem si forte illam in eleemosynam accipiant. Ita rotunde Gury (487) et bene. Idem dicerem de pauperibus misere viventibus, quamvis prae verecundia non mendicent, si forte iusculum vel reliquiae carnis eis misericorditer tradantur. Aliqui limitant: nisi aliud habeant. Sed, quamvis consuetis frustulis aut alio miserrimo cibo non careant, nunquid obligari debebunt, ut illud boni nutrimenti pusillum (quo fere nunquam vesci possunt) marcescere sinant vel canibus proiiciant? Ecclesia misericordiam habet pauperum, eiusque leges adeo durae esse nequeunt. Imo etiam credo Ecclesiam non exigere ut investigetur an carnes in eleemosynam acceptae reservari possint ad alios dies (nisi forte ageretur de illis reservandis a vespere ad mane), aut an potius pueris non adhuc septennibus ex toto tradi queant. Porro cum pauperibus, qui famem patiuntur, et sorte prospera bonum cibum in manibus habent, non subtiliter, neque in toto rigore procedi debet. Cf. Salm. XXIII. II. 132.

Quid si agatur de personis non quidem mendicantibus neque aliquid in eleemosynam accipientibus, sed nihilominus vere pauperibus et misere viventibus? R. Hi etiam, quibusdam concurrentibus circumstantiis, a peccato mortali et forte etiam veniali excusari possunt. Exempla. Sempronius pauper agricola

multos conduxit operarios, et oleum non habens sagimen vetitum adhibet ut cibos illis coquat. Gury (Cas. conse. I. 480). — Caius lanionis operarius, quum die Mercurii aut Iovis carnes deterioris qualitatis pro mercede ei tradantur, ut plurimum die Veneris illas comedit; secus enim in complexu (nempe toto anno considerato) magnum damnum subiret; quum huiusmodi carnes neque recusare, neque facile vendere, neque totaliter ante diem veneris consumere, neque ad diem dominicum reservare possit. — Livius pauper operarius, quum ex insolito casu die Veneris iusculum aut carnes ei remanserint, neque pueros habens quibus hos cibos tradat, ne marcescant illos comedit. — Miser coriarius ex cutibus pelliculam interiorem abradit, iusque ex illa comparatum familiae suae (proportionata fame laboranti) tradit. — Alicubi pauperes operarii in Sabbato ius extorum (*brodo di trippa*) ad coenam adhibent. Frassinetti (Not. 91).

Caeterum nec paupertas nec miseria sufficit (nisi praedictae aliaeve speciales circumstantiae superaddantur) ut excusatio habeatur. Pauperes nempe et miserrimi quique abstinentiae legem ordinarie observare debent sub gravi. Nec obstat quod laborent et solum panem, salem et allium habeant; ad hoc enim sunt assueti, et pro mortali culpa haberent si legem Ecclesiae non observarent. Gousset (308) excusat a mortali pauperes, si panem furfurosum dumtaxat habentes, illum cum frustulo laridi comederent. Sed sapienter monet Scavini (I. 390), habenas hoc in puncto non esse solvendas; secus enim de lege abstinentiae in familiis innumeris plurimisque locis actum esset. Sententia itaque Goussettii admitti potest solum pro casu exceptionali; si nempe pauper operarius tantae inediae non esset assuetus, unde (nisi laridum superadderet) sufficienter se nutrire nequiret.

8°. *Excusantur filii, uxores, cognatae, famuli etc., si paterfamilias solis cibis vetitis mensam communem parare soleat.* Si ageretur de aliqua vice dumtaxat, forsan sat commode refectionem sufficientem ex cibis esurialibus sibi comparare possent, et ad hoc tenerentur. Sed, si agatur de consuetudine, nec cibos licitos (patremfamilias rogando) obtinere queant, carnem manducare poterunt; idque patet etiam ex responso S. Poenitentiariae apud Scavini (n. 404. 3-6); tunc enim practice in morali impotentia observandi praeceptum versantur; maxime si paterfamilias severe et obstinate exigat ut uxor et filii secum manducent. — Quoad famulos et ancillas notant TT. quod aliud servitium quaerere deberent; sed haec obligatio non facile subsistit; si enim in illa domo bene se habeant, valde grave

esse solet mutationum periculis se exponere. Sententia itaque servitium mutandi praecipitari non debet, speciatim si agatur de ancilla iuveni, quae ubi famulatur propriam honestatem in tuto habeat, maxime vero si bono spirituali familiae utilis sit. Cf. Frassinetti (not. 91). De laborantibus aut famulantibus inter haereticos dixit Croix (1337) posse eis permitti carnes, dummodo scandalum tollant, dicendo sibi hoc per Ecclesiam licere in tali circumstantia. — Certe tamen convictores (*i dozzinanti*) aliam domum quaerere deberent.

9°. *Quidam operarii* addicti laboribus adeo duris, vel cibi appetentiam ita auferentibus, ut carnibus omnino indigeant, et iam consuetudine quoque excusentur. Hinc scripsit Gury (Cas. consc. 482. 483): « Indulgendum erit iis qui in officinis « vitreis vel ferreis, aut in fodinis metallicis, carbonariis et « similibus vitam degunt... Item qui itinera (*pedestria*) longa « et difficillima, praesertim hyemali tempore, peragunt. Item « qui currus publicos diu noctuque plurimis continuis diebus « dirigunt, quibus vix tempus bucellam unam vel alteram fe- « stinanter deglutiendi suppetit ». Hinc (prout sentit etiam doctus et pius medicus a me consultus) excusabis eos quoque qui duobus circiter mensibus continuis, quando aestatis calores magis ebulliunt et tanta virium reficiendarum necessitas adest, circa machinas triturantes improba defatigatione laborant (*i macchinisti delle trebbiatrici*), speciatim si nocte quoque laborent et somnum necessarium explere nequeant. Sicque decernendum est non solum propter huiusmodi incommoda gravissima et alicubi propter febrium periculum, quod magis instat nisi alimenta substantiosa adhibeantur; sed etiam quia apud agricolas ex solis cibis esurialibus male ut plurimum alerentur; prandia enim, quae ex cibis macris sufficientem refectionem praebeant, agricolis nostris et speciatim miseris montanis ignota et saepe (propter piscis aut pecuniae defectum) impossibilia esse solent. Iis itaque operariis (alioquin rusticorum more vesci non assuetis) rotunde dicerem: Manducate quae apponuntur vobis; nec scrupulum ingererem, si carnes expresse peterent; aut si familiae rector tantae defatigationis intuitu (maxime si piscis deficeret) sponte sua carnes eis suppeditaret; aut demum si quis ex his operariis, propter robur extraordinarium vel minorem laborem, cibi substantiosi necessitatem non haberet, et nihilominus (ne familiis incommodum praebeat) mensae communi cum suis sociis assideret. Notari etiam potest quod saepissime ignoratur hora in qua refectiones locum habiturae sint;

unde, decurrente nocte ante diem Veneris, agricolae nescirent ex quibus cibis coena paranda sit ; praeterea ubinam pisces ea nocte? — Secus dicendum est de agricolis circa machinam ad eos divertentem collaborantibus; quatenus familiae rector cibos vetitos eis suppeditare nequit: ipsi enim uno dumtaxat vel altero die ( aut certe solum paucis diebus propter operum restitutionem ) sic laborant ; et aliunde consuetudo legitima eis adhuc non favet, valdeque interest quod rustici apud quos leges Ecclesiae in pleno vigore adhuc sunt, easdem transgredi non incipiant. — Si tamen ex solis cibis vetitis mensa eis pararetur, manducare possent ; eos enim tunc temporis gravissimis laboribus fractos bonaque refectione adeo indigentes ( saltem si adhuc valde laborandum sit ) cogere ut appositum cibum non tangant et solo aut fere solo pane vescantur, id duritiem ( a qua benigna mater Ecclesia abhorret ) saperet. — Idem dic de quolibet operario, cui solae epulae vetitae suppeditentur, si tota die laboret, epulasque licitas non facile ( v. g., propter gravem timorem offendendi et amittendi dominum sibi valde utilem ), aut non sufficienter obtinere possit.

Quid de illis foeminis, quae aliqua servitia in hac vel illa domo praestant, si cibi vetiti eis suppeditentur? R. Excusantur certe si, ratione paupertatis, aliis cibis se suamque familiam alere nequeant. Excusantur etiam si diem totam aut fere totam in his servitiis ( ab una ad aliam domum continue transeundo ) insumant ; tunc enim operariis aequiparari debent ; et ordinarie cibos appositos manducare possunt, ne ( difficultates in medium apponendo ) servitia amittant. Si vero nonnullis horis dumtaxat in alienis domibus morentur, tunc difficilius excusantur. Ut plurimum enim pane et vino famem ( qua forte urgeantur ) expellere poterunt, reliquosque cibos domum deferre pueris tradendos vel ad sequentes dies servandos. Si tamen in domo aliena prandere cogerentur, idque non pro casu raro, sed habitualiter ; tunc non erunt inquietandae si cibos vetitos comedant. Aliquae dicunt : Solum iusculum ( *la sola menestra* ) sumpsi. Haec excusatio fundamentum habet ; si enim id sine causa factum quibusdam theologis leve visum fuit ( ut dixi q. III ), cum causa ( quamvis non adeo gravi ) ad nihil reduci potest.

Quid de agricolis triticum aliosve redditus hero deferentibus, si forte ex solis cibis vetitis mensa eis paretur? R. Si ciborum recusatio magnam et acrem superbi domini correctionem, non sine gravi eius indignatione, importaret ; tunc excusarentur. Seclusa hac hypothesi, iterum distinguendum est. Si casum

non praeviderint, facile comedere poterunt; si nempe, v. g., fere ieiuni a domo discesserint, valde laboraverint, longum iter peregerint, domumque post aliud longum iter redituri non cibum conveniens sed solum magnam laborandi necessitatem inventuri sint; tunc enim casus operarii constituitur, qui, ut legem abstinentiae servet, totam diem in solo pane, praeter consuetum, transigere non tenetur, ut paullo supra dicebam; idque speciatim tempore aestivo, quod vires debilitat et in quo miseri agricolae gravissimis laboribus subiiciuntur. — Si vero casum praevidissent, tunc domi suae comedere debuissent; unde tunc excusari nequirent; sicut etiam casu quo a propria domo parum distent, ubi sufficientem refectionem facere possint.

10°. *Milites.* Excusantur certe, si cibis quos gubernium eis praestat, nutriantur. Sed quid de aliis? Gury (Cas. consc. I. 484) eos dumtaxat excusat qui ratione necessitatis (seu propter stipendii exiguitatem) coguntur mensam communem facere cum sociis qui abstinentiam observare nolunt. Sed Gousset (n. 313) dicit, consuetudinem hoc etiam in casu esse attendendam; et, si forte milites et officiales alicubi communiter existiment, a lege abstinentiae (donec sub armis versantur) se esse exemptos, reprobandi non erunt et absolvi poterunt.

Miles tamen qui, accepta licentia, domi suae degeret, certe non excusaretur.

11°. *Viatores* aliquando excusari poterunt; si nempe cibo valde indigeant, et praeter cibos vetitos nihil aut fere nihil in cauponis reperiant, neque alibi divertere queant. Dixi *aliquando*; qui enim bonam habet voluntatem legem Ecclesiae observandi, raro in necessitate illam infringendi versabitur. Viator, si cibos esuriales serio et instanter petat, maxime si frequenter ad eandem (et in hunc finem magis aptam) cauponam divertat, illos ordinarie obtinebit; caupones enim adventoribus satisfacere cupiunt. Praeterea, si viator altioris conditionis non sit (cf. Croix n. 1323), nonne offa cum ovis, panis, vinum, caseus et fructus sufficere poterunt? Insuper, pisces exsiccati nonne praesto sunt ubique? Ut plurimum igitur non cibus sed voluntas deest, et non de necessitate sed de gulositate aut saltem de respectu humano agitur; et sic, ut dixi, viatores raro excusari possunt. Cf. Gury (Cas. consc. I. 481. 485).

12°. *Coqui* certe excusantur, si epulas (ut sentiant an bene conditae aut coctae sint) degustent. Sporer (De Ieiun. n. 11) eos quoque recte excusat, qui, ad excitandum infirmorum

appetitum, cibum coram ipsis avide praegustant, et dicunt: Quam bonus est! Comede, comede!

13°. *Invitati ad prandium.* Istos quoque excusarem si praeter expectationem prandium ex vetitis epulis paratum inveniant (Intellige 1° nisi in odium religionis id factum fuerit; 2° nisi invitatus sit Sacerdos vel talis qui manducando grave scandalum ingerat: 3° nisi propter confidentiam aliae epulae peti possint). Porro discedere, aut toti prandio assistere, nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex alia magnam turbationem, imo ut plurimum inimicitiam, provocaret.

14°. *Si bona fide condimenta vetita adhibita fuerint, et ante prandium error detegatur.* Quando agitur de solis condimentis causa minor excusat, et in facti specie causa sufficiens practice adest. — Sed quid si totum prandium ex cibis vetitis paratum fuisset, aut die Iovis coena ex carnibus instructa fuerit, et, dum omnes mensae assident, detegatur in primo casu esse vigiliam de praecepto, et in secundo mediam noctem iam elapsam fuisse? R. Ex gradu incommodi et difficultatis casus resolvi debet. Vide an mensa parata fuerit pro uno vel altero, an vero pro multis; an de personis plebeis, an vero nobilibus agatur; an modus et tempus epulas licitas parandi adsit vel non adsit etc. Supposita autem difficultate notabili (quae in tali casu saepe locum habebit), dispensatio praesumi poterit. Dicerem tamen, observandam esse legem meliori modo possibili, et solum pro necessitate ad famem depellendam carnes comedi posse.

15°. *Qui ab Ecclesia dispensationem obtinuerunt.* Haec rarissime (v. g., tempore pestis) toti populo; et frequentius personis particularibus conceditur. Hac in re notanda sunt sequentia.

*a*) Facultas dispensandi Romano Pontifici, attamen ex privilegio etiam Praelatis Regularibus quoad suos subditos, spectat. Circa Episcopos et Parochos inspicienda est consuetudo. Apud nos Parochi declarare quidem solent hunc vel illum ab abstinentia excusari; sed neque ipsi neque Episcopi proprie dispensant, nisi forte cum particularibus ad tempus, nempe pro hac vel illa vice, ad modum simplicis licentiae.

*b*) Qui propter aliquam ex causis supra recensitis ab abstinentia excusatur, dispensatione non indiget; quae ideo expostulatur sive ad maiorem conscientiae tranquillitatem, sive pro causa aliquantulum minori; causa enim, quae ad excusandum non sufficeret, ad dispensationem impetrandam sufficere potest. Pontifex sine causa posset quidem dispensare valide, sed non

licite ; unde semper rationabile motivum exigit ; quod ordinarie est sanitas habitualiter male firma, et speciatim habitualis stomachi debilitas.

*c*) Supplex libellus Congregationi S. Officii dirigi debet. Ordinarie exigitur Curiae localis testimonium circa facultates postulantis. Expensae, ut plurimum, 20 aut 25 francos non excedunt ; sed haec taxa diminutioni vel augmento subiici potest, si forte orator sit pauper aut ditissimus.

*d*) Rescriptum, ut plurimum, sic prostat : « Remittimus « preces prudenti arbitrio et conscientiae Domini Ordinarii, « qui dispensare valeat Oratorem, ut carnibus vesci possit die- « bus ab Ecclesia vetitis ob male affectam valetudinem, eaque « durante, exhibita prius fide iurata medici, de consilio Con- « fessarii, remoto scandalo, et salva ieiunii lege ». Si itaque causa motiva ( secus de impulsiva ) sit falsa, dispensatio non valet ; eaque cessante, dispensatio cessat. In dubio utrum causa cessaverit, dispensatio perdurat ; dispensatus enim liber est suaque libertate frui potest donec de ligaminis reviviscentia non constet. Dicit insuper S. Lig. ( I. 196 ) dispensationem perdurare, quamvis causa valde diminuta fuerit. Caeterum non facile credendum est, causam cessasse, quamvis habitualis infirmitas evanuisse videatur ; si enim bonum nutrimentum subtraheretur, forte recrudesceret. Theologi quaestionem ( pene inutilem ) agitant circa casum, in quo Pontifex non posuisset clausulam : *caque* ( *causa* ) *durante ;* et postulant an tunc, cessante causa, dispensatio cesset ? Plurimi affirmant ; aliqui vero negant. Vide Salmant. ( De Leg. V. 91 ), Diana ( III. n. 74 ) aliosque apud Croix ( III. n. 1309 ).

*e*) Dispensatio extenditur etiam ad carnes non salubres ( nempe suinas ), nisi expresse excipiantur, quod hodie fieri non solet. Scavini ( I. 391 ).

*d*) Promiscuitas carnium et piscium dispensatis ad carnes permittitur in diebus simplicis abstinentiae, quando scilicet non sunt dies ieiunii, ut constat ex responso S. Poenit. apud Scavini ( 1. 404. 10 ). Secus si esset dies ieiunii, ut infra videbimus.

*e*) Qui dispensantur ad carnes, non ideo dispensantur a ieiunio ; ut patet ex Bulla *In suprema* Bened. XIV, et ex rescriptis. Illi itaque diebus ieiunii carnibus quidem uti possunt, sed in prandio solum ; quandoquidem de caetero ieiunantibus se conformare debent ; dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, quae aliter fieri necessario exigat, ut in eadem Bulla legitur.

*f*) Dispensati comedere quidem possunt carnes, sed a scandalo cavere debent; ut ex iure naturae et ex rescriptis patet.

*g*) Divitibus vix unquam conceditur ut dispensationem obtentam extendere possint ad totam familiam, maxime vero ad famulos. Haec facultas obtineri potest (sed non faciliter) ab iis quibus exiguum suppetit patrimonium; dummodo speciales Episcopi litterae id testentur. Qui itaque pro se dumtaxat dispensationem petiit et obtinuit; non ideo potest, propter avaritiam aut expensarum compendium, unicam mensam facere et cibos vetitos familiae quoque praebere; ut diserte respondit S. Poenitentiaria apud Scavini (I. 404. 2). Qui sic faceret, peccatum mortale non effugeret, nisi stricta necessitas excusaret. Familia tamen, si nihil aliud ei daretur, ratione necessitatis (non vero ratione dispensationis) excusaretur, ut supra dixi.

Quaer. V. *Quid de familiaribus, famulis, et cauponibus, qui cibos vetitos aliis parant et praebent?*

R. Uxores et filiae, si maritus aut pater iubeat ut cibos vetitos parent, debent prius (si fructum sperent) procurare ut a malo proposito desistat; idque maxime si ageretur de matre erga filium. At vero si id obtinere nequeant gravemque discordiam reluctando pertimescant, obtemperare poterunt. Famuli autem facilius excusantur; si enim reluctarent aut difficultates in medium adducerent, ordinarie nihil proficerent et expulsionem sibi procurarent.

Quoad caupones (*osti e locandieri*), magna distinctio fieri debet inter locum et locum. Ubi communissime leges Ecclesiae observantur et speciatim si illuc oenopolium unicum adsit, vix unquam cauponibus licebit suppeditare cibos vetitos iis, qui evidenter nullam excusationem habent: imo cum illis etiam, qui certe aut probabiliter licite carnibus vescuntur, caute procedere tenentur, ne scandalum sequatur; unde (si fieri possit) taliter comedentibus mensam in cubiculo separato parare debent. — Ubi autem ecclesiasticae abstinentiae violatio iam obvia evaserit (multo magis ubi catholici cum haereticis permixti degunt), et speciatim si insuper plura oenopolia in loco adsint; omnino excusantur caupones si carnes quibuslibet eas petentibus suppeditent; illas enim denegando nihil proficerent et adventores amitterent. Imo probati auctores docent, mensam communem (*tavola rotonda*) cibis tum licitis tum vetitis instrui posse, ut unusquisque quod vult sumat. Certe tamen peccarent 1° Si refectionem petentibus nec ciborum qualitatem designantibus, illico solos cibos illicitos apponant; 2° Si praevideant fore ut

cibi esuriales petantur, illosque tempestive non emant; 3° Si erga illos, qui huiusmodi cibos expostulant, benevolos non se ostendant; et, quamvis possent cibos ipsos sat facile et sufficienter comparare, tamen abnuunt, ut ex cibis vetitis, quos in caupona habent, mensam instruant. Cf. Gousset (I. 305), Scavini (I. 271), Gury (Cas. consc. I. 486).

## ARTICULUS III.

### DE IEIUNIO ECCLESIASTICO

526. Tempore Quadragesimae et Adventus, in diebus quatuor temporum, et in quibusdam vigiliis adest obligatio ieiunii. Hoc consistit in servandis regulis ab Ecclesia statutis 1° circa quantitatem alimentorum; 2° circa horam refectionis; 3° circa ciborum qualitatem. Non omnes ieiunare tenentur. Qui tamen a ieiunio excusantur, liberi quidem sunt circa duo priora; non vero circa tertium. Singula evolvam, et (perspicuitatis gratia) agam prius de ieiunantibus et postea de non ieiunantibus.

### PUNCTUM I.

#### DE IEIUNANTIBUS

#### §. I.

#### *De quantitate alimentorum.*

527. Quoad *prandium* (quod a TT. *coena* aut *unica refectio* appellari solet), ciborum quantitati lex ecclesiastica (secus dicendum de naturali ob virtutem temperantiae) mensuram non assignat. — Quid de prandii duratione? R. Ecclesia optat quidem ut solum quantum satis est ad famem satiandam prandium duret; sed sub praecepto id non ponit. Nisi itaque prandium praecise ad legem deludendam praeter morem protrahatur, scrupuli non sunt iniiciendi. TT. benignissime loquuntur, et permittunt duas horas, et etiam plus iuxta locorum consuetudines aliasque circumstantias. Cf. S. Lig. (I. 1020), et Gousset (I. 295). — Quid de prandii interruptione? R. Consuetae confabulationes inter epulam et epulam prandium non interrumpunt. Idem dic si quis surrexerit a mensa, animo non amplius co-

medendi, et statim (v. g., novo ferculo adveniente), mutata intentione, ad comedendum redeat. Idem dic etiam si quis paullisper a mensa discedat, cito rediturus; brevis enim interruptio moralem comestionis unitatem non destruit. Si autem interruptio sit adeo notabilis, ut prandium in duabus vicibus peractum diei debeat; tunc refectio non erit unica, sed duplex; et haec ab Ecclesia interdicitur. Attamen si quis, iusta de causa (prout potest contingere parocho, medico, mercatori etc.), prandium sic interrumperet, illud postea (quamvis forte duae, tres, aut etiam plures horae praeterierint) complere poterit, nisi prius sufficienter se refecerit. Cf. Croix (III. n. 1279), S. Lig. (III. 1020), Gury (506) etc. Qui autem sine iusta causa, nempe propter motivum nimis leve, prandium eodem modo interrumperet, cum intentione illud postea continuandi, utique peccaret. Attamen tunc quoque peccatum mortale non adesse crediderim, si prima refectio famem non satiaverit, et secunda prandium non iam sumptuosum sed ordinarium compleat, ita ut in his duabus vicibus non plus cibi sumatur quam in prandio ordinario et sufficienti ad famem depellendam sumptum fuisset; idque maxime si intervallum unam horam non excesserit, ut ait Gury (l. c.). Qui enim ex una parte non plus nutrimenti sumit, quam sumpsisset si regulariter ieiunasset, et ex alia ieiunii pondus a mane usque ad meridiem sustinuit, non videtur quod graviter contra ieiunii legem delinquere queat.

528. Quoad *coenam* ciborum quantitati mensura ponitur. Non itaque coena sed coenula (quam TT. *collatiunculam serotinam* vocant) permittitur; eaque ab illis etiam, qui sat commode ab ipsa abstinerent, peragi potest; hodie enim haec permissio non ex incommodo (quod secus sustinendum esset), sed ex consuetudine oritur.

Circa ciborum quantitatem, quae in coenula permittitur, suprema regula a praxi timoratorum sumi debet; quae, iuxta diversa loca, varia esse potest. Ex sententiis etiam Theologorum regulae satis tutae sumi poterunt. Ili sequentes tres regulas suppeditant.

I. Octo unciae cibi sumi possunt ab omnibus. S. Lig. (III. 1025) rotunde dicit: « Quantitas octo unciarum ita hodie usu « recepta est, ut indistincte permittatur, etiam illis qui cum illa « ad satietatem reficiuntur »; hasque octo uncias TT. passim permittunt, quamvis diversarum regionum staterae plus vel minus discrepent; unusquisque enim iuxta proprii loci stateram loquebatur. Caeterum octo unciae ordinarie (sicut apud nos)

240 gr. circiter aequivalent. Haec mensura aliquantulum augetur pro regionibus septentrionalibus; unde scribit Gury (Cas. I. 463): « Decem uncias permitti posse Germanis » *; idque quia ex una parte frigus maiorem famem excitat, et ex alia vinum et cibi illuc minorem substantiam habent minusque nutriunt; unde scripsit Sporer (App. ad 3. praec. III. 26): « Mittant (Theologi Italici) Germanis suum calidum coelum, cibum et vina pinguia, et ieiunabimus cum ipsis ». — Notat etiam Tamburini (VI. 13) non esse necessarium quod statera adhibeatur, ut hae unciae praecise et scrupulose serventur; sed sufficere quod verisimiliter existimetur, cibum huic ponderi circiter aequivalere. — Censeo demum quod ista octo unciarum regula valeat quidem quoad panem, pisces, et fructus exsiccatos; non vero quoad poma, cucumeres, pepones, uvam recentem, herbam (*insalata*), oryzam cum aqua ebullitam, aliosque cibos qui multum aquei humoris continent, quique proinde valde minorem substantiam habent, et, quamvis pro momento satient, postea magnam debilitatem relinquunt. Quoad huiusmodi cibos octo unciarum pondus non illos sic et simpliciter, sed quod in ipsis est substantiae alimentum dandi capacis respicere debet; secus enim offam ex unica uncia panis cum libra aquae ebulliti sumere non liceret; quod (ut notat Gury n. 501) omnino repugnat. Quid igitur dicendum de pane sic cum aqua ebullito (*pancotto*)? TT. communiter dicunt quod, quamvis octo unciae ex pane, oleo et sale absque ebullitione cum aqua sumi possint, ebullitione secuta, eas amplius non licere; sed solum quinque panis uncias, aqua, oleo et sale non computatis; vel, si haec computentur, duodecim uncias permitti posse, quia ebullitio efficit ut offa maius nutrimentum praebeat (Cf. Viva Prop. 31. Alex. VII. 12. et Escobar). Sed Capellmann (Med. past. C. II. in fin.) hanc rationem recise impugnat inquiens: « Panem ex decoctione cum aqua immutationem chymicam inire « plane non negatur. Haec vero immutatio consideranda est « quasi initium digestionis, quia non differt ab ea immutatione, « quae initio digestionis efficitur. Inde vero materia alibilis nullo « prorsus modo augescit ». Addit, satietatis quidem sensum (cito evanescentem) esse paullo maiorem, sed nutrimentum idem prorsus esse, sive panis cum aqua coquatur, sive panis et aqua

* Intellige uncias italicas, non germanicas. Theologi enim Germanici (ut Sporer n. 27) octo dumtaxat uncias connationalibus suis concedunt; sed octo unciae germanicae (iuxta stateram illuc, saltem non ita pridem, communem) nostris decem quasi aequivalent, quum ad 280 gr. ascendant.

seorsim sumantur. Sic quoque senserunt plures TT. antiqui (v. g., Bossius, Leander, Pasqualigus), qui proinde panem quidem, oleum et salem, non vero aquam (quamvis ebullitam) ponderari debere existimarunt. Vide etiam Sporer (l. c. 31) et Potestas n. 2889. Sed hoc punctum maiori examine adhuc indiget.

II. Secunda regula dicit, coenulam quartae parti ciborum quos ieiunans in iusto prandio (quod, ut supra innui, passim a Theologis, antiquo nomine retento, dicitur *coena*) sumpsit, aequivalere posse. Equidem non facile est quod prandium 32 cibi uncias (etiam diebus ieiunii) excedat; sed, si quis, v. g., propter status sumptuositatem vel extraordinarium appetitum, 10 cibi uncias in prandio sumere soleret, utique 10 uncias in coenula sumere posset. De hac antiquissima regula, vide cl. Ballerini (not. 6. ad n. 497. edit. IV).

III. Tertia regula dicit, non unciis sed necessitati esse attendendum; hic enim maiori, ille minori nutrimento indiget. Ratione temperamenti, aetatis, sexus, assuefactionis, laboris et occupationis sive materialis sive mentalis, magnae differentiae inter individuum et individuum, casum et casum, intercedere possunt; et certe unicuique licebit tantam cibi quantitatem sumere, quanta exigitur ut proprii status officia adimplere possit. Differentia quoque fieri debet inter Quadragesimam et vigilias infra annum; ieiunium enim quadragesimale (utpote longum et continuum) difficilius sustinetur, et ex hoc ipso coenula paullo abundantior permitti potest. Ita Gousset (I. 297), cum quo S. Lig. (1025) quasi omnino cohaeret. Laymann (IV. VIII. I. 9) scripsit quod causa augendi coenulam esse potest « corporis teneritudo vel assuefactio, qua ratione interdum per- « sonis nobilioribus plus permitti potest; vel occupatio diuturna, « qua ratione assiduis litterarum studiosis plus conceditur ». — Haec verissima sunt. Qui tamen necessitate compulsus quantitatem in primis duabus regulis indicatam valde excederet, non quidem peccaret; sed (id bene adverte) non ieiunaret. Mortificatio quidem, sed non ieiunium (in sensu Ecclesiae) locum habere posset.

Denique circa coenulam notandum est, valde diffusam esse consuetudinem notabiliter illam augendi in vigilia Nativitatis Domini. Alicubi nonnihil augmenti usuvenit in Coena Domini, et in vigiliis Paschatis et Pentecostes. Vide S. Lig. (1024. 1025).

529. Quoad *frustulum Theologicum* quod mane sumi solet, Gury (492) dicit: « Totalis cibi illius quantitas duarum uncia- « rum pondus excedere non deberet ». Sed apud nos praxis

timoratorum est, ut panis uncia cum dimidio dumtaxat (si cafaeo intingatur) sumi possit. Et, si de potione chocolati ageretur, tunc chocolatum (non adhuc aquae infusum) simul cum pane ponderari deberet; ita ut uncia cum dimidio non superetur. Haec doctrina traditur a S. Lig. (1023), et confirmatur, quia, proposito dubio: An permitti possit, ut mane diebus ieiunii in parva quantitate sumatur cafaeum aut cocholatum cum frustulo panis, ut fit in regione Canadensi? S. Poenitentiaria 21 Nov. 1845 respondit: eos qui talem usum sequuntur non esse inquietandos. — Gury (Cas. 465) dicit, non licere hunc usum introducere ubi non est. Optime. Illi tamen, qui sine huius crustuli praesidio ieiunium tolerare nequirent, illud sumere nedum possent sed deberent, etiam ubi consuetudo non adesset; et Confessarii tunc malemererentur de ieiunio si illud interdicerent, ut rectissime notat cl. Ballerini (n. 493. not. 6).

530. Ultra has comestiones earumve limites, nihil (nisi iusta causa excuset) sumi potest, quod aliquam substantiam nutritivam habeat, exceptis dumtaxat illis potionibus, quae non sunt contra famem, sed contra sitim (ut aqua et vinum); vel ad digestionem adiuvandam (ut *caffè*), aut refrigerationem procurandam (ut aqua ex cedro, it. *limonata*) de se et principaliter deserviunt. Gousset (303). Neque officit si forte vinum non ad sitim sed ad famem sedandam sumeretur; id enim esset quidem contra ieiunii meritum et finem legis, sed non contra legem. S. Lig. (1022) aquam ex cedro concedit etiam congelatam, it. *sorbetto*. — Potiones autem, quae contra famem, seu ad nutriendum communiter adhibentur (ut potio lactis, chocolati etc.), interdicuntur; et cum hac limitatione intelligi debet effatum: *liquida non frangunt*.

## § II.

### *De hora refectionis.*

531. Olim prandere non licebat nisi post solis occasum. Deinde statutum fuit tempus medium inter meridiem et occasum. Hodie conceditur, ut circa meridiem refectio peragatur. Imo S. Lig. (1016) dicit: « Omnibus licitum est anticipare « infra horam (*ante meridiem*), etiam sine causa ». Plus autem anticipare certe non licet, nisi propter aliquam necessitatem (v. g., propter hospites, negotium, iter suscipiendum etc.). Quaelibet tamen anticipatio (etsi sine causa) probabiliter cul-

pam venialem non excederet; prout dicunt TT. multi apud S. Lig. (l. c.).

Prandium autem ultra meridiem differre nihil mali est. Sed quid si quis prandium quidem differret, sed coenulam, v. g., circa meridiem perficeret? R. Sine causa id non liceret; sed leve esset. Cum iusta causa vero prorsus licet. Qui itaque ratione officii, negotiorum aut assuefactionis sub vespere prandere solent, non sunt inquietandi si prius (v. g., circa meridiem) refectiunculam, loco coenulae, faciant. Gury (505), Gousset (300).

## § III.

### *De qualitate alimentorum.*

532. Distinguendum est inter ieiunium strictum et mitigatum.

Quando stricti ieiunii obligatio adest, tunc neque sagimen, neque lac, neque butyrum, neque ova, neque cibi qui ex his conficiuntur, adhiberi possunt.

Ieiunium mitigatum propter indultum vel consuetudinem potest esse tale diversis modis.

Interdum adest indultum pro adipe vel butyro, ut nempe adeps vel butyrum in quibusdam ieiunii diebus loco olei adhiberi possit. Praeter dicta (Art. II. Q. 1), notandum est, usum adipis vel butyri tunc licere non solum in prandio sed etiam in coenula, nisi in indulto posita fuerit restrictio, quod haec condimenta in unica comestione adhiberi possint. Ita declaravit S. Poenitentiaria (apud Scavini I. 404. 17).

Tempore pestis dari solet indultum pro carnibus; et hodie etiam in Quadragesima, quibusdam diebus exceptis. Hoc in puncto notanda sunt sequentia. 1° Indultum valet solum pro prandio (quoad ieiunantes). Attamen diebus Dominicis valet etiam pro aliis comestionibus; secluso autem indulto, his diebus non equidem esset ieiunandum, sed cibis esurialibus utendum esset. Cf. Bened. XIV. Bull. *Prodiit iamdudum*. 2° Praescindendo a contraria consuetudine (cf. Gousset 307), promiscuitas carnium cum piscibus vetatur; idque quamvis pisces ad modum condimenti adhiberentur, ut respondit S. Poenit. apud Scavini (404. 12). Hoc vetitum extenditur etiam ad dies Dominicos, et tempore quoque pestis urget. Si quis tamen solo carnis iusculo (*menestra col brodo*) uti vellet et de caetero pisces comedere, tunc vetitae promiscuitatis legem non infringeret. S. Poenit. apud Scav. (l. c. 14). 3° Pro carnium indulto Ecclesiae visitatio

singulis hebdomadis iniungi solet. Quum agatur de re quae levis videtur; quum insuper culpa mortalis communi Christifidelium sensu in hoc non deprehendatur, dicendum est (contra aliquos) id sub gravi non praecipi. De vero tamen praecepto non est ambigendum; quandoquidem Congregatio S. Officii indultum concedens de piis quidem operibus consilium, sed de Ecclesiae visitatione praeceptum imponit. Cf. Scavini (I. 396) et Gury (Cas. Conse. I. 492).

Interdum adest indultum pro lacticiniis, quo nomine non solum lac, caseus et butyrum, sed ova quoque (nisi expresse excipiantur) intelliguntur. Gury (504). Hoc etiam indultum datur solum pro prandio. Distinctio tamen fieri debet inter indultum et consuetudinem. Alicubi enim (speciatim in locis montuosis) ex consuetudine permittitur caseus; sed lac et ova interdicta remanent. Alicubi (speciatim in quibusdam Germaniae locis) lac et ova permittuntur etiam in coenula; imo licet quoque mane parum lactis cafaeo infundere. Alicubi demum conceditur quidem omnibus, sive ab Episcopo sive a Parocho, lacticiniis utendi licentia; sed ita ut peti debeat. Attamen petitionis defectus gravem culpam non constitueret. Cf. Scavini (I. 272. not. 3, et 266), Gury (499. not. *b*), Capellmann (Medic. past. De praec. ieiun.).

Dicunt TT. quod lacticinia ex lege generali vetantur in Quadragesima (inclusis diebus Dominicis); non vero in vigiliis aliisque ieiunii diebus extra Quadragesimam. Sit: sed consuetudines locales et indulta leges generales ita immutant, ut in multis locis valde strictius in quibusdam vigiliis quam in ordinariis Quadragesimae diebus ieiunandum sit. — Si itaque petas: Quando ieiunandum? Ieiunium talis et talis dici estne strictum? Estne mitigatum? Quo modo mitigatum? Respondendum est: Inspice Kalendarium: vide indulta: observa tui loci legitimas consuetudines.

Caeterum, sicut multi a ieiunio excusantur (ut infra videbimus); ita aliqui, salva ieiunii obligatione, lacticiniis vel etiam carnibus vetitis propter iustas causas uti possunt. Hinc qui bonis prandiis sunt assueti, si forte pisces comparare nequirent solisque fere herbis et leguminibus uti cogerentur, ad multos dies sic transigendos adstringi nequirent; unde tunc in Quadragesima identidem usus lacticiniorum aut etiam carnium vetitarum (deficiente indulto) iisdem permitti posset. Scavini (391). Casus iste contingere potest speciatim in montanis locis, quando propter nivem accessus ad civitates diu impeditur.

## §. IV.

### *De gradu culpae in violatione ieiunii.*

533. Ieiunium violari potest dupliciter; nempe 1° sumendo cibum ultra comestiones permissas earumque terminos; 2° utendo cibis vetitis in comestionibus permissis.

Quoad primum, si agatur de cibis macris, ad peccatum mortale constituendum ordinarie quatuor unciae (quae notabile nutrimentum suppeditant) exiguntur et sufficiunt. Gury (494). Minus sufficit si de ovis et lacticiniis; et minus adhuc si de carne agatur; haec enim magis nutriunt. — Exiguissimae refectiones levem culpam in se constituunt; sed, si saepius in die repetantur, in materiam gravem coalescere et peccatum mortale constituere possunt; ut patet etiam ex Prop. 29 ab Alex. VII. damnata. Tunc tamen quantitas aliquantulum maior exigitur, si inter comestiunculam et comestiunculam notabilis adsit distantia, ut puta, si quis frustulum mane et aliud frustulum vespertinis horis sumat. Viva (Prop. cit. 8).

Quoad secundum, sufficit animadvertere quod lex ieiunii obligat sub gravi ad servandam non solum quantitatem, sed etiam qualitatem alimentorum; et quidem ita ut, si carnes et lacticinia vetentur, peccatum mortale non solum in comestione carnis, sed etiam in usu lacticiniorum (supposita semper materiae gravitate) reponi debeat. Gury (502).

## §. V.

### *De numero peccatorum in violatione ieiunii.*

534. Qui post unam plenam refectionem aliam pariter refectionem plenam cum cibis esurialibus faceret, ieiunium prorsus destrueret; unde iam lege ieiunium servandi amplius obstringi nequiret; et sic, si iterum manducaret, minime peccaret. Culpa itaque ieiunium ita infringentis unica esset. TT. dicunt, peccata esse plura si carnes aut lacticinia vetita pluries in die sumantur; qui enim carnem prima vice manducavit, adhuc remanet adstrictus lege carnem non manducandi iterum; unde si iterum manducet, iterum peccat. Id certe verum est si initio diei non fuerit concepta intentio utendi carne in singulis refectionibus; at vero, si quis mane statuisset totaliter frangere illius diei ieiunium, bis quidem peccasset quoad speciem (aliud

enim est frangere ieiunium circa alimentorum quantitatem, et aliud circa qualitatem) ; sed putarem, peccatum esse unicum numero, quia per modum unius id apprehenditur ; unde si poenitens in confessione diceret v. g. *Talem vigiliam non observavi, et carnem manducavi (feci da grasso)*, crederem sufficienter se accusasse. Ratio autem quod post primam comestionem abstinere deberet a secunda et tertia, per se non sufficit ut peccatum fiat multiplex, ut patet a nonnullis exemplis (n. 45) adductis.

### PUNCTUM II.

#### DE NON IEIUNANTIBUS

535. Non ieiunantes heic intelliguntur qui, quamvis solis ieiunantium cibis utantur, tamen circa horum ciborum quantitatem ieiunantium regulas servare non tenentur, et proinde quando et quantum volunt manducant. Hi profecto plurimi sunt ; multo enim facilius a lege ieiunii quam a lege abstinentiae a carnibus Christifideles excusantur.

#### QUAESTIO I.

*Quibusnam in casibus ieiunii obligatio non adsit?*

536. R. Magna distinctio fieri debet inter illos casus in quibus Christifideles a ieiunio eximuntur totaliter, ita ut ne vigiliarum quidem occurrentium infra annum ieiunium agere teneantur ; et alios in quibus partialiter dumtaxat (v. g., a solo Quadragesimae ieiunio) excusantur. Excusatio totalis difficilior est et minorem extensionem habet : partialis vero est facilior latiusque patet.

*Casus in quibus exemptio totalis locum habet.*

I. *Iuvenes antequam vigesimum primum annum compleverint.* TT. rationem adducunt, quia iuvenes non solum ut se conservent, sed etiam ut crescant, maiori indigent alimento. Sed haec ratio quoad solas vigilias infra annum universaliter non satis concluderet ; neque militaret pro iis qui ante XXI annum augmentum perfectum assequuntur, quod in foeminis omnibus accidit. Vera itaque ratio desumitur ex consuetudine,

quae universaliter et firmissime (seclusa obligatione speciali quae ex voto vel professione religiosa oriatur) omnes utriusque sexus Christifideles ante annum XXI completum a ieiunii lege eximit.

II. *Senes sexagenarii.* Utique ieiunium speciale incommodum senibus afferre debet. Isti in prandio cibum abundanter sumere nequeunt; illum enim propter virium calorisque defectum digerere non possent; unde aliis refectionibus indigent; multo magis quia, si manc non ientarent, stomachi debilitas augeretur, et sic in prandio cibi appetentiam magis magisque amitterent. Adde quod senum robur tantillum atque adeo illusorium est, ut quid minimum sufficiat ut senex deficiatur, atque irreparabili virium amissioni morbisque facile lethalibus exponatur. Sed hae quoque rationes pro solis vigiliis infra annum non satis efficaces essent, nisi subintraret consuetudo, quae sexagenarios absolute et totaliter a ieiunio excusat. Quod autem haec consuetudo vere subsistat, fatentur Theologi. Vide Roncaglia (De III. praec. q. II. n. 4), S. Lig. (1036), Gury (Cas. consc. I. 539), Scavini (I. 278) etc. Idque videtur iuxta sensum Ecclesiae, quandoquidem Pius V. interrogatus an senes sexagenarii, etsi robusti essent, a ieiunio excusentur, respondit excusari; ut dicunt Salmant. (XXIII. n. 130). Certe haec sententia est tutissima in praxi; passim enim ab Auctoribus probatur, et plures censent sufficere quod annus sexagesimus sit incoeptus, ut videre est apud Dianam (IV. vi. R. 5. et 8), Tamburini (D. 4ª Ecc. praec. X. 5), Ballerini, Scavini etc., dicentes quod in favorabilibus annus incoeptus habetur pro completo.

Religiosi et quilibet ieiunia perpetua voverint, iuxta plures, excusantur et ipsi anno sexagesimo (nisi explicite aliud intenderint); in iuvenibus enim pietas, in senibus vero infirmitas praevalet. Potestas (2892), S. Lig. (III. 1038).

III. *Infirmi supra recensiti n.* 525. *q. IV.* 3. Hi quoque a ieiunio excusantur totaliter.

IV. *Mulieres gravidae.* Consuetudo est ut a quovis ieiunio excusentur. Sed quid si ieiunarent? R. Si sint debiles, faciles ad abortiendum iamque quintum praegnationis mensem attigerint graviter peccarent si quadragesimam ieiunare vellent. Si tamen unam vel alteram vigiliam ieiunarent, non essent culpandae; imo ad ieiunium tenentur si adhuc incertae sint utrum conceperint; in tali enim dubio consuetudine non excusantur; et aliunde, si foemina sana ieiunet, nullum neque pro se neque pro foetu periculum subit, si in praegnationis initio adhuc sit.

Id tamen intellige, nisi ex propria experientia abortus periculum subesse noverit.

V. *Mulieres lactantes.* Istae quoque omnino excusantur; pro duobus enim (nempe pro se et puero) comedere debent; unde et ipsae 1° peccarent si quadragesimam ieiunarent; 2° peccarent etiam si lactis inopia laborarent, aut si puer esset infirmus, et nihilominus vigilias infra annum occurrentes ieiunare vellent.

VI. *Milites.* Laboriosis enim exercitiis quotidie subiiciuntur, atque insuper consuetudine excusantur.

VII. *Qui artes laboriosas exercent.* Eugenius IV. declaravit quod « artifices laboriosas artes exercitantes et rustici..... non « tenentur ieiunare » (apud S. Lig. 1042). Idque valet etiam si forte aliquis artifex extraordinario robore praeditus, sât commode ieiunare posset; consuetudo enim hanc exemptionem huiusmodi laborantibus generalem reddidit; unde scripsit Gury (Cas. consc. I. 470): « Consuetudo eximit generatim a ieiunio « eos omnes qui huiusmodi artes exercent ». (Oportet tamen ut ars sit laboriosa non leviter sed graviter, ut dixi; idque patet ex prop. 30. ab Alex. VII. damnata). Ex hoc capite excusantur fossores (*i vangatori*); ligna scindentes (*spaccazocchi*); laborantes in fodinis et fusoriis; fabri ferrarii, murarii, lignarii, carpentarii, aerarii, vitrarii, cuprarii; agricolae: operarii apud agricolas; hortulani; sulphur molentes; silicibus vias sternentes; typographi praelum versantes; in fornacibus aut furnis laborantes; laterarii; lapicidae (*scarpellini*); baiuli (*facchini*); remigantes; figuli; tinctores; molitores (si per se ipsos laborent); cannabem purgantes (*canapini*); lanam carminantes; tornatores (*tornitori*); cultros acuentes (*arrotini*); muros dealbantes; templa ornantes (*addobbatori*); coriarii; pistores; laniones (si per se ipsos laborent); cribratores; stabularii; inservientes infirmis in magnis hospitalibus; longum iter, v. g., 20 chilom. pedibus conficientes, quamvis robusti assuetique itineri essent et via bona (secus enim minus sufficeret); venatores; pastores gregem ducentes; piscatores; aurigae; epistolas in magnis civitatibus ex publico diribitorio huc illuc deferentes; testarum connectatores; muliones; coqui (si valde laborent); calceos consuentes; pannorum purgatrices (*lavandaie*); fila serica trahentes (*lavoranti nelle filande*); scamna paleâ operculantes; textrices etc. Hi omnes a ieiunio quidem excusantur, sed oportet ut non iam una vel altera hora dumtaxat, bene vero tota vel fere tota die (seu quantum satis) laborare soleant. Attamen non sunt scrupuli iniiciendi si aliquo die minus labo-

rent aut prorsus otiosi remaneant; quandoquidem, propter laborem antecedentium et subsequentium dierum, necessitas vires reficiendi et conservandi eos satis excusat. Si tamen diu otiosi remaneant, tunc ieiunare debent, nisi ex alio capite excusentur.

537. Quid de eo qui causam ieiunium impedientem sine necessitate apponat? R. Theologi recentiores hoc in puncto rigidissime loquuntur, adeo ut aliqui nequidem concedant ut pia peregrinatio suscipi possit, si propter illam ieiunium servari nequeat. Sed ego distinguendum esse censeo. Si causa consistat in omissione medii, quod suapte natura ad ieiunium servandum adhiberi debebat (ut puta si vir nobilis piscem aliosve cibos esuriales tempestive ad prandium parandum non emisset), utique tunc contra ieiunii legem delinquitur. Si vero causa consistat in re, quae cum ieiunio accidentalem dumtaxat relationem habet (ut puta, si quis die ieiunii, solo etiam recreationis fine, iter suscipiat, ad venandum proficiscatur, aut folle ludat); tunc cum Metina aliisque (apud Sanchez Dec. I. xv. et Croix III. II. 1334) censeo, contra ieiunii legem peccatum non adesse (saltem si raro id fiat, ut dicit Viva Prop. 31. Alex. VII.), nisi in ipsius legis fraudem labor assumatur. Imo si quis opus pium magnaeque mortificationis ad declinandum ieiunium assumeret, adhuc damnandus non esset. Et sane (ait cl. Ballerini I. 110) quis damnabit eum, qui, ne ieiunet, infirmorum peste laborantium servitio per Quadragesimam se dedicaret?

*Casus in quibus exemptio locum habere potest, sed non facile totalis.*

538. I. *Senes ante annum sexagesimum.* Aliquos citius senescere, patet evidenter. Foeminae ordinarie sicut citius adolescunt, ita citius senescunt. Hinc multi TT. censent, foeminas quinquagenarias generatim excusari posse ratione senectutis; imo non deesse sive foeminas sive viros, qui anno quadragesimo vel etiam prius hac de causa excusari queunt. Lessius (IV. II. 41), Sanchez (Consil. V. I. 4), Cl. Ballerini (not. ad n. 509). Quoad foeminas aliqui TT. obiiciunt quod minori cibo indigent, unde commodissime et quin famem patiantur ieiunare possunt. Sed respondendum, id non esse verum generaliter; et in praxi foeminas, quae a ieiunio eximi optant, esse eas quae ieiunando famem patiuntur; quaeque proinde indigent abundantiori aut saltem frequentiori alimento, quod ratione senectutis illis negari

non debet. Quum tamen exemptionis a ieiunio ante annum sexagesimum generalis consuetudo non adsit ; hinc a solo gravi incommodo exemptionis ratio peti debet ; unde neque foeminas quinquagenarias, neque alios ante annum sexagesimum iam senes, excusarem totaliter; non raro enim vigilias infra annum occurrentes, aut etiam aliquos interpolatos quadragesimae dies (saltem grossiori modo) sat commode ieiunare possunt. Reapse Sanchez, qui Theologorum foeminas quinquagenarias excusantium dux est, evidenter non de aliquibus diebus sed de integro Quadragesimae ieiunio loquitur inquiens (De Matr. VII. xxxii. 17) : « Nec ulla illis *longa* inedia est iniungenda ». Dixi *grossiori modo ;* idque declarabitur infra (n. 540).

II. *Pauperes.* Si famem pati soleant (sive mendicent sive prae verecundia a mendicando abstineant) certe a quovis ieiunio excusantur. Idem dic de iis qui, quamvis famem non patiantur et vulgariter pauperes non dicantur, tamen solo pane (forsan furfuroso) et allio aliisve miserrimis cibis absque offa (*menestra*) vescuntur. Hos ad ieiunium (etiam unius diei) cogere duritiem saperet ; unde totaliter excusari debent. Si autem praeter dictos cibos etiam offam et vinum habeant ; tunc (nisi alia incommoda superaddantur) ad vigilias infra annum atque aliquos interpolatos quadragesimae dies ; sed non ad totum quadragesimale ieiunium, adstringuntur. Salm. (133), Croix (1321), Gury (507).

III. *Qui, ientando, abundanter vesci sunt assueti.* Servare ieiunium usque ad meridiem specialem et vere extraordinariam difficultatem personis huiusmodi afferre solet. Utique sola gulositas aut aliqua molestia non excusat ; sed, si stomachus naturaliter vel propter diuturnam assuefactionem (quamvis initio forte fuerit vitiosa) abundanti ientaculo indigeat ; tunc excusasatio legitima, saltem quoad longum quadragesimae ieiunium, aderit ; quoad alias vero vigilias decidendum erit ex circumstantiis. Tamburini (X. 29), Croix (1324) et Bonacina, qui (P. ult. n. 15) scripsit : « Medina ait, magnam difficultatem, « quae ieiunando sentitur, non excusare a ieiunio, nisi etiam « ieiunium sanitati noceat. Sed hoc mihi non probatur, dum « magna difficultas aequivalet magno incommodo ».

IV. *Qui cum sola coenula esuriali noctu somnum capere nequeant ;* nec isti ordinem invertere (nempe prandium cum coena commutare) tenentur. Croix (1325), Tamburini etc.

V. *Qui in artibus vel officiis non valde quidem* (*ordinarie*) *defatigantibus occupantur, sed ita ut ieiunii pondus non semper sat facile sustineant.* Tales sunt, v. g., aurifices ; horolo-

glarii; inaurantes; statuarii; pictores; vernice pingentes; pileos conficientes; sartores; barbitonsores; telegraphistae; ex ebano opera conficientes; villici (*fattori*); mercatores; proxenetae; caupones; viridarii vel horrei vel cellae vinariae custodes; bibliopoei; dulciariorum pistores (*pastellieri*, *caffettieri*); venditores; pharmacopolae; medici; famuli; scribae et secretarii; ministri; missionarii; concionatores; confessarii; parochi; cantores; advocati; iudices; professores; magistri; scholarii etc. Quoad istos sumendum est consilium ex circumstantiis. Vide, v. g., an sint robusti, an vero debiles. Vide an die ieiunii ita laborent ut valde defatigentur, prout interdum contingit villicis; mercatoribus; proxenetis, cauponibus, viridiarii vel horrei vel cellae vinariae custodibus, famulis, Missionariis etc. Vide an nocte quoque (et maxime pluribus noctibus consecutivis) laborent: prout potest contingere sartoribus, telegraphistis, cauponibus, venditoribus, *caffettieri*, pharmacopolis, medicis, obstetricibus, famulis, missionariis, paróchis etc. Vide an prandium ad unam vel alteram horam post meridiem protrahatur, (prout contingere solet alicubi quoad omnes artifices et officiales) maxime si de longis diebus aestivis agatur et mane valde diluculo surgant, neque dicas collationem serotinam tunc mane peragi posse; hi enim artifices coenare assueti et post vespertinum laborem cibo indigentes, absque coena somnum male capere poterunt. Vide an, deficiente labore corporis, adsit magnus et diuturnus labor mentis, qui nobiliores cerebri spiritus consumit, cibique restaurationem exposcit; prout contingere potest speciatim professoribus, scholariis etc. Vide an occupatio sit continua absque ulla interruptione per multas horas, et stomachum defatigans, prout potest contingere scribis, secretariis, confessariis, magistris etc. Vide an, inspecto solo labore aliquorum dierum sat facile quidem ieiunium tolerari possit; sed virium extenuatio ex hoc ieiunio proveniens periculum ingeneret ne labores sequentium dierum sustineri nequeant; prout speciatim missionariis, monialium confessariis, praedicatoribus in Quadragesima (maxime si in fine exercitia spiritualia populo dare debeant) contingere potest. Caeterum, loquendo etiam de eadem arte vel officio, magnae differentiae adesse possunt inter casum et casum. Sic, v. g., concio quadragesimalis, etiam quotidiana, fere nihil erit consideranda si concionator praeparatione non indigeat et in dicendo parum agitetur, aut valde sit robustus. Idem dic de illis professoribus, qui lectionem iam centies repetitam recitant. Secus si magno

studio indigeant, aut valde agitentur debilesque sint. — Tandem bona regula erit sequens. Qui, ientando, magnam cibi quantitatem sumere solent (ut supra dixi), a quovis ieiunio (si labor notabilis adiiciatur) facile excusantur. Quoad illos vero, qui simplici et ordinario caphaco uti solent, distingui debet. A vigiliis infra annum occurrentibus difficile excusabuntur ; facile vero (si notabiliter et diu quotidie defatigentur) a ieiunio quadragesimali ; quatenus illud (sive totaliter sive partialiter) omittere, aut grossiori quodam modo (de consilio confessarii) servare poterunt. — Aliam regulam optimam tradit etiam Tamburini (De 4. Eccl. praec. X. 15) inquiens : ieiunare non debere illum cui ieiunium « operationes eius ordinarias « impedit, ita ut consueto suo modo operandi eas continuare « commode cum ieiunio nequeat. Hinc si scholasticus ex ieiunio « capite dolere soleat, vel quomodocumque cum difficultate « studeat : si mulier ex debilitate ieiunii servitia domus incom- « mode operetur : si vir quilibet suum officium artemque ieiu- « nando difficulter exerceat, etc. ; ex hoc capite a ieiunando « legitime excusabuntur ».

VI. *Complexione et stomacho debiles, quique lentis morbis laborant in gradu remissiori.* Hi de facili a ieiunio quadragesimali (saltem partialiter) excusantur, sed non aeque ab aliis vigiliis, maxime si ovis et lacte vesci queant ; nisi tamen eo die hemorragiis aut stomachi perturbationibus subiiciantur.

VII. *Maritus, qui propter ieiunium uxori suae (expresse aut interpretative petenti) maxime si illa in periculo incontinentiae versaretur, debitum reddere nequiret.* Porro id contingere quidem potest propter ieiunium quadragesimale, sed non propter simplicem vigiliam. Dantur casus rari, in quibus etiam uxores propter ieiunium minus aptae evadere possunt et maritis displicere aut etiam in illis suspiciones atque zelothypiam ingerere ; sed frequentius accidit quod aliis de causis ad pacem cum viris servandam a ieiunio plus vel minus abstinere coguntur. Sola tamen mariti prohibitio (nisi aliae malae consequentiae superaddantur) non sufficeret ; quia magis Deo quam hominibus parendum est.

VIII. *Puellae et viduae maritum quaerentes, et propter ieiunium venustatem ita amittentes, ut res huiusmodi matrimonio obstare serio possit.* De isto casu post Sanchez (De Matr. IX. III. 12) recte sic scribunt Salmant. (XXIII. II. 127) : « Hoc, licet ab aliquibus ieiuniis continuatis excuset ; non ta-

« men ab omnibus ; quia semel aut iterum in hebdomada ieiu-« nare, notabilem deformitatem causare nequit ».

IX. *Illi, quibus ieiunium spiritualiter potius quam prosit, obsit; quatenus ieiunando vicissimis carnis tentationibus exponantur.* Theologi dicunt, causam istam non esse sufficientem ut quis a ieiunio excusetur, quia (aiunt) ageretur de conatu diabolico ut Christifideles a ieiunio avertantur, et non desunt media quibus carnis tentationes superentur. Sed rationes istae non satis convincunt. Ieiunium continuatum fibras ita relaxare potest, ut non iam conatus diabolicus, sed verissimum phaenomenon physicum vehementissimos carnis motus causet; idque magnam individui debilitatem indigitat, quae in foeminis histericis frequens est, atque (praescindendo etiam a tentationibus) sufficit ut diuturnorum ieiuniorum obligatio adesse nequeat. Caeterum, si ageretur de persona sana et robusta, utique alia media adhiberi deberent ut tentationes superentur; sed, si haec non sufficerent et lapsus (praeter consuetum) locum haberent; tunc etiam causa sufficiens ieiunium intermittendi non deesset; si enim pericula corporalia aut spiritualia aliena (ut dixi supra n. VII) a ieiunio excusant, cur magnum periculum spirituale proprium excusare non poterit?

QUAESTIO II.

*Qui ratione aetatis, laboris, aut infirmitatis a ieiunio excusantur, ad quid tenentur?*

539. R. Isti comedere quidem possunt quantum et quoties volunt; sed circa ciborum qualitatem ieiunantibus se conformare debent; unde, si ieiunantes carnibus aut lacticiniis vesci nequeant, eiusmodi epulae non ieiunantibus quoque interdictae remanent. Excipe nisi infirmitas (aut labor) talis sit, ut hae quoque epulae necessariae videantur. Si tamen lacticinia sufficerent, carnes sumi nequirent.

Quando ieiunantes lacticiniis aut carnibus (sive ex indulto sive ex consuetudine) in prandio uti possunt, tunc huiusmodi cibi excusatis a ieiunio ratione aetatis, laboris aut infirmitatis semper licent. Ita S. Poenit. 16 Ian. 1834; quae tamen declaravit (27 Maii 1863) hanc decisionem non valere pro Regnis Belgii et Hollandiae, ubi, permissis carnibus (feria 2ª, 3ª et 5ª in Quad.) pro unica comestione, in aliis comestionibus quoad non ieiunantes ova dumtaxat permittuntur, nisi ratione infirmitatis

carnes quoque eis concedi debeant. Hoc porro et non alio sensu intelligi debet praedicta declaratio, ut constat etiam ex epistola E.mi Barnabo 8 mart. 1864 (apud *Monit. Eccl.* V. 1. pag. 103).

Promiscuitas carnium cum piscibus *diebus ieiunii* vetatur etiam non ieiunantibus. Id non ita pridem sub lite erat : sed hodie certum est. Congregationi S. Officii propositum fuit dubium, utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae attingat omnes, qui *vi indulti* carnibus vesci possunt, vel solummodo eos, qui ieiunant. S. Congreg. 23 Iun. 1875 respondit : Affirmative quoad primam partem ; negative quoad secundam. Et S. Poenitentiaria ad quaesitum : Utrum in diebus ieiunii tempore Adventus a Pio VI praescripti, permissis tamen lacticiniis, cui *propter infirmitatem* licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium? Die 8 Ian. 1834 respondit : Affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuitatem. Consonat aliud decretum Congr. S. Officii 24 martii 1841 apud Gury ( II. 1107).

### QUAESTIO III.

*An qui ieiunium totaliter aut perfecte servare nequit, partialiter aut eo modo quo potest illud servare debeat?*

540. R. Haec perfecte ieiunandi impotentia provenire potest 1° ex ieiunii diuturnitate ; 2° ex ciborum quantitate ; 3° ex ciborum qualitate.

Quoad ieiunii diuturnitatem : qui totius Quadragesimae ieiunium sustinere nequit, diebus quibus potest ( iuxta prudentis confessarii iudicium ) ieiunare tenetur. Cf. Viva Pr. 44. Inn. XI. ( n. 16 ).

Quoad ciborum quantitatem : si leve augmentum sufficiat ( v. g., coenula paullo abundantior, aut buccella panis ante meridiem eo quod prandium nimis retardet ) tunc ieiunium substantialiter non vitiatur, unde idem augmentum sumi et ieiunium servari debet. Hinc scripsit Sanchez ( Consil. V. I. IV. 3-4 ) : « Confes-« sarius necessitati provideat cum minima legis iactura : ut si « fuerit satis ut horam praeveniat, vel nocturnam refectiun-« culam indulgentius faciat, debeat hoc concedere, et non ex « toto ieiunium relaxare ». Si vero leve augmentum non sufficiat, tunc ieiunium substantialiter destruitur ; et sic non erit cur taliter indigenti quidquam obligationis quoad ciborum quantitatem remaneat ; unde quantum et toties quoties voluerit co-

medere poterit. Idem dic si quis sive culpabiliter sive inadvertenter duas copiosas refectiones iam fecerit, aut mane abundanter ientaverit, neque a prandio et coena abstinere queat. Haec semper intellige *quoad ciborum quantitatem* ; obligatio enim abstinendi a carnibus (vel lacticiniis, si haec quoque vetentur) remanebit. Attamen, si ex indulto vel consuetudine carnes aut lacticinia ieiunantibus in prandio permittantur, qui non ieiunant eiusmodi epulis (iuxta dicta quaest. praec.) toties quoties comedunt permittuntur, dummodo a ieiunio propter laborem aut infirmitatem, non vero propter dictas refectiones sive culpabiliter sive inadvertenter factas, excusentur.

Quoad ciborum qualitatem, pariter videndum an carnium vel lacticiniorum indigentia talis ac tanta sit, ut iam substantia ieiunii destruatur. Sic, v. g., qui mane indigeret lacte atque in prandio carnibus, et in coena cum solis cibis esurialibus stare nequiret, ille profecto tanto nutrimento indigeret ut ieiunium pro ipso prorsus evanesceret. Idem dic de eo cui propter seriam infirmitatem, occurrente vigilia, carnes necessariae essent; non enim scrupulose inquirendum foret an carnes pro solo prandio concedi et de caetero ei vetari debeant. — Si vero circumstantiae ita sint dispositae ut ciborum vetitorum usus ieiunium substantialiter non vitiet; tunc, iis adhibitis, adhuc ieiunandum erit. Exempla. Titius ieiunii pondus tolerare potest dummodo vetitis lacticiniis in prandio utatur. S. Lig. (III. 1047. in fin.). Caius ieiunium quadragesimale perficere potest dummodo in prandio carnes (supponitur hic quod indultum non adsit) adhibeat. Croix (III. n. 1325). Sempronius quadragesimam perfecte observare potest, dummodo mane in caphaeo tantillum lactis infundat. Livius propter malefirmam salutem est dispensatus ad carnes ; sed, his adhibitis pro unica comestione, de caetero satis commode ieiunare potest.

### QUAESTIO IV.

### *Quid in dubio an ieiunandum vel a carnibus abstinendum sit?*

541. R. I. Qui dubitant utrum hodie sit vigilia de praecepto, vel utrum mediae noctis punctum (a quo vigilia incipit) advenerit, vel utrum annus vigesimus primus completus fuerit ; inquisitiones discretas (si possint) facere debent, et, dubio perseverante, ad libitum comedere possunt ; quia possidet li-

bertas. Ad iudicandum autem an sufficienter inquisitum fuerit, circumstantiae considerandae sunt ; maiores enim inquisitiones necessariae essent, v. g., si dubium quadragesimam respiceret : et minores sufficerent si dubitaretur an hodie sit vigilia, vel adeps permittatur, quo casu sufficere videtur si apud familiares aut vicinos aliqua inquisitio fiat. In genere loquendo, quo maior est rei gravitas, gradus dubii, facilitas et commoditas inquirendi, eo strictius et diligentius inquirendum est. In quovis casu, vide utrum sic inquisieris ut iuxta sensum communem satis excuseris. Cf. Sanchez (Dec. I. IX. 25. X. 5).

II. Qui (inquisitionibus frustra factis) dubitant utrum in hac vigilia adeps, butyrum, aut lacticinia adhiberi queant ; his uti possunt, si casus in quibus haec vetantur sint rari et exceptionales ; quando enim ex indulto vel consuetudine regula generalis fit ut haec liceant, iam possidet libertas, et exceptio probari debet. — Si vero casus in quibus haec interdicuntur multi essent ; tunc (si faciliter cibi stricte esuriales adhiberi possint) a parte tuta stare oporteret. Attamen qui sic in dubio huiusmodi cibis utitur, forte peccat minus eo, qui de prohibitione certus sit ; unde (secus ac multi TT. dicant) de casu simili scripsit S. Augustinus (De fid. et oper. XIX. 35) : « Venialiter (*idest excusabiliter*) ibi quisque fallitur ». Et, tali dubio subsistente, incommodum minus a quavis culpa excusare potest ; aegre enim quis incommoda subit cum periculo ea subeundi frustra.

III. Qui serio dubitant quod ieiunium (et idem dic de usu ciborum esurialium) ipsorum sanitati graviter nocere possit, ieiunare non tenentur ; non solum enim certitudo sed etiam periculum sanitati propriae graviter praeiudicandi a ieiunio excusat. Cavendum tamen ab hallucinatione ; et curandum ut dubium prudenter solvatur, maxime si agatur de ieiunio quadragesimali aut si quis totaliter ab omnibus ieiuniis se eximere velit. Optima dubii solutio habetur ab experimento ; nemo tamen adeo experiri tenetur, ut experimentum ipsum periculosum sit ; et qui iam in antecessum experientia novit ieiunium sibi graviter nocere, denuo experiri non tenetur, nisi conditiones esse mutatas evidenter dignoscat. Bona regula esse potest si medici consilium exquiratur. Oporteret tamen ut medicus vir probus et catholicus esset ; si enim esset de illis qui omnes (et maxime istas de abstinentia et ieiunio) Ecclesiae leges odio habent ; tunc solius Confessarii consilium exquirere melius foret. Verum est quod Benedictus XIV in Bulla *Non*

*ambigimus* exigit utriusque medici consilium ; sed hoc statutum fuit tamquam regula servanda in dispensationibus concedendis, non vero tamquam necessarium ut hic vel ille a ieiunio naturaliter excusatus iudicari possit ; ad huiusmodi enim excusationem quaelibet probabilis ratio sufficit ; unde scripsit S. Lig. (1033) : « Si quis sibi persuadeat.... ex probabili ratione ieiunium graviter nociturum, ieiunare non tenetur ». Hinc ne Confessarii quidem consilium exigitur absolute ; et vir prudens, qui ex ieiunio grave nocumentum timeret, non esset inquietandus si etiam, Confessario non interrogato, ieiunium omitteret. Id autem multo facilius concedi debet quoad vigilias infra annum occurrentes ; non enim tenentur Christifideles Sacerdotem quaerere toties quoties, occurrente vigilia, ieiunium eo die tolerare non posse sibi videntur. Cf. Frassinetti (not. 91).

Dices : Si non solum certitudo, sed etiam dubium ne ex ieiunio nocumentum suboriatur, sufficit ut quis excusetur ; tunc ad quid dispensationes ? R. Dispensationes (praeter quam quod maiorem conscientiae tranquillitatem suppeditant) deserviunt pro casibus, in quibus, attenta qualitate nocumenti et gradu dubii, seclusa dispensatione, excusatio, saltem totalis, non haberetur. Diana (IV. VI. LXXIII. 2).

IV. Qui dubitant utrum sexagesimum annum attigerint, iuxta plures TT., adhuc ieiunare tenentur ; quia possidet lex. At vero cum mica salis id intelligi debet ; huiusmodi quippe senes non raro aequiparandi sunt iis qui dubitant utrum ieiunium ipsorum sanitati grave nocumentum allaturum sit ; unde a ieiunio (saltem quadragesimali) ut plurimum excusari poterunt.

V. Idem dic de iis qui dubitant utrum ratione laboris excusentur ; si enim, attentis communiter contingentibus aut particularibus circumstantiis, serio et graviter timeri debeat ne ieiunium tali labori coniunctum magnum aliquod praeiudicium allaturum sit : id satis est ; quandoquidem Ecclesia neminem magnis periculis exponere intendit.

### QUAESTIO V.

### *Quid de ieiuniis localibus ?*

542. Si ex patria tua, in qua obligatio ieiunii adest, alibi pergas ubi non ieiunatur, a ieiunio abstinere poteris. Excipe nisi ieiunium ex lege generali servari debeat, et tu migres ad locum in quo non iam propter exemptionem legitimam, sed

propter religionis diversitatem ( eo quod civitas, v. g., ab Ethnicis vel Haereticis habitetur) ieiunium non servetur. Si tamen ibi Catholici quoque non ieiunarent, tu etiam a ieiunio abstinere posses.

Si in tuo territorio sit ieiunium et eodem die pergas ad locum ubi non ieiunatur, ante discessum ientare potes; et, si vespere ad patriam redeas, coenare poteris; attamen in patria a carnibus abstinere deberes. Gury ( I. 95 ).

Qui legi communi iam satisfecit, probabiliter non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum ubi serius urget. Sic Italus, qui in patria ieiunavit in pervigilio S. Petri, non tenetur iterum ieiunare in Gallia, ubi hoc ieiunium ad sabbatum sequens transfertur. Ratio est quia qui praecepto iam satisfecit, non tenetur iterum satisfacere. Gury (l. c.).

Privilegia localia extra territorium non valent. Hinc Belgae, qui ( propter penuriam ciborum esurialium ) ab abstinentia Sabbati eximuntur, si extra patriam degant a carnibus in Sabbato abstinere tenentur. Scavini (I. 396).

### QUAESTIO VI.

### *Quid de dispensatione a ieiunio?*

543. Parochi non solum declarare hunc vel illum a ieiunio excusari; sed vere ( in casibus particularibus ) dispensare possunt; idque quamvis facilis ad Episcopum aditus pateret. Sic dicunt TT. passim cum S. Lig. (1032), qui subdit, Capellanos quoque, seu Parochorum vicarios, dispensare posse, nisi Parochi expresse repugnent.

Possunt etiam dispensare cum suis subditis ( et adhuc cum semetipsis ) Praelati Religiosorum, etiam inferiores, eorumque Vicarii. S. Lig. (l. c.).

Qui dubitat an causa adducta ad dispensandum sufficiat, aliquod pium opus ad modum commutationis iniungat; sed de caetero subditum tranquillum relinquat, et non dicat: conscientiae tuae rem hanc remitto.

544. Confessarii neque dispensandi neque commutandi ullam habent facultatem; ipsis enim pertinet dumtaxat iudicare an poenitens ad ieiunium teneatur an vero a ieiunando excusetur. Attamen, si poenitens bona fide existimet sufficere si grossiori modo aut partialiter dumtaxat ieiunet, tunc Confessarius pru-

dentiam adhibeat, et de facili illum in sua bona fide relinquat, ne forte admonitus omnia ieiunia culpabiliter omittat. Ita TT. unanimiter cum S. Lig. (1049 in fin.).

## ARTICULUS IV.

### DE ANNUA CONFESSIONE

545. Pro praxi sequentia notare sufficit. 1° Praeceptum confessionis annuae obligat solum si peccatum mortale commissum fuerit: Christus enim non venialium sed mortalium dumtaxat confessionem praecipit; Ecclesia autem non facit novum praeceptum, sed solum determinat tempus intra quod adimpleri debeat, ne scilicet confessio ultra annum differatur. 2° Hoc praecepto tenentur etiam pueri non adhuc ad Communionem admissi, dummodo tali discretione polleant, ut peccatum mortale committere possint, illudque reapse commiserint. 3° Pro his pueris annus ita computari debet, ut saltem ultra annum a primo peccato mortali commisso confessio non procrastinetur; postea autem annus vel ab ultima confessione, vel a Ianuario ad Decembrem, vel a Paschate ad Pascha computari potest; Ecclesia enim circa hoc nihil determinavit; sed dixit dumtaxat: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis « devenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter saltem « semel in anno » (Concil. Later. IV. Can. 21). 4° Haec obligatio est gravis. 5° Qui facit confessionem sacrilegam aut invalidam, praecepto non satisfacit. Cf. S. Lig. (VI. 662).

## ARTICULUS V.

### DE COMMUNIONE PASCHALI

546. I. Praeceptum Communionis Paschalis declaratum fuit a dicto Concil. Later., quod post verba supra citata dixit: « su- « scipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacra- « mentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam « rationabilem causam ab eiusmodi susceptione duxerit absti- « nendum ». Id patet etiam ex Trid., Sess. 13 c. 9. — Qui sacrilege communicat praecepto non satisfacit, ut constat ex prop. 35 ab Innoc. XI. damn. — Quum ad media rei naturae connaturalia teneatur qui tenetur ad finem, hinc si quis propter excommunicationem a communicando impediretur, criminis sui

(sicut et aliorum peccatorum) poenitentiam facere atque censurae absolutionem tempestive petere teneretur.

II. Ad Communionem Paschalem illi omnes tenentur, qui a proprio Parocho vel Superiore (prout de iure) ad Sacram Mensam admissi fuerint. Si alicubi non sit mos ut Parochi ad primam Communionem pueros admittant, tunc pueri communicare debent quando ad eam pervenerint aetatem, in qua huius Sacramenti cognitionem et gustum habeant (Rit. Rom.); qua de re iudicium parentibus et confessario spectabit, ut dicit Cat. Rom. (II. IV. 61). Benedictus XIV (De Syn. VII. XII.) adhuc melius rem hanc declaravit inquiens: « Non omnis discretio, quae sufficiens « habetur ad se expiandum Sacramentali Confessione, satis est « ad rite percipiendam Eucharistiam, cuius excellentia maio- « rem exigit in suscipiente iudicii maturitatem, ut debita reli- « gione ac reverentia ad eam accedat. Quo vero aetatis anno « eam maturitatem advenisse sit praesumendum, non potest « certa regula definiri, cum alii tardius alii citius perfectum « rationis usum rerumque spiritualium intelligentiam assequan- « tur: id autem intra decimum et decimum quartum aetatis « annum communiter evenire, notat Suarez ». Sed quid si, existente consuetudine ut Parochus pueros ad primam Communionem admittat, adsint in eius Paroecia iuvenes qui decimum quintum vel decimum sextum annum iam habent et adhuc ad Sacram Mensam non fuerint admissi? R. Dari potest aliquis casus exceptionalis, in quo Parochus alicui iuveni hanc admissionem ultra quartumdecimum annum differat iusta de causa (v. g., quia nuper ad eius paroeciam devenerit et adhuc convenienti instructione careat, bonusque Parochus illum prius instruere velit, veritus ne, sicut accidere solet, postea catechismum derelicturus sit); et, quatenus certe vel probabiliter res ita se habeant, talis iuvenis ad Communionem adhuc non tenebitur. Si vero iam certe constet, factum huiusmodi ex mera Parochi incuria aut morositate provenire; tunc iuvenis communicare debebit; haec enim Parochi incuria aut morositas Communionis annuae legem et ius quod habent Fideles sacramentis participandi destruere nequit. Frassinetti (I. not. 93). Semifatui (si culpae gravis capaces non sint) hac lege non tenentur. D' Annibale (I. 191). Attamen, si decenter et reverenter accedant, communicare possunt. S. Lig. (VI. 303). — Sic etiam excusantur qui propter morbum (caeteroquin mortis non periculosum) ieiunium servare nequeunt. Isti tamen statim post mediam noctem (non obstante ritu Ecclesiae) Eucharistiam sumere possent. Gury (II. 334).

De surdis-mutis a nativitate qui in scholis instituti non sint, magna hodie quaestio agitatur, et cl. D' Annibale (III. 133) sentit solum in morte absolutione sub conditione eos donari posse; quum iam fere certum sit eos omnium rerum supernaturalium ignorantia laborare et fide actuali prorsus incapaces esse, prout Romae (an. 1851) senserunt quatuor Cardinales, viginti Episcopi, et plus quam viginti surdorum-mutorum institutores. Attamen ego dicerem, hos surdos-mutos ad Sacram Mensam admitti posse eosque debere nedum in morte sed etiam in Paschate ad Communionem accedere. Rationes sunt sequentes 1° Ipsi per baptismum fideles sunt et Sacramentorum capaces; 2° Sacramentum Eucharistiae ad sui validitatem nullum suscipientis actum exposcit; unde antiquitus infantibus quoque administrabatur; 3° Surdi-muti absque ulla irreverentia, imo devote (panem a pane distinguentes), ad Sacram Mensam accedere solent; 4° Ecclesiae praxis semper fuit ut Eucharistia iisdem concederetur; et hodie quoque haec praxis servatur; 5° Surdi-muti cognitionem (quamvis confusam) habent Dei (nempe magni et Supremi Domini); idque testati sunt plurimi ex ipsis, qui postea in litteris eruditi fuerunt; 6° Bonum a malo distinguunt, et familiari educatione cognoscunt quae fieri et quae evitari debeant; secus a Deo poenas luituri; unde legis quoque cognitionem habent; 7° Sicut cognoscunt die Veneris et Sabati carnes comedi non posse, quia secus Deus offenderetur; ita nil vetat quominus cognoscant in Paschate ad Sacram Mensam esse accedendum. Quae cum ita sint; eccur huius Sacramenti et Praecepti capaces non erunt? Vide S. Lig. (VI. 303) et Laymann (V. IV. IV. 5).

Obsessi a daemone a communicandi lege non excipiuntur, dummodo sint sui compotes, et absque irreverentia communicare possint.

III. Communio praecipitur intra quindenam Paschalem; sed alicubi maior datur latitudo; ita ut nempe tempus paschale vel totam quadragesimam comprehendat, vel usque ad Pentecosten protrahatur.

Aegroti quoque communicare debent; quatenus Parochus iisdem Eucharistiam intra quindenam deferre tenetur; ut dicit Rituale. — Ex consuetudine tamen (saltem apud nos) praeceptum istud intelligitur dumtaxat de aegrotis ex morbo chronico; non vero de aliis qui post quindenam ad Parocciam se conferre poterunt.

Confessarius (si Bonum poenitentis, aut necessitas reparandi

prius aliquod scandalum, id expostulet) poenitenti ipsi intra quindenam accedenti atque etiam satis disposito praecipere potest, ut solum transacto tempore paschali communicet. Cautissime tamen apud nos id fiat; maximum enim adesse solet periculum ne poenitens, transacta quindena, de Paschate (utinam pro eo solo anno!) amplius non cogitet.

Qui praevidet, fore ut intra quindenam communicare nequeat, non tenetur praevenire; quia annus obligationis valde probabiliter computari debet a Paschate ad Pascha; seu (melius) tempus obligationis a prima die quindenae incipit; unde Communio anticipata non esset adimpletiva praecepti, bene vero esset quasi Missa quae, pro die Dominico, Sabato praecedenti audita fuisset. S. Lig. (VI. 298). Qui itaque sic anticipasset, si postea intra quindenam communicare posset, ad id teneretur. Gury (Cas. I. 455).

Qui, incoepta iam quindena, praevidet fore ut in fine quindenae communicare nequeat, antequam impedimentum superveniat praecepto satisfacere debet; sicut qui praevideret se non posse die festo audire ultimam Missam, unam ex aliis audire teneretur.

Differre Communionem ultra quindenam (quamvis de unico dumtaxat die ageretur) gravem esse culpam pro certo habet Gury (Cas. I. 456). — Idem die de illis, qui ultima die quindenae ad confessionem quidem accedunt, sed ita ut ad absolutionem et consequenter ad Communionem prorsus atque scienter indispositi sint.

Qui intra quindenam non communicaverit, utrum postea communicare teneatur; de hoc magna quaestio inter TT. agitatur. Sed, communi Christifidelium sensui inhaerendo, dici debet quod praeceptum Communionis paschalis, quindenâ quoque transactâ, obligare pergit; secus enim 1° Qui infirmitate aliove impedimento detenti intra quindenam non communicaverint, communicare non tenerentur; 2° Parochi morosos inepte sollicitarent ut praecepto satisfaciant; 3° Non perciperetur cur Romae reservatione et excommunicatione mulctentur qui, elapsâ quindenâ, in contumacia perseverant. Attamen obligationem istam non ultra aliquot menses extenderem; postquam enim multum temporis a Paschate elapsum fuerit, satisfactio praecepti Paschalis non amplius intelligitur; et qui, v. g., sequenti mense Decembris communicaturus accederet et diceret se Pascha facere, ridiculus evaderet. Equidem multi TT. opinantur quod praeceptum Ecclesiae sit duplex: nempe 1° de

Communione paschali ; 2° de Communione annua ; sed haec interpretatio non est usu recepta et plures graves Theologi illam reiiciunt, ut videre est apud S. Lig. (VI. 297).

IV. Communio Paschalis in propria paroecia sumenda est ; idque etiam sub gravi praecipitur. Finis huius praecepti est 1° ut pastores saltem semel in anno oves suas agnoscant ; 2° ut mutua fidelium eiusdem paroeciae aedificatio foveatur.

Qui in Ecclesia Cathedrali communicat, quamvis manu Episcopi, praecepto non satisfacit. S. Lig. (VI. 300).

Sacerdotes, si Missam celebrent, in propria paroecia communicare non tenentur.

Famuli monasteriorum communicare possunt in Ecclesia monasterii, dummodo 1° Actu inserviant et sub religiosorum obedientia vivant ; 2° Intra monasterii septa (nempe *clausuram*) resideant. Ita Benedictus XIV. Notif. LV. 7.

Qui intra quindenam ad modum viatici intra propriae Paroeciae limites Communionem sumpserit, non tenetur postea (si convalescat) in Ecclesia communicare. Gury (Cas. I. 453).

Qui tempore Paschali a sua Paroecia abest, ad illam redire tenetur ut praecepto satisfaciat, dummodo sat commode possit. — Si vero non possit, tunc in alia Ecclesia (quam omnino ad libitum eligere potest) intra quindenam communicare debet. Communione autem facta, si praeter praevisionem (non adhuc finita quindena) domum redeat, iterum communicare non tenetur. S. Lig. (300) et Gury (Cas. 454).

Qui in paschate sacrilege communicavit, praecepto quidem non satisfecit (ut dixi) iterumque communicare debet ; sed non est necesse ut iterum in paroecia communicet. Gury (l. c. 450).

Non solum Pontifex et Episcopus, sed etiam Parochus concedere potest ut aliquis extra Paroeciam communicet. Et circa hoc notandum quod licentia praesumpta sufficit. S. Lig. (l. c.).

Quid de illis qui tempore Paschali, v. g., apud Religiosos confessionem faciunt, et dicunt non esse possibile quod in propria paroecia communionem sumant ? R. Si exhortationibus induci nequeant ut humanum respectum vincant et propriam paroeciam adeant, eis permitti debet ut ubi volunt communicent. Licentia sin minus Parochi, saltem Ecclesiae pro casibus huiusmodi praesumi debet ; licentiae enim denegatio non in aedificationem sed in destructionem esset ; multas quippe animas in totalem perditionem absque ulla utilitate coniiceret ; quandoquidem rigor, qui olim ad legem tuendam deserviebat,

hodie legi ipsi iam undequaque pene collapsae nullum fulcrum praestaret. Ita sentiunt Gousset (II. 226) et Frassin. (I. not. 92).

## ARTICULUS VI.

### DE LIBRIS PROHIBITIS

547. Ecclesia severissime vetat ne libri sive generaliter sive specialiter in Indice prohibiti legantur aut retineantur. De hoc argumento, et de lectione ephemeridum plus vel minus Ecclesiae hostilium, iam egi diffuso sermone in tractatu de Occasionariis (n. 193-221); unde, ne dicta repetam, illuc lectorem remitto.

## ARTICULUS VII.

### DE DENUNTIATIONE HAERETICORUM

548. Iam inde ab anno 1580 Nicolaus III. districte mandavit ut haeretici vel de haeresi suspecti Episcopo vel Inquisitori denuntientur. Sed hodie haec obligatio rarissime locum habet; unde scripsit Scavini (II. 815): « Sine peccato omittitur (denuntiatio) quando nulla est spes punitionis: nam ad opus « inutile nemo tenetur: uti esset in iis locis ubi haeretici catholicis permixti sunt, vel ubi tanta est male sentientium de « Religione multitudo, ut eos Superior nullimode punire queat, « prout hodie in omni fere regione evenit. Hoc autem non curit de Ecclesiasticis si qui haeretici vel de haeresi suspecti « habeantur; illis enim facilius valent providere Episcopi, et « damno occurrere spirituali populorum..... Item est (*aut saltem esse potest*) de dogmatizantibus ».

## ARTICULUS VIII.

### DE DENUNCIATIONE CONFESSARII SOLLICITANTIS

#### PUNCTUM I.

#### EXPONITUR LEX ECCLESIAE, QUAE HANC DENUNCIATIONEM PRAECIPIT

549. Omnes norunt severissimam extare Ecclesiae legem, quae, ut horribile delictum Sacerdotum ad turpia in confessione

sollicitantium coerceat, districte praecipit 1° ut iidem Episcopis aut Inquisitoribus denuncientur ; 2° ut Confessarii de hac obligatione poenitentes admoneant.

Haec lex (quae sollicitationem perpetratam in Confessione, non vero in aliis Sacramentis respicit) prostat speciatim in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* Benedicti XIV, ubi Pontifex agens de hoc scelere (quod vocat *excessum nefarium et delictum enorme*) praecipit ut omnes Inquisitores et Episcopi « procedant contra omnes et singulos Sacerdotes cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae..., qui aliquem poenitentem, quaecumque persona ille sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam, tentaverint ; aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.... Meminerint praeterea omnes et singuli Sacerdotes ad confessiones audiendas constituti teneri se ac obligari suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere iuxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi Inquisitoribus seu locorum Ordinariis praedictis personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro seipso sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Iudici, vel saltem se cum primum poterunt delaturos spondeant ac promittant ».

Notandum quod Gregorius XV in Bulla *Universi* eadem iisdemque pene verbis decreverat, quae in Bulla Benedictina reperiuntur, quamvis Benedictus explicationes probe observandas adiecerit. — Notandum est etiam quod (contra Th. Hurtado aliosque Auctores, qui hispanicae Inquisitionis severitate deter-

riti Gregorianam Constitutionem pene ad nihilum reduxerant) die 11 Febr. 1661 sexdecim a Suprema Inquisitione prodierunt decreta, a Benedicto XIV postea confirmata, quae fere omnibus Theologis ipsique S. Ligorio ignota remanserunt; ex quo (atque etiam quia explicationes Bullae Benedictinae neglectae fuerunt) factum est, ut multi errores in eorum operibus reperiantur.

Petes an haec lex vigeat ubique? De hoc habemus recens responsum Supremae (in Instruc. 20 Febr. 1867) sequentis tenoris : « Nullum dubium est, quin hae praescriptiones..... in « cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique « terrarum *inconcusse et inviolabiliter* observandae sint ». Et subdit observandas esse quoque in exteris missionibus, nec restringi aut moderari posse propter confessariorum penuriam etc.

## PUNCTUM II.

### EXPLICATUR QUANDONAM SOLLICITATIONIS SUBSTANTIA VERE ADSIT

550. Oportet ut agatur de re turpi. Id primum. Si itaque Confessarius, v. g., ad furtum, homicidium, rebellionem etc. sollicitaret, gravissime quidem peccaret; sed sub praesenti lege non caderet. Necesse est itaque ut agatur de peccato contra sextum decalogi praeceptum. Id autem multipliciter accidere potest; nempe

I. Si Confessarius de praesenti et hic et nunc cum poenitente peccatum prorsus consummet, sive concubitu, sive tactu, sive denudatione etc.

II. Si provocet sive verbis sive per scripturam ad consummandum peccatum in futurum; ut puta, si mulieri confitenti se adulterium commisisse Confessarius diceret : Nonne etiam mecum generosa eris? Neque interest si poenitens provocetur ad peccandum cum confessario ipso aut cum alia persona. Nec pariter refert si peccatum ab ipso poenitente committendum sit, an vero poenitens provocetur, ut ad modum lenonis inducat alium ad peccandum sive cum Confessario sive cum aliis; multo magis quia in Bulla etiam tractatus turpes comprehenduntur; unde denuntiandus esset quoque confessarius qui amasiam haberet, et poenitentem rogaret ut munera ei deferret, vel locum simul conversandi ipsis concederet etc. Tandem nihil refert sive poenitens consenserit sive non.

III. Si provocet indirecte; si nempe non quidem aperte ad malum incitet, sed eius facta vel dicta talia sint, ut ad malum

alliciant, satisque pateat quod malitiose processerit finemque rectum habere non potuerit. Hic casus exprimitur in illis Bullae verbis : « Aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel « tractatus temerario ausu habuerit ». Nota quod Pontifex ait *temerario ausu*, nempe, ut dixi, ex vera malitia; ut puta, si poenitenti dicenti se nudam a quodam visam fuisse, Confessarius diceret : Utinam et ego te vidissem ! Malitia ab ignorantia, ab inadvertentia, a simplicitate et a mera imprudentia sedulo distingui debet. Foemina, v. g., in confessione semper conqueritur de molestiis quibus a sene quodam afficitur ; et confessarius impatientia abreptus dicit : Quid caput semper obtundis ? Si iuvenis quid simile tibi faceret non sic conquereris. Imprudentia quidem, sed non finis pravus hic conspiceretur. — Sed hoc punctum provocationis indirectae melius est declarandum.

Quaer. I. An parvitas materiae excuset ? R. Si satis pateat quod finis rectus adesse non potuit ( ut puta, si Confessarius poenitentis infirmae digitos intorqueret, vel genas vellicaret, et multo magis si ad osculum procederet ) ; tunc parvitas materiae non excusat ; ut plurimum enim finis erit libidinosus, et, quamvis de sola levitate quadam ageretur, occasione Sacramenti grave evadit id quod in aliis circumstantiis forsan leve esset ; unde heic si culpa est, mortalis est. Suprema ( 11 Febr. 1661 ) ad quaesitum : An Confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus ? Respondit : « Cum in « rebus venereis non detur parvitas materiae, et, si daretur, « in re praesenti non daretur, censuerunt ( Qualificatores ) esse « denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabi- « lem ». Equidem nonnulli TT. moderni adhuc cum antiquis dicunt, levitates in genere luxuriae indirectae ( nisi clare conspiciatur intentio progrediendi ad peiora ) ne in Sacramento quidem evadere graves et proinde denunciationi non subiacere, quin decretum praedictum obstet. Sed, ut recte notat cl. Ballerini ( n. 591. q. 2. not. *a* in fin. ), perperam hoc decretum interpretantur, quod reapse damnare voluit doctrinam a pluribus TT. tunc introductam ( Cf. Th. Hurtado n. 399 ), quae levitates, quarum exempla supra dedi, ab hac lege excludebat. Id autem patet etiam sat clare ex resolutionibus sequentibus.

Quaer. II. An Confessarius si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus ? Huic quaesito Suprema respondit : « Si laus illa sit « seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinio- « nem esse probabilem ( *N. B. Dum dicit esse probabilem, si-*

« *gnificat esse tutam in praxi. Giraldi Exp. Iur. Pont. I.* v. 7); « Si vero secus, non esse probabilem ». Huiusmodi itaque laus casum sollicitationis effugit si duo concurrant; nempe 1° Si sit seria; qualis non esset si ex levitate et stulta hilaritate fieret; 2° Si nihil pravae intentionis redoleat. Ubi notandum, non esse necessarium ut laus pravam intentionem clare manifestet, sed sufficere si illam redoleat. — Idem dic si Confessarius, ex levitate et ludicre vel cum pravae intentionis graveolentia, laudaret poenitentem de alia vana appariscentia; aut si cum famula de pulchritudine dominae sermonem haberet (Plures TT., etiam recentiores, caute hoc in puncto legi debent). Certe tamen non esset denuntiandus confessarius, qui, seria de causa et quin ullum malitiae fundatum suspectum ingereret, poenitentem de pulchritudine laudaret (ut puta, si virgini Deo dicatae solitudinem commendaret, ne propter pulchritudinem virorum tentationibus exponatur; aut mulieri se prostituenti diceret: pulchritudini tuae iniuriam facis); tunc enim aliqua imprudentia quidem forsan, sed nec levitas nec malitia locum haberet. Cf. *Istruzione pei novelli Confessori* (II. 288).

Quaer. III. An dare munera poenitenti sit casus sollicitationis? R. Si haec consistant in imaginibus, rosariis, scapularibus, aut libris devotis; vel si de recta intentione alia indicia adsint (v. g., si dona essent remuneratoria vel eleemosynam velarent); tunc sollicitatio non aderit. Si vero consistant, v. g., in anulo profano, in praebitione flosculi etc., ita ut finis rectus non sit supponendus; sed levitas appareat aut de malitia iure suspicandum sit: tunc casus sollicitationis erit. Reapse Suprema definivit quod Confessarius munera praebens Confessario laudanti de pulchritudine aequiparari debet.

Quaer. IV. Quid de expressionibus amorem significantibus? R. Si verba respiciant amorem irreprehensibilem (ut puta, si Confessarius diceret: Vides quod tibi bene volo, tuamque verum bonum quaero; esto itaque consiliis meis obediens); tunc non est cur de sollicitatione loquamur. Si autem verba amorem plus vel minus inordinatum patefaciant, tunc solum in aliquo casu rarissimo sollicitatio deesse poterit; ut puta, si, quum iam peccata inter confessarium et poenitentem extra confessionis occasionem interfuerint, confessarius poenitenti ipsi pro confessione venienti dicat: Iam scis tentationes quibus occasione tui subiicior; Deum nolo amplius offendere nec periculo me exponere; vade itaque ad alios confessarios, quia ne in confessione quidem tecum loqui volo. Sed quid si nihil mali

praecessisset, et Confessarius poenitentem de eius affectione nil scientem repelleret, eique causam repulsae sciscitanti, diceret: Causa est quia affectionem quamdam experior erga te? In hoc casu imprudentem dicerem Confessarium, sed non sollicitatorem, nisi ex modo respondendi (v. g., cum risu) vel ex aliis circumstantiis sat pateat, eius finem fuisse malitiosum. Caeterum quotiescumque in amoris ostensione finis rectus adesse nequiverit (ut puta, si Confessarius diceret: Quam chara mihi es! Vellem semper te videre et tecum stare! Ex amore quo te prosequor totum me commovere sentio! Cur non sum saecularis? Quam libenter te in uxorem ducerem! Ego nimio plus te diligo, et tu amasne me?), tunc de casu verae sollicitationis non erit ambigendum.

Quaer. V. Utrum in interrogationibus casus sollicitationis adesse possit? R. Affirmative cum cl. Ballerini (591. q. 2. not. *a*), Roncaglia, et Auctore Opusculi *Istruzione pei novelli Confess.* (II. 289); idque accideret si interrogationes in turpem sermonem aperte degenerarent; ita ut recta intentio adesse nequiverit, et de *temerario ausu* non sit ambigendum; ut puta, si iuvenem dicentem se peccasse cum puella, Confessarius interrogaret dicens: *Eratne valde arcta?* Idem dic de instructionibus in materia sexti et maxime circa usum matrimonii, quae etiam in turpem sermonem nulla ratione cohonestatum degenerare possunt; ut notant Albitius (De Inconst. in fid. xxxv. 5), Roncaglia, Potestas (590) etc. Caeterum cautissime procedatur antequam casum sollicitationis quoad interrogationes et instructiones adfuisse decernatur. Multae imprudentiae ex ignorantia vel defectu reflexionis committuntur, quae a sermonibus turpibus ex malitia et temerario ausu factis (de quibus Bulla loquitur) sedulo distingui debent. Aliunde plurima sic nude considerata videri possunt malitiosa, quae, si scirentur circumstantiae in quibus dicta fuerunt, nullam (ne imprudentiae quidem) reprehensionem mererentur.

Quaer. VI. Quid si poenitens in sacramentali confessione vel in loco confessionis (diabolo instigante) sollicitet confessarium, et hic consentiat? Exemplum dant in muliere infirma, quae provocet Sacerdotem ad actus turpes; vel in adolescentulo qui Confessarium turpiter tangat; vel in foemina quae confessario se esse amore captam erga illum dicat, et de hoc vel de rebus peioribus sermonem protrahat; Confessarius autem in primo casu mulierem tangat, in secundo tangi sinat, et in tertio se omnia libenter audire sat clare ostendat. Suntne hi casus sol-

licitationis? R. Id negarunt multi, cum S. Lig. (681. 682. 687); sed certissime affirmandum, si huiusmodi facta in sollicitationem mutuam aperte degeneraverint; Bulla enim dicit: « Aut si sol-« licitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit ». Affirmandum etiam absolute propter duo decreta Supremae. Ad Quaesitum: An confessarius consentiens sollicitationi, sed *statim* desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? Respondit: « Incidere, et Confessarium « esse denuntiandum, reiecta opinione contraria, quam non « esse probabilem (Qualificatores) censuerunt ». Ad quaesitum: An Confessarius, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? Respondit: « Esse denuntiandum, et negativam « opinionem non esse probabilem ». Ratio est quia Ecclesia huiusmodi turpitudines a confessionibus removere vult, et parum interest sive confessarius sponte sua illas provocet, sive a poenitente incoeptas permittat et foveat, dum ex officio suo eas maximo zelo repellere deberet. Adde quod huiusmodi consensus a mutua sollicitatione vix et ne vix quidem secerni poterit. Notandum quod consensus interdum est palliatus; ut puta, si mulieri sollicitanti Confessarius diceret; Hic non est locus loquendi de his rebus: deestne locus, deestne modus agendi de huiusmodi quin Sacramentum profanemus? Quomodo autem in hisce casibus poenitens denunciationem exequi possit, quin se ipsum prodat, videbimus n. 574. Cf. Ballerini (591. q. 2. not. *a*).

Quaer. VII. Quid de quibusdam sollicitationibus conditionatis; v. g., Si non essemus in hoc loco; si confessioni iniuriam facere non formidarem; si Dei timor me non contineret; facerem, dicerem etc.? R. Hae recidunt in supradictas sollicitationes palliatas. Qui sic loquitur nonne percipere debet se locum sanctum profanare, confessioni iniuriam facere et Dei timorem non habere? Hae conditiones auferuntne sermonis turpitudinem, aut efficiunt ut sermo non sit malitiosus? De vera itaque sollicitatione non est dubitandum, ut recte dicunt Salmant. (XXI. iv. 47), Giribaldi aliique.

Quaer. VIII. Quid de confessario, qui, poenitenti accusanti pollutiones voluntarias, fornicationes, adulteria etc. dixisset: Eia age: nugae sunt, nihil mali? R. Esset denuntiandus, tamquam sollicitator, si postea domum poenitentis se contulisset illamque tentasset; tunc enim appareret quod, sic dicendo, sollicitationem inchoavit. Si autem intentio sollicitandi non ap-

pareret, nihilominus tamquam haereticus denuntiari deberet; nisi supponi possit quod ad addendum animum sic dixisset, ut nempe (acri reprehensione in posterum reservata) poenitens audacter alia peccata accusaret.

## PUNCTUM III.

### EXPLICANTUR CLAUSULAE, QUAE VERIFICANDAE SUNT UT SOLLICITATIO IUXTA PONTIFICIAS CONSTITUTIONES DENUNTIARI DEBEAT.

551. Clausulae substantiales sunt duae, nempe 1° Actu confessionis; 2° Loco confessionis. Pius IV (16 Apr. 1561) statuit esse casum S. Officii sollicitationem perpetratam actu Confessionis; et Paulus V (20 Iul. 1614) idem esse dicendum declaravit de sollicitatione perpetrata extra occasionem confessionis in Confessionali, seu in loco confessionis. Verum est quod Gregorius XV (30 Aug. 1622) adiunxit alias clausulas, nempe: *sive ante sive post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis* etc., sed advertendum quod Pontifex iste, postquam hanc constitutionem contra sollicitantes ediderit, agens de iisdem in Epistola ad Card. Borromaeum (27 Sept. 1624), dicit et repetit eosdem esse denuntiandos *si vel actu vel loco confessionis sollicitaverint*; unde arguitur quod clausulae praedictae (quae extant etiam in Bulla Benedicti XIV) explicant quidem quomodo intelligendus sit actus et locus confessionis, sed nullam mutationem substantialem inducunt.

### § I.

#### *De sollicitatione in actu confessionis.*

552. Ut propter abusum non loci sed solius actus confessionis denunciatio fieri debeat, oportet ut confessio fuerit sacramentalis. Sic minime esset, si evidenter constaret quod poenitens sine ulla intentione recipiendi Sacramentum et mere ex alio fine (v. g., carpendi pecuniam aut provocandi ad malum) accessisset. Quod tamen de hoc evidenter constet difficillimum est. Caeterum confessio sacramentalis foret quamvis poenitens esset indispositus, imo et quamvis in ipsa confessarium tentaverit, dummodo non constet quod cum hac unica intentione venerit, ut dixi. — Si itaque confessarius sive in initio sive

in decursu confessionis sollicitet; tunc actu confessionis sollicitat et denuntiari debet.

553. Sed Bulla actum confessionis non solum presse sed etiam late sumptum comprehendit ; et hac de causa clausulae supra indicatae locum habent, quae singillatim considerari debent.

1°. *Immediate post confessionem.* Ita Gregorius XV., et Benedictus XIV. Theologi communissime dicunt, hoc *immediate* intelligendum esse in sensu obvio, ita ut nempe poenitens sit adhuc in conspectu confessarii, atque insuper inter confessionem et sollicitationem nulla alia actio *notabilis* intercesserit. Secus si poenitens iam recessisset, vel confessarius postea aliam confessionem audivisset, aut cum poenitente ipso de aliis rebus prolixe locutus fuisset etc.

2°. *Ante confessionem.* Ita Benedictus XIV. Theologi interpretantur hanc clausulam quasi Pontifex dixisset *immediate ante*, pluresque censent id adeo stricte intelligendum esse ut inter sollicitationem et confessionem nihil mediet, et proinde sollicitationem accidere debere quando poenitens iam est genuflexus et iam iam confessionem incipere vult. Cf. Potestas n. 594. Haec interpretatio aliquo modo tolerabilis erat quoad Bullam Gregorii (in qua dicebatur *sive ante sive post immediate*); sed hodie nullatenus admitti potest: quandoquidem Benedictus XIV adverbium *immediate* ita transposuit, ut apertissime indicaverit ad praepositionem *ante* referri non debere; dixit enim: *vel ante vel immediate post**. — Attamen ne absolute quidem hoc *ante* accipi potest; secus enim sollicitatio mense vel anno ante confessionem perpetrata denuntiationi subiaceret, et confessarius complex a confessario sollicitante non distingueretur. Quid igitur dicendum ?

* S. Lig. (n. 677), communem interpretationem retinens, scribit: « Illud « *immediate ante* stricte intelligendum esse, ita ut nullum intervallum inter- « cedat. An autem denunciari debeat confessarius, qui sollicitat immediate « postquam poenitens petierit confessionem? Probabilius negat Bordonius. No- « tandum tamen quod eo casu, licet confessarius non sit denunciandus ex « clausula praedicta (*supponit enim S. Doctor quod inter petitionem confes- « sionis* et *confessionem ipsam intervallum decurrat*); denunciandus tamen « ex clausula tertia sequenti: *occasione confessionis* ». Sed ego dico: si sollicitatio secuta etiam *non immediate ante* sufficit (prout S. Lig. aliique omnes rectissime fatentur); tunc clausula illa (imaginaria) *immediate ante* qualem sensum habet? Huiusmodi itaque interpretatio, non solum quia cum Bulla Benedicti XIV non cohaeret, sed etiam propter hanc reflexionem, sustineri nequit; secus enim ridiculam redderemus ipsam legem, quasi nempe Pontifex dixisset: Sollicitatio debet esse immediate ante et sufficit si non sit immediate ante.

Meo sensu, haec clausula significat *proxima ante*, nec refert si aliquod intervallum unionem moralem non destruens decurrat; sufficit videlicet si sollicitatio accidat quando poenitens sive expresse sive tacite Sacerdoti indicat se hic et nunc (moraliter) apud ipsum confiteri velle. Exempla. Confessarius sollicitat poenitentem quae prope confessionale illum expectat. Poenitens pergit ad Sacristiam ut vocet confessarium, ab eoque sollicitatur. Parochiana aedem parochialem ingreditur ut vocet ad confessionale Parochum, a quo pariter sollicitatur. Sacerdos vocatus ab infirma pro confessione, ad illam accedit eamque sollicitat. Confessarius, conventione facta cum poenitente ut tali die et hora pro confessione veniret, in ianua Ecclesiae illam expectat eamque sollicitat. — In his casibus denuntiandum esse confessarium existimarem, eo quod sollicitatio accidat quando poenitens hic et nunc (moraliter) confiteri velle ostendebat, et confessioni suae proximus erat.

Secus si sollicitatio locum haberet quando de confessione hic et nunc facienda nihil esset; ut puta, si poenitens sollicitaretur aut dum nihil de confessione cogitabat (quamvis, sollicitatione secuta et remorsu insurgente, statim confiteri voluerit); aut dum cogitabat quidem de confessione facienda illamque petebat, sed in futurum, v. g., cras. Hoc constat quia Suprema ad quaesitum: An Confessarius, qui foeminam dicentem se velle *in crastinum* confiteri sollicitat, sit denuntiandus? Respondit, negativam opinionem esse probabilem. Nonne enim ex hoc arguitur quod de confessione hic et nunc facienda agi debet? Hinc nequidem denuntiandum esse dicerem Confessarium, si longe a loco confessionis sollicitasset, v. g., dum poenitens, illum videns in via, in platea vel domi suae, ab eo petebat ut ad confessionale se conferret. Idem dicendum videtur si sollicitatio accidat dum poenitens confessionem quidem hic et nunc facere volebat, illamque petiverat; sed, adveniente Confessario, voluntatem mutasset et confessionem ad aliud tempus transtulisset, aut tunc in alio negotio serio et a confessione valde alieno occuparetur; ut puta, si infirma, ante confessionem testamentum facere vellet, et tunc temporis sollicitatio accideret. Cf. D'Annibali (235. not. 11). Dixi *serio et a confessione valde alieno:* si enim nonnulli sermones indifferentes (prout de more) praemitterentur et tunc sollicitatio accideret, utique tunc Confessarius denuntiari deberet; ut puta si, dum infirma eius manum deosculatur, illam cum evidenti malitia obstringeret.

554. *Occasione aut praetextu confessionis.* Intellige semper

confessionis hic et nunc faciendae; quatenus scilicet sollicitatio acciderit vel quando poenitens confessionem hic et nunc facere volebat (tunc enim verificatur occasio confessionis); vel quando confessarius ficte ad confessionem illum invitabat (qua in re confessionis praetextus consistit); quum tamen nihil referat sive confessio reapse sequatur, sive non. Quod reapse haec clausula ad sollicitationem peractam occasione vel praetextu confessionis non hic et nunc faciendae, sed iamdiu factae aut in posterum faciendae referri nequeat, patet tum ex dictis n. 551 (eo quod nempe sollicitatio debeat intervenire actu confessionis); tum quia secus denuntiari deberet confessarius qui poenitentem sollicitaret post confessionem sed non immediate, aut dum dicit se velle confiteri in crastinum; quod etiam, iuxta dicta n.° praec., stare non potest; patet denuo quia multi Theologi hoc et non alio sensu hanc clausulam interpretantur. Sousa, qui inter classicos Gregorianae Bullae interpretes celebratur et de hac materia ex professo tractavit, (Addition. n. 10) scripsit: « Praetextus confessionis, de quo agit Constitutio « Gregoriana, debet esse proximus, non autem remotus a loco « et statu confessionis ». Diana (V. IX. 46) subiunxit: « Ita « sentiunt docti recentiores a me consulti, et praesertim aliqui « Magistri Ill.mae Societatis Iesu, quia praetextus confessionis, « de quo agitur in Bulla, debet esse provinciarius non autem « remotus a loco et statu confessionis....; et de occasione idem « dicendum putant ». Eadem ad verbum repetit Giribaldi (VII. XIX. 20); idem sensit Palao (IV. IX. 7); et inter neotericos cl. D' Annibali (l. c.) dicit: « Ut (sollicitatio) videatur facta « occasione confessionis, necesse est ut poenitens petat confi- « teri *statim* ».

Dices: si ita res se habent; tunc ad quid haec clausula? Nonne satis fuisset clausula antecedens *sive ante sive immediate post?* R. Clausula *occasione aut praetextu confessionis* deservit 1° ut pateat nihil referre sive confessio petita reapse sequatur sive non; unde Auctor Operis *Istruz. per i novell. Confesssori* (II. 292) scripsit: « Haec distinctio *occasionis et praetextus* « apposita fuit in Bulla maioris explicationis gratia, atque ut « comprehensi intelligantur casus in quibus confessio non sequi- « tur ». Deservit 2° ut comprehendatur etiam casus in quo poenitens confessionem omnino recusaverit, attamen confessarius sive sincere sive ficte confessionem ipsam (tamquam actualiter faciendam) ei proposuerit; atque ea occasione vel praetextu sollicitationem perpetraverit.

555. Iuxta hanc interpretationem nonnullos casus practicos sequenti modo resolves.

I. Confessarius in confessione cognovit fragilitatem et levitatem poenitentis, vel deprehendit quibus in angustiis pecuniaeque necessitate versetur, aut ex eius pulchritudine allectus remansit, et proinde in posterum sive personaliter sive ope lenonis vel epistolae illam sollicitavit. Estne denunciandus eo quod occasione confessionis hoc facinus perpetraverit? Auctor Operis mox supra citati (n. 293) respondet: « Probabilius ne« gandum, quia huiusmodi sollicitatio est remota a loco et statu « confessionis ». Et Salmant. (XXI. IV. 51): « Verius dicendum « non esse denuntiandum, quia talis sollicitatio non est imme« diate post...; et licet tunc (Confessarius) utatur notitia ha« bita in confessione, non tamen praetextu et occasione illius « (*intellige* occasione *in sensu Bullae*) ». Idem dicunt Trullench; Sousa, Leand., et novissime D'Annib. (III. 255. not. 11).

II. Confessarius foeminam extra confessionem sollicitat, eique renuenti propter verecundiam confitendi postea huiusmodi sacrilegium, suadet ut ad ipsum pro confessione veniat; et sic mulier consentit. Eritne hoc sollicitare occasione confessionis? R. Negative; confessio enim in hoc casu dicitur medium, non vero occasio sollicitationis; mulier quidem consentit occasione confessionis, sed confessarius sollicitat non occasione sed medio confessionis quam proponit. Insuper hic etiam de confessione hic et nunc facienda nihil est. Ita sensit Potestas (606) cum aliis, inter quos cl. Ballerini (595. not. *b*) dicit: « Quod vero « ex Roncaglia refert S. Alphonsus, vi eiusdem clausulae (*oc« casione confessionis*) denuntiandum esse sacerdotem, qui « mulierem sollicitat, promittens se eius confessionem auditu« rum, prorsus abs re esse videtur ».

III. Mulier, quae propter surditatem in Ecclesia confiteri non potest, vocat confessarium dicens se velle confiteri domi. Reapse tamen ex pravo fine illum vocat, eumque advenientem sollicitat; et ille consentit. Huiusmodi confessarius eritne denuntiandus? R. Negative; in sensu enim Bullae praetextus confessionis non a poenitente sed a Confessario provenire debet. Ita sentiunt TT. passim. Cf. Salmant. (XXI. IV. 54). D'Annibali (255) etc.

IV. Religiosus volens cum quadam foemina peccare, ut a Praelato licentiam obtineat eius domum adeundi, falso dicit illam esse infirmam, seque ab ea pro confessione fuisse vocatum. Sic ad illam accedit, et (quin de confessione quidquam interce-

dat) eam ad turpia provocat. Eritne denuntiandus? R. Negative; non enim sufficit quod praetextus adhibeatur a confessario; sed etiam oportet ut cum poenitente ipso (non vero cum aliis) adhibeatur. Ita TT. communiter cum S. Lig. (VI. 679).

V. Sacerdos volens peccare cum puella, quae occasione confessionis dumtaxat a matre obtinet ut sola e domo egredi possit, ei suggerit ut praetextu confessionis licentiam exeundi obtineat, et sic ad talem vel talem locum se conferat etc. Sacerdos huiusmodi eritne denuntiandus? R. Negative; sensus enim Bullae non est quod Sacerdos praetextum confessionis poenitenti suggerat; bene vero quod Confessarius ad confessionem hic et nunc faciendam poenitentem ficte invitet: de qua re nihil est in casu. Ita sentiunt Diana (V. IX. 41), Salmant. (XXI. IV. 35), Scavini (III. 401) et cl. D'Annibali, qui (n. 235) dicit: « *Praetextu*, idest si Sacerdos confessionem praetexat « ut sollicitet poenitentem; non... si uterque ex condicto, ut « alios fallant ».

VI. Parochus ad infirmam, sive motu proprio (eo quod casu sciverit in periculo mortis versari), sive pro confessione vocatus ab ea ipsa vel ab illius familiaribus, accedit; et sive sincere sive ficte eam ad confitendum invitat simulque illam ad turpia sollicitat. Eritne denuntiandus etiam casu quo infirma confessionem facere nollet aut differre vellet? R. Affirmative; Bulla enim non dicit esse necessarium quod poenitens confiteri consentiat, sed sufficere occasionem aut praetextum confessionis, quae in casu adsunt et pressim verificantur. Aliunde confessio tamquam actualiter facienda proponeretur et sic confessionis actus non plane deficeret; quandoquidem sollicitatio ab actu confessionis a confessario propositae remota non esset. Hinc scripsit S. Lig. (679) denunciandum esse confessarium, « si advocetur a matre puellae ut filiae confessionem excipiat, « et ipse ad cubiculum accedat cum pravo fine ad alloquendam « puellam de confessione, nempe eam interrogando an velit « confiteri, vel dicendo se advocatum fuisse ad audiendam eius « confessionem, et deinde sollicitet ». — Et Roncaglia (VII. 7): « Denunciandus confessarius, qui, ut mulierem ad venerem « pertraheret, ipsam interrogaret an vellet cum eo confiteri, « ac deinde sollicitaret » ; nempe quidquid sit an ipsa confessioni consenserit vel non consenserit. Oportet tamen semper ut sollicitatio *immediate* accidat; unde probatissimus Pignatelli (T. 1. Consult. 104) scripsit: « Confessarius qui post requisi- « tam mulierem an velit confiteri et negative respondentem

« sollicitat ad turpia, deposita prius stola et extra confessio-
« narium, non punitur in S. Officio ».

556. Recolligendo summatim ea omnia quae dicta sunt circa actum confessionis late sumptum (quatenus nempe comprehendit etiam alias clausulas *ante, immediate post, occasione et praetextu*) ad auxilium memoriae sequens regula efformari potest. *Sollicitatio actu confessionis perpetrata fuisse censetur, si facta fuerit aut dum confessio reipsa peragebatur sive immediate post, aut dum tamquam actualiter facienda sive a poenitente sincere (expresse vel interpretative) petebatur, sive a confessario utcumque proponebatur.*

## § II.

### *De sollicitatione in loco confessionis.*

557. Locus confessionis (prout explicat Benedictus XIV) est Confessionale, sive alius locus ad audiendas confessiones destinatus aut electus. — Quid sit *confessionale* non est explicandum; sed notari potest quod locus in quo audiuntur confessiones monialium seu aliarum foeminarum degentium in Monasteriis et Conservatoriis (vulgo *Ritiri*) tamquam verum confessionale habetur, ut declaravit Suprema (25 Nov. 1874). — *Loca destinata* sunt ea in quibus ex stabili destinatione confessiones excipiuntur, prout sunt illae cellulae vel genuflexoria quorum usus fixus est ut ibi virorum confessiones excipiantur. — Demum *locus electus* est locus quilibet, ubi pro tali vel tali circumstantia (v. g., occasione Missionis, Festi, Communionis generalis etc.) confessarius sedem suam ad excipiendas virorum confessiones figit. — Petes an ea loca (v. g., sacristia, chorus, genuflexorium praeparationis ad Missam, cella, camera etc.), in quibus identidem confessiones audiuntur, sint loca confessionis in sensu Bullae, etiam quando Sacerdos illuc se confert non ut plurium confessiones excipiat, sed ut unicam personam audiat, aut cum ipso sub velamine confessionis secreto conversetur? R. Hoc affirmari poterat iuxta Bullam Gregorii, quae dicebat: « In loco quocumque ubi confessiones
« audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo »; sed non iuxta Bullam Benedicti XIV, quae, explicando, dicit: « In a-
« lio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo ». Porro loca recensita non sunt proprie destinata; et in facti specie essent quidem electa ad audiendam vel simulandam unicam

confessionem, non vero ad confessioNES audienDAS, prout Pontifex exigit.

558. Ut Sacerdos denuntiari debeat propter abusum loci confessionis, non exigitur ut confessionis actus (prout supra explicatum est) ullo modo adfuerit; Pontifex enim dicit aperte: « Vel etiam extra occasionem confessionis, in confessionali etc. ». Casus esset si, Sacerdote stante in Confessionali vel in loco destinato sive electo etc., aliqua persona ad illum accederet pro consilio et tunc sollicitaretur. Item si Confessarius convenisset cum poenitente de turpi tractatu in praedictis locis exequendo. Exigitur tamen ut sollicitatio accidat simulando confessionem; dicitur enim in Bulla « Cum simulatione audiendi « ibidem confessionem ». Observant TT., non oportere ut haec simulatio ex animo interveniat, sed satis esse si facto ipso demonstretur; sufficere nempe confessionis figuram seu apparentiam (eo quod, v. g., foemina sit genuflexa more aliarum confitentium et Confessarius cum illa submissa voce loquatur), quamvis praecise intentio simulandi confessionem non haberetur. Cf. Roncaglia (l. c. 8), Palao (I. IV. IX. 9), Auctor operis *Istruz. per i novell. Conf.* (II. 290) etc. — Si autem nulla omnino confessionis figura subsistat, tunc (propter solius loci abusum) denunciationis obligatio non aderit; idque patet ex decreto Supremae, quae ad quaesitum: « An sit denuntiandus « Confessarius qui sedens in confessionario sollicitat mulierem « stantem ante confessionarium, non simulando confessionem »? Respondit: « Opinionem negativam non carere sua probabili- « tate ». — Alicubi in confessionario monialium examinantur novitiae, aut ab Episcopo eiusve delegato in sacra visitatione moniales audiuntur, vel spiritualia exercitia novitiis dantur. In his casibus si sollicitatio in confessionali accideret, denunciationis obligatio non adesset. Idem dic si Sacerdos sollicitaret quidem in aliquo alio loco ad confessiones audiendas destinato (v. g., apud lectum infirmae in hospitali), sed ita ut pateat, v. g., pro sola visitatione aut benedictione, non vero pro confessione illuc se contulisse.

559. Aliqui Theologi dicere videntur quod sola simulatio confessionis (intellige si tunc confessarius sollicitet) sufficiat ut Sacerdos denuntiari debeat, quidquid sit de loco in quo confessio simulata fuerit. Sed haec sententia (ni fallor) stare nequit. Tunc enim ad quid Pontifex tria illa loca designasset? Si Pontifex non simulationem dumtaxat sed etiam locum exigit; cur nos illam dumtaxat sufficere dicemus? Reponunt: quia dum

Pontifex non solum Confessionale et loca destinata sed etiam loca electa comprehendit, iam idem est ac si dicat : *ubilibet.* Resp. Nego prorsus. Pontifex enim non dixit : *In loco ad simulandum confessionem electo ;* sed : *In loco ad audienDAS confessioNES electo, cum simulatione audiendi ibidem confessioNEM ;* unde simulatio illius confessionis, in qua sollicitatio accidit, accidere debet in loco qui electus fuit ad vere audiendas confessiones, ubi nempe Sacerdos sedem suam, ea in die vel circumstantia, ad plures sacramentaliter audiendos fixit ( ut supra dicebam ).

Petes : An cubiculum personae sive vere sive ficte infirmae sit locus confessionis in sensu Bullae? R. Bulla Gregorii, quae dicebat : *In loco quocumque ubi confessiones audiuntur,* latissimum sensum admittebat, et TT. illius tenorem sequentes communissime docent, cubiculum personae sive vere sive ficte infirmae tamquam locum confessionis considerari debere. Sed Benedictus XIV explicavit quomodo verba Gregorii ( cuius Bullam confirmavit quidem sed tenore suae ) intelligi debeant, dicendo : *In loco ad audiendas confessiones destinato aut electo.* Videndum igitur an huiusmodi cubiculum locus destinatus aut electus dici debeat, etiam quando Sacerdos illuc se confert non ut audiat sed ut simulet confessionem. Electus pro confessione tunc certe non est, saltem si nulla confessio ibi antea audita fuerit, et sic nunquam fuerit electus. Tota itaque difficultas restringitur ad considerandum an sit locus destinatus ad audienDAS confessioNES. Si persona sit vere infirma, tunc eius cubiculum evadit locus ex necessitate confessioni vel confessionibus ( si pluries confiteri velit ) destinatus. Idem dic a fortiori de loco apud lectum infirmorum in hospitalibus. Si vero mulier non sit infirma, sed talem se fingat, tunc videri potest quod haec destinatio evanescat ; cubiculum enim non est locus confessioni destinatus per se, sed solum pro casu infirmitatis, quae in hypothesi non subsisteret. Certe S. Lig. ( n. 679 ) ad quaestionem : An denunciari debeat Confessarius, qui convenit cum muliere ut ad eludendos domesticos se fingat aegrotam, et ipsum accersat domum ad patrandum peccatum? Respondit negative ; quia hic praetextus non ad captandum poenitentem sed ad familiares decipiendos dirigitur ; et aliunde S. Doctor nullibi dicit quod cubiculum personae ficte infirmae tamquam locus confessionibus destinatus haberi debeat. Attamen cl. Ballerini ( 590. not. *b* ) contrariam sententiam tenet ; et ratio esse potest quod in hominum aestimatione cubiculum personae infirmae, etiam

ficte, tamquam locus eius confessioni (vel etiam confessionibus) destinatus haberetur ; et aliunde , supposita verborum ambiguitate, lex iuxta mentem legislatoris et legis ipsius finem interpretari debet ; ratio enim legis est anima legis.

## PUNCTUM IV.

### AGITUR DE ILLIS SOLLICITATIONIBUS, QUARUM INITIUM IN ACTU VEL LOCO CONFESSIONIS, POENITENTE NON ADVERTENTE, PONITUR, ET SOLUM POSTEA MALITIA APPARET

560. Non est necessarium ut sollicitatio sive in actu sive in loco confessionis compleatur ; sed sufficit si eius initium *malitiose* ponatur, quamvis poenitens tunc nihil mali deprehendat et solum postea (quamvis forte post longum tempus dumtaxat) tentationi subiiciatur. Id patet ex Prop ab Alex. VII. damnata, quae dicebat : « Confessarius, qui in Sacramentali Confessione « tribuit poenitenti chartam postea legendam , in qua ad ve- « nerem sollicitat, non censetur sollicitasse in confessione ac « proinde non est denunciandus ».

Quid si confessarius dixisset : Expecta me domi tuae , quia tecum loqui indigeo ; aut : Veni domum meam, quia librum vel rosarium tibi dabo ? Quid nempe si poenitens obtemperans ad turpia provocetur ? R. Si Confessarius sic post confessionem poenitentem videns statim processerit ad turpia, aut ex circumstantiis sat clare cognoscatur, sermones praemissos vel libri rosariive traditionem fuisse meros praetextus ; tunc invitationes illas, actu vel loco confessionis factas , fuisse malitiosas et proinde casum sollicitationis intervenisse non erit dubitandum. Secus si de serio negotio egisset , aut si aliis vicibus libros sine ulla sollicitatione praebuisset : unde argui debeat quod in confessione, praedicta dicendo, sine malitia processerit, quamvis postea , diaboli instigatione victus, sollicitaverit. Ita S. Lig. (677). Idem dic si non confessarius sed poenitens de turpibus loqui incoepisset , quamvis postea sollicitatio mutua fuisset ; tunc enim quoque de malitia in illa prima invitatione adhibita non constaret.

Quid si confessarius foeminae dixisset : Ubi habitas? Quali hora eris sola? Esne pauper? Quid fecisses si ille qui te tentavit pecuniam tibi dedisset ? Veniam ad te ; sed promittisne facere quod voluero? Resp. Decisio pendet ab exitu et circumstantiis : hae enim interrogationes malitiam quidem quam ma-

xime redolent, sed aliquando etiam non malitiosae, bene vero ex aliquo recto fine prolatae esse possent. Cf. S. Lig. (704).

561. Quid de sollicitatione vel tractatu turpi cum puella tenerae aetatis, quae adhuc malitiam non cognoscat, et proinde tunc formaliter non peccet? R. Hic casus comprehenditur in Bulla; haec enim est vera sollicitatio, quae cum magno spiritualis ruinae periculo coniungitur; quippe serius ocyus puella intelliget, habitumque pravum ex illo initio contrahere potest. Ita decisum fuit a Suprema, quae (11 Maii 1707) declaravit, « puellam sollicitatam in simplicitate constitutam et « absque notitia inhonestatis, teneri denuntiare confessarium « sollicitantem postquam compos effecta fuerit, et notitiam « praeteritae sollicitationis acquisierit ». Cf. Ballerini (592. r. 2. not. a). — Idem dic a fortiori si Confessarius, dum poenitentem ad turpia sollicitabat, illam persuasam reddidisset, talia agere nihil mali esse.

562. Ex hoc principio Viva (Prop. VI. Alex. VII. n. 7) deduxit, denunciandum esse quoque confessarium, qui famulo confessionem facienti daret epistolam sigillo munitam dominae suae deferendam: si nempe famulus tandem aliquando resciat, epistolam illam turpia continuisse, quamvis, dum illam detulit, nihil de hoc suspicari potuerit. At vero non percipio quomodo tunc Sacerdos sollicitaverit poenitentem in sensu Bullae, quae loquitur de casu in quo Confessarii Sacramentum pro salute animarum institutum in ipsarum perniciem atque interitum vertunt, quatenus poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigunt; unde videtur quod sollicitatio ruinam spiritualem poenitentis a Confessario intentam aut saltem praevisam vel praevidendam respicere debeat; quae in facti specie non conspicitur.

563. Quid si confessarius, extra locum confessionis rogatus a muliere ut eius confessionem hic et nunc excipiat, negative respondeat et postea illam sollicitet? R. Si sollicitatio accidat statim, tunc Confessarius denuntiari debebit eo quod occasione confessionis sollicitaverit. Idem dic si statim sollicitationis initium posuerit, dicendo, v. g.: *Non possum venire ad confessionale; bene vero indigeo tecum loqui et tali hora domi meae te expecto.* — Si vero sollicitatio eiusve initium non statim acciderit; tunc Sacerdos vi Bullae denuntiari non debebit; si enim in casu confessionis de facto secutae oportet ut sollicitatio accidat immediate post; a fortiori oportebit ut hoc *immediate*

verificetur si sola confessionis petitio ( prout in facti specie ) intercesserit. Potestas (610), et Pignatelli ( supra cit. n. 555. VI. ).

## PUNCTUM V.

### AGITUR DE NONNULLIS ALIIS CIRCUMSTANTIIS QUAE IN SOLLICITATIONE EXIGUNTUR UT DENUNTIATIONIS ONUS, VI BULLAE, IMPONI DEBEAT.

564. Oportet I° Ut sollicitatio perpetrata fuerit a Sacerdote : casus enim, in quo simplex clericus vel laicus fingeret se confessarium, eaque occasione sollicitaret, in Bulla non comprehenditur. Quid si Sacerdos sollicitaverit poenitentem, quem absolvendi, sive propter complicitatem sive propter peccata reservata, facultatem non habuerit? Id non obstat quominus denuntiandus sit; Pontifex enim dicit: « Etiamsi Sacerdos sit, « qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam ca- « reat ». Sed quid si iurisdictione careret omnino; nempe non solum ad valide absolvendum illum poenitentem, sed ita ut Confessarii officio nullo modo esset insignitus? TT. dicunt, hunc quoque in Bulla comprehendi; quae tamen resolutio forsan melius considerari debet, quia Bullae loquuntur de Sacerdotibus *audiendis confessionibus deputatis*, et Instructio Supremae ( 20 Febr. 1867 ) dicit et repetit : *Sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti obligantur* etc. Aliunde ratio ob quam praesens lex ad Sacerdotes iurisdictione ad valide absolvendum carentes extenditur, non iam videtur esse ut occurratur casui rarissimo in quo simplex Sacerdos confessiones audire praesumat simulque sollicitet; bene vero ut firmum habeatur fundamentum procedendi contra Confessarios sollicitantes, ut scilicet nihil obstet si forte poenitens eius amasia fuerit, aut peccata reservata habuerit. Vide Giribaldi (XI. x. 38).

Advertendum quod Benedictus XIV dicit, comprehendi Sacerdotes *cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae aut quovis privilegio et indulto munitos;* unde Nuntii Apostolici quoque, Legati, Abbates et Generales Ordinum certe comprehenduntur. Sed quid si sollicitatio ab Episcopo vel Inquisitore perpetrata fuisset? R. Quum Bullae loquantur de denuntiatione facienda Inquisitori vel Ordinario, videtur quod casus, in quo ipse Inquisitor vel Ordinarius hoc crimen commiserit, in praesenti lege contemplatus non fuerit; multo magis quia Bullae dant facultatem procedendi contra denuntiatos, et aliunde certum est

quod solus Romanus Pontifex contra Episcopos procedere potest. Quidquid sit de hoc, ego dicerem quod saltem occurrere possunt circumstantiae quae clament ut huiusmodi delinquentes ex ipso iure naturae denuntiari debeant; si enim pastor evaserit lupus atque ovium stragem faciat, nonne de aliquo remedio cogitandum erit? Cf. S. Lig. (n. 685) et Ballerini (n. 590).

Oportet II° Ut (stando assertioni poenitentis bene examinati) sollicitatio sit certa; et haec certitudo adesse debet tum circa factum, tum circa ius, tum circa personam; prout statim explico.

Certitudo *circa factum* significat, debere esse prudenter certum quod (nisi poenitens falsum narret) sollicitatio vere perpetrata fuerit. Dico *prudenter;* interdum enim aliqua propositio sic nude considerata sollicitatio turpissima et certissima prima fronte videri potest; quae nihilominus, attentis circumstantiis, nihil tale est. Cuidam poenitenti piissimus confessarius saepe saepius dicebat; *Heu quando te videbo spoliatam?* Cuidam virgini alius significavit, *delectationes carnales esse magnas.* Sed primus de spoliatione a quodam vitioso habitu loquebatur; et secundus de aureolis martyrii et virginitatis, quarum prima iis, qui magna tormenta acceptant; et altera iis, qui magnis delectationibus pro Christi amore renuntiant, in coelo dabitur. Oportet igitur ut circa adiuncta omnia, sive antecedentia sive concomitantia sive subsequentia (quoad res ita ferat), poenitens bene examinetur, ut dixi; maxime vero an sit bono auditu pollens, atque hallucinationibus facile non subiiciatur.

Si, inquisitionibus factis, de sacerdotis innocentia constet, causa finita erit; si vero de malitia sufficiens certitudo habeatur, tunc denunciatio fieri debebit. Sed qualis certitudo erit sufficiens? R. Non exigitur evidentia, sed certitudo moralis sufficit. Passim dicunt TT. satis esse si de sollicitationis existentiâ indicia vehementia habeantur, nec obstare si de illius absentiâ remotissima possibilitas adesset. Secus si, dum indicia gravia stant contra Confessarium, alia indicia non levia illum defenderent et rem dubiosam redderent. S. Lig. (702).

Sollicitationis existentia esset dubia 1° si non satis constaret an Confessarius dixerit, fecerit etc. Poenitens, v. g., dicit: *Mihi videtur quod Confessarius hoc et hoc dixerit, sed quum sim surdastra, id pro certo affirmare nequeo.* 2° Si constaret quidem de dicto vel facto, sed non de intentione, quae mala quidem sed etiam sat facile bona esse potuerit. Exemplum dari potest in quibusdam munerum largitionibus, vel interrogatio-

nibus vel invitationibus, quae suspectum quidem ingenerent sed certitudinem non constituant.

In his dubiis denuntiationis obligatio certe non adest. Id fatentur TT. passim cum S. Lig. (l. c.). Ratio potior est quia, si publico bono interest ut scelesti confessarii puniantur; non minus interest ut sacri ministerii exercitium Sacerdotibus invisum non reddatur; prout contingeret si etiam in casibus dubiis denuntiationes fieri, et sic Sacerdotes innocentes tanto probro et periculo exponi deberent. Sed quid si dubium quidem esset an sollicitatio adfuerit, attamen de nequitia confessarii satis superque constaret? R. Tunc etiam obligatio denuntiationis (nisi haec ipsa nequitia efficeret ut sollicitatio certa evaderet, non adesset vi Bullae, quae iubet ut denuntientur solliciantes, non vero illos de quibus an tales sint non constet sed dubitetur. In hoc tamen casu, si denuntiatio fieret, bene esset; et contingere potest quod denuntiatio etiam dubia (maxime si aliae praecesserint aut secuturae sint) Superiorem determinet ut contra sceleratum Sacerdotem aliquod consilium sumat. Salmant. (XXI. IV. 94).

Certitudo *circa ius* significat non sufficere quod constet de sollicitatione facta, sed etiam oportere quod pateat, illam fuisse perpetratam in iis circumstantiis seu clausulis quae in Bulla determinantur. Si itaque non sat clarum sit, sollicitationem fuisse perpetratam sive actu sive loco confessionis (prout supra explicavi), denuntiationis obligatio vi Bullae non aderit, prout notat D'Annibali (256) cum aliis. Quum tamen tunc de Sacerdotis nequitia constet (ut suppono), si denuntiatio fiat, optime erit.

Certitudo *circa personam* significat non adesse obligationem denuntiandi si dubitetur quisnam sollicitaverit. Poenitens, v. g., non meminit quo in confessionali et proinde a quo Sacerdote sollicitata fuerit; aut in illo confessionali modo Titius modo Caius confessiones audiebat, et poenitens nescit quisnam ex his duobus fuerit sollicitator. In huiusmodi casibus obligatio denuntiandi non adest (excipe nisi ex adiunctis facile sit ut Superior verum delinquentem distinguere possit). Ratio est quia periculum adesset praeiudicandi famae Sacerdotis innocentis; quod semper cavendum est, propter rationem quam supra indicavi. S. Lig. (702).

565. Quid si confessarius sollicitationi consenserit, aut positive sollicitaverit ex metu ei incusso? R. Denuntiandus est non solum si metus fuerit parvipendendus, prout si foemina

dictitaret se calumniaturam esse illum apud Superiorem nisi consentiat: sed etiam si metus fuerit gravis et cadens in virum constantem, ut puta, si quis diceret Sacerdoti: nisi talem foeminam poenitentem tuam ad mecum peccandum persuaseris, te interficiam. Id patet ex Decreto Supremae, quae ad quaesitum: An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? Respondit: *Affirmative, et negativam opinionem non esse probabilem.* Hoc decretum non distinguit inter metum levem et gravem; et proinde absolute intelligi debet; nihil enim cogit ut distinctio fiat; imo poenarum ecclesiasticarum timor magis magisque necessarius erit, quando Sacerdos in maiori versabitur periculo abutendi officio suo propter metum ei incussum.

783. Quid si denuntiatio tamquam inutilis haberi debeat?

R. Difficillimum est quod haec inutilitas evidenter et absque ullo hallucinationis periculo verificetur. Plures sunt huius legis rationes, nempe ut Sacerdos emendetur, ut scandalum auferatur, ut punitio sequatur et caeteri timorem habeant, ut Ecclesia (sciens quomodo hic vel ille Confessarius se gesserit) consilium, maxime in promotionibus, sumere possit. Hinc denuntiatio non est censenda inutilis, v. g., 1° Quia agatur de facto antiquo (Bulla dicit: *quamvis longum tempus effluxerit*). 2° Quia sacerdos videatur emendatus: vel semel sollicitaverit statimque cum poenituerit, doluerit, promiserit, iuraverit etc.; vel optima fama gaudeat: vel sperari possit quod correctionis fraternae aut aliorum mediorum ope emendabitur. 3° Quia iam sponte seipsum apud Superiorem accusaverit (forsan enim non plene et sincere omnia patefecit; et Giraldi dicit id fuisse decisum). 4° Quia propter alias sollicitationes denuntiatus fuerit (forte enim hae denuntiationes non sufficiunt ut procedi possit, vel ut quantum oportet puniatur). 5° Quia ad remotissimas regiones se contulerit.

Caeterum casus absolutae inutilitatis contingeret si Sacerdos iam mortuus esset. Sed quid si propter alias sollicitationes iam punitus fuerit? TT. dicunt, adhuc esse denuntiandum ut iterum atque magis magisque puniatur. Idque verum est si punitio fuerit exigua. Si vero terribilis fuerit, aut si impius Sacerdos ad Protestantes vel Turchas convolaverit, tunc putarem quod Ecclesia de nova denuntiatione, utpote prorsus inutili, non curet; neque supponi posse videtur quod tunc sub peccato mortali et sub poena excommunicationis illam adhuc exigat.

## PUNCTUM VI.

### AGITUR DE OBLIGATIONE, QUAM CONFESSARIUS HABET, ADMONENDI POENITENTEM UT SACERDOTEM SOLLICITANTEM SUPERIORI DENUNCIET.

567. Confessarius non debet interrogare poenitentes an sollicitatae fuerint, nisi forte de hoc gravem suspectum habeat, quo casu aliquam interrogationem prudentiori modo possibili facere poterit.

Si autem mulier sive interrogata sive sponte dixerit se fuisse sollicitatam; tunc Pontifex ait: « Caveant diligenter Con-« fessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollici-« tatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius « denunciationem ad effectum perducentes delinquentem indica-« verint competenti iudici, vel saltem se cum primum poterunt « delaturos spondeant ac promittant ». Ad praecavendum autem periculum ne poenitens Sacerdotem innocentem calumniatura sit, praemittenda est quoque admonitio de scelere horribili quod committeret, si Inquisitori vel Ordinario cum immenso damno sacerdotis accusati falsitatem deferret, a quo scelere solum retractatione facta et a solo Romano Pontifice absolvi posset. Sed hoc in puncto plura sunt examinanda.

Quaer. 1° Quomodo interpretari debeant illa verba: *Quos noverint iam ab alio sollicitatos?* Sufficitne scilicet poenitentis dictum; ut Confessarius denunciationis obligationem ei indicere debeat? R. Sufficit, nisi, sive casu sive investigatione facta (quae sane, prouti convenienter poterit, fieri debebit) dignoscat poenitentem non esse fide dignam. De hoc indicia sunt sequentia; nempe si incohaerentiae et contradictiones in facti narratione notentur; si facile sit ut quid pro quo, attenta facti narrati natura atque indole poenitentis hallucinationibus subiecta, sumptum fuerit; si poenitens sponte aut nulla opposita difficultate denunciationi faciendae se offerat, nec appareat quod ex horrendi malefacti indignatione aut ex indole perfecte docili ita se gerat; si factum narratum sit omnino inverisimile, ut puta, si foemina, quae dicit se fuisse ad malum invitatam, esset vetula et deformis; si ex odio, invidia, zelothypia et vindicta accusatio procedere videatur, eo quod, v. g., Sacerdos foeminam illam e suo confessionali repulerit, aut de ea minus curaverit; vel sive ipsa sive aliquis ex eius familia ab illo confessario aliquam iniuriam seu offensam receperit. Quod

autem sacerdos accusatus optima fama gaudeat, id quidem sufficiens falsitatis indicium constituere potest, si alia adminicula (diligentius tunc perscrutanda) superaddantur; non vero absolute; secus enim illi hypocritae iniquissimi, qui sub ovina pelle sunt lupi rapaces, nunquam accusari deberent. Si itaque prudenter pateat quod poenitens non sit fide digna; tunc denunciationis obligatio ei imponi non debet. Ita dicunt Frassinetti (not. 168 ad n. 504), Scavini (III. 516), et Gury (II. 596); idque videtur iuxta mentem Supremae quae (Instruc. 20 Febbr. 1867) Indices Ecclesiasticos sic monet: « Oportet ut « testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus « sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit ».

Si autem Confessarius nihil vel parum investigare queat; aut, investigatione facta, aliquem levem suspectum dumtaxat contra poenitentem concipere possit; tunc (nisi forte in aliquo casu illam ad proprium Parochum, a quo bene cognoscatur, remittere expediat) denunciationem indicere debebit; non enim oportet ut positive et certe cognoscat rem esse veram, aut poenitentem esse fide dignam; si enim huiusmodi cognitio exigeretur, tunc lex ista in praxi fere ad nihil reduceretur; quandoquidem unus testis nullus testis, atque insuper poenitens nec sui ipsius nec sollicitantis nomen patefacere tenetur confessario, qui aliunde inquisitionibus extra confessionem, maxime circa poenitentis qualitates, faciendis, quaquaversus impeditus et ineptissimus esset.

Si denique Confessarius in perplexitate versaretur; tunc seni et bonae conscientiae viro casum exponat, eiusque consilium exquirat. Ipsae qualitates Superioris rectae determinationi deservire possunt; si enim aetate gravis et prudentia spectabilis sit, tunc denunciatio in bonum quidem sed non in malum redundare poterit.

Quaer. II. Potestne contingere quod Confessarius, postquam satis noverit poenitentem fuisse sollicitatam, admonitionem denunciationis exequendae interdum omittere aut differre queat? R. Affirmative. Idque satis patet ex ipsa Bulla Benedicti XIV, ubi sequentia leguntur: « Meminerint praeterea Sacerdotes..... « teneri se ac obligari, poenitentes sedulo monere iuxta oc- « currentium casuum circumstantias de obligatione denuncian- « di etc. ». Porro verba *iuxta occurrentium casuum circumstantias* (quae in Bulla Gregorii non aderant) consulto certe apposita fuerunt; ut verbum *monere* absolute non accipiatur; utque pateat quod monitio non semper, aut interdum non sta-

tim, fieri debet. Frassinetti (not. 170. ad n. 506) dat exemplum mulieris, quae apud confessarium non proprium (v. g. ratione itineris) confessionem faciens, casum sollicitationis manifestet: et ille ei iniungat ut Sacerdoti, quem in posterum pro confessario stabili habebit, rem totam aperiat, eiusque mandatis obtemperet.

Quaer. III. Quid si poenitens circa istam denunciationis obligationem in bona fide versaretur, et Confessarius pro certo haberet quod, si admoneretur, muneri suo non esset satisfacturа? R. Difficultas potest esse adeo gravis et rationabilis, ut pro eo casu lex cesset (prout n. 573 declarabo); et tunc obligatio non erit urgenda. Si vero difficultas tanti ponderis non sit; tunc observari debet quod praedicta certitudo coniiciendi poenitentem in malum statum absque competenti spe fructus de facili chymerica est. Personae sollicitatae ut plurimum sunt foeminae, de quibus non facile supponendum quod peccatum mortale et excommunicationem subire, atque in tali statu absque Sacramentorum participatione ingiter perseverare paratae sint; maxime quia circa vanas difficultates (v. g. circa timorem ne earum nomen reo detegatur) instrui possunt; atque edoceri quomodo multa conceduntur ut denunciatio facilius peragi possit. Aliunde res de qua hic agitur non solum poenitentis conscientiam, sed bonum publicum respicit; unde bene contingere potest quod spes etiam levis bono publico consulendi, timori etiam magno praeiudicandi alicui personae privatae, praevaleat. Idque forsan significare voluit Suprema (Instruc. 20 Febr. 1867) dicens: « Poenitentes admoneri debent, neque « ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat ». Caeterum pro aliquo casu raro, si nempe poenitens levis; cerebrosa, et mundanam vitam ducens, prius a longe et ad modum consilii admonita, delatoris personam gerere firmissime renuat; maxime si agatur de facto antiquo, aut tali de quo, attentis circumstantiis, praesumi debeat quod Superiores parum curabunt; tunc ego quoque censeo adoptari posse doctrinam Frassinettii et Ballerinii (II. 611 not. *c*), qui, propter maioris mali praevisionem, ab admonitione inutili aut pene inutili rigoroso modo facienda Confessarios eximunt; multo magis quia hae foeminae levissimae et nullo modo obtemperaturae hanc coactionem remque totam publicare, et dicteria multa non sine magno scandalo provocare soleant.

Quaer. IV. An Confessarius declinare possit onus obligandi ad denunciationem, mittendo poenitentem ad alium Confessa-

rium? R. Negative. Bulla enim obligat illum praecise; et aliunde si id fieret, tunc unusquisque hoc onus declinare atque in alios refundere posset: et sic poenitens semper ab uno ad alium mitteretur et a nemine admoneretur. Ad summum id permitti posset, si Sacerdos non ad declinandum onus, sed ex aliquo rationabili motivo ita se gereret et poenitens consentiret. Exempla habes supra (Q. 1°. Q. 2°), quibus adde si casus esset dubius et proinde Confessarius poenitentem ad Theologiae Doctorem mitteret.

Quaer. V. Sub qua culpa Confessarius hanc denunciationem indicere teneatur? R. Sub culpa mortali: et Suprema (Instruc. cit.) addit: « Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admo« nent, debent puniri ».

Quaer. VI. Quid si poenitens, evidenter sollicitatus iuxta terminos Bullae, se habere denunciandi obligationem credere nollet, et missus ad Doctorem Theologiae rediret dicens illum quoque nullam obligationem recognoscere? R. Non posset absolvi: iste enim Theologiae Doctor suo falso responso (suppono enim rem esse evidentem) Ecclesiae legem destruere nequit.

Quaer. VII. Si persona sollicitata apud sollicitantem confiteretur, teneturne sollicitans illam obligare ad seipsum denuntiandum? R. Negative. Bulla dicit, Confessarios admonere debere poenitentes, quos noverint fuisse *ab aliis* sollicitatos. Poenitens tamen a denunciatione facienda non ideo eximeretur; haec enim obligatio non ab admonitione Sacerdotis sed ab Ecclesia praecipiente provenit: unde Alex. VII. damnavit propositionem quae dicebat: « Modus evadendi obligationem denun« ciandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum « sollicitante; qui potest ipsum absolvere absque onere denun« ciandi ».

Quaer. VIII. Quid si poenitens dicat: Alia vice de hoc confessa sum, et Confessarius statim me tranquillam reddidit dicendo ut de hac re amplius non cogitarem? — Quid si diceret: Sollicitator me misit ad quemdam Sacerdotem, qui, eo teste, facultates S. Officii habebat, quique me audivit et dixit: obligationi tuae satisfecisti, vade in pace? R. Denunciationem legitime non fuisse peractam, et ideo adhuc esse peragendam omnino praesumendum esset; unde poenitens (supponendo semper sollicitationem esse certam) admoneri deberet.

Quaer. IX. Sub qua poena et intra quale tempus denunciatio fieri debet? R. Sub poena excommunicationis latae sententiae

nemini reservatae, et intra mensem. Patet ex Constitutione *Apostolicae Sedis*; in qua Pontifex dicit, praedictae excommunicationi subiacere « Negligentes sive culpabiliter omittentes « denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a qui- « bus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expres- « sis a Praedecessoribus nostris Gregorio XV. Const. *Universi*. « et Benedicto XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae* ».

Quia tempus non currit ignoranti, mensis computandus est a die quo poenitens scivit 1° obligationem denunciandi; 2° excommunicationem huic obligationi adnexam; secus enim in primo casu culpa; et in secundo contumacia non adesset. Quid si ignorasset dumtaxat terminum denunciationi praefixum? R. Si falso existimasset denunciationem faciendam esse statim, tunc solum elapso mense censuram incurreret; si vero credidisset maiorem dilationem concedi, tunc solum quando iam graviter se esse negligentem cognosceret, censura ligaretur. — Dies in quo obligatio addiscitur, quum iam sit incaeptus, non computatur. Potestas (722). — Qui praevidet se versus finem mensis fore impeditum, anticipare tenetur. — Qui toto mense impeditur, probabiliter ei mensis conceditur a die cessantis impedimenti. Passerini (in 6. L. 5. c. 18). Impedimentum, ut constituat causam sufficientem differendi denunciationem ultra mensem, non debet esse leve. Sufficit tamen quod Confessarius tamquam rationabile et iustum illud recognoverit, ut patet ex Instruct. Supremae mox alleganda.

Quaer. X. An poenitens denunciare promittens absolvi possit antequam reapse denunciet? R. *Per se* prudentia exigit ut absolutio concedatur solum postquam denunciatio facta fuerit: idque maxime 1° si poenitens denunciationem alia vice promissam non adhuc ad exitum perduxerit; 2° si promittat quidem sed cum magna difficultate; 3° si statim vel infra mensem denunciationem perficere possit. Caeterum si promissio sincera appareat et absolutio commode differri nequeat, illico absolvi potest. Bulla dicit: « Caveant ne.... absolutionem impertiant « nisi prius..... delinquentem indicaverint competenti iudici, « vel saltem se cum primum poterunt delaturos spondeant ac « promittant ». Et Suprema (Instruct. 20 Ian. 1867) subdit: « Poenitentes admoniti et omnino renuentes absolvi nequeunt: « qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, « eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque pro- « mittunt, possunt absolvi ».

Quaer. XI. Si mulier hic quidem confiteatur, sed sollicitata

fuerit in alia dioecesi, debetne denunciationem facere Episcopo loci in quo confitetur, an vero loci in quo sollicitata fuit? R. Episcopo loci in quo confitetur; cuius erit Episcopo sollicitantis denunciationem remittere. Ita Kenrick (De Poen. 245), Gury (598), et Scavini (400).

Quaer. XII. Si mulier non pro confessione sed pro spiritualibus consiliis aliisve de causis Sacerdotem adeat, eique dicat se a quodam Confessario fuisse sollicitatam; teneturne hic Sacerdos illam admonere ut sollicitatorem denuntiet? R. Bullae loquuntur de Confessariis qui tenentur monere suos poenitentes; neque (quod sciam) ulla lex ecclesiastica id oneris aliis Sacerdotibus imponit. Caeterum contingere potest quod Sacerdos in facti specie iure naturae admonitionem facere debeat (v. g., si mulier peteret an sollicitantem denuntiare teneatur); aut quod ipse denunciationem peragere debeat; non enim dumtaxat sollicitati personaliter sed etiam qui sollicitationis peractae notitiam habent ad denunciationem teneri possunt, iuxta infra dicenda.

## PUNCTUM VII.

### EXPLICATUR QUOMODO DENUNTIATIO PERAGI DEBEAT.

568. Modus ordinarius sic exponitur a Suprema (Instr. cit.): « Denunciationes fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo « eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri qui notarii « partes teneat..... Caeterum prohibetur ne in recipiendis de- « nunciationibus praeter iudicem et notarium, virum utrumque « ecclesiasticum,... testes intersint ».

569. Quid si mulier ab hac iudicii solemnitate duorumque virorum praesentia prae verecundia nimis abhorreat, et hoc modo denuntiare recuset? R. Praedicta Instructio dicit: « Si « gravissimis difficultatibus impediatur quominus hoc perficere « ipsa possit, tunc vel per se vel per epistolam, vel per aliam « personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium, vel San- « ctam Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc « Supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, « et deinde se gerat iuxta instructionem quam erit acceptura ». Porro difficultas denuntiandi in iudicio episcopali contingere

potest non solum propter praedictam verecundiam, sed etiam quia agatur, v. g., de moniali; vel infirma chronica; vel muliere quae admirationem, dicteria, et suspectus provocaret si episcopale palatium adire conspiceretur. Mulieres ergo, quae in huiusmodi circumstantiis versantur, onus adeundi personaliter Episcopi Tribunal declinare possunt, et *saepe debent* in huiusmodi enim causis Ecclesia districte exigit ut quaevis publicitas evitetur atque omnia secretissime peragantur. Hinc tamen liberae non evadunt; sed (si aliqua ratione satisque faciliter possint) Episcopo significare tenentur quod rem ad S. Officium spectantem ei deferre debent, idque propter tales et tales difficultates solum tali vel tali loco et modo praestare queunt. Dixi *si aliqua ratione satisque faciliter possint*; si enim id nimis difficile esset, excusarentur; ut infertur ex decreto Supremae, quae (22 Ian. 1627) declaravit: « Mulieres sollici-« tatas non teneri ad denunciationem, si ministri inquisitionis « et vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi « incommodo adiri nequeant ». Hoc tamen intellige: *durante impedimento*; eadem enim Suprema (21 Febr. 1630) de casu simili agens, dixit: « Moneri tamen debent, ut cessantibus su-« pranarratis periculis et impedimentis teneantur denuntiare » (Apud Gury 593. not. *c*). In praxi itaque mulier, quae solum privatim denunciationem facere possit, rogabit Confessarium ut de hac re cum Episcopo (vel Inquisitore) loquatur. Auctores (etiam probatissimi) dicunt, non expedire quod Confessarius huiusmodi onus in se suscipiat; sed (excepto forsan casu Missionarii, ne Missiones odiosae reddantur, ut observat Auctor operis *Istruz. per i novell. Confess. n.* 280) oppositum dici debet. Suprema enim (Instr. cit.) dicit: « Laudandus Confes-« sarius qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel « Ordinarium vel S. Sedem pro opportunis providentiis consu-« lerit, suppresso tamen poenitentis nomine ». Si autem Confessarius hoc onus acceptare nollet, tunc mulier alium Sacerdotem aut (prout melius erit) localem Episcopi Vicarium vel Poenitentiarium adibit; at vero, si ille quoque renueret, tunc mulier (nisi ope epistolae de hoc cum Superiore convenire posset) ad nihil amplius teneretur; nisi forte aliqua propitia occasio in posterum se offerret; ut puta, si Episcopus occasione Sacrae Visitationis ad confessionale se conferret.

Episcopi rogati, ut denuntiatio apud Confessarium aut alium Sacerdotem delegatum absque interventu notarii et privatim peragi queat, id concedere possunt, idque de facto passim con-

cedunt. — Quomodo autem delegatus in hac denunciatione recipienda se gerere debeat : patet ex formula, iuxta citatam Supremae Instructionem adhibenda, quam hic transcribo *.

* « Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in (*notabit locum ubi reperitur ad actum recipiendum*) ad hunc actum tantum « ab Ill. et Rev.mo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris « mihi directis et datis sub die (*exprimet quo die ipsi scriptae fuerint litterae*) « praesenti positioni allegandis, N. N. (*scribet nomen, cognomen, patrem, « patriam, conditionem, et habitationem personae denunciantis; et si haec « religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. « Deinde prosequetur*) cui, delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit, tactis SS. Dei Evangeliis (*quae manu tangere facit*), exposuit prout « infra, videlicet: (Hic persona denuncians vernaculo sermone declarare debet, « se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, « propterea quia iustis de causis eidem R.mo Antistiti se sistere nequit; deinde « narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba « fuerint, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices « et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis, aut prius vel post « Sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem « sedem et ipsum Confessarium sollicitantem, et, quatenus huius nomen et « cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, « omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus non esse interrogandam personam denunciantem, utrum « consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, « cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce excriptis prout « narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidquam « requiret ).

« Interrogata: An sciat vel dici audierit dictum N. N. (*nominando personam*) Confessarium sollicitasse alias poenitentes ad turpia? Et quatenus etc.

« Respondit: (Notabit responsionem: et, si haec affirmativa fuerit, nomen « et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiae ).

« Interrogata: de fama supradicti Confessarii N. N., tam apud se quam « apud alios? Et quatenus etc.

« Respondit: (*Responsionem exscribet*).

« Interrogata: An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, « aliisque generalibus etc. et quatenus etc.

« Respondit: Recte (Si ad propriam conscientiam exonerandam denun« ciasse se dicet ).

« ( Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam in« terroganda ).

« Interrogata: Cur tandiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario « et conscientiam exonerare?

« Respondit: (*Notabit responsionem*).

(*Actus claudatur hac ratione:*)

« Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (vel dimissa) fuit iuratus (vel « iurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum (*Super « Evangelium iterum iurabit*), et in confirmationem praemissorum se sub-

570. Quid si persona sollicitata nequidem apud solum Sacerdotem delegatum denunciationem sic facere possit, prout contingeret, v. g., in puella quae nunquam omnino sola relinquatur? R. Tunc videndum an ope epistolae a denunciante firmatae res peragi queat : secus Episcopus concedere potest ut Confessarius delegatus in confessionali verbo tenus denunciationem recipiat, illamque statim exscriptam cum nomine denunciantis Superiori deferat. Ita Frassinetti; Scavini (III. 516) aliique.

571. Quid si persona sollicitata proprium nomen Superiori indicare nollet? Denunciationes anonymae non acceptantur; sic enim Superiores quantam fidem denunciantes mereantur cognoscere nequirent; atque insuper calumniis ianua latissima aperiretur; periculum insuper adesset ne una eademque persona plures confessarios adeat, et multas denunciationes (quae a diversis personis factae censerentur) contra sacerdotem innocentem accumulet. In casu itaque Confessarius poenitentem persuasam reddere conabitur quod eius nomen secretissimum servabitur; et denunciatus illud nunquam scire poterit, dicente Suprema (Instruc. cit.): « Cavetur solertissime ne denuncian-« tium nomina reo manifestentur ». Si tamen mulier in suo proposito firma remaneret; tunc confessarius (si credat illam esse fide dignam) ad S. Sedem, organo S. Poenitentiariae, (tacito nomine) recurrere poterit; interdum enim obtinetur ut poenitens, indicato nomine sacerdotis sollicitantis, proprium abscondere possit. V. *Analecta* an. 1855-1864. pag. 586.

572. Quid si persona sollicitata, nolens ut Episcopus quidquam resciat, ope epistolae a se subscriptae ad ipsam Supremam rem deferret? R. Sciendum quod Suprema de stylo remitteret epistolam Episcopo, ut ad se accersito scribente faciat illam ab eo recognoscere medio iuramento, atque interroget super contentis in ipsa. Cf. Gury (n. 598. 6.° not. *b*).

« scripsit (*et si scribere nesciat*) et cum scribere nesciret, prout asseruit, « fecit signum Crucis (*Crucis signum calamo faciendum ab eo exiget*).

« Postquam denuncians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, sub-« scribet se delegatus hoc modo :

« Acta sunt haec per me N. N. ab Ill.mo et R.mo Antistite N. N. ut su-« pra specialiter delegatum.

« Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem trans-« mittet una cum Instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se reti-« nendo ».

## PUNCTUM VIII.

### AGITUR DE CAUSIS QUAE A DENUNCIATIONE FACIENDA EXCUSARE POSSUNT.

573. Quum Ecclesia facile concedat ut denunciationes privatim (prout vidimus in punct. praeced.) peragantur; motiva gravia, quae a denunciatione adhuc retrahant, non multa esse possunt. Si tamen alicuius magni mali timor, vel aliud magnum incommodum vere subsisteret; tunc, impedimento durante, obligatio cessaret. Hoc infertur ex declaratione Supremae, quae (cf. n. 569) ab onere denunciationis mulieres eximit, si Superiores *sine gravi incommodo* adire nequeant. Ita reapse sentiunt TT. passim. Inter antiquos scripserunt Salmant. (IV. IV. 89) : « Regulariter loquendo, excusatur sollicitatus cum « gravis damni periculo a denuntiando sollicitantem ». Inter neotericos cl. D'Annibali (256) dicit: « Poenitens necesse habet « denunciare, si ipse denunciationem absque incommodo gra- « viore facere possit ». Idem dicunt Potestas (689); Mazzotta (II. n. 4); Roncaglia (XIX. II); S. Lig.: (699); cl. Ballerini 593. not. *b*) etc. etc. Haec tamen doctrina recto sensu intelligi debet; nempe 1° Si ageretur de Sacerdote qui magnam ruinam, multos sollicitando, inferret; tunc cum maiori sacrificio denuntiari deberet; prout passim TT. notant. 2° Incommoda et pericula non debent somniari sed vere adesse aut rationabiliter pertimesci; et in praxi (ad cavendum periculum hallucinationis in re quae de caetero adeo magni momenti est) melius erit si Confessarius Superiori casum exponat (tacitis nominibus), atque ab ipso decisionem aut dispensationem exposcat. Notandum quod *extra Urbem* Episcopi iustis de causis hanc dispensationem concedere possunt, prout declaravit Suprema (15 Apr. 1612) inquiens: « Episcopus vel Inquisitor.... dent facultatem Con- « fessariis absolvendi poenitentem, quae iustis de causis denun- « tiare recusat; quae tamen debet absolvi sub conditione quod, « cessantibus causis, teneatur hoc facere, ac etiam non adire « amplius Confessarium, a quo fuit sollicitata ». — Sed veniamus ad particularia.

574. Quaer. I. An mulier excusetur a denunciatione quia ipsa sollicitationi consenserit? R. Negative; de hoc enim consensu non interrogabitur, illumque reticere poterit. Si forte reus ad se excusandum dicat, mulierem consensisse, iudices id non credunt, neque hoc dictum in actis scribunt. Aliunde Su-

prema (in Epist. ad Card. Borromaeum 27 Sept. 1621) definivit, hunc consensum a denunciatione facienda non excusare.

Quaer. II. An mulier excusetur eo quod sollicitatio confessarii cum propriis factis vel dictis ita sit connexa, ut quin se ipsam prodat, illam declarare nequeat? R. Equidem seipsam prodere non tenetur. Peccata propria (ut patet etiam ex formula in punct. praeced. exposita); imo stuprum quoque inculpabiliter passum reticere poterit. Attamen in quovis casu nihil vetabit quominus res ita componantur, ut Sacerdos denuntietur et poenitens reticeat quidquid sibi probrosum esset. Si, v. g., copula interfuerit, poenitens dicere poterit: *Videbar ut voluptatibus eius satisfacerem.* Si poenitens confessarium sollicitaverit et ille mere consenserit, tunc dicere poterit: *In materia contra sextum male mecum se gessit; nec quidquam amplius declarare possum.* Hinc scripsit cl. Ballerini (591. q. 2. not. *a*): « Ad prudentiam Confessarii spectare, ut probe dispiciat, ac « poenitentem doceat, quonam pacto denunciatio, salva de- « nunciantis fama, locum habere possit ».

Quaer. III. Quid si mulier denunciare recuset, dicens: Timeo ne mea denuntiatio tandem aliquando publica evadat, et dicteria fiant cum suspectu quod inter me et presbyterum illum turpitudo adfuerit. Porro id, quum sim nubilis (aut conjugata) valde periculosum et damnosum nihil esset. Valetne haec excusatio? R. Negative; si enim valeret, tunc lex ista ad nihil reduceretur. Praeterea huiusmodi timores sunt inanes. Suprema (Instruct. cit.) dicit: « Eaedem causae secretissime » peragantur, et executioni iam traditae perpetuo silentio o- « mnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et « quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defen- « dendas causas assumuntur, iusiurandum de secreto servando « debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii « ad servandum secretum adstringuntur. Qui vero denuncia- « tionis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini su- « biiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et, « actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei « Evangeliis, etiamsi sint Sacerdotes, praestare tenentur. Haec « si caute sancteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque « vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a « dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et « condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine, con- « tineat ».

Quaer. IV. An mulier excusetur, eo quod sollicitanti pro-

miserit et iuraverit, se nunquam illum fore denuntiaturam? R. Negative. Promissio enim de re illicita (nempe trasgrediendi legem Ecclesiae) non tenet; et iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis.

Quaer. V. An excusetur eo quod odium denuntiati pertimescat? R. Negative ordinarie; quum enim hoc odium semper timeri possit, redit ratio supradicta, quod nempe haec lex ad nihil reduceretur. Caeterum, quum nomina denuntiantium denuntiato occultentur; quum insuper contra mulierculas cruentae vindictae fieri non soleant; quum denique processus fiat quando plures (et forsan multae) denunciationes accumulatae fuerint; iam non est cur propter denuntiationem gravia mala serio timeri possint. Dixi *ordinarie;* si enim propter circumstantias specialissimas magnum aliquod malum vere reformidari deberet (v. g., si sacerdos esset tutor puellae sollicitatae eique minitatus fuisset, se illius bona fore occultaturum); tunc, causa durante, denunciatio differri posset. Cf. Ballerini (593 not. *b*).

Quaer. VI. Quid si sollicitator esset stricta consanguinitate vel affinitate coniunctus, v. g., patruus aut levir? R. In hoc casu mulierem excusarem. Ita docent Mazzotta (De Off. Confess. IV), Auctor operis *Istruz. per i novelli Confess.* (II. 275) aliique. Roncaglia idem sentit, dummodo talis Sacerdos alios quoque non sollicitet. At vero ego dicerem quod si alios sollicitet, alii illum denuntiabunt; nimis enim durum mihi videtur quod mulier personam adeo sibi coniunctam et familiarem denuntiare teneatur. Ad minus mulier huiusmodi in sua bona fide relinqui deberet, ut docet Frassinetti (not. 170 ad n. 506).

Si autem foemina denunciationem facere recusaret quia sollicitans maxima beneficia ei contulerit; certe haec ratio nihil valeret si satis appareret quod beneficia propter peccatum collata fuissent. Si vero mulier ex honesta causa beneficiis maximis affecta fuerit; tunc quid valde durum evadere potest benefactorem adeo magnum denuntiare, speciatim si de sollicitatione a longo tempore facta agatur et Sacerdos nunc emendatus credi debeat. Certe S. Lig. (n. 699), de obligatione denunciandi confessarium sollicitantem agens, dicit: « Praecepta « positiva non obligant ad rem nimis arduam ». Theologi tamen (quando de solis beneficiis agitur) valde stricte loquuntur. Cf. Diana (V. IX. 51), Potestas (692) etc.; et certe, si doctrina benigna admitti potest, ad solum casum benefactoris vere maximi restringi debet, et dummodo etiam beneficia cum

sollicitationibus diu mixta non fuerint, ut dixi; nec aliqua magna ruina clamet, ut denunciatio omnino fieri debeat.

## PUNCTUM IX.

### AGITUR DE IIS QUI PERACTAE SOLLICITATIONIS NOTITIAM QUIDEM HABENT, SED IPSI PERSONALITER SOLLICITATI NON FUERUNT.

575. Quamvis Bullae Gregorii XV et Benedicti XIV loquantur dumtaxat de personis quae personaliter sollicitatae fuerint; tamen onus denunciationis iis quoque spectat qui secutae circa alios sollicitationis notitiam habent. Id patet ex Edicto Supremae edito post Bullam Gregorii XV (10 Mart. 1677), in quo haec leguntur: « Auctoritate Apostolica nobis commissa, in « virtute sanctae obedientiae mandamus, ut a qualibet persona « intra mensem denuntientur S. Officio aut Ordinariis omnes « illi, de quibus sciant aut notitiam habeant quod..... contra « Decreta et Constitutiones Apostolicas abusi fuerint aut abu- « tantur Sacramento Poenitentiae, Confessione et confessionali « utentes ad fines inhonestos, sollicitando in ipsis poenitentes « ad turpia, aut habendo cum eis sermones de rebus illicitis « et non convenientibus fini propter quem Sacramentum insti- « tutum fuit ». Porro iam inde ab ann. 1561 (16. Apr.) Pius IV. in Brevi ad Archiep. Hispalensem definierat, crimen huiusmodi reddere Sacerdotem suspectum de haeresi; et sic Confessarii sollicitantes denuntiari debent a quocumque, ex lege generali quae iubet ut suspecti de haeresi S. Officio denuntientur. Id patet etiam ex praxi Sacri Tribunalis, in quo (ut vidimus in formula supra exposita) personae sollicitatae interrogantur an sciant vel dici audierint, quod Confessarius alias poenitentes sollicitaverit. Patet denique ex alio decreto Supremae quod paullo infra exponetur, et est unum ex sexdecim latis 11 Febr. 1661, quae a Benedicto XIV expresse confirmata fuerunt.

576. Quaer. 1° An toties quoties secutae sollicitationis aliqua notitia habeatur, onus denunciationis adsit; an vero quaedam exceptiones speciales fieri debeant? R. Obligatio denunciandi cessat in quatuor casibus; nempe

1° Si ex publico rumore, vel ex quibusdam vagis dicteriis, vel quomodolibet solum ex dicto de dicto notitia habeatur. Ita Passerini (in VI°. v. c. 48. n. 136); atque, ut mihi notum est, talis est stylus Supremae.

2° Si ab ipsa quidem persona (quae se fuisse sollicitatam asserit) notitia habita fuerit; sed illa non sit fide digna. Ad quaesitum enim : An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? Suprema respondit : « Censuerunt (Qualifi- « catores) opinionem negativam non carere sua probabilitate ». Idem dic si a persona ignota, vel sub dubio factum narrante rem audieris : aut si tu ipse non recorderis quisnam id tibi patefecerit, vel quid dixerit, aut demum si facti narrati natura et qualitates confessarii et poenitentis rem non esse credendam suadeant. Porro a periculo accusandi sacerdotem innocentem (propter rationem iam alias adductam) cavendum est.

3° Si notitia habita fuerit a persona sollicitata; sed iam ipsa muneri suo satisfecerit, aut (prouti debet) satisfactura sit. Ad inutile enim nemo tenetur.

4° Si notitia habeatur sub secreto commisso; si nempe Confessarius sollicitans aut persona sollicitata, consilii petendi causa, rem tibi patefecerit; nimis enim interest, ut quicumque alienae fidei sua secreta sic committere indigeat plenam de silentio confidentiam habere possit. Attamen secretum naturale vel promissum dumtaxat (quamvis iuratum) contra denuntiationis legem nihil valeret. Ita TT. communiter.

577. Quandonam itaque (dices) verificabitur casus, in quo non sollicitatus personaliter Sacerdotem denuntiare debeat?

R. 1° Si fueris testis immediatus, si nempe sollicitationem auribus tuis audiveris, vel oculis tuis videris.

2° Si ipse sollicitator (extra dictam consilii petendi occasionem) rem tibi patefecerit.

N. B. In hoc et in praecedenti casu denuntiare deberes, quamvis poenitens quoque denunciationem peregerit; tuum enim testimonium efficit ut delictum in primo casu per duos testes, et in secundo per confessionem ipsius delinquentis comprobetur.

3° Si (intellige semper extra casum secreti commissi) ab ipsa persona sollicitata rem audieris; et credere debeas quod sive ex ignorantia sive ex malitia muneri suo satisfactura non sit.

Quaer. II° Confessarius, pro confessione infirmae vocatus, illam profundo somno sopitam invenit, talique arrepta occasione, eam caute (sed malitiose) aliquantulum detegit. Quidam casu hoc factum observat. Debebitne Confessarium denuntiare? R. Salmanticenses, Bonacina aliique affirmant; sed Trullench, Freita aliique cum Diana (V. IX. 53) negant, quia res huius-

modi participare quidem poterit de fornicatione vel stupro, non vero de sollicitatione, provocatione et tentatione spiritualem ruinam respiciente, de qua Pontificiae Constitutiones loquuntur. « Talis poenitens (dicit Diana) quamdiu est extra « sensus, non magis est capax provocationis aut sollicitationis, « quam si esset mortuus aut plane ligneus vel marmoreus; « secus vero (*nota*) si somnus esset levis et non bene ligaret « sensus; et ideo poenitens aliqualiter adverteret actus Con- « fessarii etc. ».

Quid si Confessarius mulierem surdam aut idiomatis ab eo adhibiti prorsus ignaram sollicitaverit? Si quis casu id audivisset teneturne Sacerdotem denuntiare? R. Affirmant multi, dicentes non exigi ut mulier remanserit sollicitata, sed sufficere quod Confessarius *sollicitare tentaverit*, prout Bulla dicit. Sed alii censent, haec verba Pontificis intelligi debere de sollicitatione inefficaci non iam quia mulier ad modum statuae lignеae intelligere nequeat, sed quia sua virtute a consensu abhorreat. « Quod dicitur in Bulla (sic Diana l. c.), etiam il- « lum esse denuntiandum qui tentat et procurat sollicitare, « provocare, aut allicere, non significat quod sit denuntian- « dus si haec faciat quando alter ex quocumque accidenti non « potest sollicitari, provocari et allici; sed solum si haec faciat « frustra et sine effectu, quia alter non admittit sollicitatio- « nem, neque sinit persuaderi turpia aut induci ad illa, sed « resistit sollicitanti et provocanti ». Quod forsan innuit cl. D' Annibali (n. 256) inquiens: « Nec refert utrum poenitens « sollicitationem animadverterit vel intellexerit tunc an serius; « dummodo animadverti et intelligi revera potuisset ».

Quaer. III° An qui sollicitationis notitiam quidem habent sed personaliter sollicitati non fuerunt, excommunicationem incurrant si intra mensem non denuntient? R. Negative. Constitutio enim *Apostolicae Sedis* hos non comprehendit.

Quaer. IV° An de obligatione denunciationem peragendi Confessarii eos admonere teneantur? R. Non tenentur ex lege positiva; nulla enim Ecclesiae lex id praecipit. Caeterum Confessarii ex proprio munere poenitentes circa eorum obligationes, et proinde etiam circa istam docere debent; et non raro bonum publicum clamare potest gravissime ut illos admoneant.

## PUNCTUM X.

### AGITUR DE OBLIGATIONE DENUNCIANDI SACERDOTEM DELINQUENTEM EXTRA CASUS IN PONTIFICIIS CONSTITUTIONIBUS COMPREHENSOS.

578. Haec obligatio (ut n. 519 innui) adesse potest sine dubio; sed non semper adest. In nonnullis locis de iure particulari praecipitur ut denuncietur quicumque Sacerdos ad turpia sollicitans, licet non sit confessarius, vel absque ulla relatione ad confessionem sollicitaverit. Alibi cautum fuerat ab Episcopo ne mulier, quacum sacerdos peccasset, absolvi posset, nisi ipsum sacerdotem denunciaret. At vero, ut dicunt Gury (590) et Ballerini, huiusmodi leges sustineri nequeunt et Romae non probantur.

Ut, solo iure naturae inspecto, Sacerdos denuntiari debeat, oportet 1° ut de re occulta agatur; secus enim praesumendum est quod Superior rei ipsius notitiam habeat aut cito habiturus sit, quandoquidem fama volat. 2° Ut denuntiatio Superiori deservire possit, sive ut Sacerdotem efficaciter corrigat, sive ut (v. g., eum non promovendo, vel confessionum audiendarum facultatem ei auferendo) provideat ne magis noceat. Sed hodie generatim miseri Episcopi manus (ut ita dicam) ligatas habent; punitiones partim impossibiles prorsus, et partim inopportunae evaserunt; quoad ipsos casus proprie dictae sollicitationis non semper ad iuris tramites procedi potest, ne scandala et rumores in maximum Religionis et Sacerdotii dedecus excitentur (Gury 596); ipsae correctiones, quae in camera charitatis a Superioribus fiant, non raro in malam partem accipiuntur, unde illi potius tacere eligunt; in multis Dioecesibus, propter extremam Sacerdotum penuriam, necesse est ut Episcopi blandissimis modis etiam cum iis utantur qui acres correctiones mererentur; eosque forsan qui suspendi deberent, enixe rogare coguntur, v. g., ut in Paschate confessiones audiant, vel talem Capellaniam (et fortasse Parochiam) acceptent. Antequam itaque decernatur, veram (et maxime gravem) adesse obligationem Sacerdotes de quibus hic loquimur Episcopo denuntiandi, qualitas delicti, nec non temporum, locorum et personarum circumstantiae considerari debent: et, si bona non adsit spes quod ad remedium apponendum vel ad gravia mala praecavenda denuntiatio deservire queat, eiusdem obligatio (ut plurimum incommoda) difficile adesse poterit. In praxi tamen, si ageretur de Sacerdotibus ad Parochias concurrentibus, vel

de Clericis ad Sacros Ordines se disponentibus, quicumque occultam eorundem perversitatem cognosceret, a denunciatione facienda excusari nequiret; si haec perversitas talis sit, ut (inspectis etiam circumstantiis) clamet, huiusmodi subiectum promoveri non posse.

## CAPUT IV.

### DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

## ARTICULUS I.

### DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

### PUNCTUM I.

### DE ORDINIBUS DIGNE SUSCIPIENDIS.

### § I.

*De statu gratiae et intentione satisfaciendi muneribus quorum obligatio suscipitur.*

579. Status gratiae exigitur certe sub gravi si agatur de Ordinibus maioribus; aut si, occasione ordinationis, Eucharistia sumi debeat. Si quis autem lethalis culpae conscius primam tonsuram (quae nec Sacramentum nec Ordo est) reciperet, iuxta Giribaldi (IV. 30), leviter peccaret. Quid de Ordinibus minoribus? R. Theologi nihil dicunt; idque proinde in theoria ambiguum erit, et in praxi tamquam veniale considerari poterit.

Quod autem intentio satisfaciendi muneribus Ordini adnexis exigatur, clarissima res est. Nonne enim graviter peccaret qui Subdiaconatum susciperet, et, pravam, v. g., cum muliere consuetudinem habens, illam relinquere et castitatis votum servare nollet?

### § II.

*De immunitate ab irregularitatibus.*

580. Quoad irregularitates satis est quod Confessarii sequentia sciant.

A. Irregularitas provenit ab aliquo defectu (v. g., illegitimitate natalium) vel delicto (v. g., homicidio); ex quo (Ecclesia sic statuente) suboritur impedimentum Sacerdotio et proinde aliis Ordinationibus praeparatoriis obstans. D'Annib. (I. 372).

B. Recipere Ordines (imo et ipsam primam tonsuram) cum irregularitate peccatum mortale est. S. Lig. (VII. 342). Ordinatio tamen est valida. Verum est quod Episcopus protestatur se nolle ordinare censuris et irregularitatibus obnoxios; sed hoc dicit ad terrorem, utque significet se velle ut recedant. Id certissimum est; si enim irregularis ordinatus fuerit, dispensatio quidem petitur sed ordinatio non renovatur.

C. Suborto, non iam scrupulo, sed dubio gravi et fundato quod irregularitas adsit, congruae inquisitiones faciendae sunt, atque interim ab Ordinum susceptione (si commode fieri possit) abstinendum. Dubio autem perseverante (sive dubium sit iuris sive facti) irregularitas practice non subsistit; sumus enim in odiosis et possidet libertas. S. Lig. (346. 347). Excipe irregularitatem ex homicidio in quodam casu, de quo infra, Ecclesiâ pro illo casu speciali sic disponente.

D. Irregularitates, etiam ex casu occultissimo, sacrae ordinationi obstant, exceptis quibusdam, quae in infamia fundantur, aut etiam iudicis sententiam exposcunt, ut infra videbimus.

E. Irregularitates ex delicto considerantur ut poenae; unde oportet ut delictum materialiter et formaliter atque in suo genere consummatum cum gravi culpa perpetratum fuerit. Hinc etiam probabiliter excusantur impuberes; atque insuper si ex metu gravi, aut si ab eo qui extraordinariam istam legis ecclesiasticae prohibitionem et poenam ignorabat, delictum commissum fuerit. Plures excipiunt homicidium; sed, iuxta D'Annibali (I. 378), gratis et perperam. Cf. etiam S. Lig. (VII. 350. 351).

F. Dispensatio ab irregularitate (iustis de causis, v. g., si ordinandus pietate aut scientia excelleret, vel si Dioecesis Sacerdotum penuria laboraret) plus vel minus faciliter conceditur a Summ. Pontif., organo S. C. Concilii. Episcopi tamen ab irregularitatibus provenientibus ex delicto *occulto* (excepto homicidio voluntario, nempe directe volito) dispensare possunt, ex Cap. *Liceat*. Eandem habent facultatem etiam quoad nonnullas irregularitates ex defectu (v. g., propter natalia illegitima), sed quoad Ordines minores et beneficia simplicia tantum. — Praelati quoque Regulares hac in re quoad suos subditos quasdam facultates habent.

His praemissis, de irregularitatibus in particulari aliquid dicendum superest.

581. *Ex defectu natalium* ; eo quod nempe ordinandus ex parentibus non legitimo matrimonio coniunctis natus fuerit. Notari debet 1°. Natus ex matre coniugata semper habetur ut legitimus, nisi ex iudicis sententia tamquam adulterinus declaratus fuerit. Neque officeret, si ex fama publica aut ex ipsa parentum declaratione eum esse adulterinum certissime constaret. Ita S. C. Concil. 27 Iun. 1857. — 2°. Natus ex matrimonio invalido, sed bona fide (saltem ex parte unius) contracto, legitimus reputatur. Gury (Cas. Conse. II. 1167). — 3°. Expositus certe non est irregularis, si propter parentum paupertatem filii etiam legitimi frequenter exponantur; atque aliunde de illius illegitimitate non constet. Aliqui TT. expositos omnes ab irregularitate eximunt et fundantur in quadam Bulla Gregorii XIV. edita an. 1591 in favorem confraternitatis S. Spiritus in Saxia; sed haec Bulla ubinam est? — 4°. Natus illegitime cessat esse irregularis statim ac postea legitimetur. Haec legitimatio tribus modis contingere potest; nempe *a*) per subsequens matrimonium parentum qui prolem recognoverint, ac tempore conceptionis aut saltem nativitatis nulli impedimento dirimenti obnoxii fuerint; *b*) per professionem religiosam; *c*) per dispensationem pontificiam. Rescriptum autem principis saecularis ad irregularitatem tollendam non sufficit. Cf. Lig. (VII. 422. 433).

582. *Ex defectu libertatis.* Tales sunt, v. g., coniugati (uxore non consentiente); officia thesaurarii, administratoris, curatoris etc. (quatenus clericis interdicantur) retinentes; et tandem iuvenes servitio militari obligati; qua de re (pro Italia) vide decretum. S. Congreg. S. Officii die 16 Sept. 1875 apud *Monitore Eccles.* (V. 1. pag. 77); quod hic non refero, quia res huiusmodi potius in Curiis Episcopalibus quam in Confessionalibus componuntur.

583. *Ex defectu famae.* Haec irregularitas oritur dumtaxat post sententiam iudicis; et proinde pro confessariorum praxi hic immorari non interest.

584. *Ex defectu corporis;* si nempe ordinandus tali corporis defectu laboret ut Ordinem convenienter exercere non possit, aut ita sit monstruosus ut risum vel stomachum moveat aut horrorem incutiat. Haec vitia ut plurimum sunt manifesta et decisio ad Episcopos spectabit. Ad Confessarios spectare potest consilium circa aliqua vitia occulta, et speciatim si ordi-

nandus (ignaro Episcopo) sit abstemmius, aut epilepsi (*mal caduco*) laborans, aut hermaphrodita. — Irregularis erit abstemmius donec vinum (etsi in exigua quantitate) absque periculo vomitus, sumere nequeat. — Epilepticus, si post pubertatem huic morbo subiectus fuerit. D' Annibali (I. 384). — Hermaphrodita potest esse talis diversis modis. Primus (magisque frequens: si in substantia unus dumtaxat sexus adsit, alio substantialiter deficiente, quamvis de illo quoque aliquid adsit. Secundus, si substantialiter uterque sexus reperiatur (monstra huiusmodi ordinarie ante pubertatem moriuntur). Tertius, si substantialiter uterque sexus deficiat, et solum aliquid (cum praevalentia aut aequaliter) de utroque adsit. Si sexus foemineus adsit substantialiter, vel (in tertio casu) aequaliter aut praevalenter; tunc hermaphrodita characteris sacerdotalis incapax erit. Si vero sexus foemineus substantialiter deficiat, aut (in dicto tertio casu) sexus masculinus praevaleat; tunc hermaphrodita Sacri Ordinis quidem capax, sed irregularis erit. TT. dicunt, hanc irregularitatem adesse, quamvis hic defectus occultus esset; idque expressum inveniri aiunt in C. *Si testes*, 4. q. 2.: nec non C. *Illiteratos* 36. Dist. et C. *Fin.* 49. Dist. Attamen Bonacina (VII. n. n. 13) et S. Lig. (VII. 412) absque reprehensione referunt Toletum, Escobar aliosque dicentes, quod haec irregularitas non subsisteret si vitium huiusmodi notorium non foret.

585. *Ex defectu animi*; si nempe ordinandus esset semifatuus seu dementiae periodice subiectus (*lunatico*), aut haereticus (nempe in secta haeretica natus et baptizatus) fuerit. Cf. Vecchiotti (III. § 43). Item si scientia omnino necessaria, iuxta sacrorum canonum statuta, careret. Cf. S. Lig. (VI. 790), qui dicit ordinandum ad praesbyteratum scire debere ea quae pertinent ad Sacrificium Missae, atque ad Sacramenta Baptismi, Eucharistiae, Extremae Unctionis et Poenitentiae, saltem quoad dubia communiter occurrentia circa moribundos, qui, deficiente confessario approbato, a simplici quoque Sacerdote absolvi possunt ac debent.

586. *Ex defectu Sacramenti;* si nempe ordinandus Sacramento Matrimonii prius ligatus fuerit, sed ita ut Matrimonium illud unionem Christi cum Ecclesia, divino suo sponso unice devinctâ, defectuose significaverit; prout contingeret si fuerit bigamus (si nempe ad secundas nuptias transierit) aut si cognitam ab alio in uxorem duxerit (etsi illam esse virginem credidisset).

Adde : si ad propriam uxorem in adulterium lapsam accesserit. Quum tamen *Can. Si cuius* 11. Dist. 34. dicat : « Si « evidenter fuerit comprobatum ( uxorem ) adulterium commi- « sisse », videtur quod haec irregularitas, si adulterium fuerit occultum, oriri non possit ; et sic ex defectu potius famae quam sacramenti oriatur. Cf. D'Annib. (I. 394, et S. Lig. ( n. 436-450 ).

587. *Ex defectu lenitatis ;* si nempe ordinandus sponte atque scienter ad publicum iudicium concurrerit in causa sanguinis ( nempe mortis aut mutilationis ) effectu secuto ; aut in bello offensivo aliquem sua manu ( extra strictam defensionis necessitatem ) occiderit vel mutilaverit. Supposita iustitia sive sententiae sive belli, nulla quidem adesset culpa : attamen, quum Sacerdos gerat personam Christi, qui utpote lenissimus neminem unquam laesit, Ecclesia eos, qui sponte aut ex officio libere acceptato ad alicuius mortem seu mutilationem ( cum vero influxu ) concurrerint, merito irregulares decernit. Secus esset si id quidem praestiterint sed coacte. Hinc irregulares non sunt 1° Accusatores si accusatio ita necessaria sit ut cadat sub praecepto charitatis, si nempe gravissima damna proximo impendentia aliter vitari nequeant ; 2° Iidem accusatores si reum accusent, quasi actione civili, ut nempe damna sibi vel consanguineis vel famulis vel subditis propriis allata reparentur ; sed hoc in casu expresse ( saltem verbo tenus ) protestandum est quod poena sanguinis non intenditur ; 3° Testes iusto praecepto aut metu gravi compulsi ; 4° Iurati ( hi enim non sponte sed coacte proprium officium praestare debent. Vecchiotti III. 37 ) ; 5° Milites, qui non voluntarie sed propter conscriptionem in exercitu versantur et dimicare coguntur ; 6° Milites voluntarii quidem sed in bello defensivo ( et iusto ), exceptis tamen clericis ; imo ne his quidem exceptis, in magno discrimine rerum, aut si pugnaverint iussi ( ut supra dicebam ).

588. *Propter exercitium chirurgiae.* Haec irregularitas ad clericos in sacris et monachos restringitur, pluresque alias circumstantias exigit. Oportet nempe ut clericus in sacris vel monachus artem chirurgicam exercuerit 1° cum incisione vel adustione ; 2° cum morte infirmi ; 3° cum culpa civili, nempe extra casum necessitatis atque ita ut factum reprehensionem mereatur.

Irregularitates hucusque recensitae sunt ex defectu. Nunc de illis quae sunt ex delicto aliquid dicam.

589. *Ex iteratione Baptismi.* Hic non refert immorari, quia hodie non est casus practicus.

590. *Ex furtiva Ordinum susceptione :* si nempe quis omisso examine vel in eo reprobatus, nihilominus ( non obstante Episcopi comminatione id prohibentis sub excommunicatione ) cum aliis ordinandis se intruserit. D' Annib. ( I. 380 ).

591. *Ex eo quod clericus exercuerit illicite Ordinem quem non habet.* Notentur verba *clericus*, *illicite*, *Ordinem*. Irregularitate enim non plectuntur 1° laici ( si forte sacros ordines exercere praesumerent ) ; 2° simplices tonsurati, si ordines minores ; vel subdiaconatum sine manipulo ; vel diaconatum sine stola in casibus permissis exerceant ; 3° Sacerdotes, qui sine iurisdictione confessiones sacramentales audirent. S. Lig. ( VII. 359 ).

592. *Ex violatione censurae per exercitium Ordinis ;* si nempe clericus in sacris, non obstante excommunicatione maiori, vel suspensione, vel interdicto, Ordinem sacrum, eo modo quo a solis ordinatis in sacris exerceri potest, illicite et scienter exerceret. S. Lig. ( VII. 358 ). Dixi *illicite ;* si enim censura esset occulta et sine gravi nota exercitium Ordinis omitti nequiret, tunc nec culpa nec irregularitas adesset. Culpa autem mortalis esse debet. D' Annib. ( I. 380 ). Dixi *scienter :* oportet enim ut censurae contemptus adfuerit. S. Lig. ( l. c. ). — Quid de eo qui Ordinem quidem exerceret, sed ficte, namque sine intentione ? Respondet D' Annibali ( l. c. ) : « In his quae ex intentione a-« gentis statum capiunt irregularitatem effugit ; in his, quae « vi sua constant, non item. Itaque qui sic a peccatis absolvit, « non contrahit irregularitatem ; qui baptizat solemniter con-« trahit, non propter baptismum, sed propter caeremonias Ba-« ptismi ». Hic quoque notandum quod exercitium iurisdictionis ( ut puta si Parochus excommunicatus Matrimonio sine Missa celebrato assisteret ) irregularitatem non inducit. Idem dic de sacerdote qui in ecclesia polluta celebraret ; secus esset si locus interdictus foret. Cf. S. Lig. ( l. c. ). Notari potest demum quod violatio quidem censurae irregularitatem inducit, sed violatio irregularitatis praeter peccatum mortale nihil aliud causat.

593. *Ex homicidio voluntario ;* nempe culpabili et directe volito, effectu secuto. Ex hoc capite irregularitatem incurrit 1° Executor qui sua manu occidit ; 2° Mandans ; 3° Qui communi consilio cum aliis occisioni concurrit, quamvis sua manu non occiderit ( Hinc milites voluntarii in bello iniusto irregulares evadunt singuli, quamvis facto proprio neminem occiderint, et quamvis unus dumtaxat ex adversariis occisus remanserit ) ; 4° Qui vi aut dolo aliquem impedivit ne suam vitam cibo aut me-

dicina conservaret, aut ne alii eidem opem ferrent; 5° Uno verbo, quicumque ita se gessit ut vere homicida dici debeat. — Oportet tamen ut occisio sit iniusta; unde qui aliquem occidit iure defensionis prout in casibus (n. 183) expressis et servato moderamine inculpatae tutelae, irregularis non evaderet. Et hic notandum quod ius defensionis non amitteretur ab adultero, si forte maritus superveniens illum (qui fugere nequeat) occidere vellet. Attamen, si huiusce rei periculum proximum fuisset idque adulter advertisset, tunc maritum interficiens irregulariatem non effugeret; ut eruitur ex C. Dilectus de Homicid. Vide S. Alph. (III. 598).

Quid de consulente, opem ferente accidentaliter et non ex communi consilio, ratum habente, non impediente si ex iustitia impedire debuisset? Multi ad hos quoque irregularitatem extendunt; sed, quum in iure non sit expressa, illam alii non recognoscunt. Vide D' Annib. (I. 396. not. 6). Revera isti ne in communi quidem loquendi modo homicidae dicuntur, nisi in aliquo casu, ut puta, si pater infantem suum cibo indigentem solum in deserto deseruisset studiose et eo fine ut fame moreretur. S. Lig. (376).

Procuratio abortus, effectu secuto, verum homicidium est, et proinde irregularitatem inducit. Hodie pro certo habetur quod foetus in primo conceptionis instanti iam est animatus; et proinde distinctio inter foetum animatum et non animatum fieri non debet.

Non refert si forte homicida ex errore unum pro alio occiderit; nunquid enim propter hoc homicida esse cessaret?

Caeterum mors debet esse certe non dubie secuta; secus enim de corpore delicti non constaret; et proinde poena locum habere nequiret. Quid si, stante certitudine mortis, iure dubitare deberes an tu illam causaveris: vulnus, v. g., impegisti; sed forte non erat lethale; obiit tamen vulneratus; at vero probabiliter quia medicamenta adhibita non fuerunt? Pro casibus huiusmodi (lege sic disponente) irregularitas adest; sed solum pro Sacerdotibus, et pro sola abstinentia a celebratione Missae (neque ad casum solius mutilationis extendi debet). Cf. D' Annib. (405), et S. Lig. (347).

594. *Ex mutilatione iniusta.* Non sufficit vulnus, fractio, debilitatio, aut deformatio; sed exigitur praecise mutilatio; et quidem oportet ut agatur de membro quod propriam et principalem functionem habeat, prout esset manus, pes, oculus, organum genitale, uterque testiculus etc.; dixi *principalem;*

si enim subsidiariam tantum functionem haberet, ita ut abscissio naturali functioni parum noceret, prout contingeret si digitus, vel unus testiculus, vel pars externa dumtaxat aurium aut narium abscinderetur; vel si membrum abscissum iam inutile et paralysi affectum prius fuisset; tunc irregularitas non contraheretur. S. Lig. (379. 380).

Qui autem seipsum mutilaret, quamvis subsidiariam dumtaxat membri partem abscinderet, irregularis evaderet. Si quis ex zelo indiscreto servandae castitatis virilia sibi abscinderet, aut abscindere sibi faceret, irregularitatem non effugeret, ex C. *Hi qui* 5. Dist. 55. Sed extra hunc casum mutilatio debet esse graviter culpabilis. Hinc si haec amputatio facta fuerit a medico, aut propter iniuriam alterius, atque etiam si quis ad conservandam vocem testiculos, vel ad evitandam militiam digitum bona fide (non tamen pollicem vel indicem) sibi amputasset, irregularis non esset. Cf. S. Lig. (416. 418. 408).

595. *Ex homicidio casuali mixto.* Homicidium pure casuale irregularitatem non inducit; idque quamvis ex facto illicito sed non homicidii periculoso acciderit. Exemplum dant in pulsante campanam feria sexta in Parasceven, si forte tintinnabulum cecidisset et puerum occidisset. Si vero actio homicidii periculum praeseferret, et convenientes cautelae non adhiberentur (ut puta, si quis tegulas e tecto in publicam viam, signis non appositis, coniiceret et sic aliquem occideret), tunc homicidium casuale mixtum et proinde irregularitas locum haberet.

Sed non sufficit ut ordinandus a quavis irregularitate sit immunis vel ab ipsa dispensationem obtinuerit; exigitur etiam vocatio divina, circa quam sequentia considerari debent.

## § III.

### *De vocatione divina.*

596. Certe haec exigitur; Apostolus enim (Hebr. V.) dicit: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tam« quam Aaron ». At vero vocatio divina quomodo cognoscitur seu in quo consistit? Theologi recentiores communissime in inspiratione interna illam reponunt, quae a Deo provenire censenda sit. Dicunt autem, ordinandum vocatione certe esse destitutum 1° Si motivo temporali (v. g., ad victum sibi comparandum, ad Beneficium obtinendum etc.) ita moveatur, ut, si hoc motivum non adesset, sacrum ordinem non susciperet; 2° Si prae-

cellenti et habituali vitae sanctitate careat ; et ex hoc capite excludunt habituatos in materia sexti (quamvis occulte), avaritiae deditos, ad odia proclives, superbos, susurrones, leves, rebus externis deditos, raro bene recollectos, circa pietatem indifferentes, studio parum deditos aut scientias ecclesiasticas negligentes, eosque demum qui quamvis boni sint, tamen vix ordinaria virtute exornantur ; quandoquidem Ecclesiasticorum bonitas vere praecellens esse debet. Cf. S. Lig. (V. 66. 67), Scavini (I. 658) etc. etc. Haec doctrina (quae ordinandos eorumque confessarios maxime vero Episcopos in angustias coniicit) vera esse potuit quando tanta ordinandorum abundantia aderat, ut Episcopis delectus pro libito habere optimosque seligere integrum esset : sed hodie (quum fere ubique extrema sacrorum ministrorum penuria habeatur, atque in multis dioecesibus iuvenes clericos bene instituendi media desint) si tamquam non vocati arcerentur quotquot dotibus praedictis carent, systema huiusmodi Ecclesiam sacris ministris vacuam redderet, extremamque calamitatem atque ruinam inferret. Censeo itaque divinam vocationem non tantum a recensitis signis esse dignoscendam quantum a Dioecesis necessitatibus, atque rem hanc fere ex toto Episcoporum iudicio esse relinquendam, qui propriae dioecesis necessitates certe melius omnibus cognoscunt, quibusque moribus unusquisque ordinandus sit imbutus, forte melius quam confessarii, scire solent. Hinc Catechismus Romanus, quamvis exigat ut rectitudine finis et sanctitate vitae divinae vocationi unusquisque correspondeat, tamen non ab his bene vero ab Episcopi approbatione vocationem ipsam arguendam esse declarat, inquiens (De ord. sacr.) : « Nec vero quisquam sumat « sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Vocari « autem a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae ministris vo- « cantur ». Dicerem itaque : Qui vocantur seu approbantur ab Episcopo legitimo, vocantur etiam seu approbantur a Deo. Excipe tamen : nisi de contrario clare constet ; nempe 1° si quis falsis bonorum morum testimoniis insignive hipocrisi, aut per vim, metum, precesve importunas approbationem obtinuerit ; quapropter idem Catechismus subdit : « Qui in hoc ministerium « se ipsos arroganter inferunt atque intrudunt, de his Dominum « intellexisse dicendum est dum inquit : Non mittebam Prophetas « et ipsi currebant : quo quidem hominum genere nihil infelicius « ac miserius, nihil Ecclesiae calamitosius esse potest ». 2° Si aliquis Episcopus adeo perperam suo munere fungeretur, ut iam evidenter tales subiectos ad sacros Ordines promovere soleret,

qui (inspecta etiam Dioecesis necessitate) promoveri nullo modo possent. Hoc tamen iudicium contra Episcopum vix unquam prudenter efformari poterit; unde haec exceptio in praxi (speciatim hodie) negligi potest. 3° Si, ignaro Episcopo, qualitates adeo perversae lateant, ut subiectus (non obstante Dioecesis necessitate) omnino multo magis noxius quam utilis futurus sit: Ecclesia enim vult ut ii tantum promoveantur, de quibus sperari debeat, quod ad minus utiles futuri sint. Trid. (XXIII. XVI).

597. Quid de clerico qui in gravia peccata identidem cadit, et nihilominus subdiaconatum suscipere vult?

R. Quamvis peccata ista nullam canonicam irregularitatem inducant, et clericus sinceram se emendandi muneribusque suis satisfaciendi voluntatem habeat; tamen multi censent eum graviter peccare si subdiaconatum suscipere velit. Habert, Iuenin aliique docent, diuturnum continentiae experimentum prius esse necessarium. His Gousset (II. 658) subscribit, et tum quoad illos, qui (etiam semel) fornicationem commiserint, aut libenter et hilariter cum foeminis conversari soleant; tum quoad illos qui inveteratam se polluendi consuetudinem habeant, *plurium annorum* experimentum exigit; quoad illos autem qui raro se polluerunt, *sex mensium perfectae continentiae* ante subdiaconatum requirit. — Alii autem communissime censent, id (secluso casu fornicationis) nimiam severitatem redolere: et dicunt sufficere si ordinandus prius *aliquandiu* operam det ad pravum habitum extirpandum. Hoc tamen breve experimentum (quod, meo sensu, parum valebit) adeo rigide exigunt, ut de peccato mortali accusent confessarium, si in ipsa vigilia ordinationis, quando omnia sunt parata, clerico, qui dictum experimentum non praestiterit, absolutionem concedat; et dicunt, hanc esse regulam generalissimam; atque excipiendum esse dumtaxat casum vix practicum conversionis et compunctionis pene miraculosae ad instar Magdalenae. — Haec doctrina, quae hodie est valde diffusa (a qua tamen, ut infra videbimus, alii gravissimi Theologi, inter quos Benedictus XIV, dissentiunt) in angustias coniicit et vere torquet illos miseros confessarios qui in fine spiritualium exercitiorum confessiones ordinandorum excipiunt; unde operae pretium est doctrinae ipsius fundamenta sedulo perpendere.

Dicunt I. Clericus huiusmodi in magnum periculum peccatorum, sacrilegiorum, et damnationis aeternae seipsum coniiceret. — R. Magnum peccandi discrimen certe adest. Clerici etiam sufficienti pietate ac virtute praediti timere debent, ne

forte, aetatis robore superveniente atque in tot periculis constituti, in ea peccata tandem aliquando ruant, quae, si matrimonium contraxissent, non commisissent. Quanto magis itaque formidare debebunt qui in iuventute ipsa iam cadere solent? Hoc itaque concedi debet. Sed quid inde? Qui, clericalibus vestibus depositis, ad saeculum redeunt nunquid minoribus periculis sive eiusdem sive diversi generis erunt expositi? Nunquid facilius salvabuntur? Lugo (Resp. mor. I. XXVIII) dixit: « Hoc « parum credibile est: nec facile sibi poenitens persuadebit mi- « norem se habiturum in saeculo occasionem peccandi contra « castitatem, quam in religione, praesertim si non posset sine « magno incommodo uxorem ducere ». Verum est quod Lugo loquebatur de Novitio, qui magis quam sacerdos saecularis est a periculis remotus et maioribus adiumentis fulcitur. Attamen ecclesiasticus saecularis quoque fraena et auxilia multa habet; et, re in complexu considerata, laici (etiam uxorati) ecclesiasticis (etiam parum aedificantibus) multo peiores esse solent; fornicationes enim, adulteria, onanismus, ebrietates, blasphemiae, iustitiae laesiones, praeceptorum Ecclesiae transgressiones, vitae christianae derelictio totalis, et ipsa fidei amissio laicis hodie fere ubique locorum communissima sunt. Nunquid itaque clericus, dum laicus evaserit, in tuto se collocabit atque ad salutis portum perveniet? Nunquid saltem minus peccabit, faciliusque salvabitur? Id quidem contingere potest; sed repeto cum Lugo: *Hoc parum credibile est:* atque ut plurimum incidet in Syllam qui vult vitare Carybdin. — Pericula magna in aliis quoque officiis, artibus et statibus adesse solent. Nunquid ideo peccabunt iuvenes eo quod tali vel tali officio periculoso se dicare velint? Nunquid, ut istius officii acceptatio approbari possit, oportebit ut tanta virtus in antecessum acquisita fuerit, ut periculum evanuerit? Haec profecto inaudita sunt. Vide De Occasionariis n. 278. — Demum, si clericus aetate iam provectus, maxime vero in vigilia ordinationis, vestes deponere deberet, ut plurimum de sacrificio quaversus vere enormi ageretur. Ad haec autem incommoda extraordinaria (nisi, praeter dictum periculum, aliae rationes superaddantur) obligatio non datur; secus enim, ut ait S. Lig. (VI. 74): « Si quis habitua- « tus nollet nubere, dici deberet quod non posset absolvi quam- « vis dispositus, quia iste vellet remanere in periculo proximo « recidendi. Sed quis unquam asseruit, Matrimonium esse re- « medium necessarium ad se continendum? » Instabis: sed laicus nolens tunc nubere, remanet tamen liber, ut possit nubere

postea in futurum si velit; non sic subdiaconus post susceptum Ordinem. Respondet idem S. Doctor : « Si ille laicus statueret « firmo animo nunquam velle matrimonio ligari, sed aliis me- « diis uti, nunquid ob hoc poterit ei absolutio denegari? ».

Dicunt II. Clericus habituatus Ecclesiae noxius futurus est; saltem de hoc valde timendum erit. Manibus autem adeo periculosis nunquid rerum spiritualium thesauri animaeque fidelium committi poterunt? Hoc esse grave nefas, sensit S. Th. ( Suppl. XXXVI. iv ). — R. Istud magnum periculum raro aderit. Heu quot Sacerdotes fragilitatibus ( etiam frequenter ) subiiciuntur! Attamen fere omnes Ecclesiae vere utiles sunt; imo aliqui utilissimi. Ut plurimum occulte labuntur ; et, si etiam aliquid appareat, rarissimus est casus in quo Sacerdos tantum scandalum praebeat, ut, re in complexu considerata, magis noxius quam utilis sit. — Idem dic de periculo ne res sacrae profanentur; extreme enim sceleratus et omnino perditus debet esse Sacerdos, qui, confessione non praemissa, Sacrosanctum Missae Sacrificium cum peccato mortali celebrare audeat. — Si autem notabile scandalorum aut profanationum periculum adesset, equidem manibus adeo periculosis neque res sacrae, neque Christifidelium animae committi possent ; adhuc tamen videndum foret an manus tutiores in promptu essent. Olim quidem dicebatur : Satius est paucos habere ministros bonos, quam multos malos. Sed hodie in multis Dioecesibus ( et iam fere ubique locorum ) isti pauci boni, quibus fidenter et tuto sacerdotalia officia committi possint, ubinam reperiuntur? Per quantum Episcopus se limitet, eosque dumtaxat admittat qui officiis stricte necessariis exiguntur, non raro necesse erit ut plus vel minus clericos etiam parum tutos approbet. Dices : nonne melius erit ut grex sine pastore remaneat, si pastor oves occisurus sit? R. Si grex sibi derelictus lupis undequaque expositus remanere deberet, utique melius esset ut pastorem stragem impediturum habeat, quamvis ille inique oves aliquas necaturus sit; secus vero si Pastor lupo peior futurus esset. Porro hodie in multis Dioecesibus, nisi subiecti etiam minus tuti ad Ordines animarumque curam promoverentur, plurimae parocciae sine ulla instructione, et Sacramentorum administratione, sine Missa et sine paschate remanere cogerentur, ipsique moribundi sine Sacramentis et sine assistentia ulla relinqui deberent.

Dicunt III. Saltem ex parte voti culpa aderit; legitur enim ( Eccl. V ): « Displicet ei ( Deo ) infidelis et stulta promissio... ; « multoque melius est non vovere, quam post votum promissa

« non solvere ». R. Id verum esset si ordinandus votum violandi intentionem haberet ; et forte etiam si tot ac tanta in posterum timenda essent peccata ac scandala, ut malum superaturum sit bonum quaquaversus; unde votum ipsum, tamquam ruinosum, Deo acceptum nullo modo esse possit. Sed prima hypothesis a casu nostro prorsus excluditur; secunda vero difficile verificabitur. Imo, loquendo de solis fragilitatibus absque scandalo in posterum secuturis, S. Lig. (VI. 74) scripsit : « Si « quicumque alius habituatus in lascivia ; sed iam sat dispositus « ad absolutionem vellet statim sine experientia emittere votum « castitatis, cur non poterit confessarius eum statim absolvere? « Nunquid votum adhuc in eo casu non erit de meliori bono? « Si non esset de meliori bono, esset quidem nullum : sed com- « munissime docent DD. quod huiusmodi votum emissum ab « habituato in lascivia est validum ».

Dicunt IV. Obstat Concil. Trid. in quo sequentia leguntur : « Sciant Episcopi, non singulos in ea aetate (*canonica*) consti- « tutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, « et quorum probata vita senectus sit... Subdiaconi et Diaconi « ordinentur habentes bonum testimonium... qui sperent, Deo « authore, se continere posse... Qui ad Presbyteratus ordinem « assumuntur... ita pietate ac castis moribus sint conspicui, ut « praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab « eis possint expectari ».

R. Probatissimus auctor operis *Istruz. per i novell. confess.* (II. 65) dicit quod non de lege, sed potius de monito et regula prudentiali hic agitur ; unde Episcopi, si propriae Dioecesis necessitates ita exigant, eos quoque admittere poterunt qui praedictam conspicuam et praeclaram virtutem non habeant ; imo interdum eos etiam qui notorie lapsi fuerint, si ita expedire aut esse necessarium in Domino iudicaverint. Ita profecto rem hanc Episcopi passim intelligunt; ad quos, non vero ad ordinandos Concilium supradicta verba dirigit; et certe Benedictus XIV (De Syn. XI. n. 8) apertissime supposuit quod ordinandus occulte habituatus neque se ipsum apud Episcopum prodere, neque sponte sua ab ordinatione recedere tenetur ; sicut iudex quidem punire, sed non reus se puniendum offerre obligatur.

Dicunt V. Clericus habituatus non potest esse vocatus. — R. Si clericus insignem hypocrisim ad fallendum Episcopum (secus non approbaturum) adhibeat, aut si malis qualitatibus ita abundet bonisque careat, ut iam evidenter magis noxius quam utilis futurus sit ; tunc certe (ut iam dixi n. 590) tam-

quam non vocatus haberi debebit. Sed, ab his duobus casibus praescindendo, si Episcopi libera approbatio adsit, non video quo solido fundamento vocationem divinam deesse iudicandum sit. Hypocrisi praedicta exclusa, praesumendum est quod Episcopus, sin minus clare saltem in confuso, quibus moribus Ordinandus sit imbutus ex eius externa agendi ratione circum circiter cognoscat; Episcopi enim officium est super clericis inviligare atque diligenter de iis informationes capere. Approbante autem Episcopo, Deum quoque approbare credendum est; nunquid enim Episcopus cum Deo pugnabit? Id autem potiori iure dici debet, si Episcopus alios similes aut peiores sciens et volens approbare soleat, aut si iam satis superque pateat, magnâ sacrorum ministrorum penuriâ Dioecesim laborare, unde necesse sit circa multa (ut vulgo dicitur) oculos claudere. Ipse S. Lig. (VI. 73) scripsit: « Vitiosa vita peracta non praebet certitu-« dinem quod is nunquam fuerit a Deo vocatus. Cur non accidere « poterit quod Dominus eum aliquando vere vocaverit, et ipse « auxiliis resistens iam paratis male corresponderit? Iudas pro-« culdubio fuit a Christo Domino vocatus ad Apostolatum; at « ille quam male ad eum se disposuit? » Sed quid si timeri deberet ne Episcopus approbationem denegaturus esset, si rem in occulto latentem cognosceret? R. Tunc etiam non est mihi clarum quod ordinandus, Ordines suscipiendo, peccare debeat; quum enim divina vocatio (ut ait S. Lig. l. c. 804) adhuc magis necessaria sit ut officium Parochi acceptari possit, sequeretur quod Sacerdos occultae fornicationis reus, Paroeciam acceptare nequiret, supposito casu quod Episcopus, si id sciret, curam animarum ei non committeret. Haec tamen obligatio inaudita est. — Praeterea ascendere ad Ordines sine vocatione est quidem peccatum; at vero (stante semper Episcopi approbatione, qui certe in Dei voluntate interpretanda errare potest) eritne mortale? Gury (II. 720) de hoc dubitat. — Notari potest demum, contingere posse quod unus idemque subiectus tamquam non vocatus considerari debeat in una Dioecesi ubi Sacerdotes abundant; et approbari possit tamquam vocatus in alia, ubi sacrorum ministrorum penuria adsit, prout ex praxi quoque Episcoporum patet.

Dicunt VI. Clericis, qui in gravia peccata identidem cadunt, atque in vigilia ordinationis ad confessionem accedunt, differenda est absolutio ex officio medici; sic enim ipsi videntes, viam ad Ordines sibi serio praecludi, de emendatione cum effectu procuranda solliciti erunt. R. Verum medium, quo spiri-

tuali saluti clericorum et bono Ecclesiae prospici potest, in optima clericorum ipsorum directione et tempestiva electione eorum qui circa annum decimumseptimum inemendabiles apparent, reponi debet; non vero in deneganda eis absolutione quando iam in ordinationis limine versantur. Hoc remedium indicatur quidem in libris; sed in praxi nullum effectum producere solet. Quandonam enim auditur quod in limine ordinationis, et quando iam spiritualia exercitia peracta sunt, clericus a sacro Ordine suscipiendo recesserit? Haec itaque agendi ratio aut est contra praxim confessariorum (inter quos probi et docti certe non desunt) aut optatum effectum non producit. Aliunde hoc systema vel adhibetur solum ab aliquibus confessariis, vel adhibetur ab omnibus. Si primum, tunc clerici dimissi sine absolutione ab uno, alium a quo absolvantur inquirerent. Si secundum, tunc fere id unum expectandum esset, ut partim ante spiritualia exercitia peccata mortalia confiterentur, et partim (peccata ipsa reticendo) sacrilege absolutionem ipsumque Sacrum Ordinem reciperent. Clerici ut plurimum sunt pauperes, et saepe (propter militarem conscriptionem) aetate provectiores; unde ordinarie sine gravi damno Ordinis receptionem differre non possunt; et tunc Confessarius suae potestatis limites praetergrederetur, si poenitenti disposito et reluctanti absolutionem differre vellet, ut vidimus (De Recidiv. n. 184. in fin.). Adde periculum ne suspectus contra ipsum concipiantur. Adde, omnia esse parata. Virtus extraordinaria certe exigeretur, quae in subiectis de quibus loquimur male sperari posset.

Cui tandem bono experimentum istud adeo periculosum? Si plures anni perfectae continentiae exigerentur, prout rigoristae dicebant; tunc equidem fundamentum solidum haberetur. Sed, quum TT. hodie dicant communiter sufficere si clericus aliquandiu operam dederit ad pravum habitum extirpandum, non percipio cur probatio tam brevis (quae ordinarie ad captandam absolutionem praestaretur aut fingeretur) fundatam futurae continentiae spem praebere; divinam vocationem in tuto collocare; sacrilegiorum et scandalorum periculum eliminare; illam positivam atque praecellentem sanctitatem, quam TT. isti exigunt, producere; et denique remedium tanti momenti constituere possit, atque adeo necessarium ut sub gravi et ex regula generalissima exigi debeat. Certe non ita sensit Benedictus XIV, qui (De Syn. XI. II) dicit: « Nullam suppetere generalem « regulam, quae in huiusmodi casibus indistincte ab eo (con- « fessario) adhiberi valeat. Quare non aliud consilium ei prae-

« beri posse censemus, quam ut omnia personae, rerum, et « casuum adiuncta diligenter inspiciat et mature perpendat.... « Denique Divini luminis opem enixis precibus imploret, ut « illius ductum sequens, neque seipsum prodat, neque poeni- « tentem suum, cui *aliquando* absolutionis dilatio salubrior « esse potest ». Et notandum quod Pontifex in conclusionem adeo moderatam devenit, quamvis suo tempore Sacerdotes (etiam scandalosi) ita abundarent, ut (l. c.) scripserit: « Tot « numero Sacerdotes passim conspiciuntur..., ut multi circum- « eant cum magna iactura ecclesiasticae dignitatis, sordidi ac « pene nudi stipem ostiatim mendicantes; alii vero, quod mul- « to gravius est, culpa sua etiam sacerdotes inveniantur in « publicis carceribus, vel catenis alligati in triremibus cum « ultima hominum faece ad remos trahendos assidua fustiga- « tione cogantur ». — Gury (II. 718), postquam sententiam S. Ligorii (qui obligat ut absolutio differatur) modo mere historico retulerit, se in aliam partem inclinare aperte indicat, inquiens: « Alii tamen in tota ista quaestione apud eundem S. « Lig. aliter sentiunt ». In aliam partem Ballerini quoque inclinare, ex nota ibi subiecta manifestissime patet. Denique probatissimus Auctor operis *Istruz. per i novelli Confess.* (II. 65) dicit: Confessarium interdicere non posse Ordinis susceptionem clerico, qui remedia opportuna adhibere volens, se parvum habitum emendare posse speret: differre autem illi absolutionem, aut praevium experimentum exigere, esse quidem posse de consilio sed non de praecepto.

Pro praxi itaque sic summatim concluderem. 1° Si loquamur de ordinando iam ab Episcopo rite approbato, qui in vigilia ordinationis se praesentet, difficillime dabitur casus, in quo absolutionem ei (caeteroquin disposito) denegare necesse sit. Casus huiusmodi contingeret solum si iam manifeste pateret quod multo magis noxius quam utilis Ecclesiae futurus sit, ut dixi; v. g., si turpem consuetudinem cum foemina haberet, quo casu alia quoque ratio superadderetur; quod nempe nimis interest ut concubinatus a clero arceatur. Et si forte ordinandus periculum infamiae obiiceret, confessarius ei respondere deberet, nullam superesse infamiam si dicat velle se maturius cogitare de ineundo eiusmodi vitae instituto, quod gravissima secum fert onera, quodque semel susceptum per omnem vitam necessario servandum erit. 2° Si autem loquamur de clerico qui a sacra ordinatione longe adhuc sit; tunc confessarius, inspectis circumstantiis (nempe dioecesis necessitate, aliis subie-

cti qualitatibus, eius aetate, spe emendationis, consequentiis a clericalium vestium depositione derivantibus etc.) congrua consilia illi dabit. Si tamen Dioecesis in necessitate versetur, consilium (maxime vero praeceptum) de vestibus deponendis non sine ponderatione vere magna dari poterit; si enim cavendum est ne repellendus promoveatur, cavendum est etiam ne brachium utile Ecclesiae adeo indigenti subtrahatur. Quis scit insuper an alii ordinandi sint similes aut peiores? Quid proinde, si in tanta Ecclesiae necessitate, paucissimis ut ei serviant se praesentantibus, hi quoque omnes aut fere omnes a confessariis repellerentur? Facilius expedire potest ut clerico habituato absolutio differatur, ut magis efficaciter emendationi attendat. Sed hoc etiam prudenter et caute fiat, ne propter necessitatem accedendi cum sociis ad Sacram Mensam, aut propter verecundiam in sacrilegiorum abyssum se coniiciat; si enim dilatio absolutionis alienationem a confessione, augmentum verecundiae, reticentiam peccatorum, et sacrilegia multa in saecularibus non raro producit; eosdem effectus, et quidem multo saepius et cum ruina valde peiori, in personis ecclesiasticis producere potest.

## PUNCTUM II.

### DE IIS QUAE CLERICIS PRAECIPIUNTUR.

### § I.

### *De habitu et tonsura.*

598. Habitum ecclesiasticum adhibere (speciatim extra domum) districte praecipitur, nisi legitima consuetudo, aut speciales temporum et locorum circumstantiae, aut aliquae causae rationabiles excusent. Quantitas culpae a gradu scandali, a qualitate vestis (si nempe nullum habitus ecclesiastici vestigium remaneat), a fine atque a temporis duratione pendet. Quamvis autem ignotus omnino et sine ullo scandalo clericus *in sacris* vel beneficiatus laicali veste quinque aut sex diebus incederet, graviter peccaret. Clerici autem in minoribus et non beneficiati (quasi adhuc liberi) quoad habitum aliasque obligationes (secluso scandalo) gravi culpae non subiiciuntur.

Laxare et nutrire comam (nisi forte alicubi tamquam mos

legitimus habeatur) interdicitur, et quidem sub gravi nisi de re moderata agatur.

Non deferre coronam (*la chierica*) culpa est; an tamen sit mortalis, non satis constat.

## § II.

### *De coelibatu.*

599. Ordinatus in sacris ex lege ecclesiastica, atque ex voto, iubente Ecclesia, emisso; coelibatum et perfectam perpetuamque castitatem servare debet. Si quis metu gravi coactus subdiaconatum susceperit, et postea sive expresse sive tacite ordinationem non ratificaverit (Ordinem nempe libere exercendo simulque advertendo hoc modo Ordinem susceptum se ratum habere), dispensationem obtinere poterit. Difficile tamen, si non Subdiaconatum dumtaxat sed Diaconatum quoque et Presbyteratum suscepisset. Cf. dicta (n. 106) et Scavini (II. 224).

## § III.

### *De officii divini, nempe horarum canonicarum, recitatione.*

600. *Personae ad officium obligatae* sunt 1° Clerici in sacris; 2° Clerici beneficiati; 3° Religiosi professi, si regula hanc recitationem exigat.

601. *Culpa*, officium non recitando, est mortalis; nisi parvitas materiae excuset. Omittere horam parvam (v. g., Tertiam vel Completorium) aut aliam partem aequivalentem, a culpa gravi non excusatur; pars minor (v. g., tres lectiones cum responsoriis, aut vesperae sabbati sancti) materia levis censetur. S. Lig. (IV. 147). — Quamvis horae canonicae sint septem, tamen qui ex unica intentione prius concepta illas omnes praetermittit, unicum peccatum committit; quia ad modum unius accipiuntur. — Hoc peccatum est contra virtutem religionis; beneficiatus tamen qui officium non recitaret, et nihilominus fructus percipere vellet, contra iustitiam quoque (iuxta mox dicenda) delinqueret. S. Lig. (l. c. 145).

602. *Poena.* Beneficiatus officium omittens non potest facere fructus suos seu iure ad fructus privatur. Haec poena profluit a lege positiva, nempe ex Cap. *Statuimus* Concil. Later. et ex

Bulla *Ex primo* Pii V (Cf. S. Lig. III. 663). Adest solum post sex menses a beneficio obtento. Exigitur culpa, et quidem gravis (S. Lig. IV. 145). Intelliguntur fructus non iam percepti ante omissionem, sed percipiendi post ipsam (S. Lig. 153): atque omissioni correspondentes; qua de re Bulla dicit: « Qui « horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, « omnes beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent; « qui vero matutinum, tantum dimidiam; qui caeteras alias « Horas, aliam dimidiam; qui Horam singulam, sextam partem « fructuum eius diei amittant ». — Si tamen beneficiatus alia, praeter officium, onera specialia haberet, tunc non omnes fructus sed solum pro rata officio correspondente restituere deberet; sic enim TT. fere communiter Bullam interpretantur: et dicunt sufficere si Episcopus et Parochus tertiam (alii dicunt quintam); Canonicus dimidiam (alii dicunt quartam); Capellanus dimidiam (alii dicunt tertiam) partem restituat. S. Lig. (III. 673). — Hi fructus erogari debent non quomodolibet in usus pios, sed praecise sive in eleemosynas sive ad meliorandos fundos aut fabricas proprii beneficii; et notandum quod eleemosynas sibi ipsi applicare posset si esset pauper, dummodo huiusce rei intuitu officium non omisisset. S. Lig. (III. 672). — Si autem eleemosynas non ante sed post officii omissionem pauperibus distribuisset, a nova erogatione excusari posset, quamvis tunc de hoc debito non cogitasset; implicite enim unusquisque intendit satisfacere prius obligationi et postea consilio (S. Lig. IV. 153). Notandum etiam quod, ut ait S. Lig. (III. 665), cum haec restitutio proculdubio sit poena, ipsa omnino culpam (et quidem gravem) requirit. Hinc non intelligo cur ipse S. Doctor ad hanc restitutionem obliget Beneficiatum etiam quando iuxta probabilem opinionem absque culpa officium reliquerit, aut in ipsa recitatione leviter dumtaxat peccaverit, prout in casu omittentis officium quia illud sine socio (quem absque mercede habere nequeat) recitare non possit (IV. 158); aut in casu illius qui voluntarie interne distractus officium recitaverit (III. 669). D'Annibali quoque (III. 900. not. 18) sentit nihil esse restituendum. Certum est tamen quod haec restitutio, quamvis sit poena, si locum habere debeat, ante sententiam et in conscientia exequenda est; ut patet ex prop. 20 ab Alex. VII. damnata.

603. *Causae a recitatioue officii excusantes* sunt sequentes.

1°. Beneficiatus non in sacris excusatur, si nullos fructus percipiat neque eos in posterum recuperandi spem habeat;

intellige suâ culpâ seclusâ (S. Lig. III. 664). Idem dic si beneficium adeo tenue haberet, aut fructus adeo diminutos perciperet, ut tertia pars congruae (nempe summae pro patrimonio ecclesiastico taxatae) non supersit. S. Lig. (l. c. 674).

2°. Clericus in sacris excusatur, si per vim aut metum sacrum ordinem susceperit, neque illum ratum habere velit. S. Lig. (IV. 144). Sacerdotem degradatum, atque sic ad statum saecularem electum a recitatione excusat Tamburini (Dec. II. v. 5); suspensus tamen et excommunicatus, eo quod in statu sacro adhuc remaneat, certe non excusatur.

3°. Religiosus professus, quamvis forte chorus aliqua die non adsit aut illum adire nequeat, officium privatim recitare tenetur. S. Lig. (IV. 142). Religiosi a saeculari gubernio electi atque dispersi a recitatione non excusantur; remanent enim religiosi eisque illae dumtaxat regulae relaxari possunt, *quae cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles*, ut decrevit S. Poenit. iussu Pontificis, 28 Iun. 1866. — A fortiori obligantur religiosi fugitivi, qua de re hodie dubitari nequit. — Electi autem et saecularizati per sententiam eo quod incoercibiles evaserint, probabiliter ad officium non tenentur (intellige semper sola ratione professionis), quia Religiosi amplius non sunt, et clericis degradatis assimilari possunt. S. Lig. (l. c.).

4°. Infirmi, convalescentes, et quotquot corpore ita male se habent ut prudenter credi aut timeri debeat, officii recitationem sanitati sat graviter fore nocituram, hi omnes certe excusantur. Dixi *credi aut timeri debeat;* non enim futuri nocumenti certitudo exigitur, sed solus timor (non tamen inanis) sufficit. Dixi *sat graviter*, ut puta, si ex recitatione notabilis dolor capitis aut stomachi eruditas produci, vel augeri, aut tardius remitti deberet. In C. *Clericus* 2. Dist. 91. dicitur quod *inaequalitas corporis* ab Officio excusat. Nec refert si Sacerdos Missam celebrare aut alios libros recreationis gratia legere possit. Haec enim de facili saluti, potius quam obsint, prosunt; quod non contingit de officio quod vere defatigat. Imo ne referret quidem si aeger in aliis rebus vere defatigaretur cum suae sanitatis praeiudicio; semper enim verum esset quod officium grave incommodum illi afferret, quo stante, Ecclesia non obligat. Dixi *prudenter*, et TT. notant sufficere iudicium medici, confessarii, superioris, et viri prudentis; neque vetant ut quis interdum proprio iudicio stet; quod certe admitti debet si agatur de sacerdote prudenti et bonae conscientiae aut de re ma-

nifesta, aut de casu in quo consilium ab aliis peti nequeat. Cf. S. Lig. (IV. 154), Croix (IV. 1224).

5°. Non solum infirmitas, sed quodcumque aliud incommodum extraordinarium et satis grave excusare potest; ut puta si quis repentino maximoque infortunio afficeretur; unde, sive propter extremam animi perturbationem sive propter necessitatem providendi, nullo modo aut solum cum magna difficultate officium recitare posset. Tambur. (Dec. II. v. 5). Item si quis propter scrupulos (non aliter vincibiles), aut potentiae visivae defectum, aut somnum (quod imminui nequeat), aut quia legere nesciat, in officio recitando adeo laboraret ut multas horas insumere et forsan officium ipsum pessime recitare cogeretur. S. Lig. (IV. 177. in fin.). et Tambur. (l. c. 18). Hic auctor (§ V. n. 19) exponit etiam casum illius qui semihora ante mediam noctem ad coenam accessurus reminiscatur se partem officii adhuc recitare debere, ita ut proinde in hoc bivio versetur, aut officium relinquendi, aut coenam vel sequentis diei Missam omittendi. Consilium quidem dat a coena abstinendi; sed veram obligationem adesse non definit. Decisio autem a gravitate incommodi pendet. — Quid in dubio an incommodum ad excusandum sufficiat? R. Si adsit periculum ne grave detrimentum in bonis sive fortunae sive honoris propter officii recitationem secuturum sit, tunc certe sufficiens excusatio aderit, prout diximus in casu infirmitatis; si vero totum dubium circa merum incommodum, seu defatigationem et molestiam, consistat; tunc TT. distinguunt inter dubium positivum et negativum, et dicunt excusationem valere si ratio probabilis (quae actiones nostras quodam decore exornat homineque rationabili dignas reddit) id suadeat; secus vero si haec probabilis ratio nec pro nec contra efformari possit; in dubio enim practico de actionis honestate, agere non licet. S. Lig. (IV. 154). — Clericus in carcere ad officium tenetur si sit in cella separata: secus vero si in carcere communi, irrisionibus, et vilipendiis expositus versaretur. Idem dic si abstinentia ab officii recitatione ad statum clericalem iustis de causis occultandum exigeretur. Clericus ad militiam coactus dispensabitur si gregarii militis partes agat; secus vero si talem gradum talemque commoditatem habeat, ut sat facile officium recitare possit. Idem dic etiam de quibusdam casibus extraordinariis, v. g., occurrente examine pro laurea, aut publica disputatione etc. (intellige semper si tunc officii recitatio nimis gravis redderetur); nec refert si laureae conse-

cutio aut publica thesium defensio non ex necessitate sed solum ad honorem assumerentur. Salmant. (XVI. III. 38).

6°. Excusat quoque occupatio in operibus religionis aut charitatis; sive ex proprio munere susceptа fuerit, sive voluntarie. In hoc tamen ultimo casu oportet ut religionis aut charitatis opus officii recitationi praeponderet; maiorisque boni rationem sat clare praeseferat. Exemplum habes in Missionariis et Confessariis si tota aut fere tota die defatigentur, prout contingere solet (quoad primos) speciatim in ultimis sacrae missionis diebus; et (quoad secundos) quando magna poenitentium turma a summo mane usque ad noctem, in Sabbato Sancto aut alia circumstantia extraordinaria, affluit. Certe qui per duodecim horas in his ministeriis atque in huiusmodi occasionibus occupantur, excusari debent; minusque sufficit, si nimis defatigentur. Salmant. (l. c.). Neque scrupuli iniiciendi sunt si aliqua hora libera remaneat; tunc enim aliquid recreationis, ad vires reassumendas vel ad extremam oppressionem evitandam, pia mater Ecclesia certe non denegat. Quid de missionariis, qui quamvis tota die, ut supra, defatigentur, tamen, aliquantulum citius surgendo aliisque momentis liberis usufruendo, cum modico incommodo officium quoque se posse recitare existimant? R. In hoc etiam casu (meo sensu) non tenentur. Non enim credo quod Ecclesia adeo subtiliter, lyncis oculo atque ad modum severi fiscalis cum suis ministris pro ea laborantibus procedere velit; et aliunde huiusmodi obligatio onus oneratis et defatigationem defatigatis superadderet, scrupulis aditum aperiret, et duritiem saperet.

7°. Qui dubitat an officium vel officii partem recitaverit certe non tenetur repetere si sit scrupulosus; ordinarie enim de vana apprehensione agitur; imo a repetitione prohibendus. Etiam in non scrupulosis, suboriri possunt dubia, quae vera dubia non sunt atque ex certis indiciis in certitudinem resolvuntur; ut puta, si quis dubitaret an v. g. Nonam recitaverit, quamvis inveniat signaculum in huius horae fine appositum, dum illud ibi nisi recitatione finita apponere non solet. — Sed quid si verum dubium subsistat? S. Alph. (IV. n. 150) hic quoque distinguit inter dubium negativum (quod non excusat), et positivum (quod excusat). Attamen, meo sensu, sequenti modo res ista declarari debet. Sacerdos, v. g., Horam tertiam recitat, et distractione suborta dubitat negative (videlicet prorsus nescit) an sit in principio an vero in fine. Dicerem sufficere si a medio incipiat; sic enim sensu communi huiusmodi dubia resol-

vuntur. Si autem dubitet positive (indicia nempe positiva habeat), distinguerem: si rationes (quamvis non convincentes) adsint solum pro parte suadente quod ultimus psalmus finitus fuerit, aut si pro hac parte indicia validiora subsistant; tunc a fine huius psalmi incipi poterit; id enim sufficere videtur, quum ex una parte modo rationabili procedatur, et ex alia non agatur de re quae omnino clamet ut a parte tuta stari debeat (prout contingeret, v. g., si ageretur de periculo occidendi hominem). Si vero ex utraque parte rationes aequalis ponderis militarent (ut puta si officium recitaretur cum duobus sociis, quorum unus diceret: sumus in fine; alter vero diceret: sumus in principio); tunc ratio atque sensus communis dictaret ut a medio (sicut in dubio negativo) incipiatur.

8°. Oblivio, ut per se patet, excusat. Si quis tamen huiusmodi oblivionibus non raro subiiceretur, remedium apponere deberet. Casus contingere solet in omissione Completorii, si forte tempore consueto non recitetur; et tunc aliquod signum memoriae excitativum apponendum est.

9°. Demum excusat dispensatio. Papa dispensationem concedere solet gravi de causa, et speciatim ob nimias occupationes, ad scrupulos sedandos, propter potentiae visivae defectum etc. Episcopi quoque dispensare possunt; sed solum in casibus particularibus atque ad breve tempus. Attamen quoad Moniales, quae a propriis monasteriis in Italia exulare coguntur, S. Poenitentiaria (28 Iun. 1866) concessit ut Episcopi horas canonicas in alias preces eis commutare possint. Praelati regulares (etiam inferiores) suos subditos dispensare possunt, et maiori facilitate si non sint *in sacris*; tunc enim ex sola causa studiorum dispensationem concedere poterunt. Salmant (XVI. n. 20).

604. Quoad excusationes nonnullae quaestiones adhuc resolvendae remanent.

Quaer. I°. Qui nequit officium recitare (secluso casu commutationis) teneturne ad alias preces? Neg. S. Lig. (IV. 154).

Quaer. II°. Qui totum officium recitare nequit, teneturne ad partem? R. Interdum tenetur, interdum non.

Non tenetur I° Qui certus sit se propter infirmitatem non posse integrum officium recitare, et dubitet an possit exiguam partem; secus enim scrupulis et angustiis via aperiretur. S. Lig. (154. in fin.). Idem dicerem de eo qui in simili dubio versaretur non propter infirmitatem sed propter defatigationem aut aliud grave incommodum. Imo qui etiam certe sibi suaderet se posse absque incommodo recitare exiguam partem, v. g.,

Completorium ; ad hoc ( saltem si de infirmitate agatur ) non teneretur ; semper enim verum esset quod via scrupulis aperiretur ; neque verisimile est quod Ecclesia adeo minutiose rem hanc introspicere velit ; et demum infirmi non solum ex gravi incommodo sed etiam ex consuetudine excusantur. — Non tenetur II° Qui notabilem quidem partem recitare possit, sed ita ut pars ista formam divini Officii non habeat ; unde non pauci TT. ( contra alios multos ) censent, te non esse obligatum recitare illam horam, cuius notabilem partem omittere cogeris ; ut puta si, deficiente breviario, psalmos quidem matutini dicere valeres, eo quod memoriter illos scias ; sed novem lectiones recitare nequires. Palao ( VII. II. VI. 7 ), Gury ( II. 96 ), etc. Ratio est quia obligatio non iam psalmos sed officium iuxta formam a Pio V praescriptam respicit. Attamen si ageretur de officio feriali, solus trium lectionum defectus matutini formam non auferret, ut notat Laymann ( I. IV. XIX. 6 ).

E contra qui iuxta Breviarii formam potest maiorem vel circiter dimidiam officii partem recitare, procul dubio ad illam tenetur ; idemque dicendum videtur si minorem partem, recitare possit. Primum iam ab Ecclesia definitum fuit ; secundum non item, imo ab aliquibus magni nominis Theologis ( nempe Lessio II. 37, Palao l. c. 9. Salmant. III. 48. etc. ) inficiatur, qui dicunt hic quoque valere principium : *Pars maior trahit ad se minorem.* Tamburini ( Dec. II. v. § 8 ) dixit 1° Si potest quis solum matutinum recitare, non autem alias horas, ad nihil obligabitur. 2° Qui non potest recitare Matutinum et Laudes ; potest autem Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium ad nihil tenetur. Haec secunda propositio, non vero prima ab Innoc. XI. damnata fuit.

Quaer. III. An tenearis recitare cum socio, si, v. g., propter coecitatem officium solus recitare nequeas ? R. Qui tenetur ad finem tenetur ad media ; sed hoc axioma de illis mediis ordinariis intelligi debet, quae iuxta sensum communem sub obligatione cadere censentur. Sic, v. g., obligatus ad officium, si legere nesciat, addiscere tenetur ; si oculo nudo non sufficienter videat, perspicillos adhibere debet etc. Non vero intelligendus est de mediis extraordinariis, seu talibus ut obligatio ad illa nullo modo aut non clare cognoscatur. Huiusce generis est recitatio cum socio, si socium inquirere deberes, et multo magis si in hunc finem aliquid solvere cogereris, nec refert si dives esses et sine incommodo stipem socio solvere posses. Attamen, si consuetudo tibi esset recitandi officium cum socio, adveniente postea

coecitate, consuetudinem ipsam (si commoditas duret) continuare deberes; in tali enim casu hoc medium a bonae conscientiae Sacerdote sat clare perciperetur. Ita Lessius (II. xxxvii. 54).

605. *Breviarium approbatum adhiberi debet.* Pius V. in Bulla *Quod a nobis*, quum magna tunc breviariorum multitudo et confusio adesset, praecepit ut solum Breviarium Romanum ab omnibus adhiberetur, ita ut Sacerdotes *hac sola formula satisfacere possent.* Excepit dumtaxat illas Dioeceses aut Communitates, in quibus saltem ultra a ducentis annis aliud breviarium in usu fuisset; unde, v. g., nec Benedictinum nec Ambrosianum breviarium suppressum remansit. Quid, si alicubi contra Pii V. constitutionem Breviarium a Romano diversum iam a longo tempore adhibeatur? R. Illuc Episcopi S. Rit. Congregationem interpellare debent; sacerdotes autem, donec Roma expressam prohibitionem pro illo casu particulari non emiserit, solitum breviarium adhibere poterunt, quin culpam committant aut beneficiorum fructus perdant. Attamen (si velint), etiam inconsulto Episcopo, breviario Romano uti possunt. Gury II. 58. 59.

606. *Standum kalendario propriae dioecesis (vel religionis).* Excipe nisi interdum *evidenter* constaret Kalendarium errare; ut patet ex decr. 27 Aug. 1836.

607. Quid de Sacerdote qui alibi proficiscatur? R. Canonici aliique beneficiati tenentur semper ad officium propriae Ecclesiae (Decr. 12 Nov. 1831. Marsor. ad 50). A Carpo (II. 182) dicit, hoc esse intelligendum de illis beneficiatis quorum beneficium pro titulo Ecclesiam (non altare) habeat. Alii clerici saeculares, si alibi domicilium figant, tenentur sequi kalendarium Dioecesis ubi morantur, quum eiusdem subditi fiant (Decr. 14 Maii 1672), Si autem alibi versentur animo ad propriam dioecesim redeundi, iuxta Decr. 12 Nov. 1831, generaliter possunt conformari officio loci ubi morantur; sed non debent: et certe suum officium melius retinebunt si per breve tempus alibi morentur, vel de loco ad locum peregrinentur. Si autem alibi per longum tempus moram trahant, melius erit si officio loci se conforment. — Quoad Regulares, atque illos qui spiritualibus exercitiis vacant, vide nonnulla apud A Carpo (l. c. 183) et Scavini (IV. 379).

608. An peccet mortaliter qui, nulla causa excusante, kalendario proprio non stet, et officium pro officio recitet? R. Peccatum mortale certe adest, si quis pro officio currenti officium Paschatis aut Pentecosten, aut pro vesperis consuetis vesperas Sabbati Sancti recitaret; Ecclesia enim solum intuitu laetitiae et solemnitatis haec officia ad talem brevitatem reduxit

ut defatigatio fere ad nihil redigeretur, et de caetero orationem satis longam et laboriosam constanter sub gravi exigit. Alex. VII damnavit seq. propos.: « In die palmarum recitans officium « paschale satisfacit praecepto ». Mortalem quoque culpam adesse censeo, si quis semper idem officium recitaret; aut, modo istud modo illud officium recitando, nullum ordinem servaret; aut semper breviora longioribus substitueret; aut proprium kalendarium prorsus reiiceret alioque uteretur toto anno; aut demum officium magnae solemnitatis in officium lugubre vel de Sancto commutaret. Ad indicandum enim de levitate materiae, non sola materia in se, sed etiam finis legis, consequentiae aliaeque circumstantiae considerari debent. Cf. S. Lig. (160) et Cardenas (IV. xxxiii. 80). Caeterum Sanchez cum aliis (apud Viva pr. 34 Alex. VII. n. 2) censet, « leviter peccari, si se- « mel aut iterum officium de Sancto subrogetur officio Domini- « cae, etiamsi illud sit valde brevius ». Et S. Lig. (IV. 161) probabilem decernit sententiam quae dicit, non peccare graviter qui (*etiam ex consuetudine*) mutat officium in aequale aut fere aequale: idque ego quoque admitterem, sed solum cum conditione supra indicata, quod nempe aliquis ordo servetur; ut puta, si quis una vel altera hebdomada apud Regulares degens, iuxta illorum kalendarium officium pro tunc ordinaret. Caeterum, iusta causa seclusa, aliqua culpa semper aderit.

609. Quales causae sufficiunt, ut licite omnino officium pro officio recitari valeat? R. Si loquamur de mutatione frequenti (ut puta, si quis kalendario hodie dioecesano, cras franciscano, postridie alienae dioecesis etc. uteretur) difficile id licitum erit: sic enim contra rubricas circa concurrentiam et ordinem officiorum nimii errores committerentur, quaedam officia omitterentur, alia repeterentur etc. Idem dic de usu per notabile tempus continuato kalendarii non proprii; maxime si ritus quoque diversus esset (v. g., si Sacerdos ritus romani kalendario et breviario benedictino una vel altera hebdomada continua uteretur,, aut si non simplex sacerdos sed Canonicus vel beneficiatus alienae dioecesis kalendario uteretur. Pro huiusmodi mutatione sic continuata vel ex systemate, ne ratio quidem societatis (seclusa forte vera necessitate) aut occupationum valere potest, ut patet ex decretis 28 Aug. 1846, 7 Maii 1847, et 13 Iun. 1863; ex quibus apparet dispensationem peti debere. — Si autem loquamur de mutatione pro casu raro; tunc ad declinandam quamlibet culpam non exigitur causa absolute gravis, sed mediocris sufficit. Iuxta TT. sufficiunt causae se-

quentes. 1° Ratio *societatis*; dummodo socius auxilio tuo saltem aliqualiter indigeat; secus si non indigeret, ut patet ex Decr. 4675. 12 Nov. 1831. 2° Ratio *extraordinariae occupationis vel defatigationis*, prout aliquando (sed repeto *rarissime*) concionatoribus, professoribus, oeconomis, valetudinariis etc. contingere potest; S. Lig. (IV. 161. q. 3. *Quarta*). Idem dic si tribus quadrantibus ante mediam noctem, recurrente officio *de ea*, illud adhuc recitare nequiveris; tunc enim, potius quam officium dimidiatum recites, aliud brevius sed integrum recitare posses. 3° Ratio *specialis devotionis*, ut puta, si posito domicilio extra patriam, officium Patroni patriae tuae recitare exoptares. 4° Ratio *non perdendi tempus*, ut puta, si officium diei in promptu non haberes, atque interim, ne otiosus remaneas, aliud officium recitare posses; et idem dic si in itinere aliquod officium memoriter recitares, dum propter tuas occupationes temporis iacturam facere nequis. — Nonnulli movent scrupulos et dicunt, has commutationes supradictis de causis licere dumtaxat si officium non sit notabiliter brevius. Sed Viva (l. c. n. 10), Croix (n. 1255), Tamburini (II. v. § II. 21) aliique multi hanc limitationem expresse reiiciunt. Dices: si causae recensitae non sufficerent ad officium dimidiandum, cur sufficere poterunt ut officium longius in brevius commutetur? Respondet Viva (l. c. n. 17), quia officium completum brevius longiori mutilato praestat; unde causa minor sufficit ut officium cum officio breviori commutetur; et maior exigitur ut mutilari possit. — Alii dicunt, officium ritus romani cum officio diversi ritus, (v. g., Benedictino, Dominicano, Ambrosiano etc.) commutari non posse; quia Pius V. dixit: obligatos ad ritum romanum *hac sola formula satisfacere posse*. Sed hic quoque est scrupulus inanis, Pontifex enim sic dixit ad excludenda non iam breviaria approbata, sed suppressa. Cf. Gury (II. 76), Croix (1241), S. Lig. (158) etc. — Potestne officium permutari ut Missa cum officio concordet? Potestne scilicet, v. g., Capellanus Monialium, qui celebravit de Sancto iuxta earum kalendarium, recitare officium eiusdem Sancti? R. Id affirmat S. Lig. (n. 161. v. *Iuxta*); sed haec opinio hodie teneri nequit; in contrarium enim habemus plura decreta, ut videre est apud Gardellini n. 4464 ad 3, et 3447.

610. Qui inadvertenter officium pro officio sine causa recitavit, cognito intra diem errore, teneturne supplere? R. Officium praetermissum recitare certe non tenetur. Substantia iam praestita fuit; et sola commutatio unius officii cum alio

pro casu raro quid accidentale reputatur. In praesenti autem hypothesi bona fides superadditur, et sic Ecclesia facilius indulget; unde vulgare est effatum: *officium pro officio valet.* — Hic quoque nonnulli TT. difficultatem movent circa officium notabiliter brevius, ut puta, si pro officio de Dominica officium de Sancto recitatum fuerit; quo casu dicunt fieri debere compensationem recitando novem psalmos ex primo nocturno Dominicae. Sed haec obligatio a multis aliis negatur. Cf. Cardenas (XXXIII. 72), Tambur. (II. v. § n. 21), Croix (IV 1251), Lessius (II. xxxvii. 77), et Viva (l. c. 16), qui tamen excipit casum in quo officium aliis officiis *consuetis* valde brevius fuisset, nempe si pro officio trium nocturnorum, officium brevissimum unius nocturni recitatum fuisset; et tunc compensatio, recitando duo nocturna seu partem aequivalentem matutini omissi, fieri deberet. Ratio autem differentiae est quia ad consueta maior datur obligatio; ut patet exemplo Missae in qua omittere partem ordinariam (v. g., Evangelium) reputatur mortale, et omittere partem extraordinariam (v. g., Credo) est veniale. Cf. Gury (II. 409).

Sicut officium pro officio, ita matutinum pro matutino et generatim pars pro parte valet.

611. Qui partem officii diversi recitavit, cessante causa quae mutationem legitimam reddebat aut errore detecto, quomodo reliquum recitare debet? R. Si exiguam partem recitaverit, tunc quoad reliquum kalendario stare tenetur. Oppositum decerni debet si iam prope finem errorem detegeret. Si vero circa medium errorem deprehenderet; tunc melius esse videtur ut kalendario se conformet; iuxta axioma: *Error corrigitur ubi deprehenditur;* sed plures TT. dicunt, officium incoeptum continuari posse usque ad vesperas, quae cum officio diei sequentis rite ordinari debent.

612. Si dixeris officium iam alia vice recitatum, potesne officium omissum transferre ad primam diem officio novem lectionum non impeditam? Et si dixeris officium in posterum recitandum, poterisne, adveniente die huius officii, recitare officium omissum? R. Primum certe non licet, et de hoc adest decretum (17 Iun. 1673). Quoad secundum, Auctores non conveniunt; sed melius esse videtur in posterum stare kalendario, ne bis erretur.

613. Qui officium iuxta kalendarium recitare nequit, teneturne illud recitare aliter, si possit? R. Qui non habet officium proprium, certe tenetur recitare de communi. Si autem nequi-

rel recitare, nisi ritu diverso, eo quod, v. g., Sacerdos ritus romani breviarium benedictinum dumtaxat habeat, utrum teneatur hoc breviario uti, non satis liquet. Cf. S. Lig. (158) et Salmant. (XVI. I. 28), qui dicunt, unum et indivisibile tantum praeceptum dari de recitatione, et de recitatione sub forma proprii breviarii; sacerdotes enim ritus romani, si breviarium romanum non habeant, sicut ad alias orationes aequivalentes, ita etiam ad orandum sub forma breviarii benedictini, vel alterius ritus, non tenentur: differentia enim nimia est. — Quid demum si quis (deficiente, v. g., kalendario aut breviario) officium huius diei ne ex communi quidem recitare posset, posset autem recitare officium alterius diei, aut B. Virginis? Salmant. (l. c. III. 48) dicunt: « Nemo ad officium alterius diei « adstringitur, sed solum ad proprium diei currentis ». Ego tamen saltem ad horas parvas (si illas recitare possit) simul cum laudibus, eo quod in substantia semper eiusdem tenoris sint, (additis responsoriis et oratione ad libitum) illum obligarem.

614. *Recitatio debet esse integra.* Ad officii integritatem (in recitatione privata) non pertinent 1° Psalmi graduales, poenitentiales, et Officium parvum B. M. V., nisi ex lege Ordinis vel speciali onere Beneficio adnexo obligatio oriatur. 2° Aperi Domine, et Sacrosanctae. Gury (II. 81). 3° Oratio diei et *Pater noster* post Matutinum si a Laudibus separetur, et *Pater*, *Ave* ante istas. De Herdt (II. IV. 44. 45); laudabiliter tamen dici possunt. 4° Commemoratio Patroni loci seu Dioecesis, si commemoratio Titularis proprii Beneficii fiat. Decr. 23 Sept. 1848; rubricae enim breviarii congruit ut haec commemoratio sit unica; unde etiam si quis plura beneficia haberet, unicam commemorationem (nempe Titularis principalioris) facere posset. Cf. Scavini (IV. 370) et De Herdt (l. c. 69). — Disputant TT. utrum Litaniae in festo S. Marci et triduo Rogationum sint de praecepto; sed hodie (ex decr. *Tridentina* 12 Mart. 1836) de hoc dubitari nequit.

615. Beneficiatus die, qua in beneficii possessionem immittitur, integrum officium (ratione fructuum, *dictim*) recitare debet. Ordinatus autem *in sacris* incipere potest ab ea hora quae ordinationi correspondet (quae ordinarie erit Sexta). Idem dic de Religioso professo.

616. Quid de corruptione verborum et de mutilatione syllabarum? R. Si id eveniat ex balbutie, non erit cur de culpa loquamur. Idem dic de consuetudine ita inveterata ut iam remedium non admittat. Porro ad impossibile nemo tenetur.

Caeterum distinguendum est inter corruptionem substantialem et accidentalem. In primo casu, si nempe corruptio tanta esset ut sensus verborum corrumpatur et fere nihil intelligatur; tunc culpa gravis locum haberet, et officium tamquam non recitatum aestimari deberet. In secundo autem casu; si nempe sensus verborum in substantia remaneret, tunc culpa mortalis et obligatio officium repetendi non adesset. Imo levis quoque culpa evanesceret, si aliqua attentio ad verba integre proferenda adhiberetur. Gury (89). Viva (II. III. c. 4. n. 4).

617. Si quis heri pro hodie matutinum dixerit, et de hoc oblitus illud hodie denuo recitaverit, poteritne a reliquis horis excusari? R. Negative; non enim integrum officium, sed medietatem dumtaxat (quamvis bis) recitavit; neque pro hoc casu viget axioma *officium pro officio valet;* quod enim deest, adhuc quid magni momenti aestimatur; et matutinum pro matutino quidem sed non pro horis (propter nimiam differentiam) valere potest. (Cf. Scav. II. 196). Idem dic si quis, pro Sexta et Nona adhuc recitandis, Primam et Tertiam iam recitatas ex oblivione repeteret. Si tamen gravibus occupationibus Sacerdos urgeretur, forsan praesumi potest quod Ecclesia, huius innocentis erroris intuitu et laboris iam aequivalenter in oratione tolerati, illum dispenset.

618. Quid de recitatione cum socio? R. Psalmi, hymni, responsoria et antiphonae alternari debent; sed quoad lectiones, capitula, et orationes sufficit, si haec ab uno recitentur. Quoad *Confiteor* et *Misereatur* in Prima et Completorio, sufficit si semel recitentur, prout quando quis solus officium recitat. Decr. 12 Nov. 1831. Non exigitur ut socius officium recitandi obligationem habeat. Cum foemina quoque valide (attamen non decenter) officium recitaretur. Nec referret si socius interne distraheretur, aut te non audiret; quoad te enim non a parte socii sed a parte tui satisfactio exigitur; atque ad hoc sufficit si illum audias, et sic eius verba per auditum quodammodo tua reddas. Sporer subiungit, ne exigi quidem ut socius intentionem orandi habeat, et sufficere si tibi auxilium ferre intendat. Oportet tamen ut socius modo convenienti suam partem recitet; nimirum 1° absque externa dissipatione; 2° absque verborum corruptione; 3° absque praecipitantia; ita ut nempe verba huc illuc non omittat, et priusquam tu versiculos finieris ille non incipiat. Sed hic quoque distinguendum est inter corruptionem substantialem et accidentalem. In primo casu satisfactio locum habere nequiret, idque (nota) quamvis socius forte

sine culpa sic procederet. In secundo autem, recitatio semper valida erit; et pro licito sufficiet, si (supposita convenientia atque spe fructus) socium, ut non adeo festinanter procedat, admoneas. Quid si tu socium non audires? R. Saltem si de privata recitatione loquamur, omnino necesse est ut socium audias. Caeterum distingue prout supra. Si auditio substantialiter impediatur (ut puta, si esses omnino surdus, aut toto officii tempore strepitus adeo magnus perduraret, ut, non obstante audiendi conatu, nihil aut fere nihil intelligi possit), tunc satisfactio impossibilis redditur. Secus si in substantia audias, quamvis (v. g., propter rumorem aliquem, aut quia surdaster sis vel socius voce nimis submissa recitet) aliqua huc illuc non percipias. Imo non desunt Theologi magni nominis, qui dicunt sufficere si in huiusmodi casibus (utique frequentibus et scrupulo obnoxiis) adhibeatur conatus ad audiendum, quamvis plura huc illuc non audirentur. Cf. S. Lig. (163. q. II) et Tambur. (V. § IV. 12).

619. *Horae canonicae tempore praefixo recitari debent.* — In Ecclesiae primordiis sic Horae recitabantur. Matutinum post mediam noctem, nocturnis invicem spatio temporis disiunctis: Laudes ad auroram; Prima post solis ortum: Tertia tempore medio inter ortum solis et meridiem; Sexta ad meridiem; Nona tempore medio inter meridiem et occasum; Vesperae ad occasum; Completorium ad noctis crepusculum. Sed obligatio hunc ordinem servandi iamdudum obsolevit. Hodie Horarum ordo est sequens.

Matutinum cum Laudibus (quavis etiam causa seclusa) hodie non solum licite sed laudabiliter anticipatur, et die praecedenti recitari potest. Sed qua hora? Tempus medium inter meridiem et solis occasum ob omnibus probatur; sed multi TT. probatissimi censent quod etiam antea valide et licite recitetur. Isti horam secundam post meridiem communiter indicant; sed non desunt qui, transacto meridie, matutinum recitari posse dicunt, eo quod dies ecclesiasticus, maxime quoad officium, incipiat a primis vesperis, quae privatim statim post meridiem recitari valent. Quia tamen communiter Vesperae recitantur solum post prandium; ideo hora secunda (circiter) post meridiem tempus Vesperarum vulgo existimatur; hora autem Vesperarum est etiam hora Matutini; si enim in Vesperis officium de sequenti incipitur, cur eiusdem officii Matutinum (iam per privilegium a proprio tempore nocturno ad praecedentem diem translatum) recitari adhuc nequibit? Salmanticenses (XVI. III. 15) aiunt:

« Probabilissimum ducimus, posse matutinum cum laudibus « immediate hora secunda dici, qua solent Vesperae recitari, « quia dies ecclesiasticus in ordine ad divinum officium recitan- « dum incipit a primis Vesperis ». Plures alios TT. vide apud Gury (II. 65. not. *b*).

Matutinum quoque defunctorum (extra chorum) recitari potest die praecedenti (ex consuetudine); sed non Litaniae S. Marci et Rogationum. Cf. Gury (66).

Si Missa celebranda sit, matutinum cum laudibus ante illam recitari debet; idque patet ex Rubrica Missalis Tit. X., quae inter defectus qui Missae celebrationem impediunt, enumerat etiam « Si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit ».

Prima et Tertia recitandae sunt ante meridiem. Sexta et Nona recitari possunt sive ante sive post meridiem. Vesperae autem et Completorium solum post; excepto tempore quadragesimae, diebus ferialibus, in quibus (incipiendo a feria 1ª post primam Dominicam) ante meridiem (post horam undecimam) recitari possunt. Aliae distinctiones minutiores ex contraria consuetudine iam e medio penitus sublatae sunt. Cf. Gury (62. 63).

Caeterum obligatio recitandi matutinum ante Missam, Horas ante meridiem, et Vesperas post meridiem, sub levi dumtaxat urget, et mediocris causa rationabilis (et signanter causa studii, pro quo tempus ante meridiem valde aptius est) ab omni culpa excusare potest. Attamen non quaelibet maior commoditas (quae semper adesset atque ut plurimum cum pigritia confunditur) excusaret. S. Lig. (172. 173).

620. Quaeritur, an qui tempore praefixo officii partem recitare nequit omnino, anticipare aut posticipare teneatur? R. Anticipare matutinum pro die sequenti, certe nemo tenetur; non enim datur obligatio utendi privilegio. S. Lig. (155). De caetero qui tota die officium recitare nequivit, adhuc tenetur nocturnis horis illud recitare, si possit. Qui vero praevidet, se pomeridianis horis a recitatione impeditum fore, certe tenetur ante meridiem dicere Matutinum, Laudes, et Horas. Sed tenebiturne recitare Vesperas et Completorium? Mihi placet sententia Lessii (II. xxxvii. 43) dicentis: « Si quis advertat im- « pedimentum occursurum, praesertim voluntarium, tenetur « praevenire; si non sit voluntarium (ut si febrim hora 10 « antemeridiana expectes) quidam putant non esse necesse prae- « venire: quod ego puto satis probabile; modo, si impedimentum « cesset ante duodecimam noctis, praetermissa recites ».

621. *Officium recitari debet ordinatim.* Quo ordine recitandae

sunt horae canonicae, notissimum est. Noto dumtaxat quod matutinum sequentis diei recitari potest pro libito sive post Completorium sive post Vesperas. Salmant. (III. 15). Imo Gury (n. 79) dicit, absque ullo respectu ad officium presentis diei recitari posse; quod tamen (seclusa causa) mihi verum non videtur; quia principium officii sequentis diei est in vesperis: quae ideo prius recitandae sunt.

Inversio ordinis nunquam peccatum grave constituit; ita ut ne grave quidem sit Completorium ante Matutinum recitare, aut fere semper ordinem invertere. S. Lig. (170). Qui tamen psalmos aliaque omnia ita confunderet ut forma officii evanesceret, non satisfaceret, graviterque peccaret. Suarez (XI. 7). — Quaelibet causa rationabilis (non tamen levissima) inversionem ordinis a quavis culpa excusat. Exempla. 1° Si inviteris a socio; 2° Si non habeas breviarium, atque, ad servandum tempus pro aliis occupationibus, recites horas ex Diurno quod in promptu sit; 3° Si non habeas Lectiones ad manum, et nunc reliqua recitare possis; 4° Si venias ad chorum hora iam incoepta; 5° Si officii partem recitans advertas te praecedentia non dixisse, quo casu finire potes et supplebis in fine. S. Lig. (170).

622. *Singulae Horae sine interruptione recitandae sunt.* Attamen notari debent sequentia. Matutinum separari potest a Laudibus, etiam sine causa. S. Lig. (167). Idem dic de nocturnis; quamvis enim tria nocturna unicam horam (probabiliter simul cum Laudibus) constituant; tamen hae partes sunt adeo distinctae ut separationem patiantur, prout de facto antiquitus separabantur. Salmant. (III. 4), Viva (III. iv. 5), S. Lig. (l. c.) etc. — Haec doctrina applicari potest quoque ad casum illius qui unum vel alterum nocturnum pro die sequenti recitat. Aliqui tamen, quoad separationem nocturnorum *ultra tres horas*, aliquam causam exigunt; sed Salmanticenses aliique de hac causa et de his tribus horis nihil dicunt. — Intra autem eandem horam vel idem nocturnum interruptiones apponere, absque animo repetendi et sine causa, certe non licet; sed culpa esset venialis, quamvis interruptio longo tempore duraret. Salmant. (l. c. 3). Dixi *sine causa;* scripsit enim S. Lig. (168): « Causae iustae interrumpendi officium sunt, quaelibet utilitas « propria vel aliena, quae incommode differretur, item urba- « nitas, aut devotio, ut dicere Missam, exequi mandata Supe- « riorum, excipere confessionem alicuius qui non libenter ex- « pectaret, aliquid agere aut notare ut tollas distractionem sive « sollicitudinem ne obliviscaris, modo hoc non fiat frequenter.

« Licite etiam potest intermitti aliqua brevis oratio vel affe-« ctus etc. ». Haec valent non solum si interruptio inter psalmum et psalmum, sed etiam si in medio psalmi apponatur, prout TT. communiter cum S. Lig. dicunt. — Qui absque causa sive bona sive mala fide Horam interrupit, male quidem (sive materialiter sive formaliter) se gessit, sed dicta repetere non tenetur (Gury 87): dempto casu quo, cum intentione repetendi, Horam interruperit; tunc enim repetitio necessaria est non ut praecepto satisfaciat, sed ut peccatum veniale (sicut proposuerat) reapse declinet.

623. *Quid de loco et situ?* Aliqui scrupulos movent circa loca immunda, aut recitationem in lecto factam. Sed Auctores communius, ut ait S. Lig. (179), « nullam in hoc culpam a-« gnoscunt, quia cum Deus sit ubique, in nullo loco est irre-« verentia illum orare; alias, si esset irreverentia, nec etiam « liceret ullo modo orare mente aut voce in loco indecenti; « quod nemo dicet; imo Apostolus (ad Tit. 2) inquit: *Volo « viros in omni loco orare* ». Cavendum est potius ne recitans, propter locum vel situm, sive somno sive nimiis distractionibus sit expositus. Attamen praxis etiam timoratorum est ut officium, sive deambulando, sive in curru iter faciendo, sive etiam stando ubi alii leviter confabulantur, recitari possit. Gury (70).

Rubricae Breviarii monent ut aliqua dicantur flexis genibus; sed id quoad chorum, non vero quoad recitationem privatam, intelligi debet. S. Lig. (179).

624. *Officium recitari debet attente ac devote.* In Cap. *Dolentes* (*De Celebr. Missar.*) legitur: « Districte praecipimus « in virtute sanctae obedientiae, ut divinum officium, quantum « eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote ». Porro huius praecepti vis non iam ad recitationem, bene vero ad attentionem et devotionem directa fuit; quisnam enim tunc dubitabat quin officium sub gravi recitandum esset?

Si attentio adsit, non obstat si exterius aliquid fiat; multae enim actiones modo machinali fiunt et cum attentione componi possunt, ut ambulare, se vestire, se lavare, pectere caput, sternere lectum, verrere cubiculum, accendere ignem, herbas floresque sine delectu colligere etc. Et notandum, quaedam esse distractiva respectu alicuius, et non esse respectu alterius. Aliqua etiam suapte natura distractiva (v. g., si quis officium recitaret ubi alii elata voce loquuntur, canunt, sonant, clamorem faciunt etc.), specialem conatum plus vel minus adhibendo, cum attentione componi possunt. S. Lig. (176).

Levis et superficialis attentio ad aliquid aliud (ut respicere flumen, pratum, collem etc.) attentionem ad officium infirmaret quidem aliquantulum, sed substantialiter non destrueret. Unde ad summum peccatum veniale intervenire posset. Idem dic de aliqua levi somnolentia. S. Lig. (l. c.).

Defectus attentionis non obstat, si occasione inquirendi necessaria ad officium ipsum eveniat; v. g., si, memoriter recitando psalmos, lectiones inquiras, kalendarium inspicias etc. S. Lig. (l. c.).

Defectus attentionis (quamvis recitatio tamquam mere machinalis evadat, et quamvis distractio sit cum externa sensuum evagatione, v. g., obiectum fixe inspiciendo, musicam attente audiendo etc.), si involuntarie accidat, non efficit ut officium iterum recitari debeat. Dixi *si involuntarie accidat;* si nempe sacerdos non advertat hoc modo officium graviter vitiari. Si enim distractiones involuntariae aut leviter culpabiles recitationis validitati obstarent: tunc officii onus, humanâ attentâ infirmitate, nimiis scrupulis aditum aperiret nimisque grave redderetur. S. Lig. (l. c.) limitat, dummodo actio de se sit compossibilis cum attentione interna; sed Theologi antiqui, in casu etiam actionis cum attentione incompossibilis, exigebant insuper ut divagatio animadvertatur. « Quoties quis dedita opera « mentem ab attentione non dimovet, praeceptum orandi non « omittit... Nemo censendus est attentione ex professo distrahi, « nisi alio negotio occupetur quod suapte natura orationis at- « tentioni adversetur; ut si quis, v. g., tunc legat aut scribat, « aut pingat etc... *Rursus* requiritur quod qui aliquid facit aut « cogitat, quod ab orationis attentione extraneum est, advertat « per illud ab eadem attentione dilabi. Quare, etsi ultro et « voluntarie alia cogitet, quousque non inspiciat se distrahi, « semper reputatur inadvertenter divagari, atque adeo excusatur « ab omissione praecepti de attentione ». Ita Sotus (De Iust. et « iur. X. V. Art. V. vers. fin.), Navarrus (XXV. 107) etc.

Si vero defectus attentionis sive actu sive in causa sit adeo voluntarius, ut recitans advertat se tali modo ad officium attendere non posse, eiusque recitationem ex toto aut per notabilem officii partem mere machinalem evasuram; tunc censeo defectum esse substantialem, praecepto non satisfieri, atque officium iterum esse recitandum. Theologi plures distinguunt inter distractionem externam et internam; et dicere videntur, solam distractionem internam, quamvis voluntariam atque profundam et cum attentione ad officium incompossibilem et tam-

quam talem cognitam; recitationem substantialiter non vitiare; unde qui etiam, dum officium recitat, ex professo problema methaphysicum resolvere, aut concionem memoriae mandare vellet, satisfaceret. Cf. Lugo (De Euch. XXII. 41). At vero doctrina huiusmodi (si hoc sensu ab Auctoribus accipiatur, qua de re dubito) magnum paradoxum mihi videtur.

Quoad distractiones itaque, summatim sic dicerem. Distractiones involuntariae nunquam recitationis validitati obstant, quamvis essent externae. Distractio externa tamen citius adverti solet, et proinde minus faciliter involuntaria erit. — Distractiones semivoluntariae, item voluntariae prorsus sed superficiales aut breves, peccatum veniale constituunt; sed recitationis validitati non obstant. Distractiones demum plene voluntariae, profundae, diuturnae et cognitae tamquam cum attentione ad officium incompossibiles, quamvis mere internae sint, recitationem substantialiter vitiant, onusque officium repetendi relinquunt.

## § IV.

### *De sacris functionibus rite peragendis.*

625. Ecclesiae ministri peccant certe, si sacras functiones sine devotione peragant. Secus enim quomodo sancta sancte tractarentur? Sacrae functiones ad fidelium devotionem excitandam sunt institutae; sed qui fiet ut functio non devota devotionem excitet? Nonne potius scandalo erit? Adde quod ut plurimum Christifideles eleemosynas contribuunt; idque profecto eo fine ut Sacerdotes in sacris functionibus pro ipsis eorumve defunctis Deum orent. Defectus devotionis potest esse internus; si nempe Dei Minister modo machinali omnia peragat, veluti ex quadam arte et quasi de solo stipendio cogitans, minimeque considerans quod si distractiones sive in se sive in causa voluntariae semper culpabiles sunt, multo magis tales erunt si pro oratione eleemosyna percipiatur. Deficiente devotione interna, facillime externa quoque deficiet; idque contingit si (seposita gravitate atque decore) praecipitanter procedatur, si oculi in gyrum vertantur, si confabulationes immisceantur; si, uno verbo, Sacerdotes sua agendi ratione satis ostendant, Dei cultum et orationem, quam Christifideles ab iis (stipe data) expostulant, ipsis parum vel nihil cordi esse. Haec devotio sub obligatione cadit non solum si functiones intra Ecclesiam

peragantur, sed etiam quando defuncti ad Ecclesiam vel Coemeterium deferuntur; unde Rituale (*De Exequiis*) dicit: « Psal-« mi devote, distincte, gravique voce recitari debent usque ad « Ecclesiam ».

626. Quid de statu gratiae? Si agatur de Sacramentis solemniter (nempe ex sacerdotali officio) conficiendis, statum gratiae sub gravi exigi, TT. uno ore fatentur. Attamen (secluso Sacrificio Missae) confessio non exigitur, sed contritio sufficit. Solam Eucharistiae distributionem, aut aliam (quamvis immediatam) huius augustissimi Sacramenti contrectationem, multi TT. a gravi culpa excusant; sed non intelligo quomodo haec doctrina cum gravissimis Ritualis et Catechismi Romani verbis componi possit. Rituale ait: « Impure et indigne ministrantes « (Sacramenta) in aeternae mortis reatum incurrunt » Et, agens specialiter de Eucharistia, subdit, conscientiae sanctitatem adhibendam esse « praecipue in administrando SS.mae Eucha-« ristiae Sacramento ». In Catechismo autem legitur: « Quan-« tum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multo-« rum scelerum conscius est; nec tamen sacra Mysteria polluto « ore conficere, VEL in foedas manus sumere, contrectare, atque « aliis porrigere ac ministrare vereatur »? Caeterum si Eucharistia non immediate tangatur, S. Lig. (VI. 36) censet, peccatum mortale probabiliter non adesse. Idem sentit Lugo (De Sacram. VIII. 154) de Parocho, qui Matrimonio (sine Missa) assistat; ipse enim Sacramentum non conficit. Quoad alias autem functiones, venialis quoque culpa abesse poterit, nisi (prout in exercitio Subdiaconatus et Diaconatus) ad Missae sacrificium proxime concurratur, prout non obscure innuit Lugo (l. c. 152).

627. Quid de rubricis? Hae certe observandae sunt in conscientia. Benedictus XIII scripsit: « Ab omnibus ita fieri volumus « et mandamus, ut in Sacramentorum administratione, in Mis-« sis et divinis officiis celebrandis, non pro libito inventi et « irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Ecclesiae « Catholicae ritus, qui in minimis etiam sine peccato negligi, « omitti vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia « serventur ». Rubricae itaque in Missali, Rituali, Caerimoniali Episcoporum et Pontificali Romano expositae in conscientia obligant. Quoad decreta S. R. C. Pius IX, organo ipsius S. C. (23 Maii 1846) sic definivit: « Decreta a S. C. emanata, « et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto « formiter editae eandem habeant auctoritatem, ac si immediate

« ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta « fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae ».

628. Attamen, circa obligationem observandi rubricas sive in Missali, sive in Rituali, sive in Decretis etc. expositas, sequentia notari debent.

I. Celebris est distinctio inter rubricas praeceptivas et directivas ; sed advertendum quod rubricae suapte natura sunt praeceptivae, et dumtaxat ad modum exceptionis dantur aliquae rubricae mere directivae, quae paucae sunt ; neque rubrica aliqua tamquam mere directiva haberi potest, nisi comprobetur. Comprobatur autem si ad modum consilii enuncietur (exemplum habes in conopeo quod ex consilio iuxta colorem officii currentis variari deberet. Decr. 5221. ad 12) ; aut si ab Auctoribus hoc sensu intelligatur (exemplum habes in orationibus pro praeparatione ad Missam indicatis).

II. Rubricarum inobservantia erit mortalis 1° Si versetur circa necessaria ad valorem Sacramentorum ; 2° Si magnam deformitatem aut scandalum afferat ; 3° Si omittatur coerimonia, quae (propter suam significationem aliasve rationes) magni momenti existimetur ; ut puta, si Sacerdos aquam in vinum ante offertorium non infunderet.

III. Consuetudo, sicut aliis legibus, ita etiam rubricis (non tamen modo praecise aequali) derogare potest ; idque sic explico.

Consuetudines quae indecentiam cultusque deformitatem implicant, non obstante quacumque antiquitate, tamquam abusus considerari debent. Solus timor mali maioris excusare potest Sacerdotes et Episcopos ne illas obtruncent. Exemplum habes apud Gardellini Decr. 4463. 23 Aug. 1794.

Consuetudines rationabili atque manifesta de causa introductae (prout apud nos est consuetudo non amplius adhibendi vascula aquae et vini ad purificationem communicantium) legitimae sunt. Idem dic de consuetudinibus omnino aut fere universalibus quae Romae quoque iamdiu servantur, quin S. R. C. unquam reclamaverit. Sic hodie apud nos nulla certe superest obligatio induendi superpelliceum antequam alia paramenta ad Missam celebrandam induantur ; vel retinendi toto anno cereum *a cornu epistolae* illumque ad Sacramenti elevationem in qualibet Missa accendendi etc. Equidem passim Liturgistae dicunt, contra rubricam claram et manifestam (maxime Missalis) consuetudinem legitimam nunquam efformari posse ; sed haec regula sic absolute prolata a veritate deflectit.

Quid igitur dicendum de consuetudinibus mere localibus, sed

non deformibus? R. In hoc casu alia est obligatio Episcoporum, alia Sacerdotum.

Episcopi si clare percipiant, solum ex ignorantia, vel falsis doctrinis, vel negligentia, vel pigritia, vel avaritia etc. consuetudinem illam fuisse introductam, atque legitimum speciale motivum nullimode suffragari; tunc prudenter curare debebunt ut consuetudo eliminetur, et rubricae observentur, saltem si decreta quoque adsint, ita ut contra consuetudinem illam Roma iam reclamaverit. Si vero dubitent ne forte decreta pro aliis dioecesibus facta vigorem in propria Dioecesi habere nequeant, eo quod specialia motiva consuetudini favere videantur; aut timeant ne forte imprudentia sit rubricarum et decretorum observantiam exigere; tunc ad S. R. Congregationem recurrere debent. Id patet ex Decr. 4782, ubi ad quaesitum: « Quid di- « cendum de consuetudine a doctis piisque Sacerdotibus, Ordi- « nariis non contradicentibus, usurpata? » S. C. respondit: « Recurrat in casibus particularibus ». Cf. etiam decreta 4590 et 5102.

Sacerdotes autem (provocando admirationem, dissidia, aut alia inconvenientia) singulares se reddere non tenentur; unde (donec vetitum efficax non supervenerit) consuetudini seu communi usui aliorum se conformare poterunt, imo ut plurimum debebunt; ut recte notat Scavini (I. 334). Si vero absque ulla singularitate et admiratione decretis se conformare possent; tunc certe ad id tenerentur.

629. Pro praxi, contra frequentiores abusus (qui fere omnes, nihil respiciendo quid alii faciant, in conscientia evitari debent) sequentes rubricas recenseo.

I. SS.mum Sacramentum. Tabernaculum (in quo Sacramentum asservatur) conopoeo cooperiri debet. Decr. 5221. — Super illud nihil (tamquam super basim), et ne reliquia quidem SS.mae Crucis, poni potest. Decr. 4578, et 4777. — Ante ostiolum ipsius neque Reliquia, neque vas florum collocari debet. Decr. 5033. — Lampas retinenda est intra et ante altare SS.mi Sacramenti, ut continuo ardeat. Decr. 3525. — Generatim utendum est oleo olivarum; et pro usu olei diversi generis exigitur necessitas ab Episcopo recognita. Decr. 5331. — Sacramentum in duobus altaribus retineri nequit. Decr. 5310. — In renovatione sacrarum specierum consumi debet tum Hostia, tum etiam particulae quae existunt in tabernaculo (unde nec Hostia frangi potest ut cum eius partibus Communio fidelibus distribuatur, nec Particulae veteres novis superimponi queunt), et haec re-

novatio quolibet octavo die fieri deberet. Decr. 2602. Gardellini tamen (not. ad decr. 4623) censet, praeceptum in rigore esse ut non ultra quindecim dies renovatio protrahatur. — In purificatione pixidis nec indice nec vino, sed solo purificatorio uti, gravis irreverentia est, ut per se patet. — Clavis tabernaculi nullatenus in tabernaculo ipso, sed in loco tuto poni et diligenter custodiri debet. Innoc. III. (3. Decr. 44) et Benedict. XIV. per S. C. E. (9 Febr. 1751).

II. Communio et Viaticum. Tempore nocturno Eucharistiam distribuere non licet; iis tamen horis in quibus Missa celebrari potest, nil vetat quominus Communio quoque distribuatur; excepta tamen nocte Nativ. D. N. I. C. Decr. 4526. 3105. — Particulae pro Communione integrae esse debent; interdum tamen, data necessitate, dimidiari possunt. Decr. 4707. Poteritne Sacerdos partem suae Hostiae ministrare personae Communionem petenti, si aliae particulae consecratae non adsint? R. Affirmant multi apud Giribaldi (De Euch. VI. 37); quamvis enim hodie id non liceat seclusa causa, tamen hac subsistente certe licet: quandoquidem consuetudo Ecclesiae antiquitus talis erat. — Idem dic de fractione Hostiae, quae pro Benedictionibus asservatur; illam enim frangere ad communicandos fideles permittitur solum si aliae particulae desint, neque aliter commode provideri possit. — Linteolum mundum (cuius vice tabella ex metallo toleratur) ante quemlibet communicantem poni debet. Rituale et Decr. 16 Mart. 1876 sub n. 5658. — In Missis defunctorum ministrari potest Communio ex praeconsecratis intra et post Missam, sed non ante, seclusa urgentia; et semper sine benedictione. Decr. 5403. — Communio potest ministrari intra Missam in xenodochiis, dummodo accedendo ad lectum infirmi Sacerdos altare e conspectu suo non amittat, neque aliquid recitet. Decr. 4651. — In ministranda Communione extra Missam, corporale adhiberi debet, nec palla sufficit. Decr. 5068. — In communicandis Monialibus Sacerdos non debet descendere per gradus laterales, bene vero per anteriores; et, Eucharistia distributa, non sacra Pixide eas benedicere debet, sed manu et more solito ad altare iuxta rubricam. Decr. 4055. 4449. — Deferre SS.mum Viaticum capite cooperto non licet; et si quis hac de causa corporalis salutis discrimen subiturus esset, tempestive (si possibile sit) dispensationem petere deberet. Decr. 3363. Et notandum quod S. Sedes concedere solet ut Episcopi prudenter in hoc dispensent, (imo et quod equitando SS.mum

Viaticum deferatur) quando dispensatio necessaria videatur. Decr. 5036. 5251 ad 23, et 5481.

III. Suppellectiles et vasa sacra. Corporale, palla, tobaleae altaris, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula benedici debent. Rubr. miss. Idem dic de Pixide, Lunula, et Ostensorio et vasis pro sacris oleis. (Rit. Rom. cum Appendice). — Haec benedictio solum ab Episcopo eiusve delegato dari potest. — Calix et Patena consecratione indigent. — Uti corporali non benedicto, aut calice non consecrato peccatum mortale est. — Sacra indumenta benedictionem amittunt quando adeo sunt detrita, aut (sive casu sive ex industria) fracta, ut proprio usui inepta evaserint, aut propriam formam amiserint. Exemplum habes in cingulo, si ita frangatur ut nulla pars ad cingendum sufficiat, aut in alba a qua manicae seiungantur. Calix consecrationem amittit si propter foramen, vel deaurationis amissionem, aliamve causam non amplius deservire possit; speciatim vero si cuppa a pede (non tornatili) separetur, aut de novo inauretur. Decr. 5011. Idem dic de patena in qua inauratio evanuerit, vel si denuo inaurata fuerit. De Carpo (l. c.). — Cuppa calicis argentea esse debet. Rubr. Miss. et Decr. S. R. C. die 16 Mart. 1876 sub n. 5658. — Adhibere paramenta lacera, vel immunda (speciatim si de corporali agatur) peccatum mortale esse potest, et de hoc nemo dubitat. Bened. XIV. Const. *Annus*. — Sub levi servandus est color officio conveniens. Color flavus et coeruleus prorsus excluditur. Decr. 5419. Unica planeta pro pluribus coloribus deservire nequit. Decr. 4669, 54, et 4815. VIII. — In fimbriis et manicis albarum sub velo transparenti fundum rubrum ponere non licet. Decr. 5419. — Corporalia, pallae et purificatoria; similiter tobaleae altarium, amictus, albae et mappulae, non ex lino mixto cum gossypio, se ex lino puro vel cannabe confici debent. Decr. 2267 et 4563. Hoc tamen decretum de aliis suppellectilibus, v. g, superpelliceis et rochettis non loquitur; et certe ad planetas non extenditur, prout S. R. C. Decr. 4750 expresse declaravit. Planetae tamen totaliter ex gossypio contextae (vulgo *di percallo*) non permittuntur. Decr. 4815 ad 8. — Amictus crucem in medio habere debet. Rubr. Missal. — Vasa sacra et suppellectiles, quae Eucharistiam immediate tangunt, a laicis contrectari nequeunt, seclusa necessitate, seu causa rationabili. Apud nos, attenta consuetudine et morali (quae adesse videtur) necessitate, scrupulus iniici nequit Ecclesiarum Rectoribus si permittant ut Sacristae (quamvis laici)

calices, corporalia, purificatoria etc. tangant. *Monit. Eccl.* (I. pag. 351). Antequam tamen purificatoria, corporalia et pallae purgatricibus (quamvis moniales essent) tradantur, a clerico *in sacris* lavanda sunt, et postea aqua in sacrarium fundi debet. Pontif. Rom. De Ordin. Subdiac. et Decr. 3251. ad XXX. — Sacra indumenta, quamvis scissa et non amplius benedicta, in usus profanos convertere Ecclesiae canones vetant. De Carpo (I. 242).

IV. Candelae ex sebo etiam purissimo (vulgo *stearine*) quoad Missam aliasque functiones ecclesiasticas vetantur. Missal. (De Defect. n. 1.), Caerem. Episc. (I. XIV. 3), Decr. 4075. et 3255. Si tamen de mera Ecclesiae illuminatione ageretur, quod candelae huiusmodi prohibeantur non satis liquet; rubricae enim hoc in puncto nihil clari habent. — Candelae autem ex cera adulterata facilius permittuntur. Equidem sine causa illas adhibere culpa aliqua esset; sed in praxi causa excusans in multis locis fere semper aderit; Christifideles enim in cera huiusce generis oblationes suas facere solent, et cera non adulterata ubinam venalis est?

V. Altare debet esse consecratum. Consecrationem amittit si fractum fuerit Reliquiarum sepulchrum, vel eius operculum, aut etiam solummodo si hoc amotum fuerit. Decr. 5162. Nec refert si operculum, non obstante fractione, immotum prorsus remanserit. Decr. 23 Iul. 1879. — Ut Missa celebrari possit, oportet ut in medio altaris intra candelabra adsit Crux; et haec omnino debet esse tam Sacerdoti quam populo adeo visibilis et conspicua, ut Passio D. N. I. C. memoriae de facili occurrere possit; unde exiguae cruces positae super tabernaculum vel iconem secundarium certe non sufficiunt. Benedictus XIV. Const. *Accepimus*, et Decr. 4590.

VI. Ecclesia quae militaribus stationibus (quamvis brevi tempore) deserviverit, profanata censetur; atque adeo reconciliatione indiget. Idem dic a fortiori si certe et notorie per culpabilem sanguinis aut seminis effusionem aut per homicidium polluta remanserit. Divina officia peragere in Ecclesia polluta, antequam denuo reconcilietur, peccatum mortale est. Vid. *Monit. Eccles.* (I. *pag.* 209.). — Parochi, qui restaurationes necessarias non procurant, vel munditiei atque decori propriae Ecclesiae non consulunt, peccant certe, atque interdum mortaliter. — In qualibet Ecclesia sacrarium adesse debet. De Herdt (I. 1. 54).

VII. Organum, Musica, Cantus. Organum tempore Adventus

et Quadragesimae (exceptis Dom. *Gaudete* et *Laetare*) pulsari nequit. Caeterum nil vetat, quominus aliis temporibus pulsetur. Quoad usum organi in Missis defunctorum, in praxi stari poterit consuetudini. Decr. 807. — Musica quoque permittitur; sed curandum 1° ut cantilenae theatricae, aut populo notae tamquam profanae, non adhibeantur; sed cantus et sonitus eo dumtaxat tendant, ut sacrorum verborum sensum melius exprimant atque magis magisque devotionem excitent mentesque fidelium ad coelestia elevent. (Concil. Trid. Sess. 22.; Coerem. Ep. I. 28.; et Bened. XIV. Const. *Annus*); 2° Ut verba omnia intelligantur neque a musicalium instrumentorum strepitu opprimantur; 3° Ut textus et verba neque mutilentur, neque alterentur, neque confundantur (Decr. 1432); 4° Ut quae sub introitu, offertorio et canone canuntur, non adeo protrahantur ut Sacerdos celebrans otiosus ad altare diutius remanere cogatur, quasi non iam musica Missae sed Missa musicae famulari debeat. (Decr. cit.). — Cantus Gregorianus sub forma, quae in Missali indicatur, sub obligatione cadit; unde obligatio in iuvenibus cantum firmum addiscendi (prouti possunt) vere subsistit; et cantilenae diversae (a Sacerdotibus Missam canentibus) neque introduci neque tolerari possunt. Decr. 21 Apr. 1873. — Carmina, quae linguâ vernaculâ a populo vel a quibusdam ex populo cantantur, stante consuetudine permitti possunt, dummodo sacras functiones non turbent, et actu, quo cum SS.mo Sacramento benedictio datur, locum non habeant. Decr. 4308, 4697, 5336. Decreta autem antecedentia in contrarium tamquam abrogata censeri debent. — De cantatricibus Scavini (IV. 355) dicit: « Nullum decretum prohibens citatur; « quod autem ex Apostolo mulieres taceant in Ecclesiis, id est « in ordine ad docendum; et sane in Gallia, Helvetia et Ger« mania foeminae cantant in orchestra divina officia ».

VIII. Reliquiae. Ut possint publice exponi exigitur ut sint authenticae et ab Episcopo loci approbatae, debitisque sigillis munitae. Decr. 4542. — Reliquiae, quae inter candelabra poni solent, tegendae sunt, nisi saltem duo lumina ante ipsas ardeant; quod semper necessarium est ut Reliquia detecta exponi possit. Decr. 5208 ad 18. — Reliquiis expositis palla supponi nequit. Decr. 4681. — Reliquiae non in monasterio aut domo parochiali, sed in Ecclesia asservari debent. Decr. 2047.

IX. Baptisterium. Fontis baptismalis benedictio in Sabbato ante Pentecosten omnino renovanda est. Decr. 4993. — Vestis candida, linteolum vere candidum esse debet.

X. Confessio. Sedes confessionalis in ecclesia loco patenti adesse debet. Rit. Rom. Tempore nocturno itaque confessiones (saltem mulierum) excipi nequeunt, nisi lumina apponantur et Ecclesia omnibus pateat aut saltem aliquae personae adsint. De Hert (III. vi. 12) et Decr. 3105. — Confessarius monialium ingrediens monasterium excipiendus est a duabus monialibus senioribus, quae illum euntem et redeuntem recta via comitentur, manentes in cellae apertae ianua, ita ut confessarium et infirmam non quidem audire sed videre possint. S. C. C. 10 Maii et 5 Iul. 1727. Si tamen monialis infirma esset surda, aut si ianua nimis propinqua foret : tunc hoc decretum cum mica salis intelligi deberet.

XI. Oleum Sanctum. Hoc non domi sed in Ecclesia, sub clave diligenter custodienda, retineri debet ; excepto dumtaxat casu in quo Sacerdos curam animarum habens ab Ecclesia valde distet : tunc enim in loco tuto atque decenti Sacrum Oleum etiam domi retineri poterit. — Sacerdos debet per se ipsum atque decenter S. Oleum deferre ; et, seclusa necessitate, cavebit ne laici illud deferant. — S. Oleum apud infirmum super mensam mappa candida coopertam poni debet. — Administrandum est non solum cum stola sed etiam cum superpelliceo. — Antequam administretur, candelam ceream accendere, Crucifixum infirmo osculandum praebere, atque adstantes ut pro infirmo orent admonere oportet. — Bombacii globuli, quibus loca inuncta fuerunt abstersa, ad Ecclesiam reportari debent, ut suo tempore comburantur cineresque in sacrarium mittantur. Rubr. et Decr. 4623.

XII. Commendatio animae. Superpelliceum et stola violacea adhiberi debent. — Aspersio cum Aqua benedicta, osculum Crucifixi, et accensio candelae exiguntur. — Litaniae recitari possunt quamvis agonia adhuc non incaeperit ; sed oratio *Proficiscere*, recitanda est dumtaxat quando mors proxima esse videatur. Orationes, quae stricte praescribuntur, sunt *Proficiscere*, *Deus misericors*, *Commendo te*, *Suscipe Domine*, *Commendamus tibi*, *Delicta iuventutis*. Reliqua autem, nempe Evangelium, Passio etc. sunt solum de consilio. Sunt tamen de praecepto verba quae in expiratione praescribuntur.

XIII. Benedictio in articulo mortis. Haec semel dumtaxat dari potest, nisi forte praeter expectationem infirmus convaluerit, et postea iterum aegrotet iterumque in articulo mortis versetur, quo casu prima benedictio invalida fuit. Si aegrotus sit compos sui, tunc ad huius benedictionis valorem est de es-

sentia ut ille saltem corde ( si ore non possit ) Iesu nomen invocet, et Dei voluntati ita se committat ut mortem quoque patienter sufferat in satisfactionem poenarum quas peccando promeruit. S. C. Indulg. 20 Sept. 1775, et 24 Sept. 1858 ; iuxta Rituale ( *Modus iuvandi morientes* ), et Bullam *Pia Mater* Benedicti XIV. — Haec benedictio ex praecepto ( et quidem pueris quoque si sint doli capaces, iuxta Decr. S. R. C. n. 4623 ad 6 ) dari debet, si facultas habeatur : sin minus, adhortandus erit infirmus, ut alio modo, si possit, plenariam Indulgentiam consequatur. Rit. ( l. c. ),

XIV. Matrimonium. Benedictio nuptialis ( quae consistit in precibus indicatis in Missa pro sponso et sponsa atque recitandis post *Pater noster* et *Ite Missa est* ) dari nequit in tribus casibus ; nempe I° Si Matrimonium celebretur sine Missa ( neque ad alium diem differri potest si coniuges simul cohabitent ) Decr. 5275 et 5289. II° Si mulier sit vidua. Decr. 4299 et 4491. III° Si Matrimonium ( de venia Ordinarii ) celebretur in Adventu vel Quadragesima, quando scilicet nuptiae sunt clausae. Decr. 4868, et 5275. — Extra hos casus benedictio nuptialis dari debet, quamvis forte Matrimonium celebretur die dominica aut in festo de praecepto, aut in festo duplici primae vel secundae classis, aut infra Octavas Epiphaniae vel Pentecosten aliasve Octavas ita privilegiatas ut duplicia excludant ; quibus in casibus Missa quidem pro sponso et sponsa dici nequit, sed commemoratio pro sponsis et nuptialis benedictio addi debent. Decr. 4415, 4587 et A Carpo ( I. n. 40 ).

XV. Benedictiones. In benedictionibus adhibendus est superpelliceum cum stola. Color stolae ( nisi ratio se aliis uniformandi aliud suadeat ) debet esse pro ratione temporis ( nempe, ut explicant Auctores, iuxta officium dici ). In quibusdam tamen benedictionibus color proprius designatur, v. g., albus in benedictione mulieris post partum ; violaceus in benedictione aquae ( nisi fiat in Dominica a Sacerdote missam conventualem celebraturo ), et in benedictione candelarum die Purificationis B. V. etc. Rit. Rom. — In benedictionibus uti formulis diversis ab illis quae in Missali et Rituali ( nisi constet a S. C. fuisse approbatas ) non licet. Decr. 4681 et 4748. Formulae approbatae reperiuntur omnes in Rituali Rom., quod novissime cum Appendice Typis de Propaganda Fide Romae editum fuit. — Benedictiones Episcopis reservatae, quae scilicet absque speciali Ordinarii delegatione dari nequeunt, sunt sequentes ; nempe supellectilis Ecclesiae et vasorum sacrorum ; Crucis atque sacrarum

Imaginum (intellige si publice exponi debeant, ut ait A Carpo V. 105): Ecclesiae, oratorii, aut coemeterii novi vel polluti: habitus clericalis: telegraphi; contra mures aliaque animalia nociva: benedictio in articulo mortis; exorcismi circa personam a Daemone obsessam (Bened. XIV. Const. *Sollicitudini* et Const. *Magno*). — Aliquae benedictiones ad Parochos spectant, quae proinde sine eorum licentia ab aliis dari nequeunt; inter quas recolenda est speciatim Benedictio mulieris post partum. Decr. 899. 909. et 3670. — Notandum est demum quod benedictiones etiam nemini reservatae in aliena Ecclesia, Parocho vel Rectore contradicente, dari nequeunt. Decr. 1878. et 2004.

## § V.

### *De Sacrosancto Missae Sacrificio.*

630. De Missa quoad applicationem et stipendium iam egi n. 507. Quoad obligationem celebrandi pro populo, agam ubi de officio Parochorum sermonem habebo. Hic itaque dicendum est aliquid 1° circa rubricas in Missa observandas; 2° circa internas celebrantis dispositiones.

#### *De Rubricis in Missa observandis.*

631. Sacerdos Missam celebraturus peccat certe si manibus sordidis, calceis lutosis, aut cum aliis immunditiis vel deformitatibus accedat. Rubrica vestem talarem et manuum lotionem exigit. Ruri tamen (apud nos) vestis talaris in celebraturis extra propriam Ecclesiam non exigitur. Rectores Ecclesiarum aquam cum manutergio in Sacristia asservare debent pro se aliisque Sacerdotibus, qui, commoditate non deficiente, si lotionem omittant, ab aliqua culpa excusari nequeunt. S. Lig. (VI. 409).

632. Quamvis orationes pro praeparatione et gratiarum actione indicatae non obligent, tamen Sacerdotes qui sine ulla praeparatione aut gratiarum actione Missam celebrare solent, certe (seclusa causa) peccant. S. Lig. (VI. 410 et Prax. n. 156).

633. Sacerdos accedere debet ad altare oculis demissis, et hanc modestiam dum ad populum se vertit, semper servabit. Rubr. Missalis.

634. Missa neque longa nimis, neque nimis brevis esse debet. Mediam horam excedens taedio adstantes afficeret; ad ter-

tiam vero horae partem non pertingens ( 20 *minuti* ) decenter vix celebrari poterit ; et, si quadrante brevior esset, a mortali excusari nequiret. S. Lig. ( l. c. 400 ).

635. Genuflexiones dimidiatae ; non genuflectere *in plano* in primo accessu et in ultimo recessu, si in altari servetur SS.mum Sacramentum ( Decr. 4669 ad 51 ) : oscula a longe iactata ; reverentiae omissae aut sine ullo discrimine factae ( reverentia enim alia est corporis sive mediocris sive profunda ; alia vero capitis, sive parva sive media sive profunda ) ; caerimoniae anticipatae vel posticipatae ( v. g., osculando librum, Evangelio non finito : aut dicendo *Offerimus tibi Domine calicem*....., dum calix adhuc in manu non habetur etc. ) ; verborum mutilationes atque omissiones ; ea, quae secreto dici debent, elata voce proferre etc. : defectus huiusmodi communissimi sunt et plus vel minus a culpa excusari non possunt.

636. In Missis privatis permitti nequit ut minister missale aperiat ( aut calicem detegat ) ; et, si etiam minister esset Sacerdos, permitti non potest ut calicem in fine post ablutionem abstergat. Decr. 4526. ad 11. et 12.

637. Corporale non potest relinqui extensum super altare usquedum celebrentur Missae, sed unusquisque Sacerdos illud bursae inclusum ad Sacristiam cum calice reportare debet. Decr. 3707.

638. Ordinarie Missa iuxta proprium officium dicenda est. Excipe 1° Si Missa in Ecclesia diverso kalendario utente celebretur cum cantu ; 2° Si agatur de Missa sive *pro populo* ( vice parochi ), sive conventuali apud moniales choro addictas ; 3° Si Missa dicatur ubi Festum solemne celebratur ; 4° Si coloris diversitas non permittat ut Missa cum officio conformari possit. In his tamen casibus Sacerdotes ritus romani missali romano uti debent ( quod proinde in Sacristiis Regularium asservandum est ), et, si ibi talis Missa non reperiatur, ex communi dicenda erit. Cf. A Carpo ( I. 56 ) et speciatim Decr. 5195. In oratorio privato Missa cum officio semper concordare debet. Decr. 4669 ad 31.

639. Collectae ab Ordinario indictae recitandae sunt, nec quisquam potest ab iis cessare antequam revocentur. Decr. 4578. — Quando ritus tertiam orationem *ad libitum* non permittit, nulla oratio ( praeter collectas imperatas ), sine indulto apostolico, addi potest. Decr. 4812. — Si praecipiatur tertia oratio *ad libitum*, collecta imperata eius locum tenere nequit ; sed haec post orationem *ad libitum* recitari debet. Decr. 3814 ad 3.

— Collecta imperata (quamvis pro re gravi) in duplicibus primae classis debet omitti; et in duplicibus secundae classis potest omitti in Missis privatis, et debet in solemnibus. Decr. 4560, 4746, et 5183 ad 15. Quando ex rubrica recitanda est oratio pro Ecclesia vel pro Papa, et iussu Pontificis vel Episcopi dicenda est oratio pro Papa; tunc haec sola oratio non sufficit, sed utraque recitari debet. Decr. 4746 ad 1. — In oratione *A cunctis* ad litteram *N* titularis Ecclesiae in qua Missa celebratur nominandus est. Decr. 4669. ad 31.

640. Circa Missas defunctorum notanda sunt sequentia:

I. In Missis quotidianis prima et ultima oratio semper esse debet iuxta Missale; unde oratio *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes* semper primo loco, et *Fidelium Deus* semper ultimo loco recitanda erit. Secunda oratio variari potest, dicendo, v. g., orationem *pro uno* vel *pro pluribus* iuxta applicationem. Qui vero orationem etiam *pro patre* et *matre* recitare velit, aliam superaddere debebit, eo quod curandum sit ut orationes sint numero impares. Cf. Rubricam Missal. Tit. V. et Decr. 4119 ad 4, 4782 ad 7., 4815 ad 11., 5208 ad 10. — In Missis tamen cum cantu, in quibus *Dies irae* cantatur, unica oratio (nempe pro anima illius quam offerens eleemosynam designavit) dici debet. Decr. 5208 ad 11.

II. Quoad Missam IN DIE OBITUS, tres distinctiones fieri debent: nempe cadavere 1° praesente, 2° absente sed non adhuc sepulto; 3° sepulto.

III. *Praesente cadavere*, fere semper Missa de Requie cani potest. Obstant duntaxat dies Epiphaniae; S. Ioseph; Triduum mortis Christi; Dominica Resurrectionis; dies Ascensionis; Dominica Pentecost.; Festum Corporis Domini; S. Io. Baptistae; Ss. Petri et Pauli; Assumptionis; Omnium Sanctor.; Nativitatis Domini; Patroni principalis; Titularis; Festa quae magna pompa celebrantur si sint primae classis; durante expositione SS.mi Sacramenti; et demum si, ad celebrandam Missam de Requie, Missa pro populo omitti deberet.

IV. *Cadavere absente, sed non adhuc sepulto*, celebrationi Missae de Requie obstant insuper omnia duplicia primae classis, quamvis forte non esset festiva de praecepto, prout in Fer. 3ª Pasch. et Pentecost. Decr. 4526 ad 43, et 5320.

V. *Cadavere sepulto*, eidem celebrationi obstant insuper omnia duplicia secundae classis, nec non omnes dies Dominici et festivi de praecepto. Oportet praeterea ut funus non ultra diem sepulturae subsequentem vel primam ritu non impedi-

tam protrahatur. Si mors in remotis regionibus secuta fuerit, Missa tamquam in die obitus cani poterit die subsequenti post notitiam habitam, vel prima die non impedita. Cf. Decr. 3110. et 4393.

Notandum quod in exequiis pauperum, aut ubi (deficientibus Sacerdotibus) prorsus impossibile est ut Missa cum cantu celebretur, haec legi poterit; exceptis tamen semper omnibus duplicibus classicis, dominicis, et festivis de praecepto. Decr. 3565, 4891, 4897, 4921. Hoc privilegium extenditur etiam ad anniversarium ex fundatione; sed non ultra.

VI. Quoad celebrationem DIEI TERTIAE, SEPTIMAE, TRIGESIMAE, ET ANNIVERSARII, Missae de requie, praeter supradicta, obstant octavae privilegiatae, nempe Epiph. Pasch. Pentecost. Nativ. Domini, et Corporis Christi; item vigiliae quatuor priorum solemnitatum, et feria IV. Cinerum, nec non tota hebdomada maior. Caeterum duplex sive minor sive maior (loquendo semper de sola Missa cantata) non obstat. Decr. 4410. 4336. — Anniversarium a die non depositionis sed obitus: dies autem tertia, septima et trigesima ab alterutro die iuxta consuetudinem computari potest. Decr. 4336, et 4410. — Si dies tertia, septima vel trigesima die vetito occurrat, ad primam diem non sic impeditam transferri, imo et anticipari potest. Decr. 4175 ad 7. — Quoad anniversarium distingui debet. Si celebrandum sit ex fundatione (nempe ex testamento), transferri vel anticipari potest ut supra; et Missa praecise sicut in anniversario cantari poterit. Decr. 3110. Si vero ad vivorum instantiam celebrari debeat, tunc primum semiduplex expectare oportebit. Decr. 5220. — Anniversaria improprie dicta, quae nempe singulis annis stata die pro Confratribus, aut pro omnibus Parocciae defunctis celebrantur, sine indulto Apostolico celebrari nequeunt, et pro cantu Missae de Requie primum semiduplex expectari debet. Decr. 4669 ad 55 et 4765. — Idem dic de annua Missa cantata relicta a testatore sine praefixione diei. Decr. 4336. Si autem huius annuae Missae dies a testatore praefixa fuerit, tunc (quamvis de vero anniversario non agatur) Missa de Requie etiam in festo duplici cantari, atque etiam (si dies assignata sit impedita) transferri poterit, quin semiduplex expectetur. Decr. 4237.

VII. Extra casus autem funeris, tertiae, septimae, trigesimae et anniversarii, Missae de Requie, praeter supradicta, omnia duplicia obstant, prout notissimum est.

VIII. Proibitio canendi Missam de Requie diebus hucusque

recensitis, prohibitionem canendi exequias, officium defunctorum, et absolutiones (*Libera me Domine etc.*) secum non fert. — Exequiae ad cadaver tumulandum nunquam prohibentur; attamen in triduo mortis Christi privatim recitari debent. Decr. 4050. — Pariter officium defunctorum et absolutiones nunquam interdicuntur; sed in duplicibus primae et secundae classis, in octavis privilegiatis, et in tota hebdomada maiori privatim dumtaxat et in choro recitari queunt. Decr. 4117.

IX. Si Missa de Requie, ritu obstante, cani nequeat; tunc Missa de die cantari non poterit, nisi prius lectica aliaque signa emortualia amoveantur; neque post Missam de die, absolutionem peragere licebit. Decr. 5166. 5188.

X. Denique Missae privatae de Requie, praesente quoque cadavere (excepto casu indicato n. V), celebrari nequeunt, nisi in semiduplicibus; eisque a fortiori omnia praedicta obstant. Si ex testatorum institutione Missae privatae de Requie celebrandae incidant in diem impeditam; tunc non iam differri, sed de festo currenti dici debent cum applicatione. Decr. 2709.

641. Quid de Sacerdotibus, qui in Ecclesiis, ubi ad Missam celebrandam pergunt, apparatus immundos aut alia sacris ritibus non conformia inveniant? R. Ut plurimum dissimulare atque Missam celebrare poterunt. Dixi *ut plurimum*; secus enim dicendum esset si apparatum mundum aliaque ritibus conformia obtinere facile possent (attenta, v. g., familiaritate cum Rectore Ecclesiae), aut si de re prorsus intolerabili (v. g., de calice perforato) ageretur. Cf. Suarez (LXXI. III) et Decr. 8 Martii 1879 apud Monit. Eccles. (II. II. pag. 83).

642. Rectorum Ecclesiarum conscientia facilius et gravius in huiusmodi oneratur. Speciatim quoad vinum in Missis adhibendum reminiscantur, peccatum mortale de facili adesse posse, idque non solum si vinum esset ineptum aut dubii valoris, sed etiam si esset valde indecens. Tale autem erit 1° Si cum notabili aquae quantitate fuerit confectum aut postea delibutum. Attamen si alicubi vinum (quod primum appellant) cum modica aquae quantitate confici soleat ut melius decoquatur, eo uti licitum erit omnino. Lambertini (Notif. 77). 2° Si sit ita artefactum ut vinum de vite non adsit vel quantitas notabilis succorum diversi generis admixta fuerit. 3° Si iam coeperit acescere vel corrumpi. Rubrica rigidissime loquitur, et ait: « Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit ali-« quantum acre.... conficitur Sacramentum, sed conficiens gra-« viter peccat ». Verum est quod Theologi hanc sententiam

interpretari conantur de gradu notabili acrimoniae; sed ego non percipio quomodo cum adverbio *aliquantum* id conciliari possit. Fateor tamen cum Lambertini quod si Sacerdos celebrandi obligationem aut necessitatem haberet, nec aliud vinum obtinere posset, utique non peccaret.

643. Quid de Sacerdote qui propter corporalem defectum aliquas rubricas observare nequeat? R. Si agatur de re neque permanenti neque magni momenti, ut puta, si quis reumate correptus perfecte genuflectere nequeat; aut pro aliqua vice pileolo indigeat sine scandalo (speciatim excepto canone) tunc scrupuli iniici non debent. Gury (II. 401. 409). Si vero defectus esset perpetuus, quamvis forte exigui momenti videretur, indultum peti deberet. Exemplum habes in Decr. 2116. Pro praxi notandum quod apostolica dispensatio exigitur 1° Ut coma ficta (vulgo *parrucca*) adhiberi possit, et de hoc vide documenta apud Scavini (I. 567). Excipe nisi loci consuetudo ferat ut sine dispensatione haec coma adhibeatur. Gury 409. 2° Ut Sacerdos coecutiens Missam B. M. V. quotidie dicere valeat. Haec Missa dici debet semper cum planeta alba, et adiungendo dumtaxat duas orationes, nempe de Spiritu Sancto et pro Ecclesia vel pro Papa, non vero alias, et nequidem collectas a Superiore imperatas. Missa erit semper sine *Credo*. Erit quoque sine *Gloria*, exceptis Sabbatis. Die Nativitatis D. N. I. C. unicam tantum Missam celebrare poterit. Decr. 3364 et 4501. ad 5. Missa varianda erit, iuxta Missalis rubricam, nempe iuxta tempus. Si autem miser Sacerdos ex coecutiente omnino coecus evaserit, tunc novum indultum exigitur (Decr. 4498), eoque obtento poterit semper dicere eandem Missam quae indicatur a Pentecosten usque ad Adventum. Attamen alterius sacerdotis assistentia tunc semper necessaria erit, quamvis forte in rescripto expressa non fuisset. Decr. 4594 ad 11. — Haec autem assistentia in aliis quoque casibus exigitur, nempe toties quoties adsit periculum ne calix subvertatur, aut aliud grave inconveniens accidat, aut demum si Sacerdos Sacram Hostiam commode frangere nequeat.

644. An Missa celebrari possit, foemina inserviente? R. Certe foemina ad altare accedere nequit. Caeterum ad quaesitum: « Potestne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis? S. R. C. Decr. 4782 ad 10 dixit; « Affirmative, urgente ne- « cessitate ». Sed haec necessitas quanta esse debet? Ephemeris

*Il Monitore Ecclesiastico* (II. 1. pag. 124) respondet: « Quam« libet levem necessitatem sufficere existimamus ». Porro si hoc sine causa factum (ut ait S. Lig. VI. 392) quid leve esset: iam causa mediocris sufficere debet ut licitum prorsus evadat; idque speciatim pueri, diebus ferialibus et quando nemo in Ecclesia adest. Cf. Lugo (De Euch. XX. 103) et Laymann (de Sacrif. Miss. VI. 13).

645. Missae celebrari possunt ab aurora usque ad meridiem; et sufficit si haec puncta attingantur, si nempe puncto aurorae Missa finiatur, aut puncto meridiei incipiatur. Gury (II. 381). Horâ integrâ anticipare aut posticipare sine causa rationabili et sine indulto peccatum grave censetur. Causa rationabilis a quavis culpa excusare potest; ut puta si id necessarium esset ad Viaticum moribundo ministrandum (quo casu liceret etiam statim post mediam noctem celebrare); vel si mos alicubi vigeret ante auroram Missam celebrandi ad opificum et famulorum commoditatem. Idem dic occasione magnae solemnitatis, aut magni funeris, vel publicae supplicationis; denique occasione itineris pro aliquo casu raro. S. Lig. (VI. 344) et Gury (382).

646. In oratoriis publicis diebus dominicis et festis cum praeiudicio Ecclesiae parochialis (si nempe id esset in causa cur fideles ad Evangelii explicationem non accederent) Missae celebrari nequeunt. Decr. 5015. — In oratoriis autem privatis, absque praesentia alicuius ex principalibus indultariis (qui a tergo Brevis proprio nomine nuncupantur) Missa diebus de praecepto celebrari non potest. A Carpo (I. 59).

647. Episcopi iure ordinario permittere possunt ut aliquis Sacerdos pluries in die celebret, si gravis necessitas spiritualis id expostulet; nempe si secus viginti ad minus personae sine Missa (die festo) remanere cogerentur; aliusque modus providendi omnino deesset. Cf. D'Annib. (III. 298). Sacerdos binans stipendium pro secunda Missa accipere nequit, sicut explicavi n. 507. Semper ieiunus esse debet, adeoque cavebit ne purificationem in prima Missa sumat. Si secunda Missa in diversa Ecclesia celebrari debeat, tunc Sacerdos in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat, et palla calicem tegat, dicens *Quod ore*; purificetque digitos (sicut fit quando Communio extra Missam ministrata fuit) dicens *Corpus tuum etc.* Calicem non abstergat, sed illum purificatorio, patena etc. cooperiat more solito. Completa Missa, calicem detegat et quidquid divini Sanguinis remanserit, ex ea parte qua eum prima vice sumpsit, diligenter absorbeat. Aquam deinde abun-

dantiorem calici infundat, illamque ex eadem parte in paratum vas demittat; et purificatorio calicem abstergat etc. Si die sequenti, Missa in eadem Ecclesia celebranda sit, aqua illa pro secunda purificatione deserviet; sin minus gossipio absorpta comburi vel in sacrarium demitti poterit. — Si autem secunda Missa in eadem Ecclesia celebrari debeat: tunc, finita prima Missa, calix non purificatur; sed, si nulla in Ecclesia sit sacristia, in altari super corporale relinquitur; secus vero in Sacristiam defertur, ibique super corporale vel pallam in loco decenti et tuto collocabitur. In secunda autem Missa Sacerdos cavebit ne calicem ante offertorium abstergat, vel extra corporale reponat; atque etiam curabit ut vinum et aquam caute in ipsum infundat, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant, quandoquidem (ut dixi) illum purificatorio abstergere nequit. Ita Rituale cum append. noviss.

*De internis Sacerdotis Missam celebrantis dispositionibus.*

648. Pollutio, paullo ante (antiqui dicebant intra praecedentes horas 24) secuta, sub levi celebrationem impedit 1° si fuerit graviter culpabilis, nec sufficit confessio; 2° si magnam mentis perturbationem reliquerit. Rubr. Missal. IX. — Si tamen necessitas aut specialis causa rationabilis ad celebrandum impellat, tunc (maxime de consilio confessarii) levis illa culpa evanescere poterit. Scavini (III. 137).

649. Status gratiae necessario exigitur; secus enim nedum grave sed gravissimum sacrilegium committeretur. — Quid si Sacerdos ex una parte (passione vehementi aut acerrima daemonis suggestione pressus) non posset se resolvere; et ex alia in celebrandi necessitate, nulla interiecta mora, versaretur? R. Impossibilitas poenitendi et necessitas peccandi non datur. Homo constitutus inter bonum et malum, bonum semper (si velit) eligere poterit; nec Dei auxilium deerit. Sacerdos itaque in casu posset se resolvere; idque non faciens atque in malo statu permanere volens certe peccat. Peccabit proinde si Missam in tali statu celebret; sed advertendum quod, si Missam derelinquendo magnum scandalum dare deberet, in casu cuiusdam perplexitatis versaretur; nempe inter peccatum scandali et peccatum sacrilegii. Quia tamen sua culpa in hoc bivio constitueretur; haec perplexitas a peccato eum non liberaret: idque tantum ei reliquum esset, ut minus malum eligat; ut

nempe eligat evadere reus sacrilegii si scandalum sit tantum ut sacrilegio praeponderare videatur.

650. Sacerdos in peccato mortali constitutus confiteri debet, nec sufficit ut conteratur. Trid. Sess. XIII. VII. dicit : « Communicare volenti revocandum est in memoriam eius ( Apostoli ) praeceptum : Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat ; quod.... etiam a Sacerdotibus.... haec S. Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris : quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur ».

651. Hoc praeceptum probabiliter non extenditur ad casum peccati dubii : qui enim dubitat, proprie non est conscius ; maxime vero si esset scrupulosus, quo casu oporteret ut iurare posset se mortaliter peccasse et confessum non fuisse. S. Lig. VI 473-477 ). Probabiliter quoque excludi debet casus Sacerdotis qui confessionem iam fecit, et inculpabiliter peccatum aliquod reticuit ; tunc enim, non obstante tali reticentia, ope confessionis gratiam Dei assecutus esset, et sic fini legis aeque tuto satisfecisset ; unde ne ad contritionis quidem actum eliciendum teneretur. S. Lig. ( VI. 257 ).

652. A confessione praemittenda excusatur Sacerdos ( dummodo ope contritionis perfectae sibi providere conetur ) si ex una parte in celebrandi necessitate versetur, et ex alia Confessarii copiam non habeat, sive quia Confessarius desit omnino, sive quia nonnisi incommode vel inconvenienter Confessio fieri possit. — Sedulo notari debet quod in determinando gradu huius necessitatis et incommodi Theologi recentiores valde rigide loquuntur ; Theologi antiqui e contra ( v. g., Sotus, Richardus, Sylvester, Henriq., Tabiena, Paludanus, Rosella, Victoria, Armilla etc. ) non adeo subtiliter rem hanc introspiciebant et valde mitius loquebantur. Hae veterum sententiae forsan plus aequo a recentioribus spernuntur ; Tridentinum enim dicit quod lex de qua loquimur ab ecclesiastica consuetudine determinatur ; qualis autem tempore Tridentini haec consuetudo fuerit, forte melius ab antiquis quam a recentioribus sciri poterit. Adde non esse certum quod de lege divina agatur ; Scotus enim et Scotistae illam esse mere Apostolicam et Ecclesiasticam decernunt ; omnesque fatentur quod solum propter *maiorem* Sa-

cramenti reverentiam instituta fuit, unde cl. D' Annibali (III. 287) dicit quod aliis legibus facile cedit: imo Mastrius (XVIII. 56) sensit quod si quis non iam sibi videretur contritus (prout loquitur Tridentinum), sed contritionem perfectam certissime haberet, hac lege non comprehenderetur; atque in tantum confessionem semper exigi, in quantum practice haec certitudo vix unquam haberi poterit. Aliunde quum agatur de casu heu nimis practico, et quum adeo difficile sit ut Sacerdotes misere lapsi ad Missae celebrationem relinquendam se inducant; omnino melius erit ut sciatur quousque benignitas iuxta diversas Theologorum opiniones protendi possit.

Dico itaque quod necessitas celebrandi et deficientia confessarii, iuxta Theologos, in sequentibus casibus satis verificatur.

653. Necessitas celebrandi. Quoad hanc indicatur 1° Periculum infamiae, suspectuum, dicteriorum et scandali; ut puta si populus ad Ecclesiam iam convenerit. Nec referret si pauci essent praesentes; durum enim esset cogere Sacerdotem ut etiam apud paucos infamari sinat; et semper periculum subsisteret, ne isti pauci rem propalaturi essent. Gousset (II. 190). Neque ad fingendum deliquium teneretur. Et idem dic de aliis praetextibus qui mendacium implicant, vel suspicionem ingerunt. Viva, Tambur. Gousset etc. — Quid si non de infamia sed de sola admiratione agatur, eo quod, v. g., Sacerdos Missam omittere nequeat, quin haec omissio, nova prorsus et insolita, aliorum (ut vulgo dicitur) oculos percellat? Multi dicunt, solam admirationem non sufficere; sed Theologi antiqui (cf. Diana I. m. 159) illam sufficere censebant, eo quod in praxi vix unquam suspectibus locum non daret; et ipse Suarez (cf. Croix VI. I. 526) fatetur quod periculum, ne, ex hominum levitate, temeraria iudicia efformentur et sinistra dicteria fiant, satis excusat.

II. Quaecumque alia specialis et notabilis necessitas a parte Sacerdotis; et speciatim 1° Si esset pauper, si nempe ex sola vel fere sola Missae eleemosyna victum sibi comparare posset. Ita Henriq. (46. 6), Tabiena (v. *Missa*, 31), Giribaldi (IX. 32); et, pro casu magnae paupertatis, id concedunt TT. passim atque ipse S. Lig. (n. 259). 2° Si longo tempore absque Missae celebratione remanere cogeretur. Mazzotta (De Poen. I. I. Cap. 4). 3° Si obligationem celebrandi tali die et in tali Ecclesia (v. g., occasione festi) contraxisset, nec facile se eximere aut per alium supplere posset; ne scilicet, deficiendo, fide indignus reputari inciperet. Imo aliqui TT. antiqui (nempe

Sylvester, Henriquez et Leander apud Dianam I. III. Res. 157. 5) absolute dicebant, quod Sacerdos, qui Missae quotidianae onus haberet: vel, accepta iam eleemosyna, die sequenti pro nuper defuncto celebrare promisisset, sufficienter in celebrandi necessitate versaretur; idque verum videtur saltem si ex una parte supplere nequiret, et ex alia adimplementi rationem reddere deberet. Alii idem dicunt pro casu in quo Sacerdos, nonnisi celebrando, Missam die festo audire aut praecepto paschali satisfacere posset. Huic sententiae Laymann quoque (VI. 6) in parte consentit.

III. Specialis satisque gravis necessitas ex parte proximi; et speciatim 1° Si populus aut pars populi sine Missa die festo remanere cogeretur: idque sufficeret quamvis Sacerdos nec esset Parochus nec alio modo Missam celebrandi onus suscepisset; ut tenent Tamburini, Lessius, aliique non pauci apud Dianam (I. III. Res. 151) contra alios maxime recentiores. Gousset (II. 191), agens de Parocho et Vicario, idem sentit etiam si festum non sit de praecepto, attamen populus ex devotione speciali concurrat Missamque eo die desideret. — 2° Si Missae celebratio exigeretur ad consecrandas particulas pro communione ministranda sive infirmo sive aliis personis specialem communicandi necessitatem habentibus, v. g., ad lucrandum Iubilaeum aliamve extraordinariam Indulgentiam quae in posterum lucrari nequeat. Intellige semper nisi alius Sacerdos substitui possit. Gousset (l. c.) — 3° Idem die pro casu matrimonii cum benedictione nuptiali; aut funeris pro quo familia defuncti Missas desideret, nec Parochus aut Vicarius a celebratione se eximere possit, eo quod pauci sacerdotes inveniri potuerint, speciatim si nullus sit qui Missam decantet. Gousset (l. c.).

654. Deficientia confessarii. Haec locum habet praecipue,

I. Si confessarius, consideratis circumstantiis (v. g., propter distantiam, brevitatem temporis, occupationes, valetudinem, aetatem, intemperiem, periculum admirationis etc.) moraliter loquendo adiri nequiret. Croix (VI. I. 221). Et quoad solam distantiam, notat Lugo (De Euch. XIII. IV. 83), hanc facilius excusare si casus esset frequens, et difficilius si rarus.

II. Si Sacerdos, Missa iam incoepta, pravae cogitationi misere consensisset aut peccati mortalis prius commissi tunc solum recordaretur; quo casu si etiam commode confiteri posset ad id non teneretur. Scripsit Victoria (n. 79): « Quamvis Ar-« chiep. Florentinus dicat, quod si ante consecrationem recor-« detur, et possit sine scandalo quaerere confessorem, debet

« illum quaerere ; sed non credo hoc esse verum ». Reapse Rubrica Missalis, nulla (quoad hunc casum) facta distinctione, dicit : « Si in ipsa celebratione Missae Sacerdos recordet « se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito quam« primum confitendi ». Cf. D' Annibali (III. 287. 12). Vera autem ratio est quod ad media extraordinaria (quamvis forte essent facilia) non tenemur ; quando enim aliquid praecipitur, eo modo praecipi intelligitur quo communiter praestari solet : unde scripsit Diana (III. 1. Res. 102. 11) : « Quando lex non « potest servari eo modo quo communiter solet servari, desinit « obligatio ». Hoc principium est valde attendendum, quia plures in praxi habet applicationes. (Vide dicta n. 604. q. III).

Idem dicendum est pro casu in quo Sacerdos sacris paramentis iam indutus de peccato mortali recordaretur ; nec sine infamia (quae vix unquam aberit) confessionem facere possit ; ut rectissime notat Frassinetti.

III. Si Confessarius in promptu quidem esset, sed repugnantia invincibilis obstaret quominus apud illum confessio fieret. Quid enim si patruus apud nepotem probrosissimi peccati confessionem facere cogeretur ? Patrui apud nepotes confessionem facere non solent ; et proinde ageretur de medio nimis abnormi et applicari posset principium supradictum. Caeterum (contra Gury Cas. cons. II. 287 et alios qui hoc in puncto rigidissime sentiunt) mitius loquuntur TT. sequentes. Voit (n. 350) aperte supponit quod verecundia sola aliquando possit esse tanta ut excuset ; postquam enim dixerit quod prudens timor, ne confessarius sigillum fracturus sit, semper excusat ; postea dicit : « Verecundia sola non videtur *aeque* excusare ». Gousset (n. 193) ait : « Confessarius deesse censeretur quan« do..... talis dumtaxat Sacerdos praesens foret, apud quem « confessio, propter repugnantiam plus minusve legitimam sed « ineluctabilem, fieri nequiret : ut puta, si merito vel immerito « tamquam extra modum severus, imprudens etc. existimare« tur ». Inter TT. antiquos autem reperiuntur qui absentiam proprii confessarii, cum aliqua notabili repugnantia confitendi apud alium, sufficere existimabant. Citantur Richardus, Armilla, et Sylvester, apud Dianam (I. III. Res. 177. 4) et Salmant. (VII. 42). Ego dicerem quod verecundia vere magna et extraordinaria sufficiat, ut necessitate urgente cum sola contritione Missa celebrari possit aliqua vice cum proposito adeundi proprium confessarium quamprimum ; nec valet ratio quod sola verecundia nunquam sufficiat ad dimidiandam con-

fessionem : facilius enim concedi potest quod aliqua Missa cum sola contritione (dum peccatum quamprimum certe accusabitur) celebretur, quam quod motivo verecundiae confessionibus dimidiatis aditus aperiatur. Scripsit S. Th. (Suppl. VIII. iv. ad 6) : « Multi sunt adeo infirmi, qui potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur ». Quid demum si miser Sacerdos in casu adeo stricto, ad infamiam potius subeundam aut ad alia inconvenientia permittenda esset paratus, quam ad sacrificium adeo durum tolerandum?

IV. Si Sacerdos peccatum confiteri nequeat quin complicem quoque manifestet, et haec sit persona confessario nota. Enimvero multi TT. (quibus consentit cl. Ballerini II. 499 not. *b*) probabiliter docent, hanc esse rationem sufficientem, ut peccatum in tali circumstantia reticeri nedum possit, sed debeat. (An autem tunc Sacerdos ad integritatem formalem recurrere teneatur, confitendo nempe alia peccata illudque reticendo, statim videbimus). Idem dic a fortiori si Vicarius cum sorore aut nepte Parochi peccasset, atque apud Parochum ipsum confiteri deberet, ita ut, crimen suum patefaciendo, Parochus intelligere aut graviter suspicari posset quod de sorore vel nepte sua agitur; unde ille in angustias et tricas gravissimas (etiam propter sigillum) coniiceretur.

Inter antiquos. Rosella (apud Salmant. l. c.) idem docuit de Religioso, qui peccatum propriae religioni valde probrosum Sacerdoti saeculari manifestare cogeretur.

V. Si ex una parte necessitas celebrandi immineret, et ex alia confessio adeo longa necessaria esset, ut tam brevi tempore peragi nequiret. Tambur. (Met. Comm. I. 37).

VI. Si peccatum a misero Sacerdote commissum esset reservatum, et Confessarius ad reservata approbatus deesset.

655. Quaer. I. Si Sacerdos, propter reservationem aut aliam causam, peccatum aliquod confiteri nequeat, debebitne nihilominus accusare ea peccata quae absolutioni subiicere potest (ad integritatem formalem sic recurrendo); an vero cum sola contritione celebrare integrum ei erit? R. Si praeter illud mortale peccatum sola venialia habeat, tunc certe confiteri non tenetur, ut communiter TT. apud S. Lig. (VI. 265) fatentur; confessio enim, in qua peccatum mortale reticetur, est defectuosa; causa autem defectum istum excusans esset ut reverentia maior Eucharistiae praestetur; et sic ad melius consulendum uni Sacramento poneretur defectus in alio; idque in casu licere quidem (ordinarie) sed non sub obligatione cadere

poterit. Si autem praeter peccatum illud alia mortalia adsint, tunc multi dicunt, dimidiatae confessionis praeceptum remanere; sed non video qua cohaerentia id asserant; et certe probabile est quod huiusmodi confessionis ne tunc quidem obligatio supersit. Ita senserunt S. Antoninus, Victoria, Gerson, Sylvester, Richardus, Armilla, aliique veteres passim; quibus Vasquez pluresque etiam recentiores cum S. Lig. (VI. 260) adhaerent.

Quaer. II. Quid si sacerdos conaretur quidem contritionem perfectam elicere, sed valde timeret ne illa de facto careat; solumque credat se esse attritum? R. Iuxta sententiam iam hodie communiorem, hic forte scrupulus est: actus enim amoris erga Deum non valde difficilis esse debet, prout n. 82 explicavi. — Caeterum Diana (I. III. Res. 158. 4) refert Theologum quemdam sic dicentem: « Dum Sacerdos adigitur ne-« cessitate ad communicandum sine confessione, tunc debet « conteri quantum sibi possibile est.... Sed.... videtur mihi su-« stentabile, ut cum sola attritione cognita... possit accedere, « si pro ipso non stet, atque doleat de peccato quantum potest « pro illo tunc; et iudicet se esse in statu gratiae de propin-« quo, imo in instanti Communionis, quando debet esse in « gratia, quod tunc eam obtinebit: nam sic est in ultima di-« spositione ad eam ». Quem equidem casum notavit etiam S. Th. (III. LXXIX. 3) inquiens: « Forte enim primo non fuit suf-« ficienter contritus; sed devote et reverenter accedens, con-« sequetur per hoc Sacramentum (*Eucharistiae*) gratiam cha-« ritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati ».

Quaer. III. Ad quid teneatur Sacerdos qui, confessione non praemissa, celebraverit? R. Si die sequenti Missam celebrare velit aut debeat, tunc certe tenebitur quoque ante ipsam confiteri, et quidem tempestive providendo, si possit; et, si non possit, tunc redeunt supradicta. Si autem non ita cito ad Missae celebrationem redire vellet; tunc esset iterum distinguendum. Si celebravisset cum conscientia peccati mortalis et cum sola contritione, urgente necessitate et deficiente copia confessarii; tunc adstringeretur praecepto Tridentini; deberet nempe sub gravi confiteri *quamprimum* (quod interpretatur intra tres dies). Si vero Missam dixisset sive oblitus de mortali commisso, sive necessitate non urgente, sive confitendi commoditate non deficiente; tunc Tridentini praeceptum de confessione intra triduum facienda illum non adstringeret. Vide Croix (VI. I. 533).

Quaer. IV. Quid si Sacerdos Missam celebraturus, esset excommunicatus, vel suspensus, vel irregularis?

R. Si casus sit occultus et miser Sacerdos absque infamia aut alio gravi detrimento a celebratione abstinere nequeat; tunc (si tempestive absolutionem vel dispensationem obtinere non possit) Missam celebrare ei licebit. Ecclesia enim non obligat cum gravi incommodo. — Idem dic si Sacerdos, quamvis excommunicatus, suspensus vel irregularis ex delicto, tamen sit toleratus, simulque fideles Missae celebrationem ab eo petant expresse, aut etiam tacite. Petitio tamen tacita non admittitur, nisi in vera necessitate, ut puta, si populus die festo Missâ illius Sacerdotis omnino indigeret. Ratio est quia Christifideles possunt communicare cum personis qualibet censura affectis, nisi publica denunciatio personalis locum habuerit, ut patet ex Constitutione Martini V. *Ad evitanda;* unde arguitur quod fideles possint quoque petere ab iis res divinas, quae quidem petitio inutilis esset, si rogati petitioni obsecundare nequirent. Ita docent TT. passim cum S. Lig. (VII. 158. 169. 140). — Ab his autem duobus casibus praescindendo, Missae celebratio a gravi peccato seiungi nequiret; imo si forte Sacerdos, Missâ iam incoeptâ, recordaretur se esse excommunicatum vel suspensum, ab altari recedere deberet si ex una parte scandalum non interveniret, et ex alia ante consecrationem de hoc recordaretur. Rubr. Miss. VIII. Cf. Tamburini (Meth. Comm. I. 44.) et cl. Ballerini (II. 960).

## § VI.

### *De servitio Ecclesiae praestando.*

656. Sacerdotes in sacra ordinatione Divinum Sacrificium offerendi, Poenitentiae Sacramentum administrandi, Verbum Divinum annunciandi etc. potestatem acceperunt. Hanc autem potestatem exercendi aliquam habere obligationem (nisi legitimâ causâ excusentur) TT. communiter asserunt, dicente S. Thoma (III. q. 82. a. 10): « Unusquisque tenetur uti gratia » sibi data cum fuerit opportunum »; secus enim in vacuum gratiam Dei recepissent et frustra pro hominibus constituti fuissent in iis quae sunt ad Deum, neque pro Christo (prout i debent) legatione fungerentur.

Haec obligatio sub gravi urgere potest, idque certe contingeret si populus eorum ministerio valde indigeret. Casus esset

si Parochus et Vicarius sive ad confessiones audiendas (maxime in Paschate), sive ad rudes catechizandos, sive ad infirmos assistendos etc. non sufficerent. Item si Parochus in infirmitatem incidisset, aut repente sine Vicario remansisset; unde pro interim necesse sit ut Sacerdos parochianus suppleat; idque speciatim in locis montanis ubi valde difficile esse solet ut cito supplentes inveniantur. Idem dic de Missae celebratione, si (te non celebrante) populus aut pars populi sine Missa die festo remanere cogeretur. Utique Parochi aut Parochiani debebunt congruam Sacerdotibus pro eis laborantibus eleemosynam suppeditare, qui enim altari inservit de altari vivere debet; sed dari possunt circumstantiae in quibus (attenta Parochi paupertate aut casus urgentia) Sacerdotes etiam sine eleemosyna servitium praestare teneantur. Imo, praescindendo etiam a casibus urgentibus, non bene se gerunt ii Sacerdotes, qui ex firmo systemate solum quando pecuniam aut prandium expectant ad Ecclesiam se conferunt. Contingere potest etiam quod aliquis officium quoque sive Vicarii sive Parochi (quando iam aliter provideri nequit et maxime ex Episcopi praecepto) acceptare in conscientia teneatur. (Cf. Lambertini (Notif. XCIV).

## § VII.

### *De sanctitate vitae et studio.*

657. Quum Sacerdotes perfectam castitatem usque ad mortem (quod profecto in tot periculis difficillimum et pene miraculum est) servare teneantur; quum insuper praeclaro virtutum (nempe charitatis, devotionis, obedientiae, patientiae etc.) exemplo aliis praelucere debeant; quum denique in praecellentissimo statu constituti res sacrosanctas quotidie pertractent: veram habent obligationem perfectiorem vitam profitendi, eaque media (v. g., orationis, recollectionis, custodiae sensuum etc.) adhibendi; sine quibus non solum vita perfectior subsistere nequiret, sed etiam lapsus gravissimi inevitabiles essent.

658. Sacerdotes ad studium tenentur, 1° Ut otium (quod omnium vitiorum pater est) evitent; 2° Ut in propriis muneribus errores declinent, atque tutius magisque efficaciter animarum saluti incumbant; 3° Ut honorem atque existimationem clero procurent, cui ignorantia (hodie speciatim) probrosa est. — Attamen ne quid nimis. Speciatim Episcopi, Parochi, aliique curam animarum habentes, caveant ne ita studiis vacent,

ut caeteras obligationes negligant, et propriae sanctificationi ovium*que* suarum saluti non satis attendant.

## § VIII.

### *De obedientia Episcopo debita.*

659. Obedientia Episcopo praestari debet 1° Quia regendi potestatem habet : « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere » Ecclesiam Dei » (Actor. XX. 20); 2° Quia sacri Canonés hanc obedientiam praecipiunt; sic, v. g., (D. XCV. C. 7) legitur : » Esto subiectus Pontifici tuo, et quasi animae parentem su- » scipe » ; 3° Quia Sacerdos in sua ordinatione ponens manus suas iunctas inter manus Episcopi dicentis : *promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* Respondit : *promitto.* Benedictus XIV. (Const. *Ex quo*) scripsit : « Neque » porro nos pro nuda inanique formula habendam esse puta- » mus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, » quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iuxta » vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitan- » ter servatum ».

Episcopo praecipienti parendum est non solum si legem condat, sed etiam si in particulari aliquid ad modum veri praecepti exigat ; et de hoc nemo dubitat.

Ut autem quis legem aut praeceptum Episcopi in conscientia declinare posset, oporteret ut clare constaret talem legem aut praeceptum sustineri non posse, eo quod Episcopus potestatis suae limites praeteriisset. — Hoc contingeret 1° Si res praecepta *contra* ius canonicum esset ; 2° Si Romae iam declaratum fuisset, Episcopos talem legem vel tali modo, v. g., non interpellato Capitulo (Cf. Scavini I. 594), ferre non posse ; 3° Si iam evidenter constaret, quod talis lex tamquam nimis dura, aut ex alio capite irrationabilis sustineri nequeat.

Quid si Episcopus legem quidem fecerit, sed iam non observetur? R. Si Episcopus videat et taceat, tunc breve tempus sufficit ut lex ex Superioris ipsius conniventia cesset ; nec obstat si Superior aegro animo taceat ; unde scripsit Lessius (II. vi. 45) : « Ut consuetudo tollat legem, solum requiritur ut » passim agatur contra legem..... sciente principe et non se » opponente.... etiamsi id fiat metu difficultatum ». Supposito tamen legis valore, primi certe peccant ; sed interdum non omnes; quando enim multi legem transgrediuntur, ex hac ipsa

transgressione speciales et graves creari possunt difficultates quoad illos qui legem observandi bonam voluntatem haberent: ita ut iure credendum sit quod Superior, tamquam rationabilis, obedientiam, quae sine ullo fructu malas consequentias haberet, ab eis non exigat.

Inter alia, quae propter reverentiam et obedientiam Episcopo debitam praestari debent sub gravi, praecipuum est ut Sacerdos, Episcopo non certiorato, Dioecesim non deserat; eoque renuente alibi non migret. Excipe nisi irrationabiliter prorsus Episcopus renueret; ut puta, si quis Religionem profitendo meliorem statum eligere vellet: quo casu, nisi forte Dioecesis in magnis angustiis versaretur, Episcopus dissentire nequiret. Cf. Benedictum XIV. (Const. cit.).

## PUNCTUM III.

### DE IIS QUAE CLERICIS VETANTUR.

660. Cohabitatio cum mulieribus, si periculosae graviter aut suspectae sint. Periculum grave iure naturae evitari debet. Hoc aderit non solum si miser Sacerdos iam caderet, sed etiam si ad proprium servitium mulierem iuvenem eligere vellet, atque solus cum sola habitare cogeretur, saltem si, loco orandi aut studendi, plures hyemalium noctium horas, cum ancilla ante ignem confabulando, terere soleret: ut rectissime notat Lambertini (Notif. LXXXIII. 14) — Sed non sufficit ut nulla occasio proxima subsistat: bene vero oportet ut a scandalo praecaveatur. Hinc Concil. Trid. (Sess. 25. De Reform. Cap. 14) sequentem legem statuit: « Prohibet S. Synodus quibuscumque « clericis, ne... mulieres, *de quibus possit haberi suspicio*, in « domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem « habere audeant ». Sed quandonam huiusmodi suspicio haberi poterit? Resp. 1° Si iam dicteria fiant. Oportet tamen ut aliquod fundamentum habeant, et non prorsus temeraria aut pharisaica sint, ut innuit idem Lambertini (l. c. 16.). 2° Si mulieres integris probatisque moribus non sint praeditae. 3° Si non satis appareat quo honesto legitimoque motivo retineantur. 4° Si ex una parte sint nimis iuvenes (maxime vero si pulchritudine quoque praeditae sint), et ex alia strictam consanguinitatis au affinitatis cum Sacerdote attinentiam non habeant, atque sol Sacerdoti non vero aliis de eius familia inserviant. Ita Theolog et Canonistae passim cum Lambertinio (l. c.). — Insuper ha

in re leges synodales ( si quae vigeant ) observari debent. — Cavebit etiam Sacerdos, ne ancilla sumptuosius et cum nimio ornatu vestiatur, et ne cum illa deambulationis gratia in publicum prodeat. Denique singulis annis salarium usque ad assem ei persolvat, ut ambo semper liberi remaneant, atque etiam ne misera famula ( prout saepe contingit ), mortuo hero, sua multorum annorum mercede ab haeredibus fraudetur.

661. Negotiatio In Cap. 2° *Ne clerici* legitur: « Sub inter- « minatione anathematis prohibemus, ne monaci vel clerici causa « lucri negotientur ». Excommunicatio tamen ( quatenus latae sententiae est ) hodie restringitur ad Missionarios qui in Indiis Orientalibus mercaturae operam dent; quae censura, quamvis in Bulla Apostolicae Sedis non indicetur, tamen vigorem certe habet, ut patet ex Litt. Encycl. S. C. De propaganda Fide 29 Martii 1873. Caeterum sub gravi, supposita continuatione, negotiatio clericis ( in sacris aut beneficiatis ) ubique terrarum interdicitur. Motiva prohibitionis sunt 1° Quia negotiatio nimiis sollicitudinibus, timoribus et curis subiicitur; unde clerici a rebus spiritualibus nimis distraherentur, cum magno periculo ne propriis muneribus deficiant; 2° Quia negotiatio a mendaciis, fraudibus, et nimia communicatione cum saecularibus vix seiungi potest; 3° Quia Clericus mercator existimationem amittit, et facile scandalum praebet. Sed quid est negotiatio? R. Canonistae dicunt, ipsam consistere in emendis mercibus *ut* postea immutatae carius vendantur; quatenus nempe lucrum non ex mercis ipsius immutatione ( tunc enim de opificio seu fabricatione ageretur * ), sed totaliter aut saltem principaliter ex solertia in emptione et revenditione dependant, prout contingit in emendo et revendendo tritico. Dixi *saltem principaliter*; si enim immutatio quidem locum haberet, sed lucrum non tantum ex illa quantum ex praedicta solertia oriretur; tunc negotiatio eodem modo subsisteret, ut patet in iis qui uvam emunt ut vinum postea vendendum conficiant; ipsi enim negotiatores (*negozianti da vino*) communiter appellantur; aliud esset si vinum exquisitum conficerent; tunc enim, potius quam negotiatores, fabricatores vocarentur. — Olim quaestio erat an Clericus possit negotiari per alium, qui opera et nomine proprio negotietur, dum Clericus mandatum dumtaxat et pecuniam suppeditat; sed haec quaestio hodie finita est; quandoquidem Benedictus XIV. ( considerans quod in hac etiam negotiatione sollicitudines et

* Quae tamen in multis casibus aeque prohibetur, ut infra videbimus.

timores non cessant, imo saepe in gradu maiori remanent) in Bulla *Apostolicae servitutis* definivit, clericis omnino interdici. — Quid si Clericus in negotiandi necessitate versaretur? R. Si alio modo sibi suisve victum hic et nunc necessarium comparare nequiret; tunc certe, potius quam mendicare, negotiari posset. Si vero necessitas non sit tanta; ita ut, si clericus a negotiatione abstineret, de paupertate in posterum formidaret aut magnum damnum incurreret (ut puta si patri negotiatori succederet et negotia incoepta sine gravi damno intermittere nequiret); tunc licentiam extra Italiam ab Ordinario, et intra Italiam a S. C. Concilii petere deberet: ut patet ex Bull. cit. et ex alia Clementis XIII. *Cum primum*. Clericus tamen qui patri negotiatori succederet, si fratres haberet, qui negotium continuarent, suam partem in eorum manibus relinquere et in fine anni lucrum sibi competens percipere posset, ut dicunt Scavini et D'Annib. (III. 506. 13). — Advertunt tandem TT. quod nequidem in causae piae favorem (seclusa S. C. C. licentia) negotiari licet. Cf. Del Vecchio (I. 254).

662. Negotia saecularia. Praeter negotiationem stricte dictam, multa alia (quae vel negotiationi valde assimilantur, vel quomodolibet clericis non congruunt) iure canonico vetantur. Praecipua breviter enumero.

1. Cambia exercere lucri causa. Cambium tamen quod practice mutuum velat (*cambiale*), nisi adsit reatus a parte usurae (Vide dicta n. 493), non interdicitur. D'Annibali (III. 507. 17).

2. Possessiones alienas conducere lucri causa. Ita Concil. Chalced. apud S. Lig. (III. 835); qui infert, has conductiones vetari sive ut fructus vendantur, sive ut ex iis animalia revendenda saginentur. Excipit S. Doctor nisi alicubi ex consuetudine hoc ultimum licitum existimetur. Excipi debet quoque casus in quo clericus pauper terras non laicorum sed ecclesiasticorum conducat. S. C. Concilii apud Scavini (I. 576).

3. Artes viles (v. g., fabri) personaliter et publice; artem aromatariam (*spezieria*) pro usu publico; chirurgiam vel medicinam exercere. Vecchiotti (I. 109) dicit, medicinae imo et chirurgiae iuxta artis regulas (secluso ferro et igne) exercitium, iure canonico non vetari; sed certe fallitur ut videre est apud Benedictum XIV. De Syn. (XIII. x. 5). Alicubi tamen, et speciatim pro exteris Missionibus, dispensatio obtineri potest.

4. Industriis, opificiis, fabricationibus operam dare, eaque per operarios ex rebus in hunc finem emptis perficere, ut pu-

ta, si ematur lana ut pannus vendendus conficiatur. Quamvis in iure haec non vetentur expresse, tamen Theologi et Canonistae passim legem contra negotiationem hoc lato sensu intelligendam esse decernunt, si (ut dixi) non manu propria, sed per operarios industriosis operibus ex fine lucri attendant. Lugo (De Iust. XXVI. 34), Reiffenst., Vecchiotti etc. Excipe nisi ex consuetudine (aut quia in quibusdam casibus rationes quae militant contra negotiationem, in concursu ad opera huiusmodi non militent) quaedam permittantur. Sic ope famulorum animalia in propriis praediis saginare, prorsus licet; dummodo tamen clerici in illis emendis, alendis et distrahendis (maxime si de suibus agatur) nihil sordidum aut indecens ordini clericali exerceant. S. C. Concilii apud Scavini (I. 576).

5. Oves, boves aliaque huiusmodi animalia emere, eaque locationis aut societatis titulo conductori aut socio tradere, ut lucrum percipiatur. S. C. Concilii an. 1662 censuit, id non licere. Scav. (l. c.). Attamen in casu particulari vide praxim timoratorum.

6. Societatibus commercialibus, seu verae negotiationis, nomen dare, quamvis concursus in sola pecunia consistat, acquirendo titulos ad lucrum (*azioni*) pro rata pecuniae depositae, iuxta responsum S. C. Regul. 1846, non licet; id enim est per interpositas personas veram negotiationem exercere, non sine sollicitudinibus et timoribus, maxime si capitalia magna exposita fuerint; unde supradictum Benedicti XIV. vetitum non declinatur. — Si vero ageretur de societatibus industrialibus (v. g., circa fodinas, officinas lanarias, chartarias, sericas etc.), an tunc actiones sumere liceat, disputatur. Sed licentiam petere tunc etiam saltem aliquando necessarium erit. Ratio est quia (ut dixi n. 4°) opera industrialia per alios executa negotiationi aequiparantur, si motiva prohibitionis aeque aut fere aeque militent. Id autem contingit in casu, saltem si ex una parte magnae summae exponantur et ex alia res sint ita dispositae ut magnum omnia deperdendi discrimen adsit; tunc enim sollicitudines et timores quomodo non aderunt? Caeterum, secluso etiam timore isto, licentiam petere ad minus tutius erit. Sacra enim C. C. an. 1857 interrogata utrum actiones viae ferreae sumere liceret? Respondit: « Episcopos permittere posse ut « Ecclesiastici accipiant has actiones de pecunia propria ». Dixi *tutius erit;* notissimum est enim quod huiusmodi permissiones non raro ad maiorem conscientiae tranquillitatem conceduntur, quamvis suapte natura et iure ipso res liceret. Cf. Benedictum

XIV. De Syn. XIII. x. 12. — Demum omnes fatentur, pecuniam Gubernio dari posse, ut, acceptis actionibus, lucrum reportetur; in hoc enim casu, nulla negotiationis species intervenit. Id tamen intellige, nisi ex his ipsis actionibus negotiatio (eas emendo et revendendo) fieri velit. Cf. Vecchiotti (I. § 109. 8°).

7. Administrationes sive publicas sive privatas laicorum suscipere, aut vili modo se eorum servos constituere; ut enim dixit Clemens XIII. (C. *Cum primum*), « hoc est proprii « gradus dignitatem proculcare ». Si tamen de simplici administratione privata ageretur, non ex avaritia, sed propter honestam sustentationem suscepta; tunc clericus de peccato gravi accusari nequiret, dummodo propria boni sacerdotis officia non negligat. S. Lig. III. 838. Imo nulla culpa interveniret, si ex pietate loci pii (nisi aliud obstet), aut viduae aut pupilli indigentis administratio sumeretur; vel si debita licentia peteretur. Caeterum hodie tutela minorum et executoris testamentarii officium absque ullo discrimine ab Ecclesiasticis acceptari posse videtur. Scavini (I. 577).

8. Advocati vel procuratoris partes agere. Excipe nisi agatur de causa sive propria, sive consanguineorum, sive pauperum et miserabilium personarum, sive ecclesiasticorum vel locorum piorum. Excipe quoque causas quae apud iudices ecclesiasticos agitantur. Excipe demum si debita licentia obtenta fuerit. D'Annib. (III. 508).

Caeterum viri ecclesiastici propter spirituale societatis bonum scholas publicas acceptare, consultores municipiorum (non item syndici aut assessores), imo et populi oratores (*deputati*) evadere possunt. Intellige tamen si haec sine propriorum munerum laesione exequi valeant, et (N. B.) nisi speciales locorum aut temporum circumstantiae obstent. In dubio Episcopi consilium exposcere debebunt. Cf. D'Annibali (III. 508), Vecchiotti (I. 109), et Scavini (I. 577).

663. Ludus alearum. Hic interdicitur; secus si non sit purae sortis, sed cum industria mixtus: qui certe licet, dummodo moderationis limites non excedantur. Scavini (I. 424).

664. Venatio clamorosa; quae nempe cum magno tumultu et strepitu armorum et canum ad occidendas maiores feras peragitur. Haec prohibetur; sed non venatio quieta et moderata, quae solum ad volucres minoresque belluas non feroces occidendas dirigitur. Vecchiotti (I. 109).

665. Gestatio armorum. Excipitur nisi ad praecavendas in-

sidias et se tuendum Ecclesiasticus aliquando arma deferat. Scavini (I. 419).

666. Ingressus in tabernas. « Clerici, edendi vel bibendi « causa, tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis neces- » sitate compulsi » Dist. XLIV. iv.

667. Comessationes. Hac in re antiqui Canones severe loquebantur. Quoad cibum, « Non plus quam necesse est servitur « corpori, sed sola eius infirmitas reficitur » (l. c. VI). Quoad vinum, « Ultra tertiam vicem poculum non contingant » (l. c. IX). Quoad laetitiam : « Nullus presbyterorum... plausus et « risus inconditos, et fabulas inanes ibi referre aut cantare « praesumat » (l. c. VII). Denique (c. VIII) legitur : « Prior « illorum versum ante mensam incipiat et cibum benedicat.... « Aliquis aliquid de Sancta Scriptura legat; et post refectionem « similiter sanctum hymnum dicant ».

Fateor quod hodie non adamussim haec statuta obligant. Regulares quoque strictioris observantiae poculum ultra tertiam vicem contingere possunt. Lectio S. Scripturae apud ipsos Episcopos passim in desuetudinem abiit; neque id corruptela reputatur. Quaenam itaque norma supererit? Dicerem quod Presbyteri, Parochi, Episcopi etc. tam circa prandium consuetum, quam circa prandia, quae hospitibus advenientibus vel occasione festorum fiunt, a praxi timoratorum in eodem gradu et circumstantiis constitutorum, regulam tuta conscientia sumere possint. E contra quod excessivum ab iisdem reputatur sedulo evitent, et semper (prouti poterunt) ad moderationem inclinent. Reminiscantur quod cibus et potus abundantior ad luxuriam facile provocat, et proinde Sacerdotibus, qui summam castitatis servandae curam habere debent, non convenit. Reminiscantur quod ipsi bonum temperantiae exemplum laicis praebere tenentur. Reminiscantur demum qua ex pecunia convivia comparent. « Tibi, o Sacerdos (dicebat S. Hieron.), de altari vivere, non « luxuriari permittitur ».

Loquendo autem speciatim de conviviis quae occasione festorum locum habent, Sacri Canones advertunt, valde esse reprehendendos illos Sacerdotes qui palam faciunt, se magis de prandio quam de Ecclesia esse sollicitos. « Qui ad Coenam Dominicam « conveniunt, et ex veritate ventris causa coniunguntur; re- « prehensibiles coram Deo et hominibus habentur » (l. c. IX). — Loquendo denique de conviviis nuptialibus, iidem Sacri Canones praecipiunt ut Clerici ea evitent (D. XXIV. xix). Attamen excipi debet casus in quo ineluctabilis convenientia Clerici

interventum exigat ; et pro certo habeatur, nihil adfuturum quod clerici ipsius oculos aut aures offendere possit. Cf. Scavini (IV. 11).

668. Luxus. Non solum excessus in conviviis, sed etiam in vestitu, habitatione, et vitae commodis atque deliciis, interdicitur ; ut videre est apud Trid. (Sess. XXII. 1). Heu quot Ecclesiastici domum quasi principis aulam ornant, et Ecclesiam quasi tugurium relinquunt ! Quanta differentia inter suppellectilem mensae et altaris ! Vestes propriae abundant, et splendidae sunt : in sacris vero apparatibus heu quanta penuria, nisi etiam laceri et sordidi sint !

669. Choreae et spectacula. Dist. XXIII. III. legitur : « Lege « patrum cavetur, ut a vulgari vita seclusi a mundi voluptatibus sese abstineant ; non spectaculis, non pompis intersint « etc. ». Et D. XXXIV. XIX : « Nec his coetibus misceantur, « ubi amatoria cantantur et turpia : aut obscoeni motus corporum choreis et saltationibus efferuntur ; ne auditus aut ob« tutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atque « verborum contagione polluantur ».

670. Hucusque vidimus quaenam clerici praestare et quaenam evitare debeant. Multa sunt ; sed omnia adimplebunt, si sequentia Tridentini verba (Sess. XXII. 1.) prae oculis habeant : « Sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam « moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, « sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, « ac religione plenum praeseferant ; levia etiam delicta, quae « in ipsis maxima essent, effugiant ; ut eorum actiones cunctis « afferant venerationem ».

## PUNCTUM IV.

### DE STATU RELIGIOSO.

671. Essentia status religiosi consistit in tribus votis castitatis, paupertatis et obedientiae, si emittantur in religione quae vere tamquam ordo religiosus fuerit ab Ecclesia approbata, simulque sint perpetua saltem a parte voventis. — Quod haec vota sint solemnia, praecise non exigitur ; ut patet ex sodalibus Societatis Iesu, qui, quamvis (tyrocinio expleto) simplicia dumtaxat vota emittant, nihilominus sunt vere religiosi, adeo ut talia vota, non secus ac professio solemnis, matrimonii validitati obstent. Cf. Sanchez (VII. XXV. 14. 15), et

D'Annib. (III. 325). Idem dicendum videtur de aliis Religiosis, qui, iuxta decretum Pii IX (19 Mart. 1857), absoluto novitiatu, per triennium cum solis votis simplicibus remanent, ea lege ut (sicut praedicti Societatis Iesu sodales) ipsi quidem perpetuo Religioni mancipentur, sed Religio eos reiicere possit, quo casu illi quoque a votis liberi evaderent. Cf. Gury (II. 138. not. *a*).

672. Qui autem vota simplicia, quamvis forte perpetua, emittunt in piis Institutis, qui non tamquam ordines religiosi, sed solum tamquam piae congregationes fuerint ab Ecclesia approbati, in statu religioso non constituuntur. — Huiusmodi sunt fere omnes Moniales in Gallia, Belgio, Hollandia et Statibus confoederatis Americae; quae iustis de causis (et praecipue quia illuc, praeter nimia vulnera quae voto paupertatis infliguntur, clausura neque perfecte servari potest neque a gubernis ullam tutelam habet) ab Ecclesia tamquam verae moniales non considerantur; earumque professio tamquam solemnis non habetur. — Quoad Religiosos tamen non est idem; ipsi enim professionem solemnem illuc quoque emittere possunt, atque illâ emissâ tamquam veri religiosi ab Ecclesia habentur. Cf. Gury (II. 177-188) et Vecchiotti (II. § 66).

Hic prius obligationes exponam Religiosorum veri nominis; et postea de aliis verba faciam.

673. Votum castitatis, extenditur ad ea omnia (etiam mere interna) quae virtute castitatis interdicuntur. Quae vero sub consilio dumtaxat cadunt, in voto non comprehenduntur, exceptis matrimonio et clausura. — Peccatum evadit specie duplex, quatenus reatui contra castitatem reatus contra religionem superadditur; at vero si religiosus ordinem sacrum suscipiat nulla alia differentia specifica superadditur; pluralitas enim causarum ob quas ex eadem virtute obligatio aliqua consurgit, non sufficit ut nova malitia constituatur; ut patet in illo qui tum ex beneficio tum ex ordine sacro ad Horas Canonicas tenetur. D'Annib. (I. 262. 1). — Peccatum contra religionem in violatione voti est eiusdem gravitatis, sicut peccatum contra castitatem; unde, si culpa contra castitatem sit levis, voto superaddito, gravis non evadit. Gury (II. 166).

674. Votum obedientiae. Religiosi obedire tenentur 1° Quia in qualibet societate legitimis superioribus parendum est; 2° Quia in religiosa professione se ipsos propriamque voluntatem Superioribus tradiderunt, eisque obedientiam promiserunt; 3° Quia etiam cum Deo per votum ad hanc ipsam obedientiam se obligaverunt. Religiosus itaque inobediens tres virtutes offendit,

nempe obedientiam, fidelitatem, et religionem; atque ita in rigore tripliciter peccat. Attamen dum confitetur, si Confessario iam sit notus tamquam professus, sufficit si dicat: Superioribus meis fui inobediens. — Obiter hic nota quod neque votum, neque pactum expressum exigitur necessario ut obediendi obligatio adsit; sufficit enim si ad aliquam societatem legitimos superiores habentem pertineas. Cf. Suarez (De Relig. X. v. VI).

Ut religiosi obedire teneantur, oportet 1° ut mandatum subsistat; si enim Superior voluntatem quidem praecipiendi conceperit sed praeceptum adhuc non intimaverit; vel ad modum consilii et exhortationis aliquid proposuerit; vera obligatio adhuc non subsisteret. Scripsit Suarez (De Relig. I. III. 5); « Prae-« latus cum iubet aliquid ordinario modo, sive utatur verbo « mandandi, sive aliis simplicioribus, non obligat in conscientia, « nec censetur praecipere ut iurisdictione utens, sed ut spiri-« tualis pater: neque etiam censetur rigorose exigere promissam « obedientiam, donec expressis et quasi praescriptis verbis id « declaret ». Sed potius dicendum quod iussio Praelati, quamvis interdum merae exortationi aequivaleat, tamen saepe saepius saltem sub levi conscientiam ligat.

Oportet 2° Ut mandatum in errore non fundetur; si enim Superior poenitentiam pro delicto iniunxerit, et subditus innocens sit, tunc (secluso scandalo) obedientia declinari poterit.

Oportet 3° Ut mandatum fiat a legitimo Superiore. Ex hoc capite Religiosi obedire debent 1° Romano Pontifici si forte per se ipsum aut per Congregationem Regularis Disciplinae aliquid decernat; 2° Ministro Generali; 3° Provinciali; 4° Superiori locali; 5° Eorum vicesgerentibus, quales sunt vicarii, et praepositi diversorum officiorum si forte isti subalternos habeant. — In mandatorum conflictu Superioribus altioris gradus obediendum est, nisi Superior immediatus facultatem sive dispensandi sive interpretandi sive epikeiam faciendi habeat; et nisi Superiori altioris gradus vetitum sit Superioris immediati auctoritatem in eo casu restringere. Religiosi non exempti, quales sunt fere omnes moniales, Episcopo plus quam Superiori immediato obedire tenentur. — Quamvis Abbatissae iurisdictionis spiritualis incapaces sint, nihilominus veram gubernandi familiam religiosam iuxta proprias regulas et constitutiones, tamquam matres-familias, et loco Episcopi vel Abbatis, potestatem habent; eisque non obedire grave peccatum esse potest.

Oportet 4° Ut Superior suae potestatis limites non excesserit; idque contingeret 1° Si res praecepta esset contra legem Dei

vel Ecclesiae : 2° Si esset contra Regulam vel Constitutiones (quae propter temporum et locorum circumstantias regulae primitivae adiici debuerunt). Intellige semper si Superior dispensandi auctoritatem non habeat ; et si agatur de re evidenti ; in dubio enim praesumptio Superiori favet ; secus enim de bono ordine in religiosis familiis actum esset.

Quid si Superioris mandatum non quidem contra, sed extra regulam esset ? R. Mandatum huiusmodi contingeret si superior praeciperet aliquid *supra* regulam, ad maiorem nempe severitatem procedendo, ut puta si Minoribus Conventualibus Trappistarum severitates praeciperentur. Potest esse *infra* regulam, si nempe res illa non quidem durior sit, attamen in regula nullo modo comprehendatur. In his casibus communiter TT. fatentur obediendi obligationem non adesse ; subditi enim obedire quidem promiserunt : sed hoc intra proprii instituti spiritum et regulas intelligi debet. Imo Sanchez (VI. II. 16) existimat, idem esse dicendum quamvis regula dicat, obediendum esse superiori in omnibus quae non sint peccata evidenter, prout legitur in regulis Societatis Iesu et Franciscalium. Obedientia enim ultra regulas sic proponitur quidem ex consilio, non autem ex praecepto. — Caeterum non exigitur ut tale vel tale mandatum in regula expresse inveniatur ; sufficit enim quod superior iuxta spiritum propriae religionis, et iuxta ea quae implicite in regulis indicantur, aliquid praecipiat. Hinc subditus tenetur obedire, v. g., si superior officium (etiam cum cura animarum) religioni non extrinsecum ei imponat ; si praecipiat ut delinquentem manifestet ; ut poenitentiam etiam duriorem, sive in poenam delicti sive ad praecavendum relapsum acceptet et peragat ; ut media nova quidem, sed ex novitate circumstantiarum iam necessaria, adhibeantur ; ut saecularibus quoque auxilia praebeantur, si Religio ad bonum proximi quoque instituta fuerit, maxime si de mendicantibus agatur ; quo casu contingere potest quod Religiosi in auxilium etiam Parochorum ad assistendos infirmos tempore pestis occurrere teneantur. Notari potest demum quod Superiores quamvis actus mere internos praecipere nequeant, tamen actus internos cum externis connexos praecipere possunt ; v. g., ut subditi pro tali vel tali anima Missam applicent. Idem dic de mediis ad votorum observantiam moraliter necessariis, ut puta, si Pontifex iuberet ut moniales prius a clausura solutae clausuram acceptent. Suarez (De Rel. L. VIII. XIV. 5).

Peccata religiosorum contra obedientiam, ut plurimum ve-

nialia sunt. Attamen peccatum mortale committeretur in sequentibus casibus. 1° Si Superior in materia gravi praeciperet dicens : *in virtute sanctae obedientiae*, vel *in nomine Iesu Christi*, aut aliis gravissimis verbis utens ; 2° Si ex inobedientia grave scandalum sive confratrum sive saecularium, aut grave incommodum sive pro communitate sive pro aliis ( v. g., pro salute animarum ) sequeretur. 3° Si superiori aliquid sive grave sive etiam leve legitime praecipienti subditus responderet: *Nolo obedire, nolo facere, non faciam*, aut aliud simile quod contemptum formale auctoritatis redoleat.

Ut autem obedientia a quavis levissima culpa expers sit, oportet ut obediatur 1° *Prompte*, idest statim, tempore praescripto, nullisque inquisitis rationibus, aut difficultatibus inanibus in medium adductis. 2° *Exacte*, nempe cum debita cura, ut opus bene perficiatur ; 3° *Alacriter*, nempe libenti animo et sine ulla interna voluntatis repugnantia saltem voluntaria.

675. Observantia regulae. Accedente mandato Superioris, iam dictum est, quomodo subditi obedire et proinde regulam vel constitutiones observare atque etiam pro regulis non observatis poenitentias acceptare teneantur. Secluso autem hoc mandato, tunc etiam tenentur certe regulam observare 1° in iis quae spectant ad vota ; 2° in iis quae etiam ex lege sive divina sive Ecclesiastica adimplere tenentur ; 3° Si regula ab Ecclesia confirmata sive sub gravi sive sub levi obligationem imponat expresse, aut consuetudo eam taliter interpretetur. Ab his casibus praescindendo, Regula in conscientia non obligat, sed ad meram directionem reducitur, multo magis si regula ipsa expresse moneat, nullam in conscientia obligationem ponere, prout in regula Dominicanorum et Societatis Iesu contingit.

Petes, quaenam sint ea quae a Religiosis non solum propter regulam sed etiam propter legem ecclesiasticam ( vel consuetudinem vim legis habentem ) observari debent ? R. Sunt speciatim sequentia :

1°. Retentio habitus religiosi ; quatenus nempe ex generali Ecclesiae lege sicut clerici ita et monachi cum proprio habitu palam retento incedere debent ; nec habitum saecularem ( seclusa legitima causa ) induere possunt. Quod autem noctu quoque in lecto habitum retineant, hoc non ex lege sed ex sola regula provenit. Cf. Suarez ( Tr. VIII. Lib. I. v. 4).

2°. Recitatio Officii Divini ; quod tamen ab iis qui non sunt *in Sacris* in preces fratrum laicorum, nulla etiam petita dispensatione, (attamen ex causa rationabili, v, g., occupatio-

num, defatigationis, studiorum etc.) commutari potest. Cf. S. Lig. (IV. 142), Gury (II. 50. et 183, et D'Annibali (III. 590).

3°. Observatio clausurae. Circa istam nonnulla particularia explicare oportet.

676. Clausura. Si agatur de conventu virorum, praecipitur 1° ne aliqua mulier introducatur, aut permittatur ut intra clausuram pedem ponat, idque sub poena peccati mortalis et excommunicationis R. P. reservatae, ut videre est in Bulla *Apostolicae Sedis*. 2° Ne aliquis Religiosus exeat a Monasterio sine licentia Superioris saltem praesumpta, interdiu sub levi, noctu sub gravi. Cf. D'Annibali (III. 594) et Suarez (De Relig. VIII. Lib. I. vi. 6).

Si agatur de conventu Monialium, lex clausurae valde arctior est. Pro praxi sufficit, si sequentia notentur.

I. Clausura alia est papalis, alia episcopalis. Prima afficit monasteria, in quibus moniales veri nominis cum votis solemnibus morantur. Illuc clausura est papalis suapte natura; unde Vecchiotti (II. § 165) dicit: « Nullum monasterium dari posse « cum votis solemnibus, quin simul clausura papalis ibidem « obtineat ». — Secunda afficit illas domus, in quibus piae mulieres cum votis simplicibus morantur, si Episcopus clausura eas obstrinxerit. Caeterum quoad istas quoque clausura papalis adesse potest; si nempe Episcopus cum consensu Monialium illam a Pontifice obtinuerit. Scavini (I. 493). Quae hic dicuntur, clausuram papalem respiciunt; de episcopali autem paullo infra aliquid dicam.

II. Peccatum mortale cum excommunicatione R. P. reservata adest si aliqua monialis exeat. Attamen sequentes casus excipiuntur. 1° Si incendium, inundatio, latronum incursus, coenobii ruina etc. iam iam immineat; 2° Si aliqua monialis morbo contagioso affecta fuerit, et sine periculo alias inficiendi intra coenobium curari nequeat; quo in casu ultra licentiam Abbatis (si monasterium Regularibus subiiciatur) etiam licentia Episcopi exigitur, et quidem *in scriptis*; secus pro non data haberetur. 3° Ut monialis vel moniales aliquae (v. g., ad fundandum aliud monasterium vel ad docendas puellas in scholis Coenobio attiguis) e clausura egredi valeant, licentia S. Congregationis necessaria erit. Elapso tempore praefinito, Monialis ad suum Coenobium redire debebit. Attamen in mora ad peccatum mortale constituendum, si monialis longe a proprio monasterio manserit, una vel altera dies vix sufficiet.

III. Peccatum mortale et excommunicatio R. P. reservata

adest quoque, si aliqua persona (etiam foemina) ingrediatur, aut introducatur, aut ingredi sponte permittatur. Excipe 1° Si ingressus sit necessarius ad Sacramentorum administrationem, vel animae commendationem; quibus in casibus recta via eundum et redeundum est, neque ultra necessitatem (vel discretam urbanitatem) moram trahere, neque cibum aut potiones confectas intra coenobium sumere licebit. Si tamen mora brevis esset (v. g., non ultra quadrantem) mortalis non foret. Excipe 2° Si ingressus exigatur ad curandas aegrotas. Excipe 3° Si exigatur propter alias conventus necessitates; unde operarii, baiuli, olitores etc. ingredi possunt. Attamen satagendum ut noctu intra coenobium nemo moretur, excepto confessario et medico, durante necessitate. In quovis casu licentia Episcopi (qui tamen Abbatissam vel Confessarium delegare potest) semper exigitur. An intra clausuram recipere infantem leve sit; et an liceat recipere monialem diversi conventus a suo coenobio legitime egressam: de his disputatur. Excipe 4° Si ad maiora mala evitanda, gubernii ministri introducantur; qui tamen Episcopi licentia se munire deberent; et si tempus non suppeteret, videndum esset an Ecclesia contra ipsos personaliter censeri debeat invita nec ne.

IV. Quid de simplici collocutione cum Monialibus aut Educandis ad rotas, parlatoria etc. absque violatione clausurae? R. Id quoque iure communi, si frequenter atque sine manifesta et rationabili causa fiat, graviter vetatur. Imo fere ubique locorum Episcopi leges adhuc strictiores hoc in puncto statuerunt; et districte vetant, ne quisquam, etsi de unica vice ageretur, absque Ordinarii licentia (exceptis consanguineis) cum Monialibus loquatur. — Hoc vetitum directe quidem exteros, sed indirecte Moniales quoque respicit. — Quoad Regulares autem vetitum istud ipso iure communi rigidius est. Parvitas tamen materiae ex brevitate temporis atque qualitate collocutionis semper dabitur. Cf. S. Lig. (VII. 232-238).

Caeterum sedulo notandum est cum Reiffenstuel (III. xxxv. 66), quod in tota hac materia de Monialium clausura, antiquae (saltem decennales) consuetudines iuris rigorem huc illuc imminuere possunt; unde in multis monasteriis collocutio cum monialibus (ex fine honesto et rationabili de causa), maxime cum Abbatissis aut monialibus rotae communi aut sacristiae addictis, facile permittitur. Imo alicubi ipse ingressus in monasterium plus quam in iure concessus sit, non vetatur. — Deficiente autem causa rationabili, non de consuetudine sed

de abusu certe ageretur; unde in praxi collocutiones inutiles, vel nimis protractae nimisve frequentes tamquam illicitae semper haberi debent.

Demum in multis coenobiis Ecclesia, Sacristia, et Camerae pro famula vel hospitibus, si unicam fabricam cum monasterio constituant, in quibusdam circumstantiis (speciatim quando nemo adest, aut quoad Abbatissam aliasve moniales de eiusdem licentia) ex consuetudine vel constitutionibus extra clausuram non considerantur.

Episcopi tamen in conscientia vigilare debent, et (nisi forte circumstantiae exigant ut consuetudini cursus relinquatur) melius erit si peculiari lege consuetudinem obtruncent atque ad iuris tramites omnia reducant. Idque omnino facere deberent, si consuetudo legitima adhuc efformata non esset, aut si scandala orirentur vel quolibet modo consuetudo in corruptelam non tolerabilem degenerasset.

677. Votum paupertatis. In hoc voto sola bona fortunae comprehenduntur; unde Religiosus, si forte manuscripta propria (quae non bona fortunae sed fructus ingenii considerantur) habeat vel conficiat, de illis pro libito disponere potest; dummodo lucrum non percipiat. Idem dic de Sanctorum Reliquiis. Gury (II. 156). — Actus, qui nullum dominii exercitium includunt (quamvis sint circa bona fortunae), in hoc voto pariter non comprehenduntur. Hinc simplex depositum (absque facultate utendi) retinere; bona non propria alieno nomine et sine mercede administrare; commissionem aliquid alicui tradendi, vel eleemosynas pauperibus (etiam non individualiter designatis) distribuendi, acceptare; haec forsan quidem a regulis sed non a voto vetari poterunt. Gury (l. c. 161. 8°), Suarez (VIII. VI. 28; XI. 45), aliique apud cl. Ballerini (ad n. 157). — Demum simplex usus (quem non iuris sed facti appellant) rerum, quae pro victu, vestitu, habitatione, studiis etc. religiosis a Praelato traduntur, nec vetatur nec vetari potest, ut per se patet.

Votum paupertatis itaque privat religiosum quolibet iure circa bona fortunae, ita ut ad modum domini nihil possidere et de nihilo disponere possit; imo (loquendo semper de voto solemni, nullaque accedente Pontificis dispensatione) si Religiosus aliquid, cum potestate libere prorsus disponendi et sine intentione petendi licentiam, acceptaret, acceptatio non solum illicita sed etiam invalida esset.

Hinc Religiosus ante professionem omnibus bonis suis renuntiare debet; ita ut nec proprietas ulla, nec ullum ius ad

fructus, ad usum, ad pensionem etc. ei remaneat. Si quid huiusmodi secum deferat, non sibi sed Religioni (si haec in communi possidere possit) tradere debet.

Professione emissa, nullum ex iis actibus, qui per se dominii exercitium praeseferunt, absque Praelati licentia peragere potest. Haec autem continua dependentia efficit ut ad modum domini nunquam procedat. Sed circa hanc licentiam plura notari debent. I. Non semper oportet ut sit expressa: sufficit enim si sit *tacita;* si nempe adsit consuetudo ut quaedam sumantur aut fiant quin licentia petatur. Sufficit etiam licentia *implicita*, quae nempe subintelligitur; ut puta, si Praelatus alicui religioso daret licentiam donandi librum cui vult; tunc enim alius religiosus librum illum sibi dono oblatum recipere posset. Idem dic de licentia peregrinandi; in qua subintelligitur licentia mendicandi, si victus pro itinere datus non fuerit. Sufficit demum licentia *praesumpta*, quae nempe concederetur si peteretur. Sed quoad istam cavendum ne praesumatur quando praesumi nequit; et profecto difficile praesumeretur si de rebus monasterii exteris in donum tradendis ageretur. Cavendum est insuper ne cum hac licentia solum praesumpta procedatur, quando casus non urget et Superior commode interpellari potest. — II. Licentia debet esse libera; si enim Religiosus mendaciis, fraudibus, aut minis illam obtinuisset, nihil valeret. Idem dic si Religiosus circa paupertatem male se gereret, et Praelatus taceret quidem, sed aegro animo; quia nempe timeret ne Religiosus ille, si corrigeretur, magis perversus evaderet (Suarez l. c. 7). — Oportet III. ut licentia sit revocabilis, quatenus nempe sin minus superior immediatus, saltem Provincialis aut Generalis illam revocare possit; secus enim Religiosus ea in re nullam dependentiam remaneret et tamquam dominus evaderet. Suarez (l. c. XII. 14). — IV. Licentia obtenta cessat quidem revocatione, aut adveniente tempore sive expresse sive tacite praefixo; non autem ex eo solum quod Praelatus ab officio cessaverit. — V. Necesse est ut Superior in licentia concedenda facultatis suae limites non praetergrediatur; ipse enim non est dominus, sed aeconomus dumtaxat et administrator; unde si iam evidenter cum gravi damno communitatis alicui Religioso licentias prodigas concederet; hae nihil valerent. In dubio tamen praesumptio Superiori faveret. Suarez (l. c. XV. 4. 9). — Sed quid si Superior irrationabiliter prorsus aliquam licentiam denegaret? R. Subditus, in casu etiam licentiae inique denegatae nihil sumere posset.

ad modum pauperis cui inique eleemosyna denegetur. Excipe nisi ageretur de casu extremae necessitatis (Religiosus enim huic iuri non renuntiavit); aut nisi circumstantiae ita essent dispositae, ut praesumi deberet quod, non obstante denegatione Superioris immediati, Superiores altioris gradus licentiam concederent: quod tamen difficillime accidere posset.

678. His praenotatis, circa nonnulla magis particularia breviter discurro.

I. Religiosus absque licentia nihil acquirere aut recipere potest ab extraneis, titulo v. g. emptionis, mutui, commodati, donationis etc. Dixi *absque licentia:* haec enim interdum adest (v. g., si religiosis in itinere aut etiam in conventu ut haec vel illa emant de regula vel consuetudine permittatur); interdum forte praesumi potest (ut puta, si, optima data occasione et absente Superiore, aliqua pro communitate emantur aut in donum accipiantur; et idem dic si cibus vel potus oblatus ex urbanitate acceptetur; interdum vero nullo modo praesumi potest (ut puta, si Religiosus, non pro communitate sed pro se, aliqua, cum intentione eadem abscondendi aut aliter de iisdem sine ulla licentia disponendi, emeret vel quomodolibet acceptaret). — Quoad donationes notari debet quod, quum donatio facta religioso sub conditione quod ipse de re donata pro libito disponere possit, sit invalida ut dixi; quidquid sic acceptum fuit donatori restitui debet. Si vero donatio facta fuisset absolute, tunc valeret; et res donata a momento quo in manus Religiosi transiret, Monasterii propria fieret, iuxta effatum: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio.* Excipe nisi Praelatus, ad quem Religiosus statim rem deferre teneretur, illam recusaturus esset.

II. Religiosus ex rebus communibus Monasterii nihil clanculum sumere potest. Res autem sibi concessas custodire debet, ne pereant aut deteriores evadant. Illas neque commutare cum aliis; neque ad aliam formam reducere; neque ad diversum finem adhibere (v. g., vendendo cibum ad emendum librum); neque ultra mensuram atque praeter voluntatem Praelati impendere (prout speciatim in itineribus contingere potest); neque demum, adveniente tempore restitutionis, abscondere vel cum hac malitia sub clavi ponere, Religioso licebit.

III. Religiosus denique ex rebus monasterii nihil sine licentia aliis, maxime vero extraneis, (nisi forte interdum aliquid commodetur sub conditione quod Praelatus consensurus sit) dare potest. Sed quid si Religiosus in iis, quae ratione itineris

aut cibi quotidiani ei data fuerunt, parsimonias non debitas adhibuisset? Poteritne id quod consumere potuisset, dare cui voluerit? R. Negative; sic enim actum dominii exerceret. Excipe nisi ex consuetudine, aut quia Praelatus id expresse concessisset, id licitum evaderet. Suarez (VIII. xv. 8). — Quid si religioso aliqua traderentur? Poteritne oblata respuere? R. Si haec sint debita (ut puta, si de stipendio pro Missis aut Praedicatione ageretur), tunc certe Religiosus oblata respuere nequit. Si vero de donis mere gratuitis agatur, tunc illa recusare poterit; neque enim suo voto, neque lege ulla (nisi forte ex charitate, si Monasterium valde pauper esset) ad acceptanda dona obligatur. Gury (II. 158).

IV. Praelati, non tamquam domini sed tamquam administratores ex mandato Religionis aut Romani Pontificis, de bonis monasterii disponere possunt; at vero dumtaxat iuxta regulas et probatas consuetudines: quae in pluribus religionibus permittere solent, ut Praelati aliqua etiam in donationibus ex causa rationabili et cum moderatione erogent. Suarez (l. c. 9. - 13).

V. Religiosus non solum opere sed etiam corde contra paupertatis votum peccare potest; idque contingeret si ea, quae de facto acquirere nequit, habere votum suum violando voluntarie concupisceret. Si autem voti facti eum poeniteret; aut taedio afficeretur quia hoc et illud sibi deest; aut quae non habet exoptaret; aut quae tenet apud se adeo cordi haberet ut, si Praelatus ea auferret, tristitia afficeretur: in his casibus, si nihilominus constantem haberet voluntatem nihil absque licentia accipiendi et retinendi, aut non peccaret aut certe non graviter. Cf. Ballerini (ad n. 154. not. *b*) et Suarez (L. VIII. vi. 21 et x. 3).

VI. Si religio ne in communi quidem possidere possit; tunc paupertas rigidior sub obligatione cadit; quatenus 1° Ii quibus spectat mendicare debent; 2° Religiosi in victu, vestitu, aliisque vitae commodis multo maiorem parsimoniam observare tenentur. Attamen S. C. Episc. et Regular. mense Iunii 1863 ad quaesitum; An liceat Franciscanis uti in eorum itineribus viis ferreis? Respondit: « Affirmative ex rationabili causa de « licentia Superioris, prout in rhedarum usu, salvo quoad lo- « cum spiritu humilitatis ».

VII. Religiosus, qui sine licentia res monasterii sumeret, retineret, aut quomodolibet de iisdem disponeret, non solum contra votum et virtutem religionis sed etiam contra iustitiam delinqueret; disponeret enim de rebus alienis, invito domino.

Si tamen Praelatus (qui heic dominum repraesentat), non de substantia, sed solum de modo accipiendi sine licentia, invitus foret (quatenus interpellatus certe annueret) tunc peccatum nec contra religionem nec contra iustitiam, sed solum contra obedientiam esset. Si autem ageretur de rebus acceptis ab extraneis, tunc distingui deberet. Si datae fuissent cum pacto quod in solius Religiosi commodum praecise et non aliter deserviant, tunc (si Praelati licentia nullo modo adesset) peccatum certe interveniret; sed hoc non contra iustitiam, bene vero solum contra votum et religionem esset. Si vero non cum tali pacto, sed, sive absolute sive cum expressa conditione quod ad Praelatum deferantur, datae fuissent; tunc species peccati esset sicut quando Religiosus, licentiâ non petitâ, de rebus monasterii disponit, prout supra explicatum est.

VIII. Determinare quando violatio huius voti ad mortale peccatum pertingat, et quando non, in theoria difficile est. Considerando hanc violationem quatenus est praecise contra solum votum et virtutem religionis (quatenus nempe homo in Dei honorem maiusque virtutis exercitium iure ad bona fortunae se privat) materia gravis mensuranda erit sicut taxaretur in voto erogandi res temporales in cultum Dei seu in usus pios. Suarez (De Relig. VIII. vi. 10) censuit reponendam esse in valore quatuor argenteorum, qui valor hodie (propter pecuniae decrementum) duplicari, seu quatuor francis aequiparari potest. Religiosus itaque austero paupertatis voto obstrictus, si rem aliquam quatuor francorum valorem habentem, cum intentione diu apud se retinendi et ad libitum prorsus de ea disponendi, clam servaret, iam in statu peccati mortalis esset; idque verum est quamvis de re ab extraneis non monasterio sed ei soli data ageretur. Si tamen paupertatis non austerae sed mitigatae votum factum fuisset (Cf. supra VI°), tunc quantitas paullo maior ad mortaliter peccandum exigi videtur. Dixi *cum intentione diu apud se retinendi etc.*; si enim rem illam, ab extraneis ut supra acceptam, non diu in futuros eventus retinere, sed cito alicui in donum aut eleemosynam dare vellet; tunc etiam maior (imo valde maior) quantitas exigeretur.

Sed non solum votum in se praecise spectatum, bene vero etiam aliae circumstantiae ad materiam gravem seu peccatum mortale constituendum concurrere possunt. Huiusmodi sunt I. Grave damnum temporale Communitatis; quod intervenire potest quamvis forte Religiosus pauperrimus remaneat, ut puta,

si vestem, quae toto anno sufficere deberet, paucis mensibus absumeret; si res veteres furaretur, cogendo sic Monasterium ad novas emendas; si vinum exquisitum et pretiosum etiam biberet; maxime vero si pecuniam aut alia bona Communitatis extraneis traderet. II. Scandalum, prout contingit in iis, qui circa victum, vestitum, habitationem, etc. propriis commodis plus aequo indulgere volentes, sunt in causa cur regularis observantia relaxetur, et forsan apud saeculares quoque ipsa Religio minus existimetur. III. Finis perversus, ut puta, si quis rem aliquam (forte etiam leviusculam) furaretur, ut ad pravum finem munusculum traderet.

Si autem Religiosus neque rem notabilis valoris ad modum absoluti proprietarii diu apud se retinere vellet, neque grave damnum Monasterio inferret, neque scandalum grave provocaret, neque finem graviter perversum haberet; tunc culpam esse levem decernendum esset. — Bona quoque est regula quam dat Lugo (De Iust. III. 172) inquiens: Inspice an Praelatus sit graviter an vero leviter invitus. Leviter autem invitus erit, v. g., si Religiosus aliquid cibi vel potus pro se clanculum sumat; si expendat in alium usum id quod habebat licentiam expendendi in alium; si det aliis domesticis sine licentia id quod ex licentia ipse habebat; si ab extraneis sine licentia accipiat aliquid in commune ponendum, aut pro re, quam iuxta similem valorem et in simili quantitate a monasterio acciperet, adhibendum; si cum securitate restitutionis aliquid mutuet aut commodet; si nonnihil ultra licentiam ludo exponat; si denique usurpet sibi sine licentia aliqua ex vestibus, libris vel utensilibus communibus, quae si peteret data illi fuissent. In his itaque et similibus casibus peccatum quidem adesse poterit, sed leve. Levia tamen, si frequenter fierent, interdum gravia evaderent, sed ut plurimum, non obstante frequentia, iugiter ut levia ab ipsis quoque Praelatis considerantur leviterque puniuntur. Cf. Lugo (l. c. 181).

679. Quoad sacramenta et verbi divini praedicationem. Regulares in conventu degentes confiteri debent Sacerdotibus proprii Ordinis a superiore designatis, nec ab aliis quibuslibet sive intra sive extra domum valide absolvi absque superioris licentia possunt; nisi forte tempore Iubilaei; aliquando enim tunc Pontifex eis concedit ut apud quemlibet confessarium confiteri valeant. — Regulares in itinere, si socium idoneum secum non habeant, confiteri possunt cuilibet Sacerdoti, qui, saltem quoad

Cappucinos et Religiosos in Italia suppressos, ab Episcopo approbatus esse debet.

Notissimum est quod Moniales solum apud Confessarium pro eorum monasterio approbatum confiteri possunt. Episcopi saltem bis in anno Confessarium extraordinarium ad eas mittere debent; et unaquaeque monialis, si forte nollet apud illum confiteri, saltem ab ipso salutaria monita audire tenetur. — In morte etiam, imo et aliquando in vita, Monialis confessarium particularem petere potest, qui, ad normam Bullae *Pastoralis* Benedicti XIV, ei denegari nequit.

Regulares nec Viaticum nec Extremam Unctionem saecularibus (sine licentia Parochi) administrare possunt, nisi forte Parochus abesset et casus urgeret. Aliqui TT. dicunt quod Regulares die Paschatis Eucharistiam distribuere nequeunt; sed S. Lig. (App. II. post. L. I. n. 123) inquit hoc esse intelligendum de ea Communione qua praecepto satisfit. Imo hodie quoad multa loca dicerem, nihil mali esse si ex praesumpto Ecclesiae consensu Regulares iis quoque Eucharistiam distribuerent, qui praecepto paschali satisfacere intendunt, quatenus secus nullo modo satisfacerent.

Demum quoad Verbi Divini praedicationem, nedum proprii Superioris approbatio necessaria est, sed etiam Episcopi benedictio exigitur, qui non solum facultatem (quamvis de concionibus habendis in Regularium Ecclesiis agatur) denegare, sed etiam Praedicatorem iam approbatum iustis de causis suspendere potest. Cf. S. Lig. (l. c. n. 125-128), et Reiffenst. (l. XXXI. 146).

680. Religiosus ad episcopatum promotus remanet regularis; unde non solum ad vota, sed etiam ad illas regulas, quae in conscientia obligant, tenetur, si cum episcopali officio compatibiles sint; unde debet, v. g., habitum (quoad colorem) et insignia proprii Ordinis deferre; obedientiam Romano Pontifici etiam vi voti praestare; et, si forte episcopatum relinquat, ad propria claustra redire. Attamen officium non sui Ordinis sed propriae Dioecesis recitare tenetur. Quoad paupertatem, quamvis ante confirmationem quidquid habet (praeter sua manuscripta) Monasterio tradere debeat; et quamvis in Episcopatu quoque paupertatem (salva dignitate novi status) servare teneatur; tamen potest adire haereditates sive ex testamento sive ab intestato (idque *in conscientia* quamvis ante professionem eis renunciasset), salvo iure tertii quaesito (nisi scilicet, antequam ad Episcopatum assumeretur, alii haereditatem a-

diissent. Cf. Vareeno V. VI.); potest etiam uti frui Episcopatus sui redditibus, atque de iisdem sicuti Episcopi saeculares (non exclusa convenienti munerum largitione) disponere. Quidquid tamen supersit (sive bona mobilia sint sive immobilia) propriae Ecclesiae Cathedrali tradere debet; sicut enim prius quidquid acquirebat, monasterio acquirebat; ita postea quidquid acquirit propriae Dioecesi et Ecclesiae acquirit. Testamentum tamen (sine indulto apostolico) condere nequit. — De Religioso ad Cardinalatum promoto, seclusis indultis specialibus, idem iuris est. — Si demum Regularis Parochiam obtineat, quidquid ex beneficio parochiali acquirit, non sibi nec Monasterio sed Parochiae acquirit; et votis regulisque tenetur in quantum cum parochiali officio consistere queant. Cf. Ferraris (v. *Episcopus* 17) D'Annibali (III. 591) et Lugo (III. 232).

681. Religiosi dispersi; si nempe, propter politicas perturbationes proximoque iam instante violentae expulsionis periculo, claustra relinquere coacti fuerint, regulares remanent, et proinde ipsi quoque non solum vota, sed etiam propriae religionis regulas (intellige semper quatenus in conscientia obligent) servare tenentur; attamen eo modo quo poterunt. Superioribus propriis remanent subiecti; atque ad eorum nutum in aliis domibus simul coadunari debent; et, si prorsus dispersi persistant, tunc (pro Italia) statutum est ut fixum domicilium in aliqua Dioecesi eligant; Ordinario (tamquam Praelato immediato) obediant; neque, sine eius licentia *in scriptis* a proprio Ordinis Superiore confirmanda, alibi se conferant, ita ut itinera quoque, ex recreatione suscipienda, interdicantur. — Si proprio habitu uti nequeant, in veste clericali, aut (si clerici non sint) laicali modesti coloris incedere, atque sub illa signum propriae Religionis adhibere tenentur. — Votum paupertatis non impedit quominus pensiones sibi a Gubernio assignatas percipere valeant, et (si sint prorsus dispersi) pecuniam apud se retinere, res necessarias vel convenientes comparare et contractus inire possint. — In quovis casu ipsis (et monialibus quibus bona sublata fuerunt) conceditur, ut haereditates sive ex testamento sive ab intestato (salvo iure tertii acquisito, ut n.° praeced. explicavi) adire, atque ipsi testamentum condere valeant. Attamen licentia Superioris Generalis (vel Ordinarii, si sint Moniales); aut, si res instet, saltem consilium confessarii omnino exigitur, ut de bonis acquisitis, sive inter vivos sive per testamentum disponere possint; in conscientia enim quidquid acquirunt, Monasterio acquirunt;

cui proinde in conscientia tum proprietatem tum administrationem cedere debent. Attamen nihil vetat quominus Superiores sinant ut Religiosus ( vel Monialis ) partem haereditatis ei obventae personis monasterio extraneis, maxime vero propriis consanguineis, relinquat. Ita S. Poenitentiaria 28 Iun. 1866; 18 Apr. 1867, et 21 Maii 1880; nec non S. Congreg. Regular. Discipl. 5 Aug. 1872.

682. Religiosi saecularizati in perpetuum per indultum Pontificium, iuxta D' Annibali ( III. 593 ) aliosque apud S. Lig. IV. 81 ', regulares esse desinunt; adeoque ad regulas ( v. g., ieiuniorum, precum etc. ) probabiliter non tenentur. Attamen aliquod regularis habitus signum sub vestibus retinere debent, ut sit illis memoriale perenne. Substantialia votorum propriae professionis cum novo statu compatibilia observare, nempe obedientiam Episcopo praestare, et castitatem nec non paupertatem servare tenentur. Nihilominus quoad paupertatem notandum est, quod ( ut dicit De Varceno V. vi ) religiosus saecularizatus ea, quae honestae sustentationis limites non excedunt, utendo etiam iure civili ad successiones ( salvo semper, ut dixi, iure tertii iam quaesito ), acquirere potest. Attamen neque superflua acceptare, neque testamentum condere ei licebit, nisi nova indulta ( quae partiales voti paupertatis dispensationes essent ) obtineat. — Dices: Si religiosus huiusmodi sine testamento mortuus fuerit, eius bona in conscientia cuinam cedunt? R. In locis ubi Ecclesia ius spolii servat, Camerae Apostolicae cedunt. Secus, qui ( iuxta civiles leges ) ab intestato succedunt, non erunt inquietandi si haereditatem adeant, ut dicit D' Annibali ( III. 593. 19 ).

Quid si, ad obtinendum saecularizationis indultum, motiva falsa exposita fuissent? R. Si Religiosus sat bene se gerebat, et diabolica suggestione victus indultum saecularizationis praedicto modo postulasset; tunc certe indultum nihil valeret; et non solum procurare ut denuo in Religione acceptetur; sed etiam, donec in saeculo maneat, tamquam regularis se gerere deberet. Si vero oportebat ut veluti membrum putridum a Religionis corpore recideretur; tunc indultum validum videtur; quamvis enim motiva adducta fuerint falsa, tamen Pontifex voluntatem indultum concedendi ita habuit ut, si etiam falsitatem cognovisset, illud concessisset; unde obreptio in casu obstare non videtur; multo magis quia praesumendum est quod ipsi Superiores Regulares ( ut facilius Breve obtineretur ) veram causam Pontifici indicaverint. Videtur itaque quod tunc

Religiosus, tamquam vere saecularizatus, regularis esse desinat, et sic ad regulas observandas non teneatur. Adde quod in casu sub specie saecularizationis electio locum haberet, et valde probabile est quod electi (secus est de profugis seu apostatis), quamvis ad vota, prout novus status permittit (ut explicat Benedict. XIV. de Syn. XIII. IX. 20) teneantur, tamen ad regulas non obligentur. Caeterum saecularizatio hoc modo obtenta, iuxta mentem Pontificis, non debet censeri perpetua et absoluta; sed solum sub conditione: *nisi emendetur et aliquando revocetur*. Certe Religiosus ad bonos mores redire deberet; et, si quando Religio illum revocatura esset, sua claustra (non secus ac de electis in iure statuitur) denuo ingredi teneretur. Cf. D'Annibali, De Varceno (ll. cc.) et Frassinetti (I. not. 10).

683. Privilegia regularium sunt sequentia; nempe

1. *Exemptio a iurisdictione Episcopali.* Excipe 1° Monasteria Monialium Regularibus non subiectarum; imo et iisdem subiectarum quoad aliqua et speciatim circa clausuram; 2° Si regulares non sint in numero praescripto. Iure communi debent esse ad minus sex, quorum quatuor sint Sacerdotes. In Italia post gubernii suppressionem sufficit si sint tres, quorum unus sit Sacerdos. In missionibus exteris, etiam in Anglia, semper eximuntur; 3° Si Regulares Ecclesiam Parochialem habeant, aut si quis eorum Parochi officium exerceat; 4° Quoad confessiones saecularium; approbatione enim indigent Episcopi, qui (maxime si ad tempus illam concesserit) Religiosos denuo ad examen vocare potest; 5° Quoad Statuta Dioecesana circa Missae celebrationem, v. g., ne Regulares sinant ut Sacerdotes advenae sine licentia Ordinarii celebrent; 6° Quoad Processiones, ad quas vocati intervenire tenentur; 7° Quoad petitionem eleemosynae in ipsorum Ecclesiis, quae ipsis interdicitur; 8° Quoad libros de rebus sacris typis mandandos; 9° Quoad observationem Festorum quae in Dioecesi sint de praecepto; 10° Quoad punitionem Religiosi qui publicum scandalum fidelibus praebeat, si a propriis Superioribus, instante Episcopo, non puniatur, aut alibi impunitus transmissus fuerit, dummodo tamen delictum extra claustra aut in monasterii Ecclesia commissum fuerit. Cf. S. Lig. (App. II. post L. I), et Reiffenstuel (I. XXXI. 119).

II. *Nonnullae facultates circa Sacramenta;* nempe

I° Regulares non indigent approbatione Ordinarii ut confessiones Religiosorum eiusdem Ordinis audiant, sed sufficit si a Praelatis propriis approbati fuerint; unde quoad illos reser-

vationi dioecesanae attendere non debent; et notandum quod non solum professi, sed etiam novitii et conversi; imo et famuli qui actu famulantur et quasi de familia ac perpetui commensales intra claustra die noctuque commorantur, a iurisdictione Episcopi exempti sunt, et proinde sicut religiosi professi considerantur; unde etiam in Monasterio Communioni Paschali satisfacere, et a Religiosis Viaticum atque Extremam Unctionem recipere possunt. Cf. Gury (II. 176).

II° Generales, Provinciales et Abbates *quoad suos subditos* in iure Episcopis aequiparantur; unde illos a censuris, quas absolvendi facultas Episcopis conceditur, ipsi quoque absolvere possunt. Si itaque Religiosus, suadente Diabolo, suum consodalem leviter (nempe citra mutilationem, contusionem, aut magnam sanguinis effusionem) percussisset; vel post professionem matrimonium contrahere attentasset; vel abortum procurasset, effectu secuto; vel demum litteris apostolicis falsis scienter usus fuisset; in his, inquam, casibus a proprio Abbate vel Provinciali absolvi posset. Vide Const. *Apostolicae Sedis.*: S. Lig. VII. 107.; et D'Annib. Commentar. n. 223. — Disputatum fuit an Praelati regulares absolvere possent suos subditos a casibus papalibus occultis (exceptis iis qui in Bulla *Coenae* continebantur, propter facultatem Episcopis datam a Tridentino in Cap. *Liceat* De Reform. XXIV. VI); sed negandum, quia Tridentinum loquitur de Episcopo absolvente *in Dioecesi sua*: dicti Praelati autem Dioecesim non habent. Utique poterant suos subditos ab iisdem casibus absolvere propter privilegium a Pio V (cf. Salmant. X. n. 72) concessum; imo pluribus aliis fruebantur privilegiis etiam quoad absolutionem saecularibus concedendam; sed hodie haec omnia privilegia vi Bullae *Apostolicae Sedis* prorsus abolita sunt.

III° *Nonnulla alia privilegia circa dispensationes.* Superiores, quum, ut dixi, circa suos subditos Episcopi locum teneant, plures licentias, v. g., circa ieiunia et abstinentias, atque horas canonicas iusta de causa eis concedere queunt. Eos quoque dispensare possunt ab irregularitate in multis casibus etiam publicis; imo hanc dispensationem Sacerdotibus saecularibus (attamen quoad solos casus occultos) concedere valent. S. Lig. (VII. 355 et App. II. post. L. I. n. CV.).

Mendicantes officium Confessarii exercentes, si specialem a propriis superioribus (etiam solum immediatis) licentiam habeant, dispensationem Christifidelibus concedere possunt circa vota et iuramenta non reservata; imo et circa votum castita-

tis quoad coniugatos nec non quoad sponsos in casu necessitatis. S. Lig. (Append. cit. n. CVIII. CIX).

IV° *Privilegium circa horam Missae celebrandae.* Possunt nempe celebrare in Ecclesia propria una hora ante auroram; et (cum causa) usque ad tertiam horam post meridiem. S. Lig. (l. c. n. CXXII).

684. Piae congregationes cum votis simplicibus. Circa istas pro praxi sufficit si sequentia notentur.

I. Haec vota interdum sunt ad triennium vel quinquennium; interdum sub conditione *donec in congregatione remansero*; interdum sunt perpetua.

II. Actus his votis contrarii sunt quidem illiciti; sed non invalidi, sicut essent si vota solemnia fuissent. Hinc matrimonii celebratio, et actus proprietatis contra paupertatis et obedientiae vota exerciti, valerent.

III. Votum paupertatis, etsi simplex, si esset *ex integro*, quamlibet dominii retentionem, acquisitionem et exercitium illicitum redderet (Cf. Suarez. VIII. v. 2 - 13); sed voventes in casu magnis restrictionibus passim illud subiiciunt; unde, v. g., suis rebus non se spoliant, sed earum dominium licite retinere posse intendunt; quamvis quoad dominii exercitium a propriis superioribus dependere debeant.

IV. Clausura (si adsit) ordinarie est solum Episcopalis, ut dixi (n. 676). Attamen obligat sub gravi; et sub poenis, si quae ab Episcopo statutae fuerint. Cf. Gury (II. 181).

V. Obligatio Divini Officii non ex lege ecclesiastica, sed tantummodo ex regulis et ex quodam pacto cum Congregatione inito, atque ut plurimum solum sub levi, urgere potest. Gury (183).

VI. Si clausura non adsit, et foeminae, piae congregationi addictae, passim exire soleant, apud quemlibet Confessarium confiteri possunt: nisi clare constet quod Episcopus aliud statuerit. Quod autem Superiorissa aut Episcopus talem vel talem Confessarium eis suppeditaverit, hoc non est signum sufficiens ut concludatur, esse Episcopi voluntatem ut confessio apud alios facta invalida sit. Aliud enim est ad eorum commoditatem Confessarium assignare; aliud vero exigere sub poena nullitatis ut apud illum dumtaxat confiteantur. Gury (568 not. *a*).

VII. Hae piae congregationes (secluso speciali decreto vel consuetudine) privilegiis Regularium non gaudent. Si agatur de congregatione virorum, isti nequeunt, v. g., confiteri apud consodalem ab Episcopo non approbatum; administrare Com-

munionem Paschalem aut Sacramenta in fine vitae propriis familiaribus: dispensare a votis, irregularitatibus etc. A iurisdictione Episcoporum non sunt exempti, imo Parochis (quoad iura stricte parochialia) subiecti remanent. Dixi *secluso speciali decreto vel consuetudine*; saepe enim piae congregationes sive virorum sive mulierum, ob decreta specialia (sive Pontificis sive Episcopi) aut consuetudinem iam legitimam, privilegiis et exemptionibus plus vel minus fruuntur. Cf. Gury (176) Scavini (I. 508. 509) et Berengo (39).

VIII. Difficillimum quidem est quod a votis solemnibus Papa dispenset: sed, quoad vota in his congregationibus emissa, valde facilius dispensatio obtineri potest; idque quamvis de matrimonio contrahendo ageretur. Interdum ipsi Episcopi dispensare possunt, nempe 1° Si speciale indultum Apostolicum habeant: 2° Si congregatio non fuerit adhuc a S. Sede approbata, et dispensatio circa vota paupertatis et obedientiae, non vero circa votum castitatis *perpetuae*, versetur. Gury (II. 180).

IX. Observari potest demum quod votum religionis, si non iam Ordinem Religiosum veri nominis, sed solum aliquam ex his Congregationibus, pro obiecto habeat, non est reservatum. Cf. Gury (II. 180. q. 4°).

## PUNCTUM V.

### DE RECTORIBUS ECCLESIARUM

685. Plures istorum obligationes iam supra recensitae fuerunt: ut puta, circa munditiem et nitorem Ecclesiae et sacrae supellectilis; circa sacrorum rituum observantiam; circa renovationem SS.mi Sacramenti, et aquae lustralis; circa lampadem quae ante SS.mum Sacramentum semper ardere debet; circa vinum pro Missis, ne sit adulteratum; circa silentium in choro servandum et procurandum; circa Missas adventitias diligenter notandas et intra tempus conveniens atque in altari designato (si designatum fuerit) celebrandas; neque acceptandas si intra mensem vel tempus ab offerentibus intentum celebrari nequeant; et demum sine eleemosynae imminutione (quin ratione utensilium earum numerus imminuatur) Sacerdotibus tradendas etc. (Cf. n. 507 et 625-647). Adde: I° Non posse permitti ut clericus *non in Sacris* Subdiaconi vices gerat (etiam sine manipulo) seclusa necessitate. Decr. 5126. 3860. II° Vota cerea vel argentea pro gratia obtenta, si partes minus pudicas

repraesentent, tolerari non posse. S. R. C. 19 Maii 1881. — Praeter haec Rectores Ecclesiarum ad sequentia tenentur.

I. Legatis et oneribus omnibus sive suffragiorum sive festorum etc. adamussim satisfaciant; atque in libris ad hoc destinatis satisfactiones adnotatas habeant.

II. Horis fixis, populo commodis et sub quovis respectu convenientibus (quamvis sibi incommodis) Missas ordinent aliasque sacras functiones peragant. Dixi *sub quovis respectu convenientibus:* cavendum enim est ne inconsulta novitate aliarum Ecclesiarum functiones turbentur: maxime vero ne populi concursus a Missa parochiali vel cathechismo irrationabiliter avertatur. Cf. Benedictum XIV (Const. *Etsi minime*) et Clementem XI. apud Berengo (n. 153. Decret. n. 19).

III. Non permittant ut advenae et prorsus incogniti debitisque destituti litteris testimonialibus Missam celebrent: etiamsi circa hoc nihil peculialiter proprius statuerit Episcopus; generalis enim Ecclesiae disciplina id vetat. Berengo (n. 156).

IV. Caveant (quantum fieri poterit) ne tales Confessarios aut Praedicatores acceptent qui perperam proprio muneri functuri sint, quamvis Episcopus adhuc illos non suspenderit. Idem dic de Sacerdotibus nimis festinanter et irreverenter cum populi scandalo Missam celebrantibus. Et, si modo stabili iam fuerint acceptati, tunc aut eorum emendationem procurent, aut (nisi maiora mala pertimescant) illos arceant, aut saltem Episcopo denuntient.

V. Circa laicos Sacristiae inservientes vigilent ut Sacerdotibus et rebus sacris debitam reverentiam praestent, neque Sacerdotum defectus propalent. Maxime vero vigilent ne pueri Sacristiae addicti in vicinis cubiculis aliisque locis solitariis (ut alias dicebam) turpia committant.

VI. Curent ut omnia, maxime vero picturae antiquae et aliae res pretiosae, nullum detrimentum patiantur et bene serventur. Caveant quam maxime ne ex intentione eas restaurandi vel ad meliorem formam reducendi, illarum valorem atque pretiositatem ad nihilum redigant.

VII. Sedulam operam navent ut omnia in tuto sint. Provideant ne tempore nocturno quisquam in Ecclesia aut turri campanaria absconditus remanere possit. Vasa sacra atque alias res magni momenti sub clavibus retineant, clavesque apud semetipsos servent.

VIII. Aeris quoque salubritatem a se curandam esse censeant; et proinde identidem (maxime vero postquam magnus

populi concursus in Ecclesia locum habuit) efficiant ut, omnia aperiendo, aer renovetur.

IX. Devotiones antiquas non destruant, sed illas foveant atque ut magis magisque adaugeantur, satagant.

X. Laudandus qui alias quoque devotiones ab Ecclesia approbatas (annuente Episcopo) introducit. Attamen 1° Cavendum ne ad nova festa novasve functiones introducendas eleemosynarum collectiones nimis multiplicentur; hodie enim Christifideles hoc in puncto nimia molestia passim afficiuntur, et quasi scandalum efformatur. 2° Eleemosynae collectae, ad finem propter quem datae fuerunt usque ad assem scrupulose erogentur; idque populo pateat. 3° Curandum ne Festum introducatur si iam aliud eiusdem tituli in alia eiusdem loci ecclesia celebretur. 4° Cavendum denique (ruri, aut in parvis oppidis) ne diebus ferialibus nimiae functiones peragantur. Semper enim in eo esse ut campanae pulsentur, populusque advocetur, potius quam in aedificationem, in destructionem redundare potest; facile enim accidit quod foeminae plus aequo accurrant, et sic propriis muneribus deficiant, virosque ad iracundiam provocent; unde tandem Parochus minus existimetur; et tamquam imprudens et nimis exigens traducatur; ut dicit etiam B. De-Rossi.

XI. Quoad functiones ante ortum et post occasum solis peragendas, scripsit Berengo (n. 182): « Hac in re attendenda « est consuetudo et indoles populi; nam in plurimis locis id « solum custoditur ut sacra non potrahantur ad multam no- « ctem ». Scavini (I. 663) dicit: « Hodie fere ubique ruricolae « in pagis, operarii in civitate ad exercitia spiritualia, ad no- « vendialia, praedicationem etc. in feriis nonnisi sub noctem « convenire possunt ». Episcopi Neapolitani in Epistola 26 Apr. 1864 (apud Berengo l. c.) scripserunt: « Cultus catholicus ne- « cessario requirit, ut Ecclesiae accessibiles sint fidelibus ante « ortum et post occasum solis: et praeceptum de habendis sa- « cris conventibus ab albescente ad vesperascentem diem qua- « tuor quintas partes catholicorum impediret a partecipatione « functionum catholici cultus ». — Attamen, quando populo sub noctem in Ecclesia aditus relinquitur, oportet omnino ut Ecclesia ipsa quaquaversus ita illuminetur, ut turpium actionum periculo aditus praecludatur.

XII. Solemnitates cum pompa extraordinaria (nisi sint nimis frequentes) omnino approbari debent; quamvis enim malis non careant, tamen ad catholicum cultum sustinendum et augendum quam maxime deserviunt; atque ab Ecclesia appro-

bantur. Curandum tamen ut (prouti poterit) theatralia et profana arceantur; brachio saecularis auxilio sapientique rerum omnium dispositione inordinationes praepediantur; et demum ne ultra vires expensae fiant, unde Ecclesiae aere alieno nimis graventur. Dicerem etiam, solemnitates non facile a proprio die ad alium esse transferendas, et omnino non esse tolerandum ut dies, in quam huiusmodi translatio fiat, alicuius Sacri Mysterii aut festiva de praecepto alterius Sancti sit.

XIII. Rectores ecclesiarum si forte aliquam piam confraternitatem in propria Ecclesia habeant, magno affectu illam foveant; hae enim confraternitates (ut ait cl. Berengo n. 187) sunt veluti totidem fidei publica testimonia, et mirum in modum deserviunt, ut hi qui ipsis adscribuntur, dum propriam protestantur fidem, pietatem simul foveant, morum honestatem sectentur, et ad eas alios etiam proprio exemplo alliciant. Praeterea Parochis praesertim magno adiumento sunt; in hodiernis enim Ecclesiarum angustiis (praeter multas in suffragiis erogationes) ad externi cultus splendorem per propriarum solemnitatum celebrationem (sine ullis Parochi expensis) valde conferunt. Rectores Ecclesiarum itaque et Parochi cum ipsis comiter omnino se gerant; nisi agatur de rebus prorsus non tolerabilibus (ut puta, si Parochiales functiones omnino impedire vellent), multa dissimulent; compatiantur horum laicorum non infrequenti ignorantiae, si quid incaute per imprudentem zelum commiserint, nec super eos nimis arroganter insurgant; sed placide, benevole, paterne notent ipsorum defectus, et hoc modo facillime vitabunt ne error renovetur. Studeant speciatim Parochi ne huiusmodi sodalitia omnes curas tantum convertant ad externum Ecclesiarum apparatum; sed pro sodalitiorum natura et diversitate curent ea pietatis exercitia inducere, quae animos sodalium valeant ad verae pietatis sensus conducere, quos si semel induerint sodales, nullo labore poterit Parochus corrigere quae antea forte minus recte ab eis factitari consueverunt.

## PUNCTUM VI.

### DE ADMINISTRATORIBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

686. Huiusmodi sunt Episcopi, Parochi, Beneficiati, Oeconomi Seminariorum, Capitulorum etc. His accedunt Syndici Monasteriorum, et Praesides hospitalium aliorumque locorum

piorum : qui etiam saeculares esse possunt. Ut tamen hi ultimi licite administrationem (apud nos) suscipiant, S. Poenitentiaria (20 Dec. 1860) decrevit, licentiam Episcopi necessariam esse. Vide De Occasionar. (n. 276).

687. Qui administratoris onus suscipit, reminiscatur imprimis quod res ecclesiasticae (ut dicit Trid. XXV. II) *Dei sunt*, et quod summopere oportet ut sarta tectaque serventur, ut Dei cultui vel pauperum levamini prospici possit. Negligentia gravis itaque, ex qua piae institutioni gravia damna obventura sint, peccatum mortale includeret sine dubio.

688. Determinare praecise quaenam sint administratorum obligationes, intricata res est: administrationes enim non sunt omnes eiusdem naturae et proinde non semper easdem obligationes producunt. Insuper in una eademque administratione plures adesse possunt administratores, quibus munera diversa competunt. Ut tamen in praxi dignoscatur, utrum administrator muneri suo satisfaciat, aliquod lumen haberi poterit, si sequentia (quae bonae administrationis fundamenta sunt) prae oculis habeantur.

I. *Inventarium*. Cognoscere oportet quomodo res se habeant: nempe quinam sint fundi, quaenam capitalia et iura; quid in bono statu et in tuto, quid vero in malo statu et in periculo sit; et quanti sint (in media) redditus annui. Deinde quaenam sint onera, et quaenam expensae: an necessariae, an utiles, an superfluae? — Inventarii confectio aut rectificatio (quoad ea quae, nisi adnotentur, periculis subiicerentur) necessaria erit.

II. *Custodia*. Imprimis custodiri debent capitalia. Vigilet praecipue administrator ut suo tempore hypothecae renoventur; et ne capitalia in manibus non tutis, aut futuris periculis exposita sive apud se ipsum sive apud alios, relinquantur. Non permittat ut servitutes efformentur. Curet denique ut iura omnia conserventur. Hinc, v. g., Parochus *iura stolae* exigere debet; secus enim successoribus praeiudicium inferret. Hoc tamen intellige 1° Si de veris iuribus agatur; a pauperibus enim et miserabilibus personis *iure stolae* nihil exigi potest; et interdum non est iustum id quod ab antecessoribus exigebatur. 2° Si absque maioris mali provocatione haec iura exigi possint; si enim aliquis cerebrosus solvere nollet id quod solvere posset atque deberet, tunc bonum pacis huiusmodi iuribus leviusculis praevalebit. Cf. Frassinetti (Man. 285. 556).

III. *Defensio*. Administrator iura Ecclesiae vel Pii Loci, inique oppugnata aut non satisfacta, etiam ope tribunalium,

sustinere, defendere et exigere debet; cavendo tamen ne in lites periculosas improvide se coniiciat. Attamen ex proprio litis expensas sustinere non teneretur : nisi propter eius culpam lis necessaria evasisset, aut nisi esset beneficiatus, qui, ad habendos fructus sibi debitos et etiam ad tuenda sui Beneficii iura, expensas ex proprio sustinere debet. Si tamen istae modicae non forent, et de iuribus non propriis praecise sed Beneficii ageretur; tunc (si ex Beneficio superflua sufficientia non remaneant) aliquas reductiones, aut facultatem aliquid alienandi, vel debitum Beneficii ipsius nomine contrahendi, implorare deberet. Cf. Lugo (De Iust. IV. III. 51).

IV. *Manutentio.* Si fundos rusticos aut fabricas sub sua administratione habeat, reparationes necessarias (quoad arbores, vites, muros, trabes etc.), ut in bono statu serventur, procurare; et, quod reapse et convenienter factae sint, quotannis certum se reddere debet. — Quoad expensas, quae ad manutentionem requiruntur, valent supradicta; si nempe agatur de beneficiato, ipse (tamquam usufructuarius) ad modicas dumtaxat reparationes tenetur; non vero ad immodicas et extraordinarias, nisi ex propria culpa tales evaserint aut superflua habeat : secus enim, quomodo sive ex arborum caesione, sive ex aliis bonis ecclesiasticis provideri possit, Episcopus consulendus esset.

V. *Fructificatio.* Pecuniam otiosam non retinebit; sed tam ex ista quam ex aliis rebus (a quibus fructus sive naturales sive civiles percipi possunt) curabit ut meliori modo possibili fructus honeste percipiantur; idque speciatim si fructus non iam sibi aliquo modo (prout in beneficiatis) sed Pio Loco spectent, seu ad pia onera adimplenda stricte exigantur.

VI. *Contractus circa immobilia aut quasi immobilia.* Hoc in puncto sufficiunt ea quae dixi supra (n. 508).

VII. *Expensae.* Loquendo non de beneficiatis, sed de aliis locorum piorum administratoribus, hi 1° Nihil expendere possunt nisi propter necessitates aut saltem veram pii loci utilitatem; unde nihil alicui (nisi convenientis remunerationis gratia) donare possunt. Si quid autem commodent, plenam restitutionis securitatem habere debent. 2° In expensis, bonae oeconomiae normas, ad modum providi et solertis patrisfamilias, servare debent; et, si pro his utantur subalternis, invigilare tenentur. 3° Si expensae annuae annuos redditus superent, tunc (ne pius locus ad interitum vergat) diligenter investigare debent an aliqua ratione expensae resecari, aut redditus augeri queant.

VIII. *Registra et Archivium.* In libris administrationis omnia ordinatim et accurate notari; et hi libri, nec non syngraphae momentosae et instrumenta etc. in archivio custodiri debent; et, si necessitas cogat ut aliquid ad tempus extra relinquatur, tunc in archivio ipso indicationes opportunae ponantur. Cf. Frassinetti (*Manuale*, n. 288).

IX. *Parochi*, qui ab aedituis (*dai fabbricieri*) dependent, curare tenentur ut viri probi atque Ecclesiae sibique benevoli eligantur; et in hunc finem suo iure praesentationis (quatenus ex lege illud habeant) uti debent. Insuper inventarium accuratum conficiant, atque aedituis (et speciatim thesaurario) invigilent. Attamen cum ipsis concordiam servare (nisi de rebus omnino non tolerandis agatur) procurent.

X. *Qui pia onera adimplere debent*, librum habeant, in quo sequentia describantur. 1° Brevis illius oneris historia, nempe origo cum praecisa indicatione fundationis; 2° Praesens debitor; 3° Summae de vice in vicem singulis annis perceptae; 4° Erogationes annuae; 5° Reductiones et rescripta, si quae locum habuerint; 6° Quidquid demum necessarium videatur, ut Episcopus (cuius revisioni omnia subiici debent) intelligat quomodo res se habeant.

XI. *Episcopi*, non solum proprii Beneficii Episcopalis administrationem recte tenere; sed etiam, ut omnia bona ecclesiastica propriae Dioecesis sarta tectaque maneant et recte administrentur, sub gravissimo conscientiae onere, procurare debent; maxime vero quoad sequentia:

1. Ut Clericorum Seminarium conservetur et floreseat. Curet imprimis Episcopus ut Seminarium praecipue quoad mores, scholas, et victum, optima fama gaudeat; et, quoniam non pauci alumni vocatione ad statum ecclesiasticum destituti progressu temporis reperientur, optimum factu et forte necessarium erit ut scholae ita sint institutae, ut quotquot studia ecclesiastica suscipere nolint, ad examina iuxta Gubernii leges pro scholis saecularibus sustinenda, apti esse possint. Si autem Seminarium quoad haec omnia sat bene constitutum, nihilominus, pecuniae defectu, malevertat; tunc Episcopus sedulo examinet an administratio procedat iuxta supradicta; et, si ne ex hac parte quidem defectum reperiat, tunc de remediis extraordinariis cogitabit. Obtineat, v. g., ut Parochi in festis suppressis Missas non *pro populo* sed pro aliis intentionibus applicent, Seminario eleemosynas relinquendo. Pensiones in Seminarii favorem Paroeciis (si possit) imponat. Bona consilia et preces adhibeat ut piae

personae sive ecclesiasticae sive saeculares divitiis praeditae, si fere nesciant quibus propria capitalia relinquant, Seminario ante mortem vel ope haeredis fiduciarii aliquid relinquant. Si demum ex alumnorum paucitate redditus deficiant, dabit operam ut Parochi illos procurent, et pensio a singulis solvenda pro posse imminuatur.

2. In sacra Visitatione iubebit, ut inventaria ad se deferantur; et sive per se sive per alios idoneos sedulo vigilabit ut hypothecarum et censuum conservationi consulatur: ut summae in Parochorum manibus sine cautione idonea non relinquantur; ut residua pretia et omnia capitalia in tuto sint; denique ut Beneficia (quae redempta fuerunt) pro Ecclesia conserventur: ut scilicet illi qui ea redemerunt adimpleant quae iuxta litteras S. Poenitentiariae (cf. n. 509. *f*) adimplere debent, vel summam (a Romana Sede compositionem obtinendo) deponant.

3. Curabit demum ut capitalia Ecclesiae (si in fundis stabilibus constitui nequeant) in arcis parsimonialibus reponantur, et syngraphae (*i libretti*) non iam huc et illuc apud Parochos aliosve privatos extent; sed in capsa ecclesiastica coadunentur et conserventur. Gravissimum Episcopi munus erit ut haec capsa in loco tutissimo (nempe non apud privatam personam et nequidem apud semetipsum, sed apud Communitatem, v. g., Capitulum vel Seminarium), cum duabus clavibus a duabus personis (quavis exceptione maioribus) custodiendis (ita ut una sine altera aperire nequeat) servetur; et, deputatione efformata, meliori modo quo poterit providere debebit, ut quisquis Ecclesiae aliquid relinquere velit, cum plena fiducia et securitate id efficere possit.

## PUNCTUM VII.

### DE BENEFICIATIS

689. Beneficiatus, praeter obligationem Horas Canonicas recitandi *, et Beneficium suum recte administrandi, iuxta supra dicta (n. 603 et 686); ad sequentia tenetur.

* Beneficiati, si pro titulo Ecclesiam habeant, Festum Titularis cum Octava celebrare debent, ut alias notavi, et constat etiam ex Decr. 5135 ad 6. Si quis nesciat quomodo id praestari valeat, quum in kalendario dioecesano officia aliter ordinentur, sequentia observet:

Festum Titularis celebratur ritu dupl. I. cl. — Fit de Titulari nisi occurrat

I. *Adimplere onera.* Quoad Missarum reductiones et sanatorias, vide dicta (n. 507. V. *f h*); hic addo dumtaxat quod, si sanatoria pro casu occulto expostuletur, ad S. Poenitentiariam recurrendum est. — Si forte beneficium pensione gravetur, congrua intacta semper remanere debet, quae (in casu) 100 scutatis romanis taxatur pro Parochis, et 1000 pro Episcopis. Trid. XXIV. XIII, et S. C. Ep. Reg. 30 Maii 1873. Pro Italia autem Pius IX statuit insuper (28 Ian 1871) ut imminutio redituum Beneficiorum, propter vicissitudines anno 1860 incoeptas, non solum beneficiarios sed etiam pensionarios aequali proportione afficere debeat; ita ut, si residuum ultra congruam pensioni subiectum passum fuisset imminutionem, v. g., 20 p. 0/0, eadem immiuutio pensionem quoque (nisi iam soluta fuerit) gravet: Cf. *Monit. Eccles.* (I. pag. 334). — In beneficiis curatis, si forte Parochus Vicario indigeat, illum in conscientia adhibere tenetur. Si tamen, quavis parsimonia facta, redditus ad hoc

1°. Cum alio dupl. I. cl. digniori (quale esset etiam Festum Nativ. S. Io. Baptistae et Ss. Ap. Petr. et Pauli); 2°. Cum Dom. I. cl.; 3°. Cum Vig. Nativ. D. N. I. C. et Pent.; die Circumcis.; Die Oct. Epiph.; Fer. 4. Cin; Tota hebdom. mai.; infr. Oct. Pasch. et Pent.; in Ascens. D.; in Fest. Corp. Christi; in Assumpt. B. V.; et Solemn. Omnium Sanctor. — In tali occursu transfertur ad primam diem non impeditam iuxta regulas translationis. — Si non adsit offic. propr., fit de commun.; Lectiones, an ex 1., an vero ex 2. loc. sumi debeant, dignoscitur ex Evangelio vel Oratione; sin minus, prout melius videbitur. — In Missa dicitur Cr.

Post Festum celebratur Octava; quae tamen non habet locum a Fer. 4 Cin. usque ad Dom. in Albis; a Vig. Pent. usq. ad Fest. SS.mae Trinitatis; et a die 17 Decem. usq. ad Epiphan. inclusive. — Si infra Oct. in kalendario adsit aliqua *semiduplex translatum* aut officium feriale: tunc eo die fit de Oct. ritu semiduplici. Lect. 1. Noct. script. curr.; Lect. 2. et 3. Noct. de communi (quae ex 1. et 2. loc. alternandae sunt, si pluries de octava fiat). — Missa sicut in die Festi, cum 2. et 3. Orat.

Dies octava celebratur ritu dupl. min. Si eo die occurrat dupl. 1. vel 2. cl., tunc de die Octavae fit commemoratio dumtaxat in Vesp., Laud., et Miss. etiam solemni. Si tale dupl. classicum non occurrat, tunc fit de die Octava; et omnia sicut in die Festi, exceptis lection. quae in 1. noct. erunt Script. curr. et in aliis de communi.

Si Festum Titularis aut eius Octava deiecerint a propria sede alia festa in kalendario indicata: prout ordinarie contingit; tunc ista transferri debent. Si Festum transferendum sit semiduplex, tunc ad primam feriam; si sit duplex, ad primum semiduplex *translatum* (nisi prius feria occurrat) transferendum erit. Hoc autem semiduplex loco sequentis semiduplicis translati (nisi prius feria occurrat) transferri debebit, et sic deinceps. — In fine anni facile aliquod festum remanebit, quod nullibi collocari potuerit; et tunc, si eius sedes erat in festo titularis, nihil de eo fit; si vero erat in octava, tunc fit simplex; de eo nempe suo die sola commemoratio fit.

non sufficerent ; tunc populus concurrere deberet. S. C. C. 16 Apr. 1639.

II. *Beneficii fructus recte impendere.* In primis Ecclesiae saeculis Christifideles multa bona Deo dicabant, eaque Ecclesiae tradebant sub spe quod ipsa, tamquam fidelis Dei ministra ac velut oeconoma, in pios usus ( speciatim pro fabricis Ecclesiarum, sustentatione clericorum, et pauperum levamine) eadem bona eorumve fructus erogaret. Tractu temporis Ecclesia haec bona divisit; et sic beneficia episcopalia, parochialia, canonicalia, et simplicia constituit; ea tamen lege ut in usus pios sicut prius redditus erogari deberent. Alia Beneficia postea a particularibus personis fundata fuerunt ; et haec profecto antiquorum Beneficiorum naturam induunt, nisi forte de diversa fundatoris intentione constet *. Quae autem loco fructuum Beneficii a Gubernüs percipiuntur, tamquam bona beneficialia considerari debent, ut dixi ( n. 506. IX ). His praemissis, sequentia pro praxi notari debent.

A) Beneficiatus ex fructibus beneficii applicare potest sibi ipsi illam partem, quae honestae suae sustentationi correspondet.

Quaenam sit haec pars, in theoria praecise determinari nequit ; plus enim indiget Episcopus quam Parochus ; et plus Parochus quam Presbyter simplex ; item plus infirmus quam sanus ; plus nobilis quam ignobilis etc. Certe ad propriam sustentationem non spectant 1° Expensae, quae non ad personam, sed ad assem patrimonialem referuntur; 2° Commoda et deliciae, quae cum sacerdotali simplicitate, frugalitate, humilitate et modestia componi nequeunt; et notandum quod viro nobili, si clericus evaserit, non tanta decet pompa, quanta deceret si saecularis remansisset; 3° Sustentatio consanguineorum, nisi in quantum convenientium famulorum partes agerent, aut in statu adeo vili versarentur ut Beneficiato probro essent. Sola autem ratio paupertatis ( quum hodie clerici sint pauperes fere omnes ) non facile ( nisi de Episcopo agatur ) tale probrum constitueret ; attamen titulo non proprium decus sustentandi, sed

* Id facile contingit in Capellaniis collativis ; nempe in Beneficiis statutis in favorem Capellani inamovibilis cum onere ut ille quotidie aut singulis diebus festivis Missam celebret. Si enim Capellanus de familia testatoris esse debeat, aut si redditus congruum stipendium aequent aut parum superent; tunc praesumi debet quod testator nullam aliam obligationem suo capellano relinquere voluerit. Idem dic si Missa celebranda sit ab eo *personaliter ;* tunc enim redditus Beneficii stipendium Missae efformant, quod etiam valde pingue esse potest, quin ( Missis celebratis ) ulla obligatio sacerdoti supersit. Lugo ( IV. 28. 29 ).

pium eleemosynae opus exercendi, illis forte (iuxta infra dicenda) aliquod auxilium praebere poterit. — Caeterum expensae pro moderato victu, vestitu, habitatione, famulatu, hospitalitate, munificentia (iuxta proprium gradum), nec non pro aliquo raro et decenti oblectamento, v. g., convivii cum amicis, itineris etc., imo et exiguum peculium pro infortuniis et necessitatibus non praevisis reservare; haec omnia ad honestam sustentationem pertinent; quae iudicio prudentum cum quadam latitudine aestimari poterit (nempe ad minimum, tantum; ad summum, tantum); satisque erit si Beneficiatus ultra summum non procedat. Lugo (De Iust. IV. 53-94). Sedulo tamen observandum est, quod si onera beneficio adnexa, manutentiones, aut necessitates spirituales vel corporales subditorum ita urgerent, ut redditus pro sustentatione adeo ample accepta non sufficerent; tunc beneficiatus in suis expensis personalibus se restringere, aut ex proprio supplere teneretur. — Quoad debita a beneficiato contracta, haec certe solvi possunt ex fructibus beneficii, si aliter fieri nequeat. Gravissime tamen peccaret beneficiatus, si ex causis non piis in huiusmodi necessitatem se conjiceret. — Si autem debita cum bonis patrimonialibus solvi possent, tunc si ob causas profanas contracta fuissent, certe ex beneficii redditibus solvi nequirent; si vero ob pias causas, tunc Lugo (De Iust. IV. 67) dicit, ex his redditibus solvi posse si post beneficii consecutionem (non vero antea) contracta fuerint. Caeterum, si debita ad studia ecclesiastica perficienda, atque ad Parochiam obtinendam contracta fuissent, non essent scrupuli iniiciendi, si ex beneficii fructibus solverentur: liberare enim beneficiatum, qui modicum patrimonium habet, a debitis ex causa pia atque Ecclesiae utili contractis, quid satis pium (cui Ecclesia ipsa consentire debeat) esse videtur.

*B*) Beneficiatus suam congruam sustentationem ex fructibus beneficii sumere potest ex integro (intellige semper, si supersit, satisfactis oneribus) quamvis ex Missarum eleemosynis aut proventibus stolae vel praedicationis aut ex distributionibus (si esset Canonicus) vivere posset. Haec enim dantur Sacerdoti non tamquam adhuc in usus pios distribuenda, sed absolute; unde in usus quoque a propria sustentatione alienos ea pro libito impendere potest. Idem dic si Beneficiatus bona patrimonialia haberet et dives esset. Dices: si beneficiatus sustentationem sive ex praedictis proventibus sive ex bonis patrimonialibus habere potest, iam non indiget quod ab Ecclesia sustentetur; et sic quomodo Beneficii redditus, si ei traduntur, in opus pium in-

sumentur? Respondet Lugo quod alere Ministrum Dei, quamvis dives sit, semper quid pium est (l. c. 36).

*C*) Imo pium est ei offerre sustentationem, quidquid sit an ille redditibus oblatis utatur vel non utatur ad suam sustentationem; idque propter officia spiritualia ad quae praestanda beneficiatus se obligat. Insuper praecipere beneficiatis ut fructus amittant, sr aliunde alimenta capiant aut aliquam parsimoniam faciant, rationabile non esset. Hinc beneficiatus, si mensam (etiam toto anno) a parentibus vel amicis oblatam acceptet, aut si ipse parsimoniis studeat; et sic beneficii redditus in toto vel in parte ei remaneant: de his bonis (quae *parsimonialia* dicuntur) pro libito disponere poterit.

*D*) Idem dic si Beneficiatus fructus industriales ex Beneficii fundis perciperet: intellige pro ea parte, quae non fundo sed industriae suae tribui deberent.

*E*) Postquam ex beneficii (vel beneficiorum) fructibus congrua sustentatio et expensae pro adimplendis oneribus atque ad satisfaciendum propriae ecclesiae necessitatibus, detractae fuerint, si quid remaneat, in opera pia usque ad assem in conscientia impendi debet. Quod profecto redditus beneficiorum aliis stipendiis, quae pro Missis, vel praedicatione etc. dantur (de quibus, ut dixi, Sacerdotes pro libito disponere possunt) aequiparari nequeunt; patet imprimis ex sensu traditionali; semper enim existimatum est quod hi redditus dantur non tamquam in opus pium iam distributi, sed adhuc distribuendi. Patet etiam quia tamquam merum stipendium laboris considerari non possunt; secus enim Ecclesia sineret ut prodige et iniuste bona ecclesiastica distribuantur; quandoquidem ex una parte non desunt beneficia pinguissima fere sine ullo onere, et ex alia ut plurimum nulla proportio servatur, et qui magis laborant minus percipiunt et viceversa.

*F*) Opera pia vel ad cultum Dei, vel ad egentium (sive corporaliter sive spiritualiter) subventionem referuntur. Si itaque beneficiatus eleemosynas pro Ecclesiarum aedificatione vel ornatu, pro Monasteriis, pro Hospitalibus, pro Missionibus, pro scholis catholicis, pro Missis (sive ad Dei honorem sive pro Purgatorii animabus) celebrandis, et demum ad temporales pauperum (inter quos recensendi sunt quoque illi nobiles, qui iuxta propriam conditionem vivere nequeunt) miserias sublevandas elargiatur; utique muneri suo satisfaciet. Interdum tamen rectus charitatis ordo exigere potest, ut alicui operi pio praeferentia detur: et maxime ut pauperes proprii loci, si forte in

extraordinariis necessitatibus versentur, non solum extraneis, sed etiam ipsi cultui divino (praescindendo a stricte necessariis) praeferantur. Caeterum ordinarie beneficiato dabitur optio, atque, inter opera pia, quae maluerit eligere poterit. Id tamen intellige si beneficiatus curam animarum non habeat, Episcopi enim et Parochi, quum *pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere* teneantur (Trid. XXIII. 1); partem ad minus superfluorum pauperibus sibi subditis concedere debent. Dixi *ad minus*; si enim extraordinaria annonae caritas adesset; aut Parochus ex una parte curae spirituali optime consuluisset, et ex alia Ecclesiam satis superque ornatam atque optime provisam haberet; tunc superflua ex integro aut fere ex integro iisdem pauperibus eroganda essent. Dixi *fere ex integro*; iuxta enim sacros Canones, peregrini et advenae non excluduntur. Cf. Lugo (IV. 38).

*G*, Quid de beneficiato, qui praedicationi aut Sacramentorum administrationi ultra suam obligationem incumberet, et hoc titulo superflua sibi retineret? R. Si applicet sibi eam partem dumtaxat, quam alteri pro iisdem piis operibus dare deberet, quietus in coscientia stare posset. Lugo (IV. 65).

*H*, Quid de beneficiato, qui in alendis vel adiuvandis consanguineis aut affinibus suis superflua eroget? R. Non loquor de casu in quo isti convenientem famulatum ei praestent; id enim ad honestam illius sustentationem pertineret, ut supra dicebam. Loquendo autem stricte de superfluorum erogatione, oportet imprimis ut auxilium consanguineis vel affinibus praestitum naturam operis pii vere induat; quod contingeret 1° Si ad finem stricte sacrum (v. g., ad constituendum nepotem in via ecclesiastica, ad dotandam monialem etc.) dirigeretur; 2° Si consanguinei essent ita pauperes, ut auxilium eis praestitum tamquam eleemosyna verumque misericordiae opus considerari debeat. Tale esset si dotes pro honesto matrimonio, aut media ad artem addiscendam consanguineis, ad haec aliunde non provisis, suppeditarentur; non vero si adiumenta eis praestita in vitiorum aut otii fomentum (prout saepissime accidit) degenerarent; tunc enim beneficiatus bona ecclesiastica non iam in eleemosynam traderet, sed dissiparet, suisque consanguineis non iam auxilium sed ruinam inferret; et sic coram Deo et hominibus graviter delinqueret. Cf. Tridentinum (XXV. 1). Commune est effatum quod consanguinei proprii aliis pauperibus praeferri possunt; at vero hoc intellige, dummodo non solum vere sint pauperes atque veri nominis eleemosynis adiuventur; sed etiam

dummodo aliae maioris momenti necessitates non clament, ut hae consanguineorum subventiones interrumpantur aut minuantur.

Petes an beneficiatus tuta conscientia patrem et matrem apud se retinere, eosque (quamvis non essent pauperes) ex fructibus beneficii alere possit? R. Affirmative; si illi cum proprio filio convivere exoptent. In tali enim casu amor et gratitudo filialis exigit ut filius illos acceptet; neque convenit ut alimentorum pretium ab eis reposcat. Si itaque beneficiatus honestis affectibus amicitiae, gratitudinis, munificentiae erga extraneos ex beneficii fructibus satisfacere potest; imo si honesta oblectamenta quoque ei permittuntur (ut supra vidimus): cur affectui filiali satisfacere nequibit? De aliis stricte coniunctis et speciatim de sororibus adhuc innuptis idem dicerem. Attamen circumstantiae attendi debent; et praecipue ne familia sit nimis numerosa, aut beneficiatus (parentes acceptando) fratres quoque vel nepotes otiosam (ut modo dicebam) vitam ducturos aut foeminas periculosas acceptare cogatur.

*J*) Quid de beneficiato qui superflua accumulet, ut ea omnia post mortem alicui piae fundationi deserviant? R. Hoc licet sub duabus conditionibus. 1° Ut pia dispositio ope testamenti rite facti absque mora in tuto collocetur; cavendo semper ne ex inconstantia voluntatis, avaritia, aut familiae amore in posterum mutetur. 2° Ut Beneficiatus dum vivit muneribus suis satisfaciat; praesentibus necessitatibus (maxime si extraordinariae essent) non obdurescat; et avarum et sordidum se non ostendat.

*K*) Quid de beneficiato qui superflua male expenderit? Teneturne ad restitutionem? R. Si illa expenderit in emendis praediis aut ita ut interim bonis propriis pepercerit, tunc certe ad piam erogationem adhuc tenetur; ut enim ad hanc teneatur non est necesse ut fructus beneficii subsistant in se; secus enim venditi et in pecuniam commutati non amplius erogari deberent, quod nemo dicet. — Si vero beneficiatus ita consumpserit superflua, ut ne in aequivalenti quidem supersint (habens, v. g., aliqua superflua commessationibus indulsit, quibus non indulsisset si illa non habuisset); tunc ad piam erogationem (supplendo de proprio) probabiliter non tenetur. Ratio est quia non ex iustitia sed ex religione dumtaxat illa in usus pios erogare debebat; fructus enim beneficii sunt beneficiati (de quo Tridentinum dicit *facit fructus suos*), et mala erogatio Deum quidem, sed non homines (loquendo de iure stricto) laedit. Quisnam enim contra beneficiatum redditus beneficii male expendentem

ita se laesum reputavit, ut litem contra eum intentaverit? Sola autem religio non eo usque procedit, ut, si id quod praestandum erat praestitum non fuerit, ad aliud aequivalens obliget, ut patet in eo qui calicem Deo promissum in mare proiecisset, qui poenitere quidem, sed non alio calice Deum compensare teneretur (ad quod teneretur si hominibus illum promisisset). Secus esset si Beneficiatus ex iustitia aliquid in usus pios erogare deberet, prout accidit in illis Parochis vel Episcopis, quorum beneficia oneribus dotium, eleemosynarum, Missarum etc. (ita disponentibus testatoribus) gravantur.

*L*) Erogatio in usus pios, quamvis ex sola religione et charitate oriatur, tamen sub gravi obligat; unde dicebat Bellarminus: « Parum refert utrum beneficiatus damnetur ad inferos « quia peccavit contra iustitiam; an vero quia peccavit solum « modo contra religionem et charitatem ». Attamen ad mortale peccatum constituendum maior materia exigitur quam in furto, ut fatentur TT. communiter. Lugo (IV. 42) dicit, beneficiatum leviter dumtaxat peccare, si, quamvis non adamussim, tamen circumcirca muneri suo satisfaciat; v. g., si de 100 scutatis superfluis eroget 90, et de 1000 eroget 950; ita ut in parvis summis 10 pro 0/0, et in magnis 5 pro 0/0 levem materiam constituat.

*M*) Quid de haeredibus beneficiati, qui per testamentum vel ab intestato Beneficii superflua acquisierint? Tenenturne, sicut tenebatur beneficiatus, ea in usus pios erogare? R. Sententia negativa probabilis est. Quamvis enim haeres quoad obligationes reales (non solum si ex virtute iustitiae sed etiam si ex sola religionis virtute profluant) regulariter personam defuncti repraesentet, easque proinde adimplere debeat; tamen praesens casus excipiendus esse videtur. Posita enim (prout hodie contingit) testamenti seu successionis validitate, obligare haeredes ad expendendam haereditatem in usus pios, teste Lugo (XXIII. 102), est « contra communem praxim et sensum Doctorum, « qui, quamvis fateantur beneficiarium peccasse graviter dispo« nendo de bonis illis in morte ad usus non pios; negant tamen « haeredem peccare ea bona accipiendo et expendendo ad libi« tum ». Ratio est quia Ecclesia ad praecavendas lites et pro bono pacis, maxime vero ad evitandas gravissimas conscientiae turbationes, imo et peccata innumerabilia atque aeternam plurimorum damnationem, melius esse censuit ut haeredes non inquietarentur; et non solum valide sed etiam licite huiusmodi haereditates adire atque de bonis sic acquisitis libere disponere possent. Talem esse Ecclesiae intentionem satis patet ex eo

quod iam inde a tot saeculis contra haeredes, qui sine scrupulo ita se gerunt, nunquam vocem elevaverit semperque tacuerit. — Idem dic a fortiori de legatariis, et de iis qui a beneficiato adhuc vivente, per contractum sive onerosum sive gratuitum aliquid acceperint, quod ab eodem in usus pios erogari debuisset. Lugo (IV. 49. 50),

Quid si beneficiatus manutentiones neglexerit, unde fabricis et praediis detrimenta obvenerint; Ecclesia autem, secuta morte beneficiati, compensationem quidem quoad fabricas exigat, sed de praediis nihil dicat? R. In hoc etiam casu quoad haeredes eadem praxis, et quoad Ecclesiam idem silentium (ut supponitur) subsistit; unde probabile videtur quod eadem decisio dari possit. Imo, si beneficiatus beneficium renuntiaverit, tunc quoque satis esse videtur si ea dumtaxat, quae de more repeti consuescunt, solvat; si videlicet neque Episcopales Curiae, neque beneficiati successores propter neglectam praediorum manutentionem aliquid unquam serio repetiverint. Porro si domini temporales proprios famulos ab onere reparandi damna (interdum iniquissime allata) non raro absolvunt; quanto magis id praestare non poterit pia mater Ecclesia erga suos ministros, qui ut plurimum non ex tanta iniquitate sed ex sola negligentia aut propter paupertatem muneri suo hac in parte non satisfecerunt, dum forsan in aliis rebus melioramenta plus quam tenerentur procurarunt?

*N*) Beneficiati interdum iure ad fructus privantur, seu (ut Canonistae dicunt) non faciunt fructus suos. Casus magis practici sunt duo, nempe 1° Si officium non recitent; 2° Si residere teneantur, et non resideant. De primo casu satis egi supra (n. 602). De secundo in Puncto sequenti agam.

## PUNCTUM VIII.

### DE ECCLESIASTICIS RESIDENTIAE OBLIGATIONEM HABENTIBUS.

690. Episcopi, Parochi, Canonici, Vicarii, Mansionarii, Confessarii Monialium, Capellani hospitalium, habentes capellaniam cum onere celebrandi Missam personaliter; et in genere quotquot habent officium loco addictum, quod per alios adimpleri nequeat; hi omnes ad residentiam tenentur.

Pastor animarum ad residentiam tenetur, quamvis optimos vicarios habeat, atque in ipsius Ecclesia alii Sacerdotes praedicationi et Sacramentorum administrationi incumbentes abundent. Neque excusaretur eo quod, v. g., in Paroecia paucissimae

familiae adessent, aut beneficium nimis tenue haberet, aut iam senex, male firmae valetudinis, coecus, surdus atque ad nihil valens esset. Imo ne excusaretur quidem si coadiutorem cum iure successionis haberet; donec enim quis pastor est, in medio gregis sui stare debet; idque iam definitum fuit. Ex aeris insalubritate nulla excusatio (nisi forte ad tempus cum debita licentia) haberi poterit. Denique obligatio residentiae tempore pestis in pleno suo vigore remanet, imo tunc propter tantam morientium quantitatem strictius urget, ut Gregorius XIII decrevit. Idem dic occasione hostilis invasionis. Non tamen si contra clerum duntaxat persecutio suscitaretur, ita ut Sacerdotes *omnes* ad necem acerrime quaererentur; tunc enim fuga nullum damnum Christifidelibus inferret, quandoquidem, si Sacerdotes in residentia permanerent, necarentur aut occulti remanere cogerentur, et sic populo nullum adiumentum ferre possent. Cf. Reiff. (III. iv. 103). Caeterum contra legem residentiae nulla consuetudo legitime induci potest, quae a Concil. Trid. *corruptela* declaratur. Cf. S. Lig. (IV. 125), Scavini (I. 437. 442. 615), et D'Annibali (III. 524. not. 42).

691. Episcopi in palatio episcopali, et Parochi in aede parochiali residere debent. Si Parochus in alia domo commorari malit, licentia Episcopi necessaria erit; qui annuere poterit, dummodo aeque aut fere aeque bene officium adimpleri valeat et causa subsit, quae valde urgens esse deberet, si domus electa extra Paroeciae limites esset. Cf. Berengo (47). Parochus regularis quoque in domo parochiali residere teneretur, si monasterium ab Ecclesia nimis distaret. Cf. Scavini (I. 615). — Capellani hospitalium in hospitali ipso aut in alia domo propinquissima residere debent. Alii vero ubi malunt commorari possunt, dummodo non ita longe ut a propriis muneribus adimplendis impediantur. Cf. D'Annibali (III. 561).

692. Absentia etiam brevissima sufficere potest ut quis contra residentiae legem delinquat; si nempe eo tempore recederet quo eius praesentia necessaria esset; unde Parochi, si infirmos aut moribundos personaliter assistendos in paroecia habeant, etiam in brevibus absentiis valde facile peccare possunt. Ubi autem quovis momento Parochiani sive Parocho sive Vicario indigere possunt (prout in magnis paroeciis accidit); tunc oportet ut quavis hora alteruter domi remaneat. Idem dic de Capellanis in magnis hospitalibus.

693. Caeterum in parvis paroeciis, si hic et nunc nihil clamet ut Parochus domi remaneat, aliquarum horarum absentia

residentiam nullo modo vitiat, eaque non obstante residere censeretur, quamvis in paroecia nullus alius Sacerdos adesset. Idem dic si Parochus die feriali aliqua rara vice a mane usque ad vesperas absit. Cf. Scavini (I. 615). Attamen bene erit si ante discessum familiaribus significet quo se conferat.

694. Si Parochus in loco a paroecia notabiliter (v. g. 2 mil. passibus) dissito commoraretur sive nocte, sive multis diei horis, idque toto anno aut maiori anni parte; tunc non censeretur residere; idque quamvis domi vicarium haberet, et ipse diebus festis in paroecia remaneret. S. C. C. 10 Maii 1687. — Idem dic si die integro simul cum nocte, quamvis unica vice, abesset. Equidem contingere potest quod sic absens non peccet (ut statim videbimus); attamen talem diem intra tempus sine residentia transactum computare deberet.

695. Episcopis, Parochis et Canonicis interdum licet non residere. Id tamen sub quibusdam conditionibus.

A) Vacationes quaedam (nempe Episcopis et Canonicis ordinarie menses tres, et Parochis menses duo) a Concilio Tridentino conceduntur quotannis. Hi menses non solum ex absentia continuata sed etiam ex absentiis interruptis (attamen *de iure communi* dierum non horarum) conflantur. Cf. Ferraris (v. *Canonicus* V. 5. 6). Tempora Adventus et Quadragesimae, nec non maiores solemnitates excipiuntur. Hoc ultimum tamen, speciatim quoad Canonicos, consuetudinem in contrarium habere potest.

Canonici (ut his vacationibus fruantur) nulla causa indigent, nullamque licentiam petere tenentur, nisi extra Dioecesim migrent (quo casu licentia Episcopi exigitur), aut nisi periculum adsit ne chorus necessario servitio destituatur. Oportet enim ut Canonici non omnes simul absint, sed alii post alios, ordine servato; tertia pars Capituli enim semper praesens esse debet, quandoquidem vacationes Canonicis quidem, sed non Capitulo conceduntur. (S. R. C. Decr. 172 et S. C. C. apud Lambert. Notif. 107. 30-36). Statuta particularia vacationes imminuere quidem (prout circa mansionarios ordinarie contingit): sed non protrahere valent. Lambert. (l. c.). Nil tamen vetat quominus ex fundatione ipsa vel legitima consuetudine Tridentino posteriori Canonicorum vacationes diuturniores esse possint. Pichler (III. iv. 11).

Pro Episcopis et Parochis causa rationabilis semper exigitur; non tamen oportet ut sit absolute gravis; sufficeret enim, v. g., si ad invisendos consanguineos, vel ad convenientem recre-

ationem aequo tempore abesse vellent. Sed quoad huiusmodi causas non graves, notanda sunt sequentia. 1° Oportet ut *sine ullo* gregis detrimento pastor abesse possit; 2° Ut absentia vere sit rationabilis: non enim aequum esset, v. g., quod Episcopus merae recreationis gratia tribus mensibus abesset quotannis. « Ne existimetis (scripsit Benedictus XIV. Const. *Ubi primum*) « fas esse Episcopis per tres menses singulis annis pro libito aut « quacumque ex causa abesse ». Et Const. *Ad universae* subiunxit: « Animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futi- « les causae penitus excluduntur ».

Quoad has vacationes, Episcopus a nemine, praeter quam a propria conscientia, dependere tenetur; sed Parochus obtinere debet licentiam ab Episcopo, a quo etiam Sacerdos substitutus approbari debebit.

*B* Ut Episcopi et Parochi ultra hos menses conciliares abesse valeant, duo coniunctim sunt necessaria, nempe 1° Causa absolute gravis; 2° Beneplacitum Apostolicum quoad Episcopos, et sive licentia Episcopi sive Indultum S. Sedis quoad Parochos. Trid. (XXIII. 1). Pro Canonicis etiam, praeter causae gravitatem, licentia Episcopi vel Indultum S. Sedis (maxime si distributiones amittere nolint) omnino exigitur. Suarez (De Relig. II. IV. Cap. X. 18) et Reiff. (III. IV. 185).

*C*) Sedulo notandum quod, si quis intra eundem annum ex causa absolute gravi absens fuerit, aut se abesse debere praevideat, difficile erit quod mensibus quoque conciliaribus propter recreationem aliasve causas non graves uti possit. Uno verbo: causa abeundi non raro potest esse iusta solum sub conditione quod qui abit mensibus conciliaribus utatur. Quod hoc sensu intelligi debeant verba Tridentini dicentis (XXIV. XII): « Non « liceat ultra tres menses quolibet anno abesse », patet ex Benedicto XIV (Const. *Ad Universae*). Si enim Episcopus petat a S. Sede licentiam extra Dioecesim commorandi sive ad convalescendum, sive ad litem extricandam, sive ad aeris malignitatem evitandam, Pontifex statuit, ut ei rescribatur: *Utatur mensibus conciliaribus;* et, si illis iam usus fuerit, tunc aut licentia denegetur, aut cautissime concedatur. Caeterum S. C. C., agens de canonicis, dixit quod tempus infirmitatis pro tempore vacationis computari non debet, et ipse Benedictus XIV concedit quod Episcopus, quamvis occasione visitationis ad Sacra Limina absens fuerit, mensibus conciliaribus uti possit. Attamen in quovis casu exigit ut duae absentiae diuturnae (quamvis ambae legitimae) simul non coniungantur. — Monet demum, ne-

minem vacationes augere posse eo quod antecedentibus annis eis usus non fuerit.

*D)* Speciatim quoad licentiam, quam Parochi ab Episcopo petere debent, sequentia notanda sunt. I° Licentia praesumpta (quamvis forte Superior valde distet) non sufficit, nisi casus urgeat tempusque non suppetat; et tunc Parochus suum discessum per litteras indicare deberet Episcopo quamprimum, nisi cito esset rediturus. (Notandum quod interdum a Vicariis Foraneis ad hoc delegatis licentiae ad breve tempus obtineri possunt). II° Licentia falsis causis extorta, tamquam non obtenta considerari debet; et rite obtenta valet dumtaxat iuxta limites a concedente sive expresse sive tacite praefixos. Benedictus XIV (Const. cit.). III° Non sufficit ut licentia petita fuerit, sed oportet ut fuerit obtenta. Episcopo denegante, Parochus semper obtemperare deberet; appellare tamen posset si licentia irrationabiliter denegaretur. Lambertini (Inst. XVII. n. 11). IV° De iure communi licentia Episcopi expresse exigitur solum si Parochus per integram hebdomadam abesse vellet: attamen leges synodales passim modo biduum modo triduum dumtaxat concedunt.

*E)* Vicarii substitutio exigitur, quamvis Parochus duobus vel tribus diebus dumtaxat absit; nec Parochus vicinior (sine licentia Ordinarii) deservire poterit. Cf. Scavini (I. 615). Caeterum si casus urgeret, et vicarius inveniri nequiret, vicinioris Parochi substitutio licita evaderet. Croix (III. 1. 740).

636 Illegitima residentiae omissio a peccato mortali (loquendo de pastoribus animarum) excusari nequit in duobus casibus. I°. Si exinde sive certe sive probabiliter grave damnum gregi immineat; II°. Si nullum quidem notabile inconveniens suboriatur; attamen ultra menses conciliares absentia illegitime protrahatur. Iis enim elapsis, Trident. (XXIII. 1.) dicit: *mortalis peccati reatum incurri*. At vero id cum mica salis intelligendum est; si enim toto tempore conciliari absentia licita est omnino (ut suppono), non statim, non unico momento, ad peccatum mortale perveniri potest; quandoquidem materiae parvitas dari debet. Diana (III. III. 71) censet, materiam gravem in absentia illegitima, quae ultra octo vel decem dies procedat, reponi debere.

An autem peccet graviter Parochus, qui sine ullo gregis detrimento, et aequa de causa, solis mensibus conciliaribus absit (si nempe culpa ad solam omissionem petitionis licentiae restringatur), circa hoc sustineri potest imprimis quod contra munus Parochi, seu contra residentiam praecise, culpa gravis

non adsit: idque videtur esse iuxta mentem S. Lig. (IV. 127), qui dicit, huiusmodi absentiam esse quidem contra ius positivum, non vero contra ius naturale; idemque sentit D'Annibali (III. 526. not. 71), qui ad meram inobedientiam hoc peccatum reducit. Sed aderitne culpa gravis contra obedientiam? R. Non una est Theologorum sententia. S. Lig. (l. c. 123) censet, non peccare graviter qui sine licentia abest ad breve tempus, nempe per sex vel septem dies. Alii autem hoc extendunt ad viginti dies. Denique Croix (III. 1. 741) eum quoque a gravi peccato excusat, qui toto tempore conciliari sine gregis detrimento abesset, et ait: « Ex eo autem quod non petatur licentia, non « est materia peccati mortalis; imo Navarr. Garz. Bonac. Bar- « bos. et alii excusant a mortali si (Parochus) abesset sine cau- « sa: quia talis absentia ad duos tantum menses censetur mo- « dica *iuxta Tridentinum*), sive sit continua, sive interrupta ». Caeterum cl. Berengo (45) sapienter monet, inspiciendam esse legem Synodalem (si adsit), et videndum an sub gravi an vero sub levi ex communi interpretatione obligare censeatur.

697. Residentia non solum materialis sed etiam formalis esse debet; unde scripsit Tridentinum (XXIII. 1), « obligari (pa- « stores animarum) ad personalem in sua Ecclesia vel Dioecesi « residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur ». Plura quidem Vicariis peragenda relinquere possunt; sed, quum industria personalis electa sit, et residentia non otiosa sed laboriosa esse debeat, pastor animarum certe non satisfaceret, si ponderis partem notabilem propriis humeris sustinere nollet; unde celebre est effatum: « Qui omnia facit per Capellanum « non satisfacit ». Quid autem praecise per se ipsum praestare debeat, et quid Vicario relinquere possit, patebit ex dicendis De officio Parochi.

698. Contra Canonicos aliosque choro addictos, Episcopos et Parochos non residentes, adest poena, quae consistit in amissione fructuum beneficii. Quia tamen beneficium non solum propter residentiam, sed etiam propter officii recitationem, Missae *pro populo* celebrationem etc. datur; hinc plures TT. (inter quos S. Lig. IV. 127) probabiliter censent quod fructus non ex integro amitterentur; et haec amissio solum pro rata temporis sine residentia transacti computari debet.

Haec poena incurritur quamvis licentia non residendi, falsis causis expositis, obtenta fuerit. Croix (III. 1 738). Non tamen incurreretur 1° Propter solam habitationem extra domum parochialem (Scavini I. 615); 2° Propter absentiam, quae il-

legitime quidem sed bona fide evenerit (Viva, Garzias, Frassinetti etc. apud Scavini I. 441. not. 2); 3° Propter solum defectum licentiae, dummodo iusta causa subsistat (Scavini l. c.); vel propter solam absentiam (sufficienti etiam causa non subsistente) in mensibus conciliaribus vel temporibus exceptis sine damno gregis (Ferraris v. *Episcopus* III. 31); et uno verbo toties quoties tunc residentiae defectus contra officium pastoris non censeatur gravis. Croix (III. 1. 743).

699. Quoad Canonicos (loquendo non de distributionibus, sed de amissione fructuum *iam ante acquisitorum*, quam poenam ipsis non residentibus Tridentinum infligit) dubitari potest, an poena huiusmodi sit latae sententiae. Probabiliter dicendum est esse ferendae. Concilium enim (XXIV. XII) ait: *privetur*; et Benedictus XIV (Const. *Cum semper*) inquit: *Verendum est ne teneantur ad restitutionem*. Dubia itaque res est, et in poenalibus mitior interpretatio fieri debet. Ita sentiunt Garzias, Barbosa, Fagnanus, Reiffenstuel aliique multi cum Ferraris, qui (v. Canonicus V. 17) scripsit: « Canonici tamen qui ob « absentiam in poenam privationis fructuum incidunt, non te« nentur istos in conscientia restituere ante sententiam ». — Attamen quoad Episcopos et Parochos (quorum poena fructus non iam acquisitos sed *acquirendos* respicit) certe est latae sententiae, et ipso facto in conscientia obligantur, dicente Tridentino: « Fructus suos non facere, nec tuta conscientia, a« lia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere posse; « sed teneri.... illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci « erogare ». — Ubi notandum I. quod restitutio fructuum non, sicut propter officii divini omissionem, *quibuslibet* pauperibus fieri potest, sed pauperibus *loci* (nempe propriae Dioecesis, vel propriae Paroeciae) fieri debet. Berengo (44. *g*). Notandum II. quod alicubi hoc Tridentini statutum (quatenus ante sententiam obligat) propter evidentem consuetudinem contrariam forte non viget, si grex ex pastoris absentia (etiam ultra menses conciliares) damnum non patiatur, ut testantur Laymann (IV. II. VI. 6) et Croix (III. 1. 736).

700. Quid de Parocho residente quidem, sed muneribus suis male satisfaciente? Parochus, v. g., (quum apud quosdam Theologos legeret, obligationem restituendi fructus adesse non solum propter defectum residentiae materialis sed etiam propter defectum residentiae formalis) occasione spiritualium exercitiorum, aut quum in periculo mortis versetur, magnis conscientiae angoribus agitatur, eo quod plurimis annis resederit quidem

sed fere omnia adimpleverit per Vicarium, aut per se ipsum male officio suo functus fuerit. Ipse ex una parte animam suam salvare vellet, et ex alia bona, quae habet patrimonialia, propriae familiae relinquere vellet. Quaeritur itaque an omnino cogendus sit ut Patrimonium suum, in compensationem fructuum perceptorum pauperibus distribuat?

Responsio negativa probabiliter sustineri potest. Garzias, qui in materia beneficiaria auctor classicus est, (De Beneficiis Tom. I. III. 53) scripsit: « Parochus, qui residet in Parochiali, non « tamen per se exercet et administrat Sacramenta, non videtur « teneri ad restitutionem fructuum: nam Concilium solum ponit « hanc poenam contra absentes et non residentes: iste vero non « potest dici abesse et non residere, quamvis officium suum per « se non exerceat, et poenae non sunt extendendae, maxime « impositae ipso iure *; sicut etiam qui male facit suum officium « Parochus seu Episcopus, non ideo amittit fructus ipso iure ». Ratio est quia fructus beneficiorum dantur ad sustentationem ministrorum. Ipsi quidem (iuxta variam beneficiorum naturam) ad quaedam officia obligantur; sed ex eo praecise quod officia omittant (seclusa lege positiva) non sequitur quod in conscientia fructus suos facere nequeant, illosque proinde iniuste atque invita Ecclesia percipiant, et sic ad restitutionem teneantur. Exemplum habemus in beneficiatis qui in primis sex mensibus Divinum Officium non recitent, et in Canonicis, qui choro non interveniant; unde Theologi passim dicunt quod Beneficium datur quidem etiam propter officium, sed non ad modum mercedis et non semper sub conditione quod, officio omisso, Beneficium aut fructus eiusdem in conscientia amittantur; secus enim qui etiam inculpatim officium omittunt, fructus percipere nequirent. Vide Palao (De Benefic. V. III. 4), et Lessium (II. XXXIX. 180). Ut autem dignoscatur quando beneficiatus, qui officiis suis defuit, teneatur vel non teneatur restituere fructus in conscientia, leges canonicae, in quibus Ecclesia suam voluntatem declaravit, inspici debebunt. In nostro autem casu leges canonicae ad alia quidem media (v. g. cogendo Parochum ut Oeconomum acceptet vel Paroeciam renuntiet) recurrit; sed beneficiatum fructibus ipso facto et ante sententiam non privat; unde scripsit Palao (l. c.) « Iure positivo residens in beneficio et officium non exe- « quens fructibus ipso iure non privatur ». Cf. Trid. (V. 2;

* Idem sentiunt Reiffenstuel (III. IV. 87), Pichler (III. IV. 5), D'Annibali (III. 526. not. 72), Vecchiotti (I. § 85) etc.

XXI. 6), et Scavini (III. 611). Adde difficultatem determinandi quantum esset restituendum ; et conscientiae angustias, quae ex huiusmodi obligatione orirentur.

Si tamen ageretur de officio quod adhuc praestari posset (ut puta, si Parochus moribundus diceret se Missas pro populo non celebrasse) ; tunc certe ad illud praestandum, vel ad solvendam pecuniam ut per alios praestetur, obligatus remaneret.

## PUNCTUM IX.

### DE EPISCOPIS.

701. Episcopus maximam imprimis habet necessitatem orandi pro se et Dioecesi. Missam autem pro Dioecesi universa saltem diebus dominicis et festis celebrare et applicare tenetur. Speciatim in extraordinariis necessitatibus, Dioecesim ad orandum impellere debet.

702. Curae Episcopali commissum est ut Fides catholica, cultus Dei, sacrae coeremoniae, mandata divina, et leges ecclesiae custodiantur et observentur. In hunc finem ad sequentia tenetur.

I. *Residentiam servare*, prout supra explicatum est.

II. *Praedicare* : et quidem per se ipsum, nisi sit legitime impeditus ; quo casu per alios ad hoc districte tenetur. Trid. (V. II).

III *Sacram visitationem peragere*. Quoad istam notari debet 1° Quotannis, vel (si uno anno perfici nequeat) intra biennium esse peragendam ; et, si Episcopus sit impeditus, Visitatores mittere debet. Sine indulto Apostolico ultra biennium differri nequit. Cf. Trid. (XXIV. III), Benedict. XIV. (Const. *Ubi primum* § 5), et Vecchiotti (I. 63). 2° Cavendum ne sacra visitatio in destructionem redundet, prout facile contingeret, si Episcopus aut Convisitatores Parochum coram aliis reprahenderent. 3° Cavendum ne sacra visitatio odiosa aut nimis onerosa reddatur ; qua de re Tridentinum sequentia statuit : « Omnes et « singuli, ad quos visitatio spectat, paterna charitate, chri- « stianoque zelo omnes amplectantur ; ideoque modesto contenti « equitatu, famulatuque, studeant quam celerrime, debita ta- « men cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque « caveant ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint ; « neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa « pro visitatione.... nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, « etiam qualitercumque offeratur, accipiant ; non obstante qua-

« cumque consuetudine etiam immemorabili ; exceptis tamen « victualibus, quae sibi ac suis frugaliter moderateque, pro « temporis tantum necessitate et non ultra, erunt ministranda... « Quod si quisquam (quod absit) aliquid amplius in supradictis « casibus omnibus accipere praesumpserit ; is, praeter dupli « restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis.... « absque ulla spe veniae mulctetur ». In quarum rerum confirmationem plures aliae decisiones inveniuntur passim apud Canonistas tam antiquos quam recentiores, inter quos novissime cl. Lucidi (De Visit. Sacror. Lim.) dicit, pluries decisum fuisse quod expensae pro vecturis non Parochis spectant sed Episcopo ; qui insuper in civitate suae residentiae nihil omnino exigere potest, non obstante quavis consuetudine contraria ; agitur enim de re, cui ius nimis resistit. Cf. Vecchiotti (I. 64). Equidem Episcoporum redditus valde decreverunt ; sed nunquid Parochi in meliori statu versantur ? Imo in multis Dioecesibus aliqui tanta egestate laborant ut vix miserrimum cibum habeant quo sustententur, vixque lampadem SS.mi Sacramenti servare possint. Quoad huiusmodi Parochos miserrimos optimum factu erit, si Episcopus propriis expensis (si possit) totaliter sibi provideat, sacrasque supellectiles (suspensione dignas) aere proprio reficiat, aut curet ut Ecclesiae ditiores his pauperioribus subveniant. 4° Cavendum denique ne Sacra Visitatio ad iter plane inutile reducatur. Oportet scilicet ut decreta non solum fiant (ubi necessaria sint) sed etiam ad executionem prompte et exacte demandentur. Ad quid enim decreta, si non observentur ? Cf. Benedictum XIV. (Const. *Ubi primum* § 5).

IV. *Munus Episcopi est ut audientiam praebeat* (it. dar udienza). Circa istam duo notari debent : 1° Audientia praestanda est sine acceptatione personarum. Pauperes aeque ac divites audiri debent libenter ; et cavendum ne familiares eos arceant vel aspere tractent. 2° Tempore audientiae negotia inutilia sunt resecanda, ne tandem tempus deficiat et alii redire aut nimis expectare cogantur. Id prae oculis Episcopus habeat, maxime si illi qui expectant sint Parochi aut Vicarii Foranei aut Sacerdotes qui a longe venerint. — Epistolas autem statim legat ; eisque tempestive (iuxta negotii urgentiam) respondeat.

V. *Curare debet ut non solum conscientiae sed etiam mentis magnam rectitudinem habeat.* Hinc Episcopus a quovis sive amoris sive aversionis affectu, ab adulationibus et muneribus, et a consiliariis vel intercessoribus, qui mente aut conscientia bona non commendantur, quam maxime caveat. Curet etiam

ne ( quin id advertat ) circumveniatur; et ne praepropere se determinet. Speciatim in rebus gravioris momenti ( maxime si esset iuvenis ) Capituli aut Episcopi vicinioris, aut alicuius Sacerdotis ( in quo iure confidere possit ) consilium exquirat; et uno verbo curet semper ut prudentissime se gerat. In hunc finem denique valde deserviret si ad imitationem S. Caroli, a proprio directore spirituali aut ab alio viro singulari pietate et prudentia praedito exigeret, ut cum plena libertate de quocumque defectu, quem in ipso notarent, ipsum monerent.

VI. *In Vicariorum suorum electione valde caute procedat*; non solum ut ab iis necessarium et verum adiumentum habeat; sed etiam ne de eorum erroribus aut negligentiis rationem ipse reddere debeat. Hoc valet speciatim quoad Vicarium generalem, qui, ut sapienter dicit Scavini ( I. 428 ), debet esse *probus*, *doctus* ( saltem in iure canonico ), *expertus*, *operosus*.

VII. *Episcopus non solum existimationem, sed etiam amorem omnium sibi procuret.* Hinc benevole et affabiliter omnes excipiat; in ipsis correctionibus ad modum patris se gerat; emendatos laudet et benignissime tractet; omnes protegat et adiuvet quantum potest; Sacerdotibus qui valde laborant, specialem amorem ostendat; semperque reminiscatur quod medium supremum habendi influxum hoc est, ut Episcopus existimetur et ametur. In hunc finem mirum in modum deserviret, si identidem pueros quoque catechismum doceret, eisque munuscula traderet, et ( ascenso suggestu ) familiari sermone catechismum ipsum populo explicaret, prout B. De-Rossi monebat. Speciatim patrem pauperum se ostendat. In concionibus illos divitibus enixe commendet. Publica annonae caritate superveniente, prima vox, ut efficax levamen pauperibus tribuatur, ab Episcopo proveniat. Non solum sermone sed opere et exemplo, quantum Beneficii vires permittunt, alios praecedat. In ordinariis etiam necessitatibus pauperum curam habeat. A consanguineis ditandis; ab expensis superfluis; a victu, supellectili, equitatu et famulatu non parco et moderato quam maxime caveat; ut bona mensae episcopalis ( qua parte supersunt et patrimonium pauperum sunt ) pauperibus revera ( et maxime iis qui mendicare erubescunt et forte in periculo etiam peccandi versantur ) cedant; ne, secus agendo, Episcopus non solum subditorum existimationem et amorem incassum speret, sed etiam seipsum in magnum aeternae damnationis periculum coniiciat, ut B. De-Rossi dicebat; qui aliud magni momenti monitum dabat,

ut scilicet Episcopus quasvis lites (maxime cum proprio clero), nisi indeclinabili necessitate cogatur, sedulo evitet.

VIII. *Vigilare et providere tenetur, quantum fieri potest, ne lupi, aut pascua venenata, aut quidquid aliud, ruinam vel gravia praeiudicia gregi inferant.* Sectae, magistri impietatis, scholae acatholicae, impiae ephemerides etc. in multis locis, quasi torrens, ruptis undequaque aggeribus, omnia ita pervaserunt, ut directe contra mala huiusmodi vix quidquam fieri possit; sed non desunt loca in quibus obicem ponere aut saltem magna ex parte ruinam imminuere adhuc possibile est; et tunc Episcopi providere debent. Si Dioecesis aut pars Dioecesis sit adhuc omnino praeservata, sed in periculo, videat Episcopus quo ex latere periculum ingruat, et Parochos admoneat atque opportune instruat. Idem dic si aliquae Parocciae corrumpi incipiant: tunc enim dicendum est: *Principiis obsta; sero medicina paratur, cum mala per longas convaluere moras.* In quibusdam locis, quamvis valde corruptis, ruina imminui potest si Catholici, ad publica suffragia concurrendo, sperare queant ut ad officia municipalia viri probi, aut saltem non adeo perversi, electi evadant; et tunc Episcopus (nisi comitatus catholici iam providerint) prudentiori modo possibili directionem, pro exitu felici et ne vota disperdantur, dare debebit. Dices: Hae sunt doctrinae novae. Respondeo: Agitur de malis novis; et nil mirum si remedia nova adhibenda sint. — Videat etiam Episcopus ne familiis catholicis (maxime si paucae sint) nimia gravamina aut fastidia afferantur; ne scilicet Ecclesiastici semper in eo sint ut pecuniam (quamvis ad bonos fines), modo moraliter cogente, ab iis exquirant, ut supra (n. 685. X.) dicebam: id enim in verum rei catholicae praeiudicium tandem aliquando redundare potest. — Provideat demum (quantum possibile est) ut publica scandala auferantur aut saltem imminuantur. Vigilet speciatim quoad eos Sacerdotes, a quibus factum aliquod, clamosum scandalum allaturum, pertimesci debeat. Huiusmodi sunt non solum illi qui cum foeminis male se gerunt, sed etiam illi qui nimia debita contrahunt, maxime si de magnis summis, quas nunquam solvere possint, agatur.

IX. *Providere debet etiam ut pascua et antidota salutaria gregi non desint.* Hinc procuret 1° Ut singuli Parochi assidue et convenienter praedicent, atque adiuti ab aliis Sacerdotibus et Clericis non solum materialiter sed cum debita explicatione Catechismum doceant; et confessionibus aliorumque Sacramentorum administrationi promptos se exhibeant; atque infirmis (nul-

la facta distinctione inter divites et pauperrimos), non obstante quovis incommodo, libenter assistant. Contra negligentes vel inhabiles auctoritatem suam totam iuxta sacros canones adhibeat. Provideat quoque (per quantum expedit et iidem sacri canones permittunt) ut, tempore Missae Parochialis aut Catechismi, populus ad alias ecclesias non vocetur. 2° Vigilet, et (quatenus inveniat defectum, qui est valde communis) provideat ut tempore paschali non solum foeminis, sed etiam viris confitendi commoditas praebeatur; in multis enim locis necessarium est prorsus ut Sacerdotes non in confessionalibus, sed in choro, Sacristia aut aliis locis ad hoc destinatis, illos audiant: secus vanum esset sperare quod accedant. 3° Procuret ut in civitatibus et oppidis conciones quadragesimales aut spiritualium exercitiorum, quae diebus ferialibus fiunt, (si divites intervenire non soleant) horis populo commodis (quando pauperes operarii intervenire possunt) locum habeant; nec non ut tales advocentur praedicatores qui ad populi captum et cum vero zelo divinum verbum annuntient. 4° In multis locis patresfamilias, qui proprios filios salvare vellent, neque scholam, neque collegium, neque opificium in hunc finem aptum inveniunt; omnia enim corrupta et impia sunt. Illuc quoad scholas, Episcopus omnem lapidem moveat ut aliquae scholae catholicae aperiantur et praesto sint, curando ut magistri examina a gubernio requisita subeant et necessariam docendi facultatem obtineant. Quoad collegia, saltem inquirat quaenam collegia in tota natione sint rite instituta aut saltem minoribus periculis subiecta: eorumque elenchum Parochis distribuat, ut congruum consilium propriis parochianis dare possint. Seminarium quoque scholarum et collegiorum defectui supplebit in parte; sed de illo aliquid iam dixi et paullo infra aliquid aliud adiungam. Denique, quoad opificia, Institutum a Divina Providentia hodie suscitatum, quod a S. Francisco Salesio nuncupatur, optime deservire posset. Caeterum (quatenus opus sit) commonendi essent Parochi, ut opificia minus periculosa notent, eaque patribus familias praedictis opportune indicent. 5° Eorum, qui in hospitalibus, orphanotrophiis, carceribus etc. vitam degunt, non obliviscatur. Laudandus Episcopus si aliqua vice illos invisat; sed omnino spiritualibus eorum necessitatibus providere stricta obligatione tenetur. 6° Episcopus demum cunctis operibus bonis, modo ut introducantur, modo ut conserventur et florescant ex toto corde favorem et auxilium praestabit. Huiusmodi sunt praecipue *a*) Sacrae Missiones, *b*) Bibliothecae catholicae et bonorum librorum

circulatio; *c*) Societates catholicae et piae confraternitates; *d*) Educandatus apud Moniales pro puellis divitibus, et scholae piae pro pauperibus; *e*) Oratoria dominicalia (vulgo S. Dorotheae) ad praeservationem puellarum; et Oratoria seralia pro masculis; *f*) Institutum S. Angelae Merici, nempe Virginum in propriis domibus manentium (vulgo *Orsoline*); maxime si hae virgines puellarum custodiae se dedicent; *g*) Congregatio dominicalis et antelucana pro artificibus et agricolis.

X. *Specialem et vere paternam monasteriorum curam gerat.* Procuret speciatim ut optimi confessarii, optimi syndici, et optimae superiorissae monasteriis praeficiantur; ab iis enim monasteriorum bonum maxima ex parte pendet. Confessarios extraordinarios prout de iure mittat. Dum autem Sacerdotem aliquem prima vice Monialium confessarium constituit, monita, circa ea quae magis necessaria sunt, ei dare non paetermittat. Reminiscatur demum quod confirmare eundem confessarium ad aliud triennium difficile expedire poterit. Cum religiosis etiam a sua iurisdictione exemptis magnam concordiam servet, eosque valde diligere ac magni facere ostendat, si bono exemplo sint, maxime vero si pro Dioecesi valde laborent.

XI. *Sacramentum confirmationis ministret.* Episcopus (praemisso monitu, ut Parochi tempestive pueros instruere ac praeparare possint) hoc Sacramentum administrare debet, saltem intra quodlibet biennium vel triennium, non solum in civitate suae residentiae, sed etiam in praecipuis Dioecesis locis; idque propter praesumptam et rationabilem Christifidelium petitionem; ipsi enim ius habent ut Sacramenta (etiam ad salutem non necessaria) eis non denegentur. S. Lig. (VI. 175) tamen dicit: « Si autem adsit iusta causa, non peccat qui differt per tres « aut plures annos ». Caeterum, si Episcopus nequiret personaliter hoc Sacramentum ministrare, ope alius Episcopi uti deberet. Salmant. (III. IV. 31). Quandonam autem peccet mortaliter si diutius differat, decisio pendet a circumstantiis, et speciatim a desiderio Christifidelium, et a scandalo quod ab Episcopi socordia sequeretur. Praescindendo etiam ab his circumstantiis, dilatio 8 vel 10 annorum certe ut mortalis haberi deberet. Pueris moribundis, per se loquendo, teneretur Episcopus Confirmationem ministrare: sed per accidens ut plurimum excusabitur, quia ex una parte non agitur de Sacramento ad aeternam salutem necessario, et ex alia casus huiusmodi sunt nimis frequentes et plurimae aliae occupationes maioris momenti urgere solent. Ipsa etiam incommoditas nimia esset, quia si pro

hoc vel illo se praestaret, difficile ab aliis se eximere posset. Caeterum, si Episcopus in oppido exiguo residentiam haberet, et sic hi casus essent rari, teneri posset. Salmant. (III. IV. 25), S. Lig. (l. c.), et Gury (II. 269). — Facilius adhuc excusaretur Episcopus tempore pestis, ut videre est apud Benedictum XIV (De Syn. XIII. XIX. 6). Notandum tamen quod si ad divites, Confirmationis conferendae gratia, se conferret, identidem ad pauperes quoque se conferre deberet; ut rectissime dicit idem Benedict. XIV (l. c. VII. x. 8).

XII. *Dispensationes concedat etiam propter solam duritiem cordis, quando id expedire videatur.* Non est necesse ut dispensatio a subdito rationabiliter petatur, sed sufficit quod a superiore rationabiliter (nempe ad evitanda mala maiora) concedatur; et non raro (in his praesertim miserrimis temporibus) ad hoc tenebitur; ut recte notat Gousset apud Scavini (I. 372). Hinc, v. g., Episcopus (si secus matrimonia mere civilia celebranda forent) faciliter concedere debebit ut Matrimonium domi et non praemissis publicationibus celebretur; atque ut litterae testimoniales de statu libero absque incommodo obtineri possint.

XIII. *Provideat ne matrimonia coram Ecclesia dumtaxat, neglecto actu civili, contrahantur; curando tamen ut actus religiosus civili praemittatur.* Vide de Occasionariis (n. 118). Sed quid si circumstantiae extraordinariae suaderent, ut actus civilis religioso praemittatur? R. Sacra Poenitentiaria (apud Scavini IV. 554) dicit: « Si quae coactio aut absoluta necessitas « (quae facile admittenda non est) eiusmodi ordinis invertendi « causa esset; tunc omni diligentia utendum erit ut Matrimo- « nium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim « contrahentes seiuncti consistant ». Casus huiusmodi contingere posset, v. g., si, propter nimiam conditionis diversitatem, consanguineorum oppositiones, atque ipsas iuvenis declarationes etc., satis superque constaret quod actus civilis nunquam de facto locum habebit, et iuvenis ipse (libidine sua satisfacta) puellam deseret aliamque civiliter sibi copulabit. Idque multo magis dicendum est si omnia suadeant quod actu civili iam peracto, Matrimonium Ecclesiasticum quoque certe et statim celebrabitur. Vide etiam Formisanum apud Scavini (l. c. 555), et Benedictum XIV. Const. *Redditae sunt nobis.* Ratio autem est quod inter duo mala, quae timentur, a parte mali minoris aut valde minus pertimescendi, stari debet.

XIV. *Circa leges ferendas caute se gerat.* Magna ponderatione procedat Episcopus antequam novam legem (vel decretum

generale) condat. Oportet 1° Ut lex vere in bonum redundet, omnibusque perpensis, rationabilis sit; et sedulo attendendum quod aliquod inconveniens, etiam grave, quod occasione rei bonae atque utilis provenerit, non semper sufficit ut statim lex condatur atque illa res bona interdicatur; non enim ad auferendum aliquid zizaniae eradicandum est totum triticum. Oportet 2° Ut Episcopus, ne suae auctoritatis iacturam faciat, legem suam efficaciter sustinere possit; idque prae oculis habendum est, quamvis de manifestis abusibus ageretur; unde scripsit Benedictus XIV (Const. *Paternae*): « Quia malum universale est « ac alte radices egit, opus est prudentia et maturitate, ne » fructu careat medela ac vulnus exasperet: *quod possumus exi-* « *gendum est, non quod optamus.* Admonitionibus proinde uti « satius erit etc. ». Cf. Ferraris v. *Abusus.* — Hinc non erit difficile quod Episcopus, antequam legem ferat, quid sentiant, v. g., Canonici, Vicarii foranei, Seniores etc. audire teneatur, maxime si aetate aut gubernio iunior esset. — Interdum denique necessarium esse potest ut Synodum advocet; de qua vide Scavini (IV. 92).

Hucusque dicta valent quoad regimen totius Dioecesis. Nunc dicendum est aliquid de specialibus obligationibus Episcoporum circa clericos.

XV. *Specialissima Seminarii cura habenda est.* S. Lig. (Reg. per i Semin.) scripsit: « Eheu quot Episcopi, eo quod Semi- « narium neglexerint, damnabuntur! » Ut enim in qualibet Dioecesi Seminarium servetur et floreat, res est primae necessitatis; maxime in his miserrimis temporibus, in quibus tanta adest necessitas ut vocationes foveantur, et sancti doctique Sacerdotes Ecclesiae adeo indigenti praeparentur. Quid prae oculis habendum sit ut Seminarium conservari et recte procedere valeat, iam dixi supra (n. 688. XI). Hic addam 1° Oportere omnino ut Director Spiritualis valde pius et zelans sit; ab illo enim maxima ex parte pendet, ut finis praedictus obtineri valeat. 2° Oportere etiam ut scholae ecclesiasticorum propriae ita sint Clericis accomodatae, ut, resecatis omnibus iis quae ad praxim parum vel nihil deserviunt, plenam earum rerum quae in praxi vel fere semper contingunt vel facile contingere possunt, notitiam habeant. Magni Doctores in scholis non fiunt. Faciamus bonos operarios qui optime vineam Domini excolent: ne, laborando ad habendos doctores, operarii habiles deficiant, et doctores non habeantur. — Hinc, in ipsa quoque Theologia dogmatica et morali, multa, quae in obviis compendiis exponun-

tur, praeteriri posse dicerem; ut melius evolvendi multa alia longe magis practica et necessaria tempus remaneat. Certe necesse est ut Clerici in seminario sacram eloquentiam (nempe verum modum praedicandi cum fructu), sacros ritus, cantum gregorianum: maxime vero Theologiam pastoralem, nempe modum practicum se bene gerendi in officiis Parochi, Vice-Parochi, Confessarii, Directoris monialium etc. addiscant: ne postea cum magno animarum damno, in hisce officiis adeo communibus et necessariis, ex ignorantia male aut pessime se gerant. — Oportet 3° Ut, si in Seminario aliquis, qui sit petra scandali, reperiatur, absque ulla miseratione (maxime si incassum correctus fuerit) expellatur. — 4° Si ad scholas admittantur exteri, sedulo invigilandum, ne illi cum Seminaristis communicent. — 5° Curandum ut autumnali tempore Seminaristae ad proprias domus non mittantur.

XVI. *Procurandum ut Clerici maiori numero possibili in Seminario educentur.* Si res ista semper magni momenti fuit, hodie speciatim (eo quod Clerici instructionem convenientem alibi vix habere possint) necessaria est. Quia autem clerici magna ex parte pauperes sunt, oporteret ut in quolibet Seminario duae mensae (prorsus separatae) fierent, una pro divitibus, altera magis parca pro pauperibus, qui pro victu parum solvere possunt.

XVII. *Providendum ut clerici extra seminarium degentes meliori modo possibili in litteris et scientiis instruantur, et spiritu ecclesiastico imbuantur.* Multi clerici huc illuc in oppidis, paroeciis, atque in ipsa civitate episcopali sparsi remanent. Haec clericorum pars magna est, et in magno periculo versatur; et ex hoc ipso specialem Episcopi curam exigit. Benedictus XIV (De Syn. I. XI. 2) statuit 1° Ut hi clerici singulis diebus dominicis propriam congregationem adeant, in qua sermonem ipsis accomodatum audiant; 2° Ut saltem bis in mense ad Sacramenta accedant; 3° Ut idonei et probi sacerdotes sedulo invigilent, atque uniuscuiusque clerici mores diligenter scrutentur.

XVIII. *Si Dioecesis Sacerdotum penuria laboret, curandum erit ut Parochi pueros atque adolescentulos bonae indolis, in quibus inclinatio erga statum ecclesiasticum appareat, speciali studio custodiant et adiuvent.*

XIX. *Si qui clerici ad statum ecclesiasticum inepti et non vocati appareant, Episcopus tempestive iubeat ut vestes deponant; illosque dumtaxat ad Sacros Ordines promoveat, quos*

(*attentis Dioecesis circumstantiis*) *esse promovendos in Domino existimet.* Si Dioecesis sufficienter provisa sit, tunc Episcopus rigorem adhibeat: non quaerat multos, sed bonos; satius est enim paucos habere ministros bonos quam multos malos, et sic excludat eos, de quorum bono exitu rationem dubitandi habeat; bonos autem non reputet, nisi quos longo tempore probaverit. Dixi *tempestive;* non enim vigiliam (ut ita dicam) ordinationis expectare debet; sed, cognita subiecti indignitate, quamprimum provideat, ne, cunctando, difficultates deponendi vestes nimis accumulentur. Si vero Dioecesis sacris Ministris valde indigeat et in angustiis versetur, tunc Episcopus (iuxta dicta n. 597) faciat prout melius esse existimabit. — Informationes secrete capiat, et publicis Parochorum et Magistrorum testimoniis fidem integram non praestet.

XX. *Procideat ut clerus, tum quoad mores tum quoad doctrinam, vocationi suae iugiter correspondeat.* Media sunt 1° *Paternae correctiones* in camera charitatis. Ordinarie tamen non corrigat, nisi peccatum prudenter tamquam certum haberi debeat, sitque gravis momenti, fructusque ex correctione speretur. Caveat etiam ne amore proprio praereptus limites excedat, si forte Sacerdos contra suam personam aliquo modo deliquerit. 2° *Canonicae punitiones;* sed pro casibus occultis ad has vix unquam deveniri debet, quia ex condemnatione redderetur publicum id quod est occultum cum magno populi scandalo, et sic maius malum provocaretur, ut notant D. Thomas (2. 2. q. 70. a. 2. ad 3) et B. De-Rossi. Pro casibus autem publicis Episcopus punire quidem poterit et saepe debebit, sed non ex informata conscientia dumtaxat, bene vero facto processu; idque *hodie* certum et definitum est. Cf. Monit. Eccl. (II. III. pag. 3). 3° *Exercitia spiritualia* quotannis clero praebenda, ita ut unusquisque Sacerdos saltem in singulis trienniis intervenire possit. 4° *Collationes*, seu conferentiae theologicae singulis mensibus, quae circa res practicas versentur, et non solum in civitate, sed in singulis Parochorum congregationibus, rite fiant. Notandum quod circa has collationes lex generalis iam adest, et circa exercitia ab Episcopo (sub levi poena) ferri potest; unde ecclesiastici non solum invitari, sed etiam (seclusa legitima excusatione) obligari queunt. Cf. novissimam Const. SSmi. D. N. Leonis. XIII quae incipit. *Romanos Pontifices,* et S. C. C. apud *Monit. Eccl.* (II. II. 81). — Optimum quoque factu esset, si, praeter mensiles, quotidianas etiam aut fere quotidianas conferentias Episcopus promoveret; in quibus,

sub directione unius vel alterius Sacerdotis provectioris, iuvenes presbyteri officia confessarii ac sacri concionatoris perfectius addiscerent, et (quasi in actu practico essent) ad modum experimenti exercerent. Cf. *Monita ad Parochos* pag. 94 not. 2.

XXI. *Dein procuret Episcopus ut clerum suum accurate cognoscat.* In hunc finem omnium suorum ecclesiasticorum elenchum (sibi suoque successori reservatum) apud se habeat; in quo uniuscuiusque qualitates tam bonae quam malae adnotentur; ita tamen ut certa ab incertis distinguantur, et emendatio (si post malefacta locum habuerit) notari non praetermittatur. Informationes, quoad singulos circa mores, studium, et particularium munerum executionem, a Vicariis Foraneis aliisve personis prudentibus et fide dignis quotannis, ut ait B. De-Rossi, capiat.

XXII. *In electionibus Parochorum cautissime se gerat.* Inter munia episcopalia id principalissimum locum tenet; de re enim summi momenti agitur. Sequentia itaque Episcopus observet.

1. Non permittat ut Examinatores Synodales de sola scientia iudicent; sed exigat ut, omnibus concurrentium qualitatibus perpensis, idoneos praesentent. Trident. (XXIV. 18) dicit: « Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his « idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, « et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportu- « nis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem caeteris magis « idoneum iudicaverit ». Et Benedictus XIV (Const. *Cum illud*) subiunxit: « Parem, ni forte maiorem, solertiam examinatores « adhibeant in perserutandis aliis qualitatibus regimini anima- « rum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, « prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisi- « tam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum « ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisque omni- « bus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, « et idoneos Episcopo renuncient ». — Sedulo advertendum, hoc copulativum iudicium esse adeo necessarium, ut, si examinatores de sola scientia iudicarent, Paroeciae collatio esset nulla. S. C. C. interrogata: « An, sicut Episcopo et Examina- « toribus simul iunctis Concil. Trid. committit examen scientiae, « sic etiam committat eisdem simul examen morum et pruden- « tiae; ita ut, si examen aetatis, morum et prudentiae factum « fuerit a solo Episcopo, concursus sit nullus? « Die 2 Aug. 1607 respondit: « Si examinatores non retulerint idoneos quoad o-

« mnes qualitates, prout Concilium requirit, nullum esse con-
« cursum ». (Cf. Bened. XIV. De Syn. IV. 8).

2. Iudicium de idoneitate (seu de sufficientia) ad Examinatores spectat (et Episcopus certe nequit eligere quem Examinatores non approbaverint); sed, denuntiatis idoneis, aliudne munus ipsis incumbit, ut nempe etiam de magis idoneo iudicent? Resp. S. C. C. (22 Iul. 1741) dixit: « Examinatores debent « renunciare quot idonei reperti fuerint, non autem quis eorum « dignior sit ». Et Benedictus XIV (l. c.) scripsit: « Oritur « quaestio an huiusmodi iudicium de maiori habilitate, seu supra « caeteros approbatos praestantia, ad solum spectet Episcopum, « an etiam ad Synodales Examinatores. Sed adeo luculenta sunt « verba quibus Tridentinum renuntiare digniorem inter appro-« batos solius Episcopi iudicio committit, ut mirum nobis vi-« deatur aliquos reperiri Doctores, qui id iuris adscripserint « Examinatoribus. Quod iterum nos declaravimus et confirma-« vimus in praefata nostra Encyclica ». Solum concedi debet quod Episcopus, sicut aliorum, ita et Examinatorum consilium exquirere potest etiam circa magis dignum; sed non videtur expedire quod regula fixa constituatur, ut Examinatores semper magis dignum denuncient; sic enim displicentiis locus daretur, Episcopus non plene liber et expeditus esset, et ex consuetudine quaedam iuris species efformaretur.

3. In ferendo iudicio de maiori idoneitate, quidam scopuli evitari debent. — Quaecumque humana affectio postponenda est; et ab eis, qui (sive aperte sive quodam modo velato) sponte veniunt ut hunc vel illum Sacerdotem commendent, cavendum; solumque respiciendum quis de facto magis idoneus sit. — Ordinario subiecti sanctitati magnum pondus dari debet, ita ut facile sanctior doctiori praeferendus sit; sed interdum et pro quibusdam paroeciis, in quibus difficultates gravissimae saepe saepius occurrunt, vir aetate gravis et magna experientia atque prudentia spectabilis, iuveni magis pio, et forte etiam magis zelanti magisque docto, facile praeferri debet; dotes enim concurrentis non solum in se, sed etiam (imo praecipue) relate ad locum considerandae sunt; ut ex allato Tridentini textu luculenter patet. Reminiscatur etiam Episcopus de vulgari effatu: *Tene certum, dimitte incertum;* et sic illos qui officium vice-parochi laudabiliter gesserunt, aliis (qui parochialis regiminis experientiam non habent, nec tantam de se ipsis probationem dederunt) facillime praeferat. — Quod aliquis defectus innotuerit, id non semper est ratio sufficiens ut Sacer-

dos aetate provectior iuniori postponatur; nemo enim sine defectu; et defectus, qui in senibus patuerunt, in iuvenibus latent, ipsaque iuventus defectus est. Id tamen intellige de defectibus levibus, non vero de gravibus, inter quos impudicitia et avaritia primum locum tenent; parochus enim sive impudicus sive avarus a populis semper abominabitur. — Quando de maiori idoneitate alicuius subiecti pro illa Paroecia satis patet, ille omnino eligi debet; neque aliis postponi potest eo quod, v. g., sit alia paroecia iam provisus, vel dives, vel extradioecesanus, aut alius sive ad concursum fuerit vocatus, sive sit necessarius propter fines extraneos (v. g., propter scholam), sive sit pauper et aere alieno gravatus etc. Si Episcopus alicui subiecto Paroeciam omnino dare velit, idque prorsus fieri oporteat: tunc non iam concursum indicere sed dispensationem a concursu petere debet. Solum enim in paritate meritorum dictae circumstantiae valere poterunt. Imo notandum quod circumstantia aeris alieni (nisi agatur de casu ex mero infortunio proveniente) concurrentibus non favet sed nocet; quando enim aes alienum inconsulte vel ex bonae administrationis defectu contractum fuit, subiectis huiusmodi bona Ecclesiae (et maxime praebendae pingues) dari non debent. — Uno verbo Episcopus semper in eo sit, ut non iam Parochum sed Paroeciam provideat.

I. Si Episcopus, magis idoneo postposito, evidenter minus idoneo Paroeciam adiudicet, mortaliter peccat sine dubio; et postpositus ad appellationem in devolutivo procedere potest, ut patet ex Bulla *Cum illud* Bened. XIV. — Petes an Episcopus teneatur etiam ad restitutionem, nempe ad reparationem damnorum erga postpositum? Affirmant Barbosa, De-Luca aliique multi, quia concurrentes ius strictum acquirunt: sed probabiliter sustineri potest oppositum propter rationem (n. 475) allatam.

XXIII. *In aliis quoque promotionibus prudenter se gerat, nec facile uni Sacerdoti plura officia committat.* Quoad primum, unusquisque videt quam caute procedere debeat Episcopus quando agitur speciatim, v. g., de confessariis monialium, de deputatis pro Seminario, de magistris sive Philosophiae sive Theologiae etc. eligendis. Si etiam agatur de simplici officio Confessarii, non praepropere procedat. Sciat prius quibusnam moribus promovendi sint imbuti, eosque circa modum practicum in confessionali adhibendum sedulo examinet, et, quantum potest (maxime a confessionibus foeminarum), iuvenes excludat. Circa illos autem, qui Vice-Parochi officium suscipere intendunt, cautius adhuc procedat. — Quoad secundum, in iure (Decret. I.

LXXXIV. 1° legitur : « Singula ecclesiastici iuris officia singulis « quibusque personis singulatim committi iubemus ». Et glossa dicit : « Quia difficile est ut unus vicem duorum obtineat ». Parochis praecipue alia munia, seclusa necessitate, dari non debent. Adde quod valde convenit ut panis dividatur ; maxime vero ut unusquisque suam occupationem habeat, et nemo in otio versetur.

XXIV. *Denique temporalium Ecclesiae bonorum curam habeat.* De hoc vide dicta (n. 688. XI).

## PUNCTUM X.

### DE CANONICIS *.

703. Non loquor de Canonicis honorariis, aut iubilatis, aut coadiutis, qui ordinarie (si excipias residentiam in Dioecesi quoad coadiutos **) ad nihil tenentur ; bene vero loquor de aliis ; et Canonicorum nomine supranumerarios quoque, coadiutores, et mansionarios intelligo. — Canonici peccare possunt speciatim in sequentibus casibus :

1. Si servitium non praestent, nisi iustis de causis excusentur. Debent enim 1° Officium Divinum in choro non submissa voce sed convenienti modulatione recitare ***; 2° Missae Conventuali assistere ; 3° Conciombus Quadragesimae et Adventus, nec non lectionibus S. Scripturae intervenire; 4° Aliis functionibus (prout de iure aut consuetudine, vel propter speciales Capituli obligationes) esse praesentes : 5° Capitulis adesse ; 6° Episcopo pontificanti in Cathedrali vel civitate deservire ; 7° Sine ullo humano

* Quae hic circa Canonicos dicuntur, maxima ex parte excerpta sunt ex Lambertini (Notif. 107), Vecchiotti (I. § 80), Ferraris (v. *Canonicus*), et Reiffenstuel (III. IV), apud quos multas S. C. C. decisiones ad confirmationem rerum heic expositarum videre poteris.

** Coadiutus, deficiente coadiutore, supplere non tenetur.

*** Non tamen tenentur omissa supplere ii, qui (dum alii cantant) parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, incensant, pulsant organa aut campanas vel alia choro necessaria peragunt. Idem dic de eo qui tussit (quamvis propter tussim integrum psalmum recitare nequiret), aut sine culpa aliquod verbum huc illuc omittit, vel non percipit. Imo (iuxta Suarez aliosque) satisfaceret quoque surdus qui suam quidem partem recitaret sed partem aliorum nullo modo audiret. Cf. S. Lig. (IV. 143, 156, 163. q. 2. q. 3). Ratio est quia Sacerdos ad chorum obligatus, si fecit quidquid potuit, iam fecit quidquid debuit; nimisque grave, aut saltem quid scrupulis obnoxium esset, si ad supplenda omissa (quae iam a choro satis suppleta fuerunt) obligari deberet.

respectu, consilium Episcopo requirenti (prout conscientia dictaverit) praebere; 8° Si peculiaria habeant officia, ea adimplere.

704. A chori servitio praestando excusantur 1° *Canonici qui, quamvis non sint in choro, tamen in Capituli (vel proprii canonicatus) servitio occupantur.* Exemplum habes in illis, qui sive in Cathedrali sive extra ipsam (dummodo intra civitatem vel suburbia) ex proprio munere Episcopo pontificanti (non Missam privatim celebranti) assistunt. Item in iis, qui tempore Divini Officii ex licentia Praefecti chori atque ad populi commodum Missam celebrant. Item in iis, qui ratione administrationis rerum capitularium (pro casu urgenti), aut etiam ad defendenda iura proprii canonicatus, a choro absunt. Idem dic de Poenitentiario eiusque legitimo substituto, et de Canonico Curato (si forte Capitulum Paroeciam habeat); sed solum pro horis in quibus muneribus suis effective funguntur. Attamen quoad Poenitentiarium sufficit si sit in confessionali et poenitentes expectet, dummodo eo tempore accedere soleant. Canonicus Theologus censetur in servitio *pro tota die*, in qua lectionem habere debet, nec non pro horis in quibus, ratione sui officii, clericorum examini interest. Idem dic denique de Canonico, qui ab ipso Capitulo ad Concilium vel Synodum missus fuerit.

705. Excusantur 2° *Illi Canonici, qui fictione iuris reputantur praesentes, quamvis in servitio Capituli aut Cathedralis non sint.* Huiusmodi sunt:

*A*) Absentes propter infirmitatem, carcerationem iniustam, aut inimicitias sine propria culpa contractas. Ratio legis est quia afflicto non est addenda afflictio. Oportet tamen ut de re nec ficta nec levi, sed vera et gravi agatur. Infirmitas enim talis esse debet, ut Canonicus sine gravi suae sanitatis praeiudicio ad chorum se conferre aut ei interesse nequeat. Qui dicit se esse infirmum et nihilominus per civitatem deambulat, aut die quidem domi manet sed nocte exit atque conversationes adit, difficile excusabitur. Posset tamen dari casus, quod infirmitas permittat, Canonicum *aliquantisper* ex causa sanitatis exire e domo, et non permittat adesse choro. Caeterum, ut Canonicus propter infirmitatem aliasque causas supradictas non solum excusetur a choro, sed etiam tamquam praesens habeatur omnibusque praesentium emolumentis gaudeat, oportet etiam 1° Ut consuetudo, legitime praescripta, non sit aperte contraria; 2° Ut infirmitas in absentia (v. g. occasione vacationum) non acciderit; 3° Ut ab eo contracta non fuerit qui prius negligens esse soleret; si enim Canonicus negligens fuisset,

tunc infirmitas atque aliae causae sufficere quidem poterunt ut sine culpa a choro absit, non vero ut absens tamquam praesens habeatur. Oportet 4° (et hoc bene notandum) ut causa ab Episcopo fuerit recognita tamquam iusta; 5° Ut causa adhuc perduret. In dubio autem an perduret nec ne, iudicium medici probi et confessarii prudentis exposci debebit. Reiffenstuel (III. IV. 193) proficiscentes ad balnea infirmis aequat; sed ex dictis (n. 695. *C*) valde timeo ne Ecclesiae intentio contraria sit; et dicerem quod Canonici sive ad balnea sive ad aquas minerales proficiscentes, et illi etiam qui ad convalescendum alibi se conferunt, mensibus conciliaribus uti debeant. Attamen in praxi consuetudini stari poterit, et Episcopus iudicabit. Reiff. (l. c. 177). — Caecus (non vero coecutiens) infirmo aequiparatur. — Idem dic de sene, si absque gravi incommodo ad chorum se conferre aut ei interesse non possit. Fictione iuris praesentes quoque reputantur sequentes.

*B*) Canonici qui Romam petunt ob visitationem Sacrorum Liminum, sive soli mittantur ab Episcopo, sive illum comitentur.

*C*) Qui non in poenam sed sponte in piam domum ad spiritualium exercitiorum solitudinem per decem dies (extra tempora n. 695 A. excepta) se conferunt.

*D*) Qui tamquam praesentes haberi debent propter indultum Apostolicum, quod id expresse decernat; prout accidere potest speciatim quoad illos qui Sacris Missionibus se vovent, dummodo Episcopi consensus superaddatur. Idem dic si tamquam praesentes haberi deberent propter constitutiones proprias a Sede Apostolica ante Concilium Tridentinum approbatas, aut propter specialem consuetudinem legitimam, vi cuius, v. g., quotquot ex iusta causa absint tamquam praesentes habendi sint. Hinc absentes tempore pestis, aut in mensibus conciliaribus alicubi tamquam praesentes considerantur, et proinde (ut dixi) omnibus aut fere omnibus praesentium emolumentis fruuntur. Vide Lambertini (Notif. CVII. 36), et Reiff. (III. IV. 178).

706. Excusantur denique 3° *Illi qui, licet non considerentur ut praesentes nec lucrentur distributiones* (*de iure communi*), *tamen iusta de causa absunt.* Tales sunt:

*A*) Absentes in mensibus conciliaribus, iuxta dicta (n. 695). Notandum quod iure scripto menses tum vacationis tum servitii non ex horis sed ex diebus integris conflari deberent *; sed

* Ita ut qui ad chorum pro officii parte dumtaxat se praesentat, ultra distributiones, fructus quoque praebendae parti omissae correspondentes perdat;

alicubi consuetudo obtinet ut ex horis conflentur ; quatenus scilicet Canonicus, qui ex duodecim partibus punctaturarum (quae totius anni servitium efformant) novem deserviendo tulerit, debito suo satisfecerit, et aliis tribus pro mensibus conciliaribus vacare valeat. Haec consuetudo, ut videre est apud Reiffenstuel (III. IV. 112) et Pichler (III. IV. 11), probari potest.

*B*) Vicarius capitularis (Cf. D' Annib. III. 565). — Canonici, quos Episcopus suo servitio de iure addixerit, v. g., Convisitatores, Pro-Vicarius, Cancellarius etc. — Examinatores synodales — Canonicus curatus habens paroeciam extra Cathedralem — Rectores, Aeconomi, Examinatores in Seminariis — Habentes indultum abessendi a choro propter publicam utilitatem, v. g., causa docendi in publica Universitate — Absentes causa studiorum de licentia Episcopi ad iuris tramites. — Absentes ad praestandum servitium Paroeciae vacanti aut ad supplendum Parocho impotenti, iussu Episcopi ad breve tempus. — Denique absentes ex qualibet alia causa iusta et gravi, v. g., ad invisendos consanguineos aegrotantes, ad pacem componendam etc.; si haec negotia differri nequeant. Intellige semper, has excusationes valere quidem : sed solum pro diebus et horis atque onerata conscientia. — Caeterum, ut quis a choro aliqua vice excusetur, non exigitur causa adeo gravis qualis exigeretur ut officium etiam privatim omittere posset: nam omnis lex strictius obligat quoad substantiam quam quoad modum. Dixi *aliqua vice* ; si enim ageretur de absentia diuturniori, tunc causa gravior, et (si absolute diuturna esset) dispensatio necessaria foret. Cf. D' Annibali (III. 568).

707. Certe non excusantur absentes ratione 1° Audiendi confessiones, excepto casu verae necessitatis ; 2° Celebrandi Missam sine licentia Praefecti chori ; 3° Praedicationis aut Sacrarum Missionum, aut piae peregrinationis, secluso indulto ; 4° Ratione surditatis. Multo minus propter causas minoris momenti excusari poterunt. Neque sufficit si distributionibus renuntient. Equidem nonnulli TT. id authumarunt ; sed erronee prorsus. Ex Tridentino enim (XXIV. XII) apertissime patet quod Canonici non solum propter distributiones, sed etiam, imo praecipue, propter ipsum Canonicatum ad chorum tenentur, et quidem sub gravi ; ut patet etiam ex poenis gravissimis quae contra negli-

attamen tamquam absens ad fructus quoque perceptos restituendos damnari nequeat. Cf. Ferraris (v. *Canonicus* V. 5. 6) et Reiffenst. (III. IV. 111).

gentes aut contumaces statuuntur, et ex necessitate Apostolici indulti, quamvis ob publicam utilitatem aliquis abesse vellet.

Attamen qui ultra vacationes legitimas aliquam negligentiam superaddit, non statim de peccato mortali argui debet. S. Lig. (III. 675) illos, qui tribus vel quatuor diebus in anno a choro absunt, censet non graviter peccare; Barbosa aliique apud Croix (IV. 876) indulgentius loquuntur. In praxi videndum an absentiae sint interpolatae, an vero per plures dies continuos; videndum etiam quo motivo accidant; videndum denique an diebus ferialibus, an vero festivis aut solemnioribus; et an cum levi an vero cum gravi chori iactura locum habeant.

II. Canonici peccant si intersint quidem, sed male officio suo fungantur; ut puta, 1° Si absque legitimo motivo tarde veniant, aut non adhuc finito officio vel non finita Missa discedant, aut durante officio sine necessitate e choro egrediantur; 2° Si non psallant (nisi forte alicubi vel interdum Canonici ad solam praesentiam teneantur, dum musici aut mansionarii canunt); 3° Si epistolas aut alios libros legant, dum officium attente recitare deberent; 4° Si dormiant; 5° Si rideant, nugentur etc.; 6° Si confabulentur, sive dum psallere debent, sive dum Missa celebratur, sive dum musici canunt; 7° Si versiculos ab organo solo modulatos submissa voce non recitent; 8° Si vestem talarem, biretum, superpelliceum aut rochettum aut cappam (si illam habere debeant) non habeant. S. R. C. Decr. 3199; 9° Si rubricas non servent, aut Praefecto chori vel Sacrarum Caeremoniarum Magistro obedientiam non praestent; 10° Si aegro animo et solum vel principaliter propter distributiones choro interveniant; qua de re S. Th. (Quodl. VIII. VI. Art. 1) scripsit: « Si (Canonicus) huiusmodi distri-« butiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, « mortaliter peccat »; unde Suarez (De Relig. IV. XIII. 7) dicit quod Canonicus, qui ex proposito praeconcepto abest a choro quantum abesse potest sine mulcta, a gravi peccato excusari nequit; 11° Si in Capitulis aut Congregationibus ad iurgia procedant, debitamque reverentiam sibi invicem non praestent; aut ea, quae secreta servanda sunt, manifestent; 12° Si in Missae privatae celebratione distinctiones exigant; ab aliis enim simplicibus Sacerdotibus distingui non debent. S. R. C. Decr. 3927. 3941. 4536. ad 6. 5149.

III. Peccant quoque si distributiones non sibi debitas exigant vel acceptent. Quoad distributiones receptas quamvis choro non interfuerint, severissimum adest Bonifacii VIII. decretum, quod

sic sonat: « Consuetudinem, quae in quibusdam partibus inolevit, « penitus improbantes, statuimus ut distributiones... Canonicis... « qui iisdem officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur.... « Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperint « (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corpo- « ralis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret) rerum « sic receptarum dominium non acquirant nec faciant eas suas; « imo ad omnium restitutionem, quae contra eiusmodi nostram » constitutionem receperint, teneantur ». Et Trid. (l. c.) subiunxit: « Distributiones vero, qui statis horis interfuerint re- « cipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his « careant iuxta Bonifacii VIII. decretum; quod S. Synodus in « usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et con- « suetudinibus ». Non possunt itaque Canonici punctaturas factas vel faciendas sibi invicem condonare, neque statutum aliquod capitulare, neque consuetudo, etiam Tridentino posterior, hoc in puncto quidquam valere potest; ageretur enim de statuto contra legem Superioris, et de consuetudine adeo fortiter reprobata, ut in perpetuum tamquam abusus censeri debeat; unde Canonici sic indebite distributiones acceptantes non solum graviter peccarent, sed etiam ad restitutionem tenerentur. Cf. Reiff. (l. c. 173). Nec valet si ob bonum finem, v. g., ad audiendas confessiones (iuxta dicta n. 707), abfuerint. S. R. C. Decr. 388. Idem dic a fortiori si quis legitimam excusationem, quam revera non habet, fingeret; aut sive minis sive precibus sive quocumque alio modo punctatorem corrumperet. — Attamen quoad solam assistentiam concionibus Quadragesimae sub poena amissionis distributionum, S. R. C. (2575) dixit dumtaxat *posse cogi*.

Diximus supra quod Canonicus interveniens quidem, sed non se gerens prout debet, peccat. Nunc videamus an distributiones quoque amittat?

R. Iuxta Sacrarum Congregationum decreta, illas licite lucrari nequeunt 1° Qui tarde adveniunt, non obstante quacumque consuetudine, quae abusus dici debet. S. R. C. (Decr. cit.) et S. C. C. apud Lambertini (Notif. CVII. 23); 2° Qui, durante divino officio, occasione ad chorum non pertinente, discedunt et tempore notabili alibi morantur (S. R. C. Decr. cit.); aut quomodolibet a choro exeunt benedictione non petita (S. C. Episc. apud Ferraris V. 58); 3° Qui in choro confabulantur; dummodo, si breviter, pluries in eadem hora. (S. C. Ep. l. c. et S. C. C. 27 mart. 1847 apud Scavini I. 599). 4° Canonici interessentes sine habitu canonicali debent punctari (S. R. C. apud Ferraris l. c. 61);

non tamen propter solum biretum, aut si Canonicus laurea insignitus biretum cum quatuor apicibus deferret, quamvis caeteroquin id non liceat (S. R. C. Decr. 4991). 5° Denique Canonici non psallentes, alia legentes, dormientes, aut aliorum confabulationes attente auscultantes, omnino punctari debere atque in conscientia distributiones amittere dicit Lambertini (Notif. cit. n. 91), eo quod Ecclesia, ut distributiones recipi possint, non materialem dumtaxat sed formalem praesentiam verumque servitium exigat: et hanc reapse Ecclesiae intentionem esse, ex praedictis etiam decretis, et maxime ex latis contra confabulantes, satis patet.

Praeter distributiones sic simpliciter appellatas, adsunt quoque 1° Illae quae ex aliorum fallentiis praesentibus accrescunt; 2° Emolumenta fixa, v. g., ex anniversariis; 3° Emolumenta incerta et fortuita, v. g., ex funeribus. — Canonici Poenitentiarii et Theologi, quando (iuxta supradicta) praesentes censentur, omnia lucrantur. — Iubilati, infirmi, caeci et quotquot (iuxta dicta n. 701. 705) praesentes reputantur, fallentias et emolumenta fixa lucrari possunt; non item incerta. — Sed in praxi videndum ne forte voluntas testatorum, aut particularis consuetudo obstet. Cf. D'Annibali (III. 566).

IV. Peccant denique Canonici si specialia munera habeant illisque non satisfaciant.

*Praepositus* curare tenetur ut onera omnia, quae Capitulum gravant, adimpleantur. Iam dixi quod Canonici non peccant graviter si tribus vel quatuor diebus choro non intersint; sed si Praepositus permitteret ut vel uno dumtaxat die chorus deficeret; imo, si permitteret ut una dumtaxat hora omitteretur, mortaliter peccaret (S. Lig. IV. 143); neque valet quod Canonici sint pauci, aut redditus tenues; neque frigus neque aestus neque aeris inclementia excusat. Pariter advocare Capitulum ad pertractanda negotia quando Officia Divina persolvi debent, seclusa causa urgentissima, grave peccatum est. — Praepositus, inter alia, efficere debet ut Missa conventualis non solum celebretur, sed omnino applicetur pro fundatoribus et benefactoribus in communi, non vero pro populo (si Capitulum curam animarum habeat) aut pro hoc vel illo benefactori in particulari ad satisfaciendum legatis. — Casu quo Capitulum dictam animarum curam habeat, gravissima oneratur obligatione efficiendi non solum ut moribundis assistentia praestetur, sed etiam ut Evangelium explicetur, pueri rudesque instruantur, debita vigilantia non omittatur, correctiones congruae fiant, et eleemo-

synae prout de iure pauperibus parochianis distribuantur. Neque Evangelii explicatio omitti potest eo quod in Cathedrali multae aliae conciones adsint; idque a S. C. C. decisum fuit. Canonici, si forte animadverterent, haec onera non adimpleri, utique, si tacerent, peccarent et ipsi, sed Praepositus valde gravius delinqueret; qui denique (prudenter tamen) abusus omnes, qui, v. g., circa punctaturas, nimiam festinationem etc. irrepserint, invocato etiam auxilio Episcopi (si opus sit), evellere, omnibusque bono exemplo praefulgere debet.

*Canonicus Theologus* tenetur ad minus quadraginta vicibus lectiones Sacrae Scripturae quotannis habere; neque Episcopi licentia neque consuetudo minorem lectionum numerum habendi suffragari potest; quandoquidem S. C. C. interrogata « An et « quae causae excusent Canonicum Theologum a legendo? » Respondit: « Standum legitimae consuetudini et arbitrio Episcopi, « dummodo lectiones non sint infra numerum quadragenarium « in singulis annis » Die 10 Iun. 1876. Idque antea quoque pluries decisum fuerat. Quod autem in Cathedrali aliae conciones sive ab Episcopo sive ab aliis fiant; id non sufficit ut Theologus excusetur; et, si populus non interveniret, nihilominus coram Canonicis et clero sive in Cathedrali sive in Palatio Episcopali lectiones facere deberet; prout decisum fuit a S. C. apud Ferraris (V. *Canonicus* IX. 28).

Lectionibus Sacrae Scripturae neque alias conciones neque lectiones Theologiae sive moralis sive dogmaticae substituere potest; de ipsa S. Scriptura iuxta sensum litteralem, non vero moralem et misticum, agere debet; idque (contra sententiam contrariam plurium Canonistarum) S. C. C. post Const. *Inter praecipuas* Gregor. XVI. pluries declaravit.

Canonicus Theologus per se et non per alium (nisi Episcopus iusta de causa id permittat) S. Scripturam explicare debet. Impeditus ad breve tempus supplere per alium non tenetur; sed, si impedimentum esset diuturnum, tunc Episcopus alium ei substituere deberet. Cf. D'Annib. (III. 569).

*Canonicus poenitentiarius* in Quadragesima, Adventu, Quatuor temporibus, et maioribus anni solemnitatibus promptus esse debet in confessionali ab ea hora qua poenitentes accedere incipiunt (unde etiam summo mane, si opus sit). Vacationes sibi sumere potest, sicut alii Canonici, dummodo non in praedictis temporibus; extra quae sufficit si horis choro destinatis praesens sit, et (quatenus sive expresse sive tacite advocetur) ad confessionale se conferat. Ferraris (v. *Canonicus* IX. 78) et

D'Ann. (III. 570). Si Poenitentiarius non sufficiat, vel inhabilis reddatur, ei quoque Episcopus supplentem constituere debebit.

*Punctator* studiose explorare et in libro punctationum diligenter notare debet omnes, quicumque ii fuerint, qui Horas et Divina Officia non obierint, aut ita perperam obierint ut punctari debeant; qua in re ullius non odio, non amore, non spe, non metu moveatur. In quovis casu debitae punctationis omissio, aut punctatio iniusta, (si tempestive non correcta exitum habeat) restitutionis onus secum fert. Cf. Lambert. (Notif. cit. n. 43).

## PUNCTUM XI.

### DE PAROCHIS.

### § I.

*De gravitate obligationum quibus Parochi onerantur.*

708. Obligationes istas esse tales ut, si Parochi eas non adimpleant, non solum graviter sed gravissime peccare possint, notissimum est; agitur enim de aeterna animarum salute, de quibus Parochus rationem reddere debebit; « Sanguinem eius de manu « tua requiram »; Unde Augustinus exclamabat: « Quid ergo « infelix, quo me vertam si tantum depositum, quod sibi Chri« stus proprio sanguine pretiosius iudicavit, contigerit negli« gentius custodire? »

709. Obstacula, quae impedire solent, no Parochus propriis muneribus satisfaciat, sunt praecipue sequentia: 1° Pigritia, nolle defatigari, nolle incommoda subire; 2° Avaritia et nimius amor erga consanguineos; 3° Affectus plus vel minus inordinatus erga aliquam personam; ex quo in populo scandalum oriatur; 4° Respectus humani; 5° Nimius timor mortis (v. g., tempore pestis; *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*; 6° Animi dejectio, si forte populus parum correspondeat; 7° Nimia occupatio in rebus proprio ministerio extraneis, v. g., scholis, administrationibus etc.; aut nimia propensio erga ludum, venationem etc. 8° Conscientia laxa; qua multi Parochi (nullo consilio petito et forte malum aliorum exemplum sequentes) falsa dictamina sibi faciunt, sibique suadere nituntur non habere obligationes quas reapse habent. In dubio practico (solida nempe non subeunte probabilitate), a parte tuta standum est; nec laudandus erit Parochus qui nihil facere velit nisi stricte obligetur.

710. Quid de Parocho, qui nolit aut non possit omnia sua munera personaliter adimplere?

R. De Parocho, qui potest et non vult omnia sua munera per se ipsum adimplere, dicendum est, bene posse Vicarium sibi adsiscere, sed non posse totam curam totumque onus ei imponere; plura enim munera sunt omnino personalia. Quaenam autem personalia sint, et quaenam Vicario relinqui queant, patebit ex infra dicendis.

De Parocho autem, qui non potest munera sua per se ipsum adimplere, plures distinctiones fieri debent. Si residere nequeat, seclusa dispensatione pontificia, Paroeciam resignare tenetur. Si propter delicta aut vitam scandalosam et incorregibilem se ineptum reddiderit, tunc, invitus quoque Parochiali Beneficio privandus erit. Ab his duobus casibus praescindendo, si nempe ex Paroeciae amplitudine, vel ex Parochi infirmitate, coecitate, senectute, amentia, imperitia, linguae defectu etc., impedimentum proveniat; tunc videndum an Paroeciae reditus abundent, an vero tenues sint. In primo casu Parochus supplere debet per alios semper et in omnibus. In secundo casu supplere debet quantum potest, saltem in rebus primae necessitatis, nempe quoad assistentiam moribundorum, et Missae celebrationem diebus festis. Quando autem Coadiutor ei de iure dari potest (v. g. in casu infirmitatis diuturnae et incurabilis), illum acceptare debet; sed victum congruamque stipem (semper in hypothesi quod redditus non sufficiant) illi suppeditare non cogitur; tunc enim de his, sive ex concursu populi sive aliunde, Episcopus providere debebit. De casu in quo neque ex redditibus Ecclesiae neque ex concursu populi neque alio modo Paroeciae provideri posset, ius canonicum nihil statuit; sed ius naturale clamat quod Parochus perpetuo inhabilis Paroeciam resignare deberet, si satis commode propriae sustentationi alio modo consulere posset, aut si Parochiani etiam in dictis rebus primae necessitatis servitio destituerentur. Caeterum casus, in quibus Parochus (propter impotentiam a culpa immunem) paroeciam resignare teneatur, valde restringi debent; nec valet quod Parochiani notabilia detrimenta patiantur; secus enim peiora mala sequerentur; quod scilicet Parochis ansa daretur ad thesaurizandum, Ecclesia ingrata et quodammodo crudelis evaderet, et pauci invenirentur qui Paroecias exiguis redditibus praeditas acceptare vellent. Cf. Trid. (Sess. XXI. VI.) Reiffenst. (III. VI. 2. 17. 58), et Scavini (III. 710).

## § II.

*Satagat Parochus ut Parochianorum amorem sibi procuret.*

711. Parochus suis parochianis invisus parum utilis eis esse poterit: et e contra quo magis amabitur, eo magis obedientes et dociles illos habebit. Unica familia Parocho infensa magnam ruinam afferre potest.

712. Hinc caveat imprimis ab iracundia (speciatim in causa propria) et a zelo nimis vehementi et indiscreto.

In negotiis temporalibus (quae diuturnitatem praeseferant) cum parochianis se non liget: ministros nempe et famulos ex familiis de paroecia non eligat; et officia executoris testamentarii, tutoris et curatoris, quantum potest declinet. Curet etiam ne proprii consanguinei parochianis nubant et in paroecia domicilium figant. Soetler (II. VI).

Familiaritates, quae durare nequeunt atque in discordiam desinturae sunt, sedulo evitet; unde divitibus, personisque superbis, iuxta proverbium *nec prope nec procul*, benevolentiam quidem ostendat, sed strictiorem amicitiam cum iisdem non contrahat, eorumque invitationes, conversationes et prandia modo urbano declinet; idque maxime si increduli aut vitiosi essent, ne eorum errores et vitia approbare videatur.

Nullam personarum acceptionem habeat nullamque domum frequentius adeat; id enim (praeter alia inconvenientia de quibus infra agam) aliarum familiarum invidiam provocaret.

Nihil mali de parochianis dicat, neque fidat quod eius dicta secreta servabuntur. Ne ex facetia quidem ridiculum aliquem reddat.

Lites iuridicas et quamlibet discordiam cum parochianis (et maxime cum piis confraternitatibus) sedulo evitare procuret; et prius omnia media pacifica tentet, atque compositionem (quamvis non adaequatam) facile acceptet.

Vigilet ne famuli et familiares male tractent parochianos, aut de iisdem aliquid mali dicant; et nunquam permittat ut cum aliqua familia inimicitiam habeant.

In concionibus caveat ne ita loquatur, ut aliqui indignentur aut rubore suffundantur; prout contingeret si contra factum recens a paucis personis commissum declamaret.

Contra politicas factiones, quamvis iniquas (maxime si optimates quoque eis adhaereant) fanaticus non sit; ex hoc enim facile accidit quod Parochus, ad factiosorum domos ratione sui

officii se conferens, non excipiatur, et (ut ita dicam) portam perpetuo clausam inveniat.

Caveat speciatim ne quoad bona fortunae parochianis nimiam molestiam aut damnum inferat. Hinc parasitationem (*scroccomeria*) evitet. Occasione funerum aut festorum non excitet familias ut ultra vires proprii status expendant, ut ea solemniora faciant. Circa iura stolae minutiose non procedat, ea non augeat nec ut anticipate solvantur (intellige quoad emolumenta sibi non vero aliis sacerdotibus debita) exigat. Pauperibus dicat quantum sibi deberetur, et postea gratis aut fere gratis operam suam praestet. Quoad oblationes voluntarias (v. g. pro Animabus purgantibus, pro SS.mo Sacramento etc.) nimis non insistat, nec (eo quod parum collectum fuerit) querimonias moveat. Testamentis non se immisceat, neque procuret ut testator, potius quam propriae familiae, aliquam summam Ecclesiae relinquat. Nemini occasio damni sit, ut alteri lucrum obveniat. Generatim demum et praecipue caveat ne eius opera Parochiani in carcerem detrudantur, officia lucrosa amittant, a possessionibus quas colunt eiiciantur, aut alia gravia damna subeant.

Ergone (dices) Parochus a qualibet parte odiosa abstinere debebit, et nunquam tenebitur ad ea ex quibus aliquorum malevolentia aut odium ei obvenire possit? R. Id non dico. Parochus tenetur certe contra vitia clamare; exigentiis, quibus satisfieri nequit, non satisfacere; in Sacramento confessionis poenitentes ad turpes amicitias obtruncandas obligare etc.; nec propter malevolentiae vel odii timorem a suo munere adimplendo se eximere potest. Apostolus Paulus dicebat: « Si hominibus pla-« cerem, Christi servus non essem ». Dico itaque 1° Malevolentiam non esse provocandam sine necessitate; saepe enim Parochus finem suum obtinere potest ita caute, industriose et prudenter, ut nullam contra seipsum malevolentiam suscitet; 2° Videndum an adsit spes fructus; ut quid enim odia contra se ipsum concitare et familias sibi inimicas reddere sine ulla utilitate? 3° Subsistente etiam spe fructus, videndum ne simul cum hoc bono effectu mala aliqua exoritura sint, et ne forte timendum sit quod malum superet bonum. Inter haec mala computari debet quoque hoc ipsum odium Parochi, speciatim si de offensione gravissima, aut non de unica persona vel familia sed de pluribus ageretur; maxime vero si casus essent frequentes aut adeo publici malamque impressionem facientes, ut Parochus toti Paroeciae se invisum redderet. Si ageretur de odio mortali et de periculo vitae, ipsa mors Parochi damnum spirituale non leve

esse potest, maxime si tanta adesset Sacerdotum penuria ut Paroeciis providere difficile esset: tunc enim vita Parochorum speciali modo pretiosa redderetur. Dico 4° quod non propter quamcumque Parochianorum utilitatem aut necessitatem Parochus tenetur suam vitam in serium discrimen coniicere. S. Lig. (II. 39) dicit, Parochum ad id teneri solum in casu necessitatis extremae aut gravis: qualis certe non adest quando Parochiani, etiam sine auxilio et opera Parochi, possent absque magna difficultate sibi consulere si velint; et cl. D'Annibali (II. 90) dicit, huiusmodi necessitatem extremam vel gravem non adesse, nisi instante mortis periculo; unde certe non excusaretur Parochus qui propter metum mortis Parochianis peste affectis extrema religionis subsidia praestare nollet. Dico denique 5° quod obligatio Parochorum ad partes odiosas adimplendas non eo usque extendi potest, ut ipsum officium Parochi valde odiosum reddatur: secus enim quisnam huiusmodi officium acceptare vellet? Vide supra (n. 522. I.)

Ex his principiis deducitur, non facile determinari posse quando ad partem odiosam Parochus teneatur, et quando non. Optima regula erit observare an talis vel talis obligatio iam communiter recognoscatur. Si affirmative, pro obligatione standum erit; secus si secus. In dubio et in re momentosa Episcopus consulatur. S. Lig. (III. 360).

713. Ut Parochus benevolentiam sibi procuret, non solum abstinere debet quantum potest ab iis rebus quae Parochianos offenderent; sed etiam verbis et factis ita se gerere ut positive eorum amorem sibi conciliet. Parochus itaque Parochianos suos sincera et paterna dilectione prosequatur. *Verbis*; affabilitatem vultu hilari omnibus ostendat, quin differentiam ullam inter divites et pauperes faciat. In correctionibus persuasiones et blandos modos adhibeat. *Factis*; in medio filiorum suorum libenter commoretur; quanto minus enim (etiam ratione praedicationis) in gyrum ibit, tanto magis a suo populo amabitur. Muneribus suis plene satisfaciat. Si Parochiani operam Parochi petant, statim et libenter eis obsecundet; alia negotia, amicos, imo et ipsam orationem deserat; neque sinat ut Parochiani iterum petere aut diutius expectare cogantur. Idque (repeto) sine ulla personarum acceptione; et quamvis petitio privatam aliquam benedictionem, aliudve servitium non stricte debitum respiceret. Iura sua exigat quidem; sed, si a parochiano debitore aliqua dilatio petatur, illam benevole concedat. Cum inimicis semper dissimulet maximamque patientiam adhibeat, et in bono malum

vincere satagat. Si Parochiani munuscula afferant, gratitudinem ostendat eosque remuneret. Erga nobiles virosque primarios urbanitatis regulis satisfaciat. Cum pauperibus misericordiam quantum potest exerceat; et si isti aliquid Paroeciae solvere debeant, solutum in aequivalenti eis restituat. Pueris demum magnum amorem ostendat, et optimum factu erit si Parochus domos ingrediens exigua munuscula parvulis praebeat.

714. Speciali modo curare debet Parochus ut benevole procedat 1° Cum Sacerdotibus; 2° Cum rectoribus familiarum; 3° Cum personis, quae, si adversae evaderent, valde nocere possent; 4° Cum magistris; 5° Cum iis qui nullum Religionis usum habent, sub spe quod uxori et filiis libertatem actus religiosos exercendi relinquant, et saltem in morte Parochum acceptaturi sint.

715. Quomodo se gerere debet Parochus cum illis, qui petunt ut pro ipsis se intercessorem constituat, aut aliter eos adiuvet; et ex una parte id praestare nequeat, ex alia timeat ne ipsi denegationem in malam partem accepturi sint? R. Ordinarie expedit nonnullas difficultates (quae illos non offendant) in medium adducere ut parum sperent; et deinde dicere: *Fili mi, bona te adiuvandi voluntas mihi non deest, et quod potero pro te faciam.* Interdum dicere poterit: *Hic et nunc tibi satisfacere nequeo; sed in posterum videbimus quid fieri queat.* Si ageretur de magna eleemosyna petita, quae dari nequeat, similiter poterit dicere: *Hic et nunc media non habeo; in posterum tui memoriam habebo, sed pauperes sunt nimii, reddittus exigui, expensae multae etc.* In quibusdam tamen casibus denegatio absoluta necessaria est; et tunc displicentia ostendatur, et meliori modo possibili curetur ut Parochianus offensus non remaneat.

Quoad bonorum morum testimonia (*certificati di buona condotta*), si Parochus ignoret quibus moribus Parochianus sit imbutus, dicat: *Fidem facio ad meam cognitionem non pervenisse aliquid, quod de bonis moribus N. N. quidquam dubii ingerere possit.* — Si Parochianus bona fama gaudeat, sed Parochus eius perversitatem cognoscat, tunc dicat: *Fidem facio quod N. N., per quantum scio, bona fama gaudet.* Si demum pravi mores Parochiani sint publici noti, tunc Parochus testimonium deneget. Si tamen ex denegatione aliquod magnum malum serio pertimesceret, tunc (quum nemo ita malus sit, ut aliquas bonas qualitates non habeat) fidem faciat dumtaxat de una vel altera qualitate bona, quae in eo dignoscitur. Et, si Parochianus in antecessum publice perversus fuerit, sed hodie nihil contra illum

dicatur: tunc Parochus testari poterit, quod *actualiter* contra ipsum (quantum dignoscitur) nihil adest.

Requisitus autem ab extraneis circa mores alicuius Parochiani, si eum laudare nequit, dicat se nihil mali de eo dicere posse; aut se illum bene non cognoscere et informationes ab aliis peti posse.

Quoad testimonia paupertatis ad obtinendas eleemosynas, si Parochianus sit non solum pauper sed vere indigens; tunc miserias magis principales exponat, et fidem faciat illum esse subventione dignum. Si vero sit quidem pauper, sed eleemosyna non indigeat, tunc dicat dumtaxat, illum esse pauperem nihilque possidere.

## § III.

*Parochus curabit ut a Parochianis suis valde existimetur.*

716. Amor Parochianorum, de quo Parochus debet esse sollicitus, oportet ut sit reverentialis; ut scilicet cum integra Parochi ipsius existimatione et quadam veneratione coniungatur.

Sunt qui existimationem sibi procurare credunt, eo quod in vestibus, suppellectilibus, equitatu etc. magnificentiam praeseferant; cum divitibus personisque potentibus familiaritatem habeant; et verbis atque factis timorem incutiant et quasi terribiles se ostendant. Sed existimatio, qua Pastores animarum gaudere debent, non est huius generis: bene vero illam sibi comparabunt si sacerdotalibus virtutibus, doctrina et prudentia praefulgeant.

717. Parochus imprimis sanctus non solum appareat sed vere sit; sanctitas enim vera et sanctitas ficta proprium odorem habent et cito distinguuntur. Loquor autem de sanctitate; non vero de simplici bonitate; parochiani enim proprium pastorem parum existimarent, si ordinariam dumtaxat bonitatem in ipso conspicerent. Duas praecipue virtutes illi animadvertunt; nempe castitatem et liberalitatem. Parochus impudicus aut avarus nunquam existimabitur. Soli suspectus in genere impudicitiae, et defectus etiam leves in genere avaritiae sufficiunt ut Parochus existimatione et veneratione gaudere nequeat.

718. Suspectus in genere impudicitiae proveniunt speciatim propter mulieres, et proinde Parochus hoc in puncto cautissimus sit. Familiaritatem (ut ut innocentem) nisi ex circumstantiis (v. g., consanguinitatis) rei honestas aperte pateat, cum nulla mu-

liere habeat, et caveat ne ab imprudenti charitate illudatur. Hilariter et festive cum foeminis conversandi (maxime si pulchrae aut iuvenes sint) usum non habeat, ne dicatur quod mulierum conversatio ei placeat. Si, necessitate cogente, sive domi propriae sive in domibus Parochianorum, cum foeminis conversari debeat, sacerdotalis modestiae nunquam obliviscatur, et ultra moram a necessitate vel urbanitate requisitam cum iisdem non maneat. Caveat speciatim ne foeminae suspectae domum parochialem ingrediantur, vel ibi pernoctent. Caveat ne ipse ad illas (seclusa ministerii necessitate) se conferat. Si oporteat ut Parochus foeminas iuvenes (speciatim pluribus vicibus) alloquatur, curet ut solae non veniant, vel (si secreto cum iisdem loqui debeat) ad confessionale accedant, aut saltem ianua aperta cum eis loquatur. Quoad famulas praeter dicta (n. 660), alia nonnulla dicentur infra.

719. Defectus in genere avaritiae essent, v. g., in contractibus nimiam pecuniae aviditatem demonstrare; si minuta quaeque semper exigeret; si quoad mercedem famulis, operariis, aedituis, clericis etc. dandam nimis subtiliter procederet, nimisque frequenter propter pecuniam litigaret; si vestes sordidas indueret; si nullam hospitalitatem exerceret; si mensam nimis pauperculam sibi suisque familiaribus praeberet; si non sicut posset pauperibus subveniret; si Ecclesiae decori non provideret: si uno verbo in omnibus parsimoniae studiosum se ostenderet et interim capitalia magna accumularet. Notandum quod apud populum avaritiae nota non cessaret, quamvis notorium esset quod Parochus ad bonum finem (v. g., ad aliquam piam fundationem faciendam) praedicto modo se gereret.

720. Parochus insuper existimationis et venerationis iacturam subiret si secretissimus non esset; si matrimoniis (nisi ad tollendum aliquod scandalum) se immisceret; si prandiis nuptialibus interveniret; si verba platealia minusque decentia proferendi consuetudinem haberet; si vanae gloriae causa saecularibus convivia praeberet; si seipsum non iam orationi et studio deditum sed otiosum ostenderet; si parochianorum domos frequentaret, et multo magis si cum iisdem in ludis et mundanis oblectamentis se accumunaret; sic enim Parochus proprios defectus omnibus ostenderet, et certe venerationem (imo et confidentiam quoad peccatorum accusationem in Sacramento Paenitentiae) amitteret. Caveat denique Parochus ne zelum indiscretum explicet, et ne tamquam mala magna repraesentet ea quae levia aut etiam prorsus licita sunt. Agens de iis rebus, quae in

praxi modo cum peccato et modo innocenter peragi possunt, debitas distinctiones faciat, ne scrupulosus aut exaggeratus habeatur; secus enim periculum subiret ne, ubi etiam recte loquitur, eius dicta contemnantur. Id praecipue prae oculis habeant Parochi iuniores, qui agentes de ornatu foeminarum, de amoribus ad matrimonium directis etc., discretionis limites non raro excedunt. (Gousset, Scavini II. 951). Magnam itaque prudentiam Parochus adhibeat; in rebus dubiis non praepropere se resolvat, omnia consideret et consilium petat. Unicus error sufficere potest ut existimatio prorsus (et forsan sine remedio) amittatur. Denique, si forte Parochus se errasse cognoverit, in errore non se obstinet; sed, via falsa relicta, bonae se committat.

## § IV.

### *Parochus bonum exemplum praebeat.*

721. Frustra laborabit Parochus, frustra conciones habebit, frustra correctiones faciet, si ipse bonum exemplum non praebeat. *Coepit Iesus facere et docere. Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* S. Hieron. (Ep. 2. ad Heliod.) scripsit: « In te oculi omnium diriguntur; domus « tua et conversatio tua, quasi in speculo constituta, magistra « est publicae disciplinae: quidquid feceris, id omne sibi facien- « dum putant ».

Vae Parocho qui scandalum praeberet! Gregem, qui ab eo ipso salvari deberet, ad perditionem impelleret; seductiones faciliores redderet; catholicae praedicationi fidem adimeret; non suam paroeciam dumtaxat sed finitimas quoque suo pravo exemplo laederet; et aliis etiam Sacerdotibus, cum magno Religionis damno, praeiudicium inferret; ut enim dicebat S. Augustinus, malevoli, dum ab uno Sacerdote crimen admitti vident, *instant, satagunt, ambiunt ut de omnibus hoc credatur.*

Non solum a scandalo, quod ex delicto provenit, cavendum est; sed ab illo etiam quod ex factis speciem mali habentibus (quae scilicet iustam male suspicandi occasionem praebeant) oriri posset.

Parochus qui, propter peccatum a populo iam cognitum, scandalum dederit, non solum debebit occasionem omnino deserere, sed etiam publicam poenitentiam ostendere. Si vero scandalum facto speciem mali habente processerit, tunc oportebit ut occasio male suspicandi prorsus auferatur, aut (si auferri

nequeat) convenientes declarationes in vulgum prudenter spargantur. De scandalo tamen mere pharisaico, dicerem, in casu quoque Parochi non esse curandum, nisi forte calumnia ita repraesentetur ut a populo credatur, nec ita facile evanescere possit, quo casu Parochus de propria iustificatione sollicitus esse debebit. Vide Frassinetti (*Manuale n.* 538).

## § V.

### *De iis quae Parochus circa propriam domum et familiam observare debet.*

722. Imprimis nimiâ familiâ non se gravet. Praeter patrem et matrem, consanguineos, si otiosi (prout saepe contingit) remansuri sint, (ut iam alias notabam) non receptet. Caveat etiam quantum potest a recipiendis puellis custodia indigentibus, si in domo parochiali non sit qui eas sufficienter custodire possit.

723. Redditus parochiales bene cognoscat, et cum ipsis expensas mensuret; pro infortuniis aliquid reservet; nec aere alieno se oneret.

724. Caveat ne scandala in propria domo sint. Si sorores aut neptes adhuc iuvenes secum retinere cogatur, vigilet ne amoribus inconsultis implicentur, et occasione matrimonii eas dimittat aut saltem cautelas magis magisque augeat. Vigilet etiam ne istae puellae in aliquo periculo propter familiares (v. g., famulos, consobrinos etc.) versentur; illas domi solas aut in plena libertate nunquam relinquat, nec semper securus sit de iis, a quibus nihil timendum esse videretur.

Non permittat ut familiares noctu exeant, cauponas choreasve adeant, aut tota die huc illuc circumvagentur, atque in domibus parochianorum cum foeminis confabulando tempus terant.

725. Consanguinei apud Parochum degentes ut plurimum bona temporalia Paroeciae administrare vellent, atque impedire ne Parochus expensas pro Ecclesia, aut eleemosynas faciat. Cavendum solertissime ne id eveniat; Parochus a proprio corde naturaliter consanguineis propenso vinci non sinat, nec unquam se eorum mancipium constituat, idque quamvis de patre et matre ageretur.

De rebus ad parochiam spectantibus, eorum consilium non exquirat; nec permittat ut, veniente hoc vel illo parochiano, cur advenerit curiosi inquirant, aut illius accessum ad Parochum impediant vel difficiliorem reddant. Cum servis tenaciores

non sint; sed neque prodigi. In vestitu luxum evitent; attamen sordidi non incedant.

726. Reminiscatur Parochus quod sua familia exemplaris esse debet. Curet proinde ut familiares audiant conciones, devotionem in Ecclesia ostendant, et Sacramenta frequentent. Qualibet die ante coenam ad minus Rosarium cum tota familia recitet.

727. Quoad famulos; imprimis de eorum moribus informationes capiat, et curet (quantum potest) ut sint aetate graves atque prudentes. Vigilet speciatim in initio, et maxime an noctu domi maneant, eos vocando sub aliquo praetextu. Illos otiosos remanere non patiatur; attamen nimiis laboribus eos non oneret. Nimiam confidentiam eis non praebeat: sed dure cum ipsis non agat, nec sit quasi leo in domo sua. Fiduciam ostendat; sed ita ut expensarum rationem exigat, et opera ab eis peracta idemtidem inspiciat. Quando bene agunt, se contentum demonstret; sin minus, congruas correctiones non omittat. Victum convementem eis praebeat, nec panem mensuret. Si infirmentur, quasi pater medelam eis praebeat, omnemque curam ipsorum habeat. Non permittat ut strictiorem relationem cum Parochianis contrahant, et speciatim cum familiis quae contra Parochum aliquam inimicitiam habeant. Item non permittat ut quae domi dicuntur aut peraguntur ipsi foras exportent. Curet tamen Parochus ut quodlibet eius dictum et factum irreprehensibile sit, quia periculum, ne citius ocius omnia foris sciantur, semper aderit. Mutuam pecuniam ab eis non accipiat, nec quoad annua stipendia ipse debitor remaneat; idque etiam eo fine ut semper, si opus sit, absque ulla difficultate illos expellere possit. Ad expulsionem tamen difficile et solum in casu extremo procedat. Famuli expulsi de Parocho eiusve familia male loqui solent. Si itaque defectus sint tolerabiles, tolerari debent; quandoquidem etiam in novis famulis defectus invenientur; et frequentes expulsiones eo tandem desinunt, ut semper peius servitium habeatur.

728. Speciatim quoad ancillam, curet Parochus ut sit talis, de qua rationabiliter nihil mali suspicari possit. Solus cum sola non commoretur et ne verbis quidem teneritudinem erga illam ostendat. Vae misero Sacerdoti qui primum lapsum committat! Vae si etiam solum aliquantisper turpi passioni cedat! Praeter abyssum subsequentem, reminiscatur nihil esse opertum quod non revelabitur: foeminas nullam habere prudentiam: de heri amore (quamvis esset honestum) ex foeminea vanitate et loquacitate gloriari: si quid minus honestum acciderit, illud, si forte

corrigantur et multo magis si eiici vellent, plus vel minus explicite exprobrare, et forsan praesentibus quoque aliis sine ullo respectu; unde Parochus, velit nolit, miserrimus ancillae servus evaderet. Haec serio perpendantur, si Diabolus (quod absit) ad huiusmodi tentet; nec quisquam de se ipso fidat; stellae enim ceciderunt de coelo. Caeterum Parochus qui, Deo adiuvante, in statu adeo miserando non versetur, caveat ne ancilla dominium praeseferat, aut quamdam audaciam ostendat. Ea delatrice non utatur. Non sinat ut apud se ipsum pro parochianis intercedat; neque ut aliquem corrigat, aut minitetur se esse delaturam aliquid ad Parochum. Ab ipsa reverentiam exigat, nec sinat (maxime coram aliis) ut cum imperio loquatur vel petulanter respondeat. Vigilet quammaxime ne inter ipsam et famulum ulla confidentia oriatur; attamen non permittat ut inter ipsos quaestiones et iurgia intercedant; et, dato casu, severius contra ancillam quam contra famulum vocem elevet.

## § VI.

### *De obligatione orandi, divinumque Sacrificium pro populo applicandi.*

729. Parochus tenetur certe orare pro populo, idque frequenter, et speciatim si necessitates extraordinariae urgeant.

730. Quoad Missam pro populo applicandam, notari debet quod haec obligatio

I. *Severissime urget;* non enim excusaretur Parochus, quamvis magna egestate laboraret, et Paroeciae redditus ita tenues essent ut ad congruam non pertingerent. Bened. XIV. Enc. *Cum semper.*

II. *Est annexa diebus;* ita ut applicatio nec differri nec anticipari possit. Si Missa pro defuncto, praesente cadavere, decantari deberet; non ideo posset Parochus illam celebrare et differre applicationem Missae *pro populo* ad aliam diem. S. C. C. 26 Ian. 1771. Alius itaque decantet. Parochi tamen valde pauperes, de licentia Episcopi, possent applicare pro eleemosynam offerentibus et die festo Missam exigentibus, dummodo intra hebdomadam pro populo applicent. Bened. XIV. (Enc. cit.).

III. *Est personalis, localis, et realis;* Parochus enim tenetur celebrare et applicare per se ipsum, et quidem in Ecclesia Parochiali: si autem esset impeditus, tunc Missae celebrationem et applicationem alii demandare deberet. Impeditus censeretur

Parochus 1° Si non posset celebrare ( v. g. propter infirmitatem ); 2° Si non posset applicare ; et hic casus contingit in eo qui sit etiam Canonicus et Missam conventualem decantare debeat, ut pluries decisum fuit. Berengo (151). Non vero censeretur impeditus 1° Si Missa vulgo parochialis a Vicario celebretur ; ipse vero alia hora in sua Ecclesia celebret. S. R. C. ( Decr. 5341 20 Dec. 1864 ). 2° Si secus pinguem eleemosynam amittere deberet, prout in casu funeris contingere posset. S. C. C. Decr. cit., et 25 Sept. 1847. In his itaque casibus applicare debet *pro populo* personaliter. — Quid de Parocho legitime absente? Missa *pro populo* applicandane erit a Parocho ipso, an vero a Sacerdote qui eius vice in Paroecia celebrat? Tunc fieri posse pro libito, decisum fuit a S. C. C. 11 Maii 1720 et 14 Dec. 1872. — Quod tamen dixi, Parochum celebrare et applicare debere in Ecclesia Parochiali, non ita stricte accipi debet, ut de peccato incusandus sit si interdum ex causa etiam non gravi alibi celebret, dummodo aliis suis muneribus satisfaciat, ut notat Scavini (I. 454. 1. not. 2).

## § VII.

### *De instructione et cura puerorum.*

731. Sedula puerorum cura semper necessaria fuit ; sed maxime hodie; si enim iuvenes in fide bonisque moribus non fundantur et contra mundi pericula non praemuniuntur donec christianam doctrinam frequentant, certo certius gliscentis incredulitatis impiarumque sectarum victimae remanebunt ; et tunc quidnam ad illos salvandos facere poterit Parochus? Ad puerorum itaque instructionem et curam diligentissimam districte et certe sub mortali animarum pastores tenentur; unde Pius IX (Encycl. *Nostis*) dixit: « Eamque instructionem ( puc- « rorum ) ad graviores sui muneris partes omnino pertinere meminerint ( Parochi ) ».

732. Haec instructio, uti patet, in solis catechismi formulis materialiter edocendis non consistit; sed oportet ut Parochus circa fidem, circa legem Dei et Ecclesiae, nec non circa media salutis pueros ita instruat ut clare et dilucide omnia percipiant; atque ad vitam christianam reapse ducendam moveantur et assuescant. Parochus qui solas formulas doceret, muneri suo non satisfaceret et certe mortaliter peccaret.

733. Quibus diebus ad hanc catechesim Parochi tenentur?

Tridentinum ( XXIV. iv. ) dicit : « Saltem dominicis et aliis « festivis diebus ». Consuetudines in contrarium tamquam corruptelae habendae sunt, nisi forte dies omissi alio tempore ( v. g. in Quadragesima ) suppleantur. Et hac in re ferias concedi non posse, declaravit S. C. C. 19 Aug. 1744 apud Scavini (I. 640).

734. Quantum tempus in catechesi impendendum ? Hoc a numero puerorum mensurari debet ; atque etiam videndum an Parochus sit solus in docendo , an vero coadiutores habeat. Ordinarie una hora exigitur.

735. Qua aetate pueri ad catechismum vocari debent? R. Ordinarie ab anno septimo usque ad duodecimum inclusive : septimo enim anno pueri ad eliciendos actus virtutum theologalium et ad observanda mandata Dei et Ecclesiae atque ad recipiendum Sacramentum Poenitentiae tenentur ; unde ea aetate circa haec omnia, nec non circa Sacramentum Confirmationis instrui debent. Dixi *ordinarie;* si enim ante septimum annum pueri videantur instructionis capaces ( prout accidere solet quoad pueros cultiores, imo generatim quoad puellas ) tunc expedit ut quo citius fieri possit ad Christianam Doctrinam vocentur.

736. Parochus teneturne docere pueros personaliter , an vero potest huic muneri satisfacere per alios? R. Potest satisfacere per alios; Tridentinum enim, dum loquitur ( XXIV. iv. ) de instructione danda pueris in singulis Paroeciis, non dicit dandam esse a Parochis, sed *ab iis ad quos spectabit.* Hinc Parochus quoad partem materialem ( nempe circa formulas ), uti potest auxilio aliorum, sive clericorum, sive laicorum, sive etiam piarum foeminarum. Quoad partem formalem ( nempe explicationem ), hanc etiam aliis committere potest, sed non laicis, bene vero Sacerdotibus. Si tamen Parochus hanc provinciam aliis sic demandare vult, oportet ut de corum capacitate certus sit, atque invigilet, neque appareat quod ex desidia id oneris aliis committat. Berengo (64). Haec itaque vigilantia est personalis; unde Parochus ( seclusa necessitate ) sinere nequit ut pueri paroeciae suae Oratorium non sibi subiectum aut aliam paroeciam adeant ut ibi instruantur ; idque decisum fuit a S. C. C. ( 9 Aug. 1732 ) apud Scavini ( I. 640 ). Multo minus dispensari poterunt pueri a frequentanda doctrina christiana in propria Paroecia, eo quod huc illuc in scholis illam addiscant.

737. Quid agendum ut pueri catechesi assidue et libenter interveniant? R. 1° Hora aptior nempe eis magis commoda eligatur. 2° Si paroecia nimis ampla sit, curandum ( speciatim tempore hyemali, quando viae imperviae sunt ) ut pueri, qui

nimis distant, instruantur in aliquo oratorio subiecto, si fieri possit; sin minus (pro tali casu) ad Paroeciam eis magis vicinam mittantur. 3° Quotannis eorum elenchus conficiatur, et singulis vicibus advocentur, et qui desunt notentur. 4° Si multi desint, tunc parentes in concione admoneantur; si pauci desint, hoc fiat privatim; idque non semel, sed iterum atque iterum si opus sit. Divites (si adsit spes fructus) rogentur; pauperes gravioribus verbis commoneantur, non solum comminando Iudicium Divinum sed etiam dicendo se eis eleemosynam non facile esse largiturum, petitiones non fore obsignaturum etc., dummodo tamen his minis finem suum obtinere possit. Iuvare potest etiam si Parochus ad eorum domos (attamen solum pro casu rarissimo) se conferat, ibique pueros non intervenientes doceat, ut parentes intelligant quantum cordi ei sit ut pueri ad catechismum mittantur. Interdum culpa non est parentum, sed ipsorum puerorum, qui ad catechismum missi, alibi ad ludendum divertunt; et tunc bene erit si quotannis cuilibet puero duodecim paginarum (quae duodecim anni mensibus correspondent) libellus tribuatur, qui singulis vicibus a pueris ad Ecclesiam portetur, in eoque, ad interventus testimonium finito catechismo, signum apponatur. In civitatibus iuvare potest etiam si parentes, (quorum filii ad catechismum missi alibi se conferunt, admoneantur ut illos sive per se sive per alios ad Ecclesiam comitentur. 5° Magna patientia necessaria est; multi enim pueri sunt tardi ingenio et aliqui sunt pene stupidi; nec hac de causa Parochus irasci aut miseros pueros (qui nullam culpam habent) male tractare debet. Evagationem (aetati puerili adeo connaturalem) compatiatur; illam tamen corrigat; sed percussionibus, et vituperiis non utatur, nec quemquam aliorum irrisionibus exponat. Adest quippe modus (infra exponendus) attentionem procurandi, quin huiusmodi media, pueris eorumque genitoribus adeo odiosa, adhibeantur. Parochus delationes unius contra alium publice non permittat; neque pro quibuslibet ineptiis sibi delatis ad correctionem procedat; et, si quando gravis aliqua punitio necessaria videatur, illam genitoribus committat; nec culpae confessionem (extra Sacramentum) a pueris exigat. 6° Obligationem, quam in conscientia habent, catechismum addiscendi eis denuntiet; bonis modis habitualiter procedat; pueros divites cum plebeis et sordidis non confundat; laudes, munuscula, et praemia, iuxta meritum, tribuat; et demum canticis spiritualibus, sermonis claritate, dialogis, et exemplis (quae pueris valde placent) eos alliciat.

738. Quid agendum ut pueri non evagentur et attentionem praestent? R. 1° Eorum sedilia (si fieri possit) ita collocari debent, ut nec facile ad Ecclesiae ianuam (venientes et abeuntes inspecturi) oculos vertant; nec invicem se inspiciant, et multo magis curandum ne pueri puellas in facie intueantur. 2° Necessarium est omnino ut saltem tres classes constituantur, ita ut pueri septem et octo annorum in prima; novem et decem in secunda; undecim et duodecim in tertia regulariter remaneant. Si Parochus nullum auxilium habeat, tunc melius est ut diverso tempore his classibus satisfaciat; si vero coadiutoribus fruatur, tunc satis erit si classes (unaquaeque sub proprio instructore) separatae remaneant. Si pueri in qualibet classe nimii sint, tunc aliae quoque divisiones necessariae evadunt; et sic oportebit ut Parochus (saltem propter partem materialem) auxilia sibi procuret. In hunc finem (deficientibus clericis, qui ex lege canonica ad hoc auxilium Parochis suppeditandum tenentur) optime deservire solent piae foeminae et puellae grandiores, quae catechismum optime calleant et iam non amplius tamquam discipulae intervenire teneantur. Huiusmodi divisiones sunt semper utiles, et saepe omnino necessariae; secus enim impossibile esset tot pueros interrogare et ab iisdem attentionem obtinere; verissimum quippe est quod ubi multitudo ibi confusio. 3° Instructor eo loco se collocet ut semper unico intuitu pueros omnes inspicere possit. Vigilet; et si quem paullisper evagatum deprehendat, statim nullaque interiecta mora illum ad attentionem revocet. Si id constanter servetur, attentio magna obtinebitur, quin graves punitiones unquam aut fere unquam necessariae evadant. 4° Benevolum quidem se ostendat, sed gravitatem praeseferat, ita ut pueri, dum illum amant, cum etiam timeant et revereantur. 5° Interrogationem ad pueros omnes in globo dirigat, et statim exigat ut hic vel ille respondeat, ordine non servato, atque etiam interdum exigendo responsionem ab illis qui paullo antea responderunt; sic enim unusquisque attentionem praestare cogetur. 6° Demum laudes et praemia, sicut deserviunt ut pueri libenter adveniant, sic proderunt ut attentionem praestent. Si haec non sufficiant moderatae obiurgationes, minae, levesque punitiones adhiberi poterunt.

739. Ut pueri bene addiscant, 1° Parochus, non iam catechismum ad suum placitum conficiat, sed Catechismum Dioecesanum adhibeat; sic enim doctrinae securitati melius consulitur; necessaria non deerunt; inutilia resecentur; doctrina maiorem

auctoritatem habebit; in parochorum mutatione, et in transitu parochianorum ab una ad alteram paroeciam nulla orietur confusio; denique instructio multo facilior evadet, quia ab ipso Catechismo Dioecesano a genitoribus et magistris tradito, vel a pueris ipsis prae manibus habito, magnum adiumentum haberi poterit. Si tamen Parochus aliquas additiones (quae necessariae videantur) faceret, vel etiam (attenta extrema Parocciae ruditate) explicationes Symboli Apostolici vel Orationis Dominicalis breviores redderet et captui puerorum magis accomodaret, dicerem reprobari non posse. — 2° Procurandum ut qui legere sciunt Catechismum habeant illumque domi memoriae mandent. — 3° Procurandum etiam ut puellae grandiores interrogationes quoque addiscant et dialogo se assuescant, atque in propriis domibus pueros doceant. — 4° Pauca intra eandem diem doceat Parochus, et pedetentim atque ordinatim procedat; nec transeat ad sequentem interrogationem nisi maior puerorum pars bene responderit ad praecedentem. Responsionem ipse prius enunciet; postea efficiat ut omnes in globo illam secum clare et distincte repetant iterum iterumque; dein singulos (ut supra) interroget; et quando maior pars sat bene responderit, ad sequentem interrogationem (eodem semper systemate servato) transeat. Eos qui propter malam instructionem prius habitam, solum in aliquibus verbis consuetudinem errandi contraxerunt, ista dumtaxat (caeteris praetermissis) verba rite proferre, ac pluribus vicibus repetere, cogat. — 5° Emulationem excitare satagat; et in hunc finem distinctiones, laudes et munuscula adhibeat; atque interdum, puero grandiore respondere nesciente, efficiat ut puer minoris aetatis (quem magis doctum dignoscit) respondeat; denique singulis annis publicam praemiorum distributionem non omittat. — 6° Multi bene respondent et Catechismi formulas optime callent, sed nihil intelligunt; unde explicatio necessaria est, ut dixi. Postquam itaque pueri partem materialem, nempe duas vel tres responsiones, bene didicerint, Parochus illas explicare debebit; sed non ad modum concionis quam ipsi non intelligerent, bene vero familiariter, breviter, summaque perspicuitate, et saepe utendo similitudinibus eorum captui optime accomodatis. Caveat ne in argumentis difficilibus, aut aliis rebus ad rem non stricte pertinentibus (ut vanam eruditionem ostentet) immoretur. Caveat etiam ne quid exaggeret; et ne ea quae venialia sunt ita repraesentet ut pueri mortalia esse existiment. Praecipue vero caveat ne circa sextum praeceptum et circa Matrimonium eos in malitiam coniiciat. —

7° Explicatione facta, videndum est an pueri illam recte intellexerint. Parochus puerum interroget, non iam verbis catechismi utendo, sed aliis et (ordinarie) vernaculis. Responso habito sive recto sive errato, interroget alium dicendo: *Quid tibi videtur? Rectene respondit?* Et sic omnium attentionem et curiositatem acuat. Dein declaret an bene vel male responsum fuerit; et, si male, dicat quomodo respondendum fuisset, et (si opus sit) rem melius explicet; et denuo hunc vel illum puerum interroget, donec certus evaserit quod rei substantiam bene intellexerint *. — 8° Sub initio catechismi doctrinam Dominicae praecedentis in puerorum memoriam breviter revocet; et sub fine quae addiscenda sint Dominica sequenti pueris proponat, ut (si legere sciant) in Catechismo dioecesano illam infra haebdomadam addiscant.

740. Explicationes praedictae fieri debent sine dubio pueris omnibus simul coadunatis tertiae classis, in qua (ut dixi) per biennium remanent; et eo tempore plena instructio circa fidem, circa mores, circa orationem, Sacramenta et alia media salutis, eis praeberi debet. Sed quid de aliis pueris? R. Si isti ad has explicationes coadunarentur, multa non intelligerent, difficile silerent, et confusionem ingererent. Exigere ut Parochus instructionem separatam singulis diebus dominicis cuilibet classi faciat, nimium esse videtur, atque insuper nimio tempore pueri in Ecclesia detineri deberent. Supplere per alios instructores quoad partem materialem facile est, sed quoad partem formalem difficile. Aliunde circa principaliora hi quoque pueri edoceri debent, ut dixi (n. 735). Id itaque praestabitur I° Dum ad Sacramentum Confirmationis praeparantur; 2° Identidem infra annum, et (si possibile sit) aliquibus diebus consecutivis in Quadragesima; 3° Designando aliqua documenta magis necessaria, quae a dictis instructoribus semper eis praebeantur.

741. Non sufficit ut pueri catechismum addiscant; sed exigitur ut de facto malum evitent et bonum faciant, et sic ad christianam vitam in iis teneris annis sese assuescant. Quid proderit quod pueri catechismum optime sciant, si interim pravis

* Quid de illis Parochis, qui, postquam formulas docuerint, nulla explicatione pueris facta, suggestum ascendunt, et concionem catechisticam ad populum habent? R. Quamvis exigerent ut pueri illam audirent, non satisfacerent; pueri enim, ope concionis ad universum populum directam, sufficienter (saltem ordinarie) instrui nequeunt. Explicatio pueris, ut supra, facta, populo etiam (si sit praesens) deservire potest: sed concio ad populum directa pueris sufficienter deservire nequit.

moribus imbuti et vitiis pleni sint, et vix semel in anno ad confessionem accedant? Parochus itaque monita moralia, circa ea quae domi ab ipsis evitari et peragi debent, eis praebeat constanter. Efficiat etiam ut in Ecclesia sint devoti et semper in piis operibus occupati, v. g., visitando SS.mum Sacramentum, peragendo *Viam Crucis* etc.; et speciatim ut Missam reverenter audiant, atque interim Rosarium recitent aut librum devotum legant; praecipue vero ut ad Sacramentum Poenitentiae frequenter accedant; ad quod obtinendum optime deserviret, si quolibet mense fixus designaretur dies, in quo (post Missam parochialem) omnes ad confessionem (piis foeminis eos praeparantibus) accedere possent. Providendum est denique, ne extra Ecclesiam, dum ad catechismum veniunt aut ab ipso recedunt, per viam immorentur. Ruri, boni Parochi exigunt ut pueri processionaliter et recitando Rosarium veniant et redeant. Prius foeminas et postea masculos domum mittunt, aut saltem campanae sonitu genitoribus significant Catechismum esse finitum, ut, si forte pueri in via immorentur, id cognoscere, eosque punire possint.

742. Ad primam Communionem non sunt admittendi nisi prius Catechismum didicerint; experientia enim docet quod pueri ad Communionem admissi Catechismum prorsus aut fere prorsus deserunt. Sic sentit etiam Soetler (auctor aurei operis cui titulus *Monita ad Parochos* III. v. P. VII. n. 13). Frassinetti suggerit ut admittantur ad Communionem etiam prius, sed pro una vice tantum. At vero, quamvis ita fiat, semper valde negligentiores evadunt; unde existimo melius omnino esse expectare ut catechismum plene didicerint, ut dicebam, nempe usque ad annum duodecimum (completum) quoad masculos, et undecimum quoad foeminas (vide n. 735). Caeterum quaelibet regula suas exceptiones habet, et bene contingere potest quod puer vel puella septem dumtaxat annos habens ad secundam vel etiam tertiam classem promoveri queat; et sic anno decimo, nono, vel etiam octavo (completo) ad primam Communionem admitti possit.

Valde expedit ut pueri, postquam unum annum in tertia classe absolverint, admoneantur quod post annum ad primam Communionem admittentur, si boni sint, catechismum addiscant, et frequentius (v. g. bis in mense) ad confessionem accedant.

Duabus vel tribus hebdomadibus ante diem pro prima Communione designatam, quotidie ad Ecclesiam vocentur, et circa

modum practicum praeparationis et gratiarum actionis, speciatim vero circa necessitatem perseverandi, et circa media salutis, instruantur. Et, si forte in loco impiae sectae vigeant, Parochus pueros praemoneat de horribili malo cui obviam irent si illis nomen darent, eosque accuratissime instruat ne illaqueentur. — Quatuor autem aut quinque diebus proxime praecedentibus curabit ut spiritualia exercitia eis suppeditentur, cum exhortatione ut non iam consuetam sed generalem confessionem instituant. Sacra functio cum pompa et apparatu meliori modo possibili peragatur. Curandum ut puerorum genitores intersint, eisque ferventissime commendandum, ut suos filios Eucaristico pane refectos a mundi periculis custodiant; et speciatim vigilent omnemque lapidem moveant ne in praedictarum sectarum abyssum se coniiciant. Hoc in puncto verba gravissima necessaria sunt. — Denique, pro diei adeo solemnis memoria, munusculum pueris dare convenit.

743. Quid circa pueros nobilium, quorum interventus ad Christianam Doctrinam ordinarie obtineri nequit, et solum occasione Confirmationis et primae Communionis ad Parochum mittuntur? R. Hi (apud nos) formulas optime scire solent. Parochus itaque in praedictis occasionibus circa formulas parum immoretur; sed magna diligentia eos instruat circa earum rerum substantiam, quarum cognitio magis necessaria est; speciatim circa divitum obligationes, et media salutis. Denique contra pericula, tam communia quam divitum propria eos accuratissime praemuniat.

744. Si in paroecia aliquis *surdus-mutus* non adhuc instructus adsit, Parochus curabit ut instruatur meliori modo possibili non solum quoad necessaria necessitate medii, sed etiam quoad necessaria necessitate praecepti; ita ut nempe aliquo modo intelligat 1° Dominum supremum adesse qui fecit coelum et terram. Haec idea infunditur ope imaginis venerandi senis, qui supra coelum constitutus, solem, lunam et universum orbem creat; indicando quod singula ab illo sene facta fuerunt; sicut etiam homo, animalia et plantae; 2° Aliqua opera (v. g., furari, percutere proximum, manducare carnem die veneris et sabbati etc.) esse abominanda et non facienda; alia autem (v. g. audire Missam, obedire parentibus etc.) esse approbanda et facienda; sic enim idea boni et mali infunditur; procurando tamen ut mutus intelligat quod Deo (muto semper indicetur idem venerandus senex) opera mala valde displicent ab eoque vetantur; et e contra opera bona ei placent; 3° Deum

esse daturum Paradisum (nempe locum delitiosum in coelo); et e contra esse daturum infernum (nempe magna tormenta sub terra) secundum quod opera sive bona sive mala fiant; 4° De male factis esse dolendum, eaque esse confitenda Sacerdoti; et tunc Deum non amplius infernum sed paradisum esse daturum. — Si autem Parochus instruere posset surdos-mutos ope scripturae (quod non est difficile); tunc instructio multo amplior possibilis esset. De hoc vide Frassinetti (Man. in fine).

Facilius instruuntur caeci; et instructio incipitur dicendo: terram esse magnam, et factam fuisse a Deo, qui semper extitit et a nemine factus fuit; quique creavit plurimas alias res quas ipsi non cognoscunt; et est quammaxime bonus, potens etc.

## § VIII.

### *De sermone, quem Parochus ad populum diebus festis habere debet.*

745. « Tenentur Parochi diebus dominicis et festis de prae-« cepto populo sermonem habere iuxta Concilii Tridentini prae-« scriptionem » Ita S. C. C. 1 Apr. 1876. Concil. Trid. reapse de hac obligatione principalissima (quae antea quoque iure divino urgebat semperque recognita fuit) non semel sed quatuor vicibus (nempe Sess. V. II.; XXII. VIII.; XXIV. IV.; XXIV. VII.) mentionem fecit. Vae si praedicatio cessaret! Quanta ignorantia, quanta morum corruptela, quot animarum damnatio! Paulus Apostolus (I. Cor. I. IX) scripsit: « Placuit Deo per « praedicationem salvos facere credentes... Vae mihi, si non « evangelizavero! ».

746. Plures Parochi, modo propter frigus, modo propter aestum, modo propter ferias (uti aiunt) autumnales, sermonem omittunt; sed certe peccant; Tridentinum enim (XXIV. IV. et VII.) dicit, *omnibus* et *singulis* diebus dominicis et festis hoc pabulum populo suppeditari debere. Attamen S. C. C. (die cit.) dixit: « Erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordi-« natione in aliquibus solemnioribus diebus ». Et S. Lig. (III. 269) inquit: « Bene posse Parochos concionem omittere, ut « postea opportunius suppleant ».

747. Si Parochus personaliter sermonem habere nequeat, tenetur supplere per alium idoneum. Trid. (VI. II.) dicit: « Per « se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint ». Attamen, si de una dumtaxat vel altera vice ageretur, crederem

non statim urgere obligationem supplendi, nisi qui suppleat in promptu sit aut valde commode haberi possit. Si vero impedimentum esset perpetuum aut diuturnum, tunc certe (etiam cum notabili incommodo) quaeri deberet qui vices gerat. Sed non raro (speciatim ruri et quoad Parochos pauperes) id impossibile est; et tunc Parochus ex una parte, si aliquid per se ipsum praestare possit, id praestet (impedimenta enim saepe saepius sunt magis imaginata quam realia, et difficile est quod Parochus sit adeo impotens ut suo populo aliqua bona verba ad modum patris familiariter dicere nequeat); et ex alia parte meliori modo possibili, v. g., ope Missionis aut Spiritualium Exercitiorum, supplere satagat.

748. Si Parochus per se ipsum huic muneri satisfacere potest, tunc aliena opera uti nequit; obligatio enim est personalis; idque patet ex citatis Tridentini verbis, et ex pluribus S. C. C. decisionibus. Caeterum sequentia notari debent. 1° Aliquando praestat ut alius a Parocho praedicet; etenim vox diversa magis populum allicere solet; idque maxime si Parochus senex sit, aut si ob aliquam imperfectionem aegre audiatur. — 2° Si in Ecclesia Parochiali tempore Adventus vel Quadragesimae habeantur conciones per praedicatores ab Ordinario approbatos, tunc, si adsit consuetudo ut Parochus non praedicet, haec (nisi Episcopus aliud decernat) servari poterit (S. C. C. 29 mart. et 30 Aug. 1817). — 3° Quodlibet motivum rationabile (v. g. non adeo firmae valetudinis), quamvis non absolute esset grave, sufficere potest ut Parochus non iam perpetuo sed identidem praedicationis onus aliis idoneis committat; quamvis enim valde intersit ut grex pastoris vocem audiat, tamen substantia est ut pabulum gregi non desit. Dixi *motivum rationabile*; et tale non esset defectus temporis ad praeparationem necessarii, dum caeteroquin Parochus recreationibus et negotiis temporalibus abunde indulget; imo ipsa officia parochialia (v. g., assistentia infirmorum) raro excusabunt, tum quia cum dicta praeparatione facile componi possunt; tum quia, si Vicarius habeatur, illa saepius ei committi poterunt, ut Parochus praedicationis officio (quod proprie ad illum spectat) satisfacere queat; tum denique quia sermo, potius quam omittatur, brevior et qualis ex corde venerit sufficere poterit. Idem dic de ignavia, defectu studii, somniatis morbis, timiditate etc. Pro sermone ad populum habendo magna talenta non exiguntur; Tridentinum dicit quod Parochus illum praestare debet *pro sua capacitate*; bonus Parochus studio incumbat et faciat

quod potest; Deus supplebit; non raro minoribus talentis praediti, sed maiori pietatis sensu praedicantes, multo magis quam magni doctores fructum faciunt.

749. Parochus potestne se eximere a praedicatione eo quod necessaria non videatur, quum adsint aliae paroeciae vicinae, ad quas populus, pabulum abundanter habiturus, concurrere potest? R. Aliqui apud Bonacinam (De 3° pr. V. n. 29) ita senserunt; sed haec opinio admitti nequit; idque decisum fuit ab Innoc. XIII. in Encycl. *Apostolici Ministerii*, ubi dixit, huiusmodi excusationem inanem et Christianae Reipublicae valde perniciosam esse. Idem dic de Parochis qui, propter paroeciae exiguitatem et parvum auditorum numerum, se excusare vellent. Si hae sententiae admitterentur, tunc Paroeciae innumerae sine praedicatione remanerent. Cf. Lambertini (notif. X. 3).

750. Omissio praedicationis quandonam peccatum mortale erit? R. Sententia benigna plurimorum Theologorum suffragio munita docet, a gravi peccato excusari posse Parochum, dummodo uno mense continuo aut tribus discontinuis intra annum concionem non omittat. Si tamen, attenta Paroeciae magnitudine aliarumque concionum defectu aliisve circumstantiis, specialis concionem non omittendi necessitas adesset, tunc peccatum mortale citius interveniret. Cf. S. Lig. (III. 269), Bonacina (De 3° pr. II. 30), Palao (I. IV. 5) Gury etc. Aliqui notant, id esse intelligendum pro casu in quo Parochus neque per se neque per alios praedicet; si enim totus defectus solum in hoc consisteret quod Parochus praedicat per alios idoneos, dum per se ipsum praedicare deberet; tunc ad peccatum mortale constituendum maior temporis tractus exigeretur. Scav. (I. 418).

751. De regula ordinaria sermo ad populum intra Missam Parochialem fieri debet. Id quoque praecipitur a Tridentino (XXII. 8), et generali consuetudine (quae in Ecclesia iam inde ab antiquissimis temporibus semper viguit) firmatur; imo S. C. C. (vide Berengo n. 58) definivit, consuetudinem in contrarium (si quae alicubi sit) servari non posse. Hoc tamen intelligendum, nisi maior populi concursus (prout in amplioribus urbibus facile evenit) aliâ horâ, nempe post meridiem, haberi possit, ut sentit quoque cl. Berengo (l. c.). Ruri tamen haec inversio difficile approbari poterit; quamvis enim maior concursus vespertinis horis haberetur, tamen ii, qui divini verbi audiendi necessitatem habent, aut non veniunt aut durante concione extra Ecclesiam morantur; ad Missam autem (quum sub obligatione cadat) venire et intra Ecclesiam stare cogun-

tur. Denique curandum ut Missa Parochialis horâ fixâ et magis aptâ, in qua nempe maior populi pars concurrere possit, celebretur; ita ut, momento designato, Missa incipiat, nec populus expectare cogatur.

752. Sermo ad populum non quolibet modo sed recte fieri debet. Parochus nempe non satisfaceret si quidquid in buccam venit effutiret; et certe pro sua capacitate curare tenetur ut bene praedicet. Regulae sunt sequentes.

*A*) Parochus verum zelum gloriae Dei et salutis animarum in corde habeat; non vero quasi necessitate coactus, vel ex consuetudine, vel ad ingenii ostensionem concionetur.

*B*) Caveat ne verbum Dei adulteret, ne scilicet a loco veritatis quae vera non sunt aut non solide fundata enunciet, vel quidquam exaggeret. Quamvis ex sancto fine sic se gereret, certe delinqueret; neque excusaretur eo quod aliqui Auctores, aut etiam quidam Sancti Patres talem vel talem doctrinam exaggeratam aut non satis fundatam tradiderint. Trid. (XXV) dixit : « Sanam doctrinam.... praedicari diligenter studeant.... « Incerta item, vel quae specie falsi laborant.... tractari non « permittant ». Quamvis non agatur de doctrina, sed solum de facto historico seu exemplo, cavendum est ab iis narrationibus quae fidem non merentur, maxime si fabulam aperte redoleant. Fabulae istae veritatibus catholicis detrimentum inferunt. Populus debitas distinctiones facere nescit; et, cognita unius rei falsitate, de aliis quoque dubitat. Verbi divini auctoritas, et ipsius Parochi existimatio damnum patitur ; et ex hoc Fidei Catholicae osores redarguendi Christifideles de nimia et ridicula credulitate ansam sumunt.

*C*) Praedicet ad captum ; ita ut nempe indocti quoque et rudes (qui maiorem populi partem constituere solent) omnia bene intelligere possint. Argumenta scilicet, verba et phrases sint auditorum capacitati accomodata ; latini textus evitentur aut brevissimi et paucissimi sint. Si quid dicere oporteat, quod a populo non intelligatur, explicatio clara statim subdatur; et res difficiles (si quando tractari debeant) similitudinibus populo obviis meliori modo possibili declarentur. Quanto magis populus est rudis, eo maior cura hac in re adhiberi debet. Trid. dicit: « Cum facilitate sermonis... pro audientium capacitate... etiam « vernacula lingua, si opus sit et commode fieri poterit ». Parochus, qui ad captum non praedicaret, perinde habendus esset ac si sermonem prorsus omitteret.

*D*) Praedicet substantiose et solide. Si rebus inutilibus, re-

petitionibus, aut probationibus inanibus seu infirmis vel non necessariis sermonem infarciret ; aut, neglecta substantia, in phrasibus et figuris rethoricis totus esset, aut solidorum argumentorum loco minas vanosque strepitus adhiberet ; muneri suo certe non satisfaceret. Argumenta solida eruuntur speciatim 1° Ex Sacra Scriptura, unde dici possit : *haec dicit Dominus* ; et advertendum quod textus accomodatitii, qui in Scriptura alium sensum habent, non sunt adhibendi ; 2° Ex ratione naturali ; dummodo non sint abstrusa aut dubiis subiecta ; debent enim esse certa et clara adeo ut plene convincant ; 3° Ex experientia : ita ut populus dicere cogatur : Manifestum est et non possumus negare.

*E*) Praedicet opportune, ratione habita loci, temporis et circumstantiarum. *Loci*. Cognoscat vitia et praeiudicia quae in paroecia dominantur, et digitum (ut sic dicam) in plaga ponat. *Temporis*. Olim (speciatim ruri) incredulitas, impiae sectae, inobservantia mandatorum Ecclesiae etc. non aderant ; sed hodie heu ! quantum tempora sunt mutata ; et proinde Parochus de his novis vitiis et periculis sollicitus esse debet. Idem dic de matrimonio civili ; de nuptiis non solum coram Parocho sed etiam praevia confessione et cum benedictione nuptiali contrahendis ; de libris prohibitis non legendis ; de templis et scholis Protestantium evitandis etc. etc. — *Circumstantiarum*. Ante bacchanalia : incunte Quadragesima ; appropinquante obligatione satisfaciendi praecepto paschali ; ingruente aliqua publica calamitate ; incunte et finiente anno ; appropinquantibus maioribus anni solemnitatibus ; occasione Rogationum, aut visitationis Episcopalis, aut publicae administrationis Sacramenti Confirmationis ; incunte tempore hyemali (quando serotinae conversationes incipi solent) ; tempore aestivo, si forte tunc speciatim (prout ruri contingit) iustitiae leges violentur, dies festi parum observentur, aut occasione triturationis (*colle trebbiatrici*) diebus vetitis carnes comedantur etc. ; in his, inquam, et similibus circumstantiis Parochus opportuna monita populo suo praebere debet. Bona equidem res est malum curare ; sed multo melius erit, si illud, antequam accidat, impediatur. Haec monita praeventiva populo valde accepta sunt, et valde proficua esse solent.

*F*) Praedicet caute. Opiniones, quae magis malum quam bonum producunt, et speciatim illas quae in bene faciendi desperationem populum coniiciunt (v. g., circa exiguissimum numerum electorum) non exponat. — Quoad polemicam et obiectiones con-

tra fidem cautissime procedat; magnum enim periculum adesse potest ne in mentibus adhuc praeservatis magna dubia iniiciantur, venenum latissime spargatur et validum antidotum non praestetur. S. Th. (2. 2. X. 7) dixit: « Periculosum est publice « disputare de fide coram simplicibus, quorum fides ex hoc est « firmior quia nihil diversum audierunt ab eo quod credunt »: et, si haec diversa iam audierint, tunc auditarum (non vero aliarum) obiectionum confutatio utilis esse poterit, sed non semper; dicit enim S. Doctor: « Dummodo inveniantur aliqui « ad hoc sufficientes et idonei ». Ex horum defectu, atque etiam quia rationes theologicae ut plurimum rudis populi captum superant, in praxi accidere solet quod obiectio quidem ab omnibus (atque etiam ab iis qui nunquam dubitarunt) bene intelligitur: responsio autem et confutatio nullo modo aut multo minus percipitur; et sic, ut dixi, venenum sparsum fuit et antidotum non datum. — Ostendat Parochus populo suo quantum cordi esse debeat unicuique ut Religionis thesaurum custodiat; fundamenta credibilitatis enuncict, Fidei necessitatem inculcet, et bona inaestimabilia catholicae Religionis ostendat; sed quoad obiectiones (repeto) cautissime procedat. — Caveat insuper ne contra hanc vel illam particularem personam aut familiam loqui videatur; maxime vero ne, sine fructu aut mala maiora provocando, personarum potentium indignationem suscitet. — Demum summopere caveat ne, de sexto praecepto aut de matrimonio verba faciens, cum periculo personas adhuc innocentes in malitiam coniiciendi, nimis libere et aperte loquatur.

(*) Fructum practicum semper intendat. In hunc finem ad particularia descendat. Agens, v. g., de peccato mortali, dicat: loquor de vobis, si hic estis, blasphematoribus, impudicis, iniustis, festorum dierum profanatoribus, scandalosis etc. Inordinationes prout practice accidunt vivide describat: excusationes, quae reapse adducuntur, eliminet: et tandem ad contritionem et proposita salutaria populum inducere satagat. S. Augustinus dicebat: « Oportet Ecclesiam non solum docere ut « instruat, verum etiam flectere ut vincat ». Id autem Parochus eo felicius obtinebit quo melius affectus modo timoris modo amoris excitare sciat. — Ad fructum obtinendum valde deservit si sermo unitatem habeat; ad unum nempe finem practicum tendat. Si de pluribus rebus disparatis sermo habeatur, populus confundi solet, ita ut de nihilo serio cogitans ab Ecclesia recedat; et tunc etiam verificatur proverbium: Pluribus intentus

minor est ad singula sensus. Non nego tamen quod interdum praestat ut circa plura populus admoneatur.

*H*) Sermo sit brevis. Trid. dicit : « Cum brevitate sermonis ». Ex praxi constat quod Parochiani proprium Parochum libenter audiunt, si ad modum patris brevem sermonem eis dirigat ; non vero si longas conciones ( quas forte ab extraneo praedicatore, nempe a voce nova, libentissime audirent ) eis faceret. Quamvis Parochus ex zelo sic se gereret, zelus huiusmodi in aedificationem non esset et approbari nequiret.

*I*) Curet Parochus ut sermo non solum propter brevitatem, sed etiam propter alias dotes, libenter audiatur. Qui semper in eo sunt ut populum obiurgent ; qui stridunt et ultra vires vocem elevant, aut quamdam cantilenam adhibent, aut semper eundem vocis tenorem servant nec iuxta diversos affectus illam inflectunt ; qui inconditis gestibus utuntur etc. ; hi libenter non audiuntur. Aliqua brevia exempla, et opportunae similitudines sermonem valde acceptum reddunt. Paternum amorem ostendere ; populum laudare ; docilitatem sibi repromittere ; sed imprimis loqui ex vero zelo et ex corde ; haec valde placent. — Caeterum interdum convenit ut aliqua dicendi vehementia adhibeatur, ut puta, loquendo contra scandala, contra profanationem Ecclesiarum aut dierum festorum, contra blasphemias etc

*K*) Sermo gravitatem praeseferat. Parochus nomine Dei loquitur. Pro Christo legatione fungitur. Verba quae profert non sunt sua sed Dei. Ab ineptiis itaque et facetiis caveat, atque ita se gerat ut populus cum magna veneratione omnia audiat.

*L*) Praeparatio necessaria est. Si sermo praedictis dotibus ( atque aliis infra exponendis ) praeditus esse debet, iam patet quod sine praeparatione fieri non potest. Bene praesumptuosus et temerarius esset, qui id possibile esse crederet. Neque valet excusatio quod de populo rudi agatur. Equidem cum populo culto magis polite quoad verba sermocinandum erit ; sed quoad substantiam difficultas semper eadem erit, imo maior quando populus ruditate et ignorantia laborat ; tunc enim multo plura explicanda sunt et multo studiosius. Iuvenes speciatim praeparatione indigent ; nec hallucinentur superbiâ, aut laudibus, quae forte sive merito sive ad animum addendum ( v. g., propter aliquem sermonem vel orationem panegiricam ) eis praebitae fuerint. Ut plurimum necesse erit ut sermo prius scribatur. Pro exercitatis tamen sufficere poterit si puncta principalia notaverint. Singulis annis eadem semper de verbo ad verbum repetere, populo non placet. Bene esset si tres

sermonum cursus haberentur: in quibus vel argumenta diversa, vel eadem sub diversis respectibus, aut saltem diverso ordine diversisque verbis evolvantur. Nec sermones conscripsisse sufficit; bene vero oportet ut memoriae bene traditi fuerint: titubantiae enim et repetitiones a populo non solum culto sed etiam rudi dignoscuntur, molestiam et taedium afferunt. Parochi existimationem minuunt, et tandem efficiunt ut sermo nullam aut fere nullam vim habeat. Qui memoriae labilitate laborant et sermone scripto utuntur, substantiam quoad puncta principalia optime sciant, ut, si memoria deficiat, aliis verbis sermonem ad finem ducere possint.

*M*) Attamen non exigitur ut Parochus concionem formalem iuxta omnes eloquentiae regulas (nempe cum exordio, propositione, divisione etc.) elaboret; sed satis est si brevem sermonem cum praedictis advertentiis et pro sua capacitate faciat: idque a S. C. C. apud Lambertini (Notif. X. 3) declaratum fuit.

*N*) Qui tanta memoriae labilitate laboraret ut memoriter sermonem recitare nequiret, utique posset illum scribere et legere; ita tamen ut lectio concionis similitudinem praeseferat. Neque damnandus esset, si librum adhiberet, in quo extent sermones populi sui capacitati accomodati; sed tunc aliquae additiones vel mutationes non raro necessariae essent. Qui autem quemlibet pium librum legeret, muneri suo non satisfaceret; pia enim lectio non est ille sermo de quo Tridentinum loquitur; multo magis quia materiae tractandae non sunt prorsus ad libitum, ut statim videbimus.

*O*) Quaenam materiae tractari debent? R. Trident. (V. II.) dicit: « Pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire om-« nibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis... « vitia quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, « ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam conse-« qui valeant ». Deinde (Sess. XXII. VIII.) subdit: « Inter « Missarum celebrationem... ex iis, quae in Missa leguntur, « aliquid exponant ». Duo itaque exiguntur: 1° Ut populus, circa ea omnia quae necessaria sunt ad salutem, sive necessitate medii sive necessitate praecepti, instruatur; 2° Ut aliquid, sive ex Evangelio sive ex Epistola sive quomodolibet ex Missa, explicetur. — Ubi itaque Parochus mane Evangelium vel epistolam explicet; post meridiem vero Catechismum ad populum habeat *, vel doctrinam pueris explicet dum populus

* Notandum *Primo*. Ut Parochus sic bis praedicet, ex consuetudine vel

praesens esse solet; tunc muneri suo satisfacit, dummodo in Evangelii explicatione de iis quoque ad populum sermonem habeat, de quibus ad pueros verba facere non convenit. Ubi autem non potest obtineri ut populus catechismo sit praesens; tunc (ut notat Soetler *Monita ad Parochos* III. v. § VI. 23), ad integram et plenam instructionem populo ipsi suppeditandam, necesse est ut Evangelii vel Epistolae explicatio ita industriose peragatur, ut in ipsa sufficiens instructio circa omnia necessaria contineatur. Neque id difficile est; ex Evangelio enim vel Epistola occasio sumi potest agendi ex professo aut saltem obiter (quamvis non progressive et ordinatim) modo de hoc vel illo Symboli Apostolici articulo; modo de hoc vel illo sive Dei sive Ecclesiae mandato; modo de hoc vel illo Sacramento aut medio salutis; modo de hac vel illa virtute etc.; ita ut tandem in fine anni omnia tractata fuerint. Exemplum habes in schemate sequenti.

753. Prima die anni. De Spe et necessitate bonorum operum. (Ex Epistola).

Epiphania. De interno et externo Dei cultu.

Dom. infr. oct. Epiph. De obligationibus filiorum erga parentes.

Dom. II. post Epiph. De Sacramento Matrimonii.

Dom. III. post Epiph. De Fide.

Dom. IV. post Epiph. De stabilitate et perpetuitate Ecclesiae; et quomodo in ipsa sola salus haberi potest.

Purif. B. M. V. De Maternitate et Virginitate Mariae SS.mae.

Dom. V. post Epiph. De obligationibus genitorum. (Ex verbis Evangelii *Cum dormirent homines*).

Dom. VI. post Epiph. De Communione Sanctorum. (Ex verbis Evangelii *Donec fermentatum est totum*).

Septuagesima. De Paradiso promerendo. (Ex verbis Evangelii *Concentione facta cum operariis ex denario*).

Sexagesima. De verbi Dei auditione.

Quinquagesima. De peccato mortali, quod homines excaecat, fuitque causa Passionis et mortis D. N. Iesu Christi.

lege Dioecesana teneri potest. *Secundo.* Cathechismus, si a duobus sacerdotibus ad modum dialogi fiat, populo magis placet; sed, ut bene succedat, plures advertentiae necessariae sunt. 1. Cavendum ne comoediam sapiat; et ne discipulus talia dicat ut populus vel ad risum habenas solvat, vel magis de argutiis ab eo auditis quam de magistri responsionibus cogitaturus sit; 2. Omnia ita praedisponi debent, ut magister responsionem convincentem semper in promptu habere possit, neque in tricas a discipulo coniiciatur; 3. Ex una parte inutilia sunt resecanda, et ex alia curandum ut de iis, quae ad instructionis integritatem requiruntur, nihil omittatur.

Feria IV. Cin. De Ieiunio, et Quadragesimae sanctificatione.

Dom. I. Quadrag. De Angelis et Daemonibus.

Dom. II. Quadrag. De sexto Decalogi praecepto. (Ex epistola).

Dom. III. Quadrag. De Sacramento Poenitentiae, quoad integritatem confessionis, et curam non recidendi. (Ex verbis Evangelii *Locutus est mutus... Fiunt novissima hominis illius peiora prioribus*).

Dom. IV. Quadrag. De Sacram. Eucharistiae, quoad dispositiones ad illud recipiendum, et gratiarum actionem.

In festo S. Ioseph. De modo bene moriendi, (ubi incidenter de Sacram. Extremae Unctionis).

Dom. Passionis. De vindicta non facienda et de inimicis diligendis. (Ex verbis Evangelii *Samaritanus es tu; Daemonium habes; tulerunt lapides*).

In festo Annunt. B. M. V. Explicatio Salutationis Angelicae.

Dom. Palmarum. De Passione, morte et sepultura D. N. I. C.

Dom. Paschatis. De Christo resurgente, postquam ad limbum descenderit.

Fer. II. Pasch. De variis apparitionibus, quibus D. N. I. C. resurrectionem suam confirmavit.

Dom. *in Albis*. De Remissione peccatorum.

Dom. II. post. Pasch. De unitate et catholicitate Ecclesiae, et de amore Iesu Christi erga illam.

Dom. III. post Pasch. De bono exemplo, et de scandalo (Ex epistola).

Dom. IV. post Pasch. De Sacram. Poenitentiae, quoad necessitatem verae contritionis, quae est donum Spiritus Sancti (Ex verbis Evangelii: *Cum venerit ille arguet mundum de peccato*).

Dom. V. post Pasch. De orandi necessitate. Explicatio orationis dominicalis.

In Rogationibus. De gratiis etiam temporalibus a Domino petendis: et quo pacto illas sperare possumus. (Ex epistola).

In Ascensione D. N. I. C. De hoc mysterio; et quomodo Christus ad dexteram Patris sedens interpellet pro nobis.

Dom. infr. octav. Ascens. De fortitudine hominis Christiani, qui nec odium improborum nec persecutiones timere debet. (Ex epistola).

Dom. Pentecosten. De Spiritu Sancto.

Fer. II. post Pentec. De Sacramento Confirmationis, et de fide bonisque operibus audacter manifestandis (Ex verbis Evang. *Qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius*).

Dom. SS. Trinitatis. De Deo uno et trino, de necessitate Baptismi, et de modo baptizandi privatim in casu necessitatis *.

Dom. I. post Pentec. De charitate erga proximum.

Solemn. Corporis Christi. De Eucharistia, speciatim quoad praesentiam realem et adorationem SS.mi Sacramenti.

Dom. infra oct. Corporis Christi. De Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae frequenter suscipiendis.

Dom. III. post Pentec. De Divina Misericordia.

In festo S. Ioan. Baptistae. De Fide : quatenus miracula, quae in nativitate S. Ioan. Baptistae acciderunt, eius sanctitatem probant, et quomodo proinde Iesus Christus, a Ioanne praedicatus, sit verus Messias et Redemptor mundi.

In festo S. Petri. De Romano Pontifice ( quatenus leges ferendi auctoritatem habet ), et de mandatis Ecclesiae.

Dom. IV. post Pentec. De Romano Pontifice ( quatenus est magister supremus et infallibilis ), et de doctrinis et libris ab eo damnatis ( Ex verbis Evangelii *Ascendens in unam navem, quae erat Simonis, docebat de navicula turbas* ).

Dom. V. post Pentec. De proximo neque factis neque verbis laedendo, et de pace servanda cum omnibus.

Dom. VI. post Pent. De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

Dom. VII. post Pentec. De sociis et libris pravis.

Dom. VIII. post Pentec. De Iudicio particulari ( Ex verbis Evangelii *Redde rationem villicationis tuae* ).

Dom. IX. post Pentec. De reverentia Ecclesiis praestanda.

Dom. X. post Pentec. Quomodo sit orandum.

Assumpt. B. M. V. De devotione erga Beatissimam Virginem.

Dom. XI. post Pentec. Quantum sit difficilis conversio peccatorum in malo obduratorum, qui Deum nec audire nec deprecari volunt. De zelo pro eorum salute, maxime si infirmi et in periculo mortis essent. ( Ex verbis Evangelii *Adducunt ei surdum et mutum.... Suspiciens in coelum ingemuit* ).

Dom. XII. post Pentec. De genere humano a peccato originali sauciato et semivivo relicto. De Filio Dei, qui misericordia motus suo ipso sanguine et sacramentis, et speciatim Baptismo, illi medelam praestat, atque Vicario suo ( Romano Pontifici ) illum committit, ut curam illius habeat.

Dom. XIII. post Pentec. De contritione perfecta, eiusque efficacia.

* Rituale ( De Ministr. Baptismi ) dicit: « Curare debet Parochus, ut fide-« les.... rectum baptizandi ritum probe teneant ».

Dom. XIV. post Pentec. De Providentia Dei; et de evitanda nimia rerum temporalium sollicitudine.

Nativit. B. M. V. De modo habendi veram devotionem erga Beatissimam Virginem.

Dom. XV. post Pentec. De miraculis, quibus D. N. I. C. divinam suam missionem comprobavit.

Dom. XVI. post Pentec. De operibus permissis, et de operibus vetitis diebus festis.

Dom. XVII. post Pentec. De Charitate erga Deum.

Dom. XVIII. post Pentec. De pravis cogitationibus.

Dom. XIX. post Pentec. De Inferno.

Dom. XX. post Pentec. De Prudentia christiana, et speciatim de spiritu roborando, de sensibus custodiendis, de periculis vitandis et de passionibus mortificandis. (Ex epistola).

Dom. XXI. post Pentec. De iustitia, et de restitutione.

Dom. XXII. post Pentec. De mendacio et iuramento.

Sol. omnium Sanct. De intercessione Sanctorum, et de cultu, quem illis eorumque reliquiis ac imaginibus praestare debemus.

In Commem. omnium Defunctorum. De peccato veniali, de debito poenae post confessionem, de Purgatorio et suffragiis.

Dom. XXIII. post Pentec. In infirmitatibus ad Deum, non vero ad superstitiones recurrendum. (Ex verbis Evangelii *Mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis*).

Dom. XXIV. post Pentec. De Resurrectione mortuorum et de Iudicio finali.

Dom. I. Adventus. De incarnatione Domini N. I. C. et de sanctificatione temporis Adventus.

Conceptio Immac. B. M. V. De peccato originali, et de Virgine Maria ab ipso praeservata.

Dom II. Advent. De cognitione et amore Domini N. I. C. in nobis atque etiam in aliis procurando.

Dom. III. Advent. De veneratione summa, qua Dominum N. I. C. excipere debemus; et de horribili peccato illorum qui eum blasphemant, aut in Communione sacrilege recipiunt.

Dom. IV. Advent. De Poenitentia, qua sordes omnes abluere, et de virtutibus quibus nos ipsos ornare debemus, ut Dominum N. I. C. in cordibus nostris digne excipiamus.

Solemnit. Natalis. De hoc mysterio; seu de circumstantiis nativitatis Domini N. I. C.

In Festo S. Stephani. De Paradiso, quem Iesus nobis aperuit, cuius intuitu quaelibet sacrificia alacriter pati debemus. (Ex verbis Epistolae: *Ecce video coelos apertos*).

Dom. infr. oct. Nativitatis. De gratia Dei, quae nos Dei ipsius amicos et filios, et Iesu fratres atque cohaeredes constituit.

Ultima die anni. De beneficiis divinis; de gratitudine erga Deum, et de gratiarum actione ei persolvenda.

*Nota.* Aliqua ex praedictis argumentis fortasse non sufficientem materiam pro sermone praebent, et tunc satis erit si incidenter evolvantur. Alia e contra sub omnibus respectibus tractari nequibunt; et tunc sub uno respectu in primo anno, sub aliis vero annis sequentibus tractabuntur. — Si Parochus identidem sermonem aliis committat, de materiis evolvendis eos praemoneat. Cf. Monita ad Parochos (1 c.).

754. Quamvis modo circa unam modo circa aliam Religionis veritatem populus detineri debeat, tamen curandum ut quaedam veritates magis necessariae saepius incidenter et speciatim in perorationibus repetantur. Huiusmodi sunt 1° Quantum Deus sit existimandus et diligendus; 2° Quantum D. N. I. Christo obligati simus, et quanto amore eum prosequi debeamus; 3° Damnatio aeterna quantum sit formidanda; 4° Paradisus quantum sit expetendus; 5° Quantam vim nobismetipsis inferre, et quam caute procedere debeamus, ut damnationem effugere et salutem aeternam consequi possimus. 6° Quantum periculum aeternae damnationis ex pravis habitibus et occasionibus proximis immineat; 7° Oratio, devotio erga Mariam V., frequentia Sacramentorum, verbi Dei auditio, bonorum librorum lectio, et alia media salutis quantum unicuique cordi esse debeant.

755. De iure communi in propriis Ecclesiis Parochi permittere nequeunt ut alii Sacerdotes praedicent, quamvis de unica vice ageretur, nisi ab Episcopo licentiam obtinuerint. Sed hac in re locales consuetudines legis rigorem passim imminuunt; et, quando agitur de Sacerdote iam alias approbato, licentia praesumpta pro una vel alia concione (non vero pro Missione aut praedicatione quadragesimali) facile sufficit. Berengo (n. 61).

756. Boni Parochi spiritualia exercitia aut Missiones populo suo identidem procurant, de quibus Pius IX (*Encycl. Nostis*) dixit: « Ubi operariis idoneis commissae fuerint, valde utiles, « benedicente Domino, esse constat, tum fovendae bonorum « pietati, tum peccatoribus, et longo etiam vitiorum habitu « depravatis hominibus, ad salutarem poenitentiam excitandis ». Aliqui TT. eo usque procedunt, ut strictam conscientiae obligationem imponant Parochis advocandi missionem, quando in Paroecia reperiuntur notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium. Sed de hac obligatione ambigendum

esse videtur; hae enim notabiles morum dissolutiones nonne adsunt semper et ubique? In civitatibus praesertim nonne adsunt morum dissolutiones non solum notabiles sed gravissimae? Nihilominus communiter Parochi etiam timoratae conscientiae credunt quidem se propriam operam praestare debere, sed ad Missiones advocandas se teneri non existimant; et propter id nemo illos vituperandos aut culpandos esse censet, quasi essent mali Parochi et muneri proprio non satisfacerent.

## § IX.

*Quomodo se gerere debeat Parochus circa Sacramenta.*

### DE BAPTISMO

*ad Sacrum Fontem administrato.*

757. I. « Baptisterium sit ... decenter ornatum et cancellis « circumseptum, sera et clavi munitum, atque ita obseratum, « ut pulvis vel aliae sordes intra non penetrent; in eoque (ubi « commode fieri potest) depingatur imago S. Ioannis Christum « baptizantis » Rit. Rom.

II. Aqua Sacri Fontis in Sabbato tum Paschae tum Pentecostes (veteri in sacrarium effusa) benedici debet. Quid si hora benedictionis Sacra Olea adhuc non pervenerint? R. Aqua nihilominus benedici debebit; et quoad Oleorum infusionem distinguendum. Si intra diem perventura sint, infusio facienda erit postea privatim cum precibus ut in Missali; si vero diutius retardare possint, aut si necessitas urgeret administandi Baptismum hic et nunc; tunc Oleis veteribus utendum esset. S. R. C. Decr. 4252, 4820, 5294. — Habitis novis oleis (et non antea) vetera bombagio intrisa comburantur; liquida vero (si adsint) pro lampade SS.mi Sacramenti adhibeantur. Berengo (74).

Si infra annum aqua benedicta deficere incipiat ita ut sufficienter duratura non sit, alia aqua non benedicta addi poterit, sed in minori quantitate. — Si vero totaliter defecerit, aut corrupta evaserit; tunc fons mundari debebit, et statim nova erit consecranda iuxta formulam quae in Rituali adest.

III. Sacra olea, quae in baptizandis pueris adhibentur, in loco humiditati non subiecto custodiantur; et, si deficere incipiant, tantillum olei non benedicti adiungi poterit.

IV. Unica stola bicolor, nempe ex una parte violacea et ex alia alba, sufficere potest. S. R. C. Decr. 5285.

V. Linteamina, bombacium, sal benedictum, cochlear, pelvis etc., haec omnia sint munda et decentia.

VI. De iure communi Parochus parochianos suos dumtaxat baptizare potest; et si alienos baptizaret (extra casum necessitatis) graviter peccaret. Berengo (n. 73). Alicubi tamen consuetudines locales iuri communi derogarunt.

VII. Parochus delegare potest alium Sacerdotem, sed non Diaconum, nisi de expressa Episcopi licentia. Berengo (n. 78).

VIII. Si aqua conglaciata fuerit, liquefacienda erit in vasculo ad id servando; et, si nimis frigida foret, parum aquae non benedictae calefieri et adiungi poterit. Rit. Rom.

IX. Aqua super caput infantis infundatur; et, si forte capilli densi essent, cavendum ne cutis ablutionem impediant. Aqua autem non intra fontem redire, sed in pelvim (ad hunc solum usum deservientem) et ex hoc in sacrarium infundi debet. Rit.

X. Rituale dicit, publicos peccatores a Patrini officio arceri debere. Sed oportet 1° Ut vere sint tamquam tales publice noti: 2° Ut reiectio fiat prudenter, v. g., curando prius bonis modis ut se non praesentent, aut vocando eos ad colloquium secretum et dicendo quod Ecclesia illos admittere nequit ut patrinos, quamvis possint assistere ut testes; sed nunquam publice (et saepe ne private quidem, ad vitanda litigia) indicetur motivum; et, si alius patrinus commode accersiri nequeat, sine patrino Baptismum conferatur; 3° Ut reiectio ita peragi possit ut mala maiora non provocentur; de quibus in nostris civitatibus vix unquam timendum non erit. Cf. Scavini (III. 228). Caeterum Regulares utriusque sexus ab officio patrini prorsus excluduntur ex Rituali; Clerici vero (ex legibus dioecesanis fere ubique) Episcopi licentia indigent.

XI. Nomina obscoena, ridicula, aut inanium Deorum prorsus propria, non acceptentur. Rituale dicit, esse quoque curandum ne Ethnicorum nomina apponantur; sed quaedam ex istis, v. g., Hercules, Scipio, Caesar etc. Christianis quoque communia evaserunt; unde, si respuerentur tamquam vetita, id pro scrupulo et morositate haberetur. Caeterum Parochus (ubi prudenter possit) consilium dabit ut nomina Sanctorum semper eligantur. Rit.

XII. Ubi quovis momento infantes ad Baptismum afferri possunt, Parochus curare tenetur ut ipse vel alius Sacerdos semper praesto sit; ne scilicet propter moram infantes alicui detrimento exponantur. Cavendum etiam ne, propter frigiditatem sive aquae sive aeris, aliquod nocumentum subeant.

XIII. Baptismi collati descriptio fieri debet statim, infante adhuc praesente, non iam in folio pro memoria, sed in libro baptizatorum (qui nulla de causa e domo parochiali alibi unquam deferri potest). Descriptio non solum scrupulosa veritate sed etiam magna perspicuitate praedita esse debet. — Si proles ex muliere coniugata nata fuerit, semper eius marito adscribatur, neque querelis adulterii (ante iudicis sententiam) ullo modo aures praebeantur. — Si coniuges civiliter dumtaxat iuncti sint, id notetur. — Si demum proles extra quodlibet matrimonium nata fuerit, tunc parentum nomina (quamvis notissimi essent) non scribantur, nisi pater exigat ut proles ei adscribatur et se subscribat. Berengo (n. 88).

XIV. Curandum ut infantes ad Baptismum deferantur quamprimum. Attamen dilatio aliquorum dierum de peccato (maxime mortali) incusari nequit. Differre tamen ultra mensem sine causa rationabili mortale esset iuxta omnes. Cf. S. Lig. (VI. 118). — De caeremoniis supplendis, si forte puer propter mortis timorem domi baptizatus fuerit, quid simile dici debet.

XV. Si puer ad Ecclesiam delatus iam iam moriturus videretur; tunc, omissis caeremoniis praeparatoriis, statim baptizandus esset, prosequendo (si puer superviveret) caetera quae Baptismum subsequuntur; et postea ritus praeparatorii suppleri deberent.

XVI. In dubio de vita, infans baptizari deberet sub conditione: *si vivis*.

XVII. Quid de monstris? Si vivant et caput habeant, quamvis deformatum aut ad modum bruti, baptizari debent, nec refert si alia membra desint. Pectus tamen deesse non potest, quia caput sine pectore nunquam invenitur. Si capitis existentia ambigua sit, tunc baptismum dari debet cum conditione; *si es homo*. Deficiente capite, pectus (nempe cor) quoque deficiet, et tunc, si venter dumtaxat (cum vel sine cruribus) adesset, Baptismum conferri non deberet. — Circa monstra *duplicata*, iuxta Physiologos, duo sunt certa. 1° Si caput et cor unicum sit, tunc individuus unicus est, et proinde unicum Baptismum dari debet; nec refert si v. g. brachia aut crura sint quatuor, aut venter duplex. 2° Si caput et cor sit duplex, tunc (quamvis venter unicus sit) individui sunt duo; et proinde duo Baptismata dari debent. Imminente tamen mortis periculo, ambo capita aspergi possunt, dicendo: *Ego vos baptizo etc.* Si vero caput esset duplex sed cor unicum; tunc aliqui Physiologi dubitant utrum individuus sit unicus, an vero sint duo.

Capellmann dicit: « Si solummodo caput duplex est, totus au-« tem truncus simul cum pectore ( corde ) simplex, proba-« biliter tantum dici potest duos distinctos homines adesse ; « unum igitur caput absolute baptizetur, deinde alterum sub « conditione: *si non es baptizatus* ». Idem dic si caput esset unicum sed cor duplex, quo in casu caput baptizetur absolute, et unumquodque pectus sub conditione; dixi *unumquodque*: tunc enim discerni nequit quodnam pectus simul cum capite baptizatum remanserit. — Si demum in capite unico duae facies adessent, tunc de duobus individuis suspicandum esset, si cerebrum duplex videretur; idemque dicendum toties quoties capitis aut pectoris duplicitas videretur adesse, sed clare non distingueretur. Ita (inquam) aliqui Physiologi: quamvis ego, ex sola cerebri (in quo residet intellectus) unitate vel duplicitate, animae unitatem vel duplicitatem pendere existimarem. In praxi tamen standum a parte tuta.

Theologi quaestiones instituunt circa monstra, quae ex coitu inter virum et belluam, vel brutum et mulierem, nata fuerint. Sed in huiusmodi immorari non refert. Capellmann dicit: « Ge-« neratio inter hominem et brutum certissime non invenitur ».

XVIII. Quid de pueris, qui ad Ecclesiam deferuntur, et domi baptizati esse dicuntur? R. 1° Non potest approbari praxis eos omnes indiscriminatim rebaptizandi sub conditione, ut patet ex Benedicto XIV. ( De Syn. VII. VI. 4 ). 2° Testis etiam unicus sufficere potest; et, si obstetrix fateatur Baptismum a se ipsa administratum fuisse, non facile ad puerum rebaptizandum procedi poterit: si enim ipsa sit non solum nomine sed etiam factis catholica, et Parochus aliis vicibus circa modum baptizandi illam examinaverit atque peritam invenerit, nec praesens casus ullam specialem difficultatem praesetulerit; tunc de valore Baptismi ab ea collati non erit dubitandum. 3° Si non ab obstetrice sic probata, sed ab alia persona administratum fuerit, tunc minutiores inquisitiones fieri debebunt; inquirendum erit scilicet quaenam, quanta, et in quanam corporis parte aqua infusa fuerit: quaenam verba fuerint prolata, et quando; num ab eadem persona forma prolata et aqua infusa fuerit; quot et quibus praesentibus administratio locum habuerit. Generatim de obstetricibus parum religiosis, aut iuvenibus et levibus, aut incognitis non erit fidendum. 4° Si de Baptismo rite collato non sit dubitandum, solae coerimoniae suppleantur; secus Baptismum administretur, sive absolute sive sub conditione, secundum quod de eo valide non collato prudens certi-

tudo aut dubium habeatur. Dixi *prudens*; si enim qui baptizavit praesens non esset, et ex praesentium testimonio ad nullam prudentem decisionem deveniri posset: tunc (nisi infans vita periclitaretur) supersedendum esset. Cf. Berengo (n. 87).

XIX. Pueri expositi non sunt baptizandi si ab obstetrice deferantur, et ex eiusdem testimonio de Baptismo rite collato Brephotrophii Rector iuxta supradicta certus evadere possit. Secus sub conditione baptizandi erunt. Rit. Rom. Nec refert si puer in aetate plurium mensium, aut etiam unius anni cum dimidio constitutus videatur. Ultra hanc aetatem, Episcopus consulendus esset. Sola schedula collo infantis appensa, quae moneat illum fuisse baptizatum (et multo magis si diceret, puerum non debere baptizari) non sufficit: quamvis enim forte baptizatus fuisset, nunquam constabit an rite. Si schedula fuisset a Parocho exarata, tunc etiam Berengo (n. 82) credit, rem dubiam remanere, quum contingere possit quod illa schedula pro alio puero conscripta fuerit. Ego dicerem, in casu Parochum ipsum esse interpellandum. Cf. Bened. XIV. (l. c.). Filii vagorum (quorum religio ignorari solet) si forte derelicti inveniantur, baptizari debent sub conditione; idque quamvis quatuor vel quinque et amplius aetatis annos habere viderentur; nisi ex certis argumentis, eos fuisse rite baptizatos, constaret. Gousset.

XX. Quid de haereticis et protestantibus ad Fidem conversis? R. « Instituto in singulis casibus examine, si compertum « fuerit aut nullum (Baptismum) aut nulliter collatum fuisse, « baptizandi erunt absolute. Si autem, pro temporis et locorum « ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive « pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Bapti- « smi validitate supersit, tunc *sub conditione* secreto baptizentur. « Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tan- « tummodo ad abiurationem, seu professionem fidei ». Ita S. C. Inquisitionis 20 Nov. 1878 contra Gury omnino corrigendum.

XXI. Filii ex fornicatione nati, nocturno tempore (ad vitandum scandalum et infamiam) baptizari possunt. Certe pro iis et pro infantibus ex solo matrimonio civili progenitis organorum et campanarum sonitus (si haec signa laetitiae occasione Baptismi in more sint) permitti nequeunt; idque iam decisum fuit. Cf. Berengo (n. 78).

XXII. Valide baptizatur, qui a ministro creditur esse masculus dum revera foemina est; minister enim praesentem et non alium baptizare intendit. Gury (II. 247).

XXIII. Baptismus solemniter (nempe cum coeremoniis a Rituali praescriptis) solum in Ecclesia ad Sacrum Fontem ministrari potest: non vero domi, excepto casu magnorum Principum. Aliis in casibus non est concedenda licentia; et abusus caute removendi. S. R. C. 27 Apr. 1877. — Quid autem de Baptismo privatim conferendo in casu necessitatis dicendum sit, statim patebit.

DE BAPTISMO

*in necessitate privatim conferendo.*

758. I. Officium baptizandi privatim vix unquam pertinebit ad Parochum; et proinde quae hic dicuntur ei deservire poterunt dumtaxat ut obstetricibus (et quandoque matribus) consilia dare possit; atque ut cognoscat an infantes domi baptizati, si postea supervixerint, iterum baptizandi sint, nec ne.

II. In casu necessitatis quicumque (etiam haereticus vel infidelis) baptizare potest: attamen clericus (si adesset) laico praeferri deberet; et vir foeminae; nisi pudoris gratia deceat, foeminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi foemina formam et modum baptizandi melius sciret. Pater et mater propriam prolem, nisi deficiente quocumque alio, baptizare non debent. Rit.

III. Cavendum ne unus infundat aquam et alius formam pronunciet; tunc enim Baptismus invalidus esset.

IV. Aqua in capite infundi debet, ut dixi. Si in alia parte infunderetur, speciatim si haec pars exigua esset (ut manus, digitus etc.), Baptismus plus vel minus dubius esset. Si autem supra vestes, tunc TT. hodie dicunt, Baptismum esse certe invalidum. Sed reapse dubitandum est, cum quibusdam Theologis, quos S. Lig. (VI. 107. III) citat; secus enim quid de Baptismo quod olim per aspersionem administrabatur?

V. Baptismus privatim sola aquae infusione et formae prolatione administrari debet. Si tamen ministraretur a Sacerdote, ille coeremonias quae Baptismum subsequuntur, non vero eas quae praecedunt, adhibere posset. S. R. C. Decr. 4572.

VI. Si obstetrix manus sanguine deturpatas habeat, cavere debebit ne in ipsis sic deturpatis aquam recipiat, speciatim in quantitate adeo exigua, ut, propter sanguinis mixturam, Baptismi valor in discrimen ponatur.

VII. Si casus urgeat, et aqua in promptu non habeatur,

tunc, si materia dubia adsit, illa adhiberi debebit sub conditione. Materia dubia esset, v. g., iusculum, lixivium, aqua mixta vino in quantitate circiter aequali, aqua ex sale soluto, nix, glacies etc. Cf. S. Lig. (VI. 103, 104).

VIII. Casus necessitatis magis obvius est, quando timetur ne infans in lucem editus cito moriturus sit, ita ut tempus afferendi illum ad Ecclesiam superesse non videatur. Id contingeret 1° Si puer sine vagitu nasceretur; 2° Si modice respiraret; 3° Si lividus appareret, praesertim in facie; 4° Si cranium valde molle aut monstruose dimidiatum, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disiunctas haberet, aut manifesta gravique infirmitate in organis ad vitam necessariis laboraret: 5° Si morbo acuto (cum febri) afficeretur; 6° Si natus fuisset antequam septimum mensem vitae intrauterinae incoepisset; 7° Si sanus non appareret, et obstetrix (propter partus difficultatem) illum valde vexasset. Ita Capellmann.

IX. Quid si foetus iam in lucem editus signa vitae non daret? R. Si sit maturus aut saltem septimum mensem incoeperit, aliqua diligentia in signis vitae exquirendis praestanda erit, antequam Baptismum conferatur. Si vero sit immaturus, non erit trahenda mora in exquirendis signis vitae, et Baptismum illico dari debebit sub conditione *si vivis*, nisi primo intuitu evidentia signa mortis oculos percellant; aut nisi gravissimae rationes suadeant, illum vivum esse non posse, ut puta, si mater pluribus horis ante partum copiosissimo sanguinis profluvio subiecta fuerit, vel iam inde a pluribus diebus liquorem amnii (nempe aquas in quibus foetus natat et sine quibus intra uterum vivere nequit) effuderit.

X. Quid de exiguis foetibus abortivis? R. Ex corpore matrum interdum exeunt quaedam massae carneae (vulgo *molae*) modo magnae, modo exiguae, modo crassum modo tenue tegumentum habentes, modo solidiores et modo ex multis vesiculis liquore repletis efformatae, interdum cum nonnullis ossibus etc. Hae molae ex membranis ovi foecundati et ex residuis foetus in eo mortui conflantur; neque est cur de Baptismo pro rebus huiusmodi loquamur. Interdum autem exit ovum, nempe foetus clausus intra membranam in forma ovi; et tunc, si adsint signa manifesta mortis (nempe si sit putridum, vel si exierit a multo tempore, vel si exierit discissum in primis graviditatis mensibus, vel si foetus appareat et sit obfuscus et colore cineris) Baptismus conferri non poterit. Si vero haec signa desint, tunc signa vitae (quae saepe solis instrumentis

microscopicis percipi possent ) inquiri non debent, sed statim Baptismus conferendus est, quamvis de primo mense ageretur; hodie enim satis compertum est quod foetus a primo conceptionis momento anima informatur.

XI. Modus aptior baptizandi hos exiguos foetus videtur sequens. Baptizentur prius super membranam, qua involvuntur, sub conditione: *Si capax es.* Dein caute ( pollice et indice utriusque manus aliquam membranae ipsius plicaturam apprehendendo ) membrana disrumpatur sub aqua, dicendo : *Si non es baptizatus etc.* Si tamen foetus esset grandiusculus ( nempe circiter duorum mensium seu 20 millim. ), tunc extra aquam membrana aperiri poterit ( foetus enim grandiusculus propter aeris impressionem non statim occiditur ) et sic, evacuato lente amnii liquore, Baptismum more solito administrari. Verum est quod abruptio membranae et infusio aquae foetum occidit: sed ex una parte, si foetus intelligeret, de hoc contentus esset, et ex alia praesumendum est omnino quod Deus quoque contentus sit. Porro Gousset ( II. 85 ), Debreyne, Capellmann aliique sic faciendum esse docent, et ne per somnium quidem hoc homicidii reatum contrahi posse cogitarunt.

Nunc dicendum est aliquid de foetu, qui ex utero matris partialiter duntaxat aut nullo modo exierit; et ( iudicio medici vel obstetricis ) in periculo mortis versetur.

XII. Quoad foetum, qui partialiter exiit, Rituale dicit: « Si « caput emiserit, baptizetur in capite, nec postea ( si vivus « evaserit ) iterum baptizandus. At si aliud membrum emise- « rit, quod vitalem indicet motum, si periculum impendeat, « in illo baptizetur; et tunc, si natus vixerit, erit sub condi- « tione ( *si non es baptizatus etc.* ) baptizandus ».

XIII. Quid de foetu, qui non equidem ullo modo exierit, attamen circa vaginae orificium adstet? Rituale dicit: « Nemo « in utero matris clausus baptizari debet »; sed hoc intelligendum est si foetus sit vere clausus, non vero si ( ut in casu supponitur ), utero plus vel minus aperto, aqua Baptismi ad eum pertingere possit; tunc enim TT. communiter docent, puerum baptizandum esse sub conditione: *Si capax es;* imo cl. Ballerini ( n. 239 ) censet quod, si aqua ad caput pueri pertingeret illudque vere abluerat, de Baptismi validitate nullum dubium superesset. Si instrumentum ad aquam iniiciendam non haberetur, digitus madefactus adhiberi posset, sed ita ut puer aqua non solum tangatur, sed ( motu digiti ) abluatur. Quum tamen aqua in digito facile evanescere possit antequam foetus

tangatur, ego penicillum potius, vel spongiam, vel bombacium, vel pannículum aqua bene intrisum adhibendum esse dicerem: et de valore Baptismi adhuc dubitarem, si foetus in exigua dumtaxat parte madefactus remansisset, ita ut puer vere lotus dici non posset; unde tunc, si superviveret, iterum sub conditione baptizari deberet. Cf. Salmant. (II. 42). Idem dic a fortiori si non in capite, sed alibi madefactus fuerit. Et notandum quod, si funículus umbilicalis prolapsus reponi non posset, et pulsatio funículi semper debilior fieret: tunc Baptismum conferri deberet sine mora, sed non in funículo ipso, bene vero in corpore infantis, quod tunc semper attingi poterit. Capellmann.

XIV. Quid si ad uteri orificium non puer, sed solum eius involucrum (nempe decidua, it. *la secondina*) se praesentet? R. Baptismum (in casu urgenti) etiam tunc ministrari deberet sub conditione. Ita TT. passim. Dicunt: quia illud involucrum cum infantis umbilico unitur et sic tamquam pars infantis considerari potest. Capellmann hanc rationem excludit omnino: nunquid enim, quando decidua reciditur, pars pueri reciditur? Neque verum est quod decidua cum funículo umbilicali connectatur. Connectuntur aliae duae membranae interiores (amnios et corion); sed non decidua. Dicendum est potius, deciduam esse quasi vestem, nec esse certum quod Baptismum supra vestes collatum invalidum sit, ut supra dicebam. Ut securius Baptismus ministretur, involucrum ipsum perforari poterit, ita ut aqua corpus infantis immediate attingat; sed operatio huiusmodi ad peritos spectat; contingere enim potest quod tum foetui tum matri maximum nocumentum (et quidem sine ulla finis intenti consecutione) inferatur. Cf. Capellmann. Nec Parochus quemquam ad rem huiusmodi impellere debet, nisi quatenus matri nullum discrimen obventurum sit; ne Religio odiosa reddatur. Gousset (II. 83).

XV. Quid de operatione caesarea ad baptizandum foetum, mortua matre?

R. Si gravissima indicia suadeant, foetum quoque esse mortuum (ut puta, si mater morbo diuturno subiecta fuerit; maxime vero si corrupta ac putrida profluvies ex illius utero exierit); tunc certe de sectione et Baptismo cogitandum non erit. Idem dic si sectio inutilis censeatur, eo quod non adsit spes extrahendi foetum vivum, prout contingeret in primis tribus mensibus, ut ait Capellmann (De 5° praec. II.).

Si vero credendum sit, foetum vivere et vivum extrahi posse; tunc sciendum, bene possibile esse quod, mortua matre,

foetus supervivat horis pluribus : imo multis ( nempe 30 vel 40 vel 50 ) si mors repentina fuerit: et de his casibus exempla insignia habentur. Cf. *Monitore* ( II. n. pag. 154 ). Hinc Rituale dicit: « Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quam« primum caute extrahatur; ac. si vivus fuerit, baptizetur ». Parochus itaque tempestive curare debet ut actu mortis ( vel saltem quo citius fieri poterit ) medicus interveniat et operam suam praestet: ad quam praestandam iuridice quoque cogi potest, si foetus sit maturus, aut saltem vitabilis ( si nempe septimum mensem incoeperit ). Mortua matre et medico non adhuc veniente, venter defunctae calidus servari debet. Antiqui dicebant, esse quoque curandum ut os matris apertum teneatur; sed hoc inutile est.

Sed quid si medicus (aut obstetrix) nimis tardaret, aut (eo quod, v. g., foetus non sit vitabilis ) omnino se praestare nolet? Deberetne Parochus ipse operationem exequi? Gousset ( II. 83 ). Scavini ( IV. 207 ). Konrich, Rivarolo, Capellmann etc. negative respondent, et merito. Credendum est enim quod puer sine Baptismo decedens tormentis subiectus non erit. Naturalem felicitatem assecuturum esse plures existimant. Aliunde personae imperitae fere nullam boni exitus spem habere possunt, ut medici testantur. Hinc obligatio peragendi operationem adeo horribilem, cum periculo subeundi poenas a lege civili comminatas, nemini imponi potest; et multo minus Sacerdotibus, quibus huiusmodi operatio indecentissima esset.

XVI. Quid de operatione caesarea in foemina viva?

R. Haec operatio ab arte medica indicatur in duobus casibus: 1° Si foetus nec vivus nec mortuus via ordinaria extrahi possit; 2° Si foetus solum ope forcipis frustatim extrahi queat. In utroque casu, si operatio fiat, hodie maior pars matrum et filii omnes salvantur; et, si non fiat, in primo casu nemo salvatur, et in secundo matres dumtaxat (et non omnes) salvantur. — Potestne mater operationi consentire, et medicus illam exequi? Miror quod Gury ( II. 256 ) id neget, etiam pro primo casu, in quo, operatione non facta, ambo morituri sunt, toties quoties ( ait ) periculum probabile adsit ne operatio ipsa matri mortem acceleret. Equidem periculum istud vix unquam aberit: sed quid inde? Operatio, quae mortis certitudinem eliminat, et periculum probabile dumtaxat relinquit, nonne benefica erit? Capellmann ( De 5° praec. II. ) dicit: « Ad avertendum periculum « vitae, operationes capitales licent, quia, loco mortis praevi« sae, probabilitatem vel saltem possibilitatem salutis ponunt ».

Etiam in secundo casu operatio licita est, quia ex una parte salvatur foetus, et ex alia mater circiter in eodem periculi gradu remanet; subsequens enim foetus extractio ope forcipis, pro matre valde periculosa est; maxime si expectari velit ut foetus ipse prius moriatur.

Imo in rigore videtur quod mater in dictis casibus non solum possit sed debeat consentire, quum hodie ope chloroformii operationes absque dolore peragantur, et abstractio foetus ope forcipis plus doloris afferat. Haec obligatio adhuc magis urgeret, si sic et non aliter Baptismus conferri posset. — Caeterum, si mater in bona fide esset atque ab operatione subeunda abhorreret, Parochus prudentiam adhibebit, ne, morte adeo instante, concepta conscientia peccati mortalis, in aeternum damnetur. Gousset (l. c.).

XVII. Filii Hebraeorum aliorumque Infidelium absque consensu parentum baptizari non debent; ipsi enim in propria infidelitate permanerent, et tunc ad quid Baptismum? Apostatas constitueret et nihil aliud. Excipe. 1° Si usum rationis adepti baptismum peterent; 2° Si infans in articulo mortis versaretur (non tamen sub oculis parentum se opponentium); 3° Si ageretur de perpetuo amente; 4° Si Infideles infantem Catholicorum brephotrophio tradidissent; Catholici enim puerum sibi traditum non nisi in catholica religione educare possunt; unde tunc non esset attendendum si forte infans schedulam haberet dicentem, Baptismum non esse conferendum; 5° Si ex parentibus unus consentiret.

De filiis Apostatarum (si isti nolint ut filii baptizentur) ob rationis identitatem idem dicendum; prout sentit Gousset (II. 81).

## DE CONFIRMATIONE

759. Quoad Sacramentum Confirmationis satis est si Parochi prae oculis habeant sequentia.

I. Obligatio recipiendi hoc Sacramentum (quidquid dicant Gury et Ballerini II. 269) est gravis. Rituale Rom. (in Appendice novissima) apertissime dicit: « Sine gravis peccati « reatu respui non potest ac negligi, cum illud suscipiendi op« portuna adest occasio ». Negligentia de iure communi (nempe iuxta Rituale et Catechism.) adesse inciperet, si ultra annum duodecimum huius Sacramenti receptio protraheretur; sed apud nos, qui anno nono aut decimo adhuc confirmati non sunt,

legitima causa seclusa, negligentes censentur, et post annum decimum quartum negligentia iam omnino gravis videretur.

II. Attamen priusquam pueri usum rationis adepti fuerint ad hoc Sacramentum admitti nequeunt, « nisi in gravibus et « urgentibus circumstantiis, super quibus conscientia Episcopi « oneretur ». Ita decisum fuit a S. C. C. die 21 Aprilis 1774 (apud Berengo n. 89). Hae circumstantiae exceptionales sunt 1° Si puer in periculo mortis versaretur; 2° Si diutina praevideretur absentia Episcopi, aut non facilis in posterum futurus esset ipsius accessus ad pueros vel ob ingravescentem aetatem eiusdem, vel propter puerorum distantiam a civitate, vel propter itineris difficultatem aliamve iustam causam « Ita S. C. C. *in Segobien.* 12 Mart. 1774.

III. Confirmandi debent esse in gratia. Rituale dicit: « Si « conscii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmatio- « nem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non « reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent ». Confessio tamen praecise non exigeretur, et contritio perfecta sufficere posset; Pontificale enim dicit: « Saltem de mortalibus, « si in ea inciderint, conterantur ».

IV. Oportet etiam ut circa fidei rudimenta, et hoc ipsum Sacramentum, ad quod accedere debent, et dispositiones ad illud requisitas sint instructi; nec non ut Decalogi et Ecclesiae praecepta, Actus virtutum Theologalium, ac Orationem Dominicam et Apostolorum Symbolum memoria teneant. Ita Rituale. Attamen mentecapti et quavis instructione incapaces, hoc Sacramento privari nequibunt. Gousset (II. 145).

V. Quoad patrinos (praeter notissima, et ea quae dicta sunt de patrinis Baptismi) notandum est 1° Ut saltem quatuordecim annorum aetatem habeant. Rit.; 2° Ut patrinus confirmationis sit diversus a patrino Baptismi. Rit.; 3° Ut Patrinus unum vel duos dumtaxat, non vero plures eodem die teneat. Pontificale.

VI. Confirmandi vestibus simplicibus et ad modestiam compositis sint induti. Matrinae praesertim non cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia se praesentent. Rituale.

VII. Gossipium, quo confirmatorum frontes abstersae fuerunt, comburendum est, et cineres in sacrario reponi debent. Rit. — Ligare frontes vitta linea est de praecepto: attamen haec caeremonia, si in locis infidelium non expediret, omitti deberet. Rit.

VIII. Si Parochus aut alius Sacerdos (prout in dictis locis contingere solet) ad ministrandam Confirmationem delegaretur, reminiscatur quod Chrisma (secluso casu necessitatis) debet esse recens, nempe eo anno benedictum; et sciat nunquam omnino licere, illud ab Episcopis haereticis aut schismaticis recipere. Rit.

IX. Denique Parochus confirmatorum regestum tenere debet; in eoque confirmatos eorumque patrinos diligenter adnotare. Id porro necessarium est ut constet de impedimentis ex cognatione spirituali ortis, atque etiam ut de Confirmatione suscepta iis, qui sacris Ordinibus initiari aut habitum religiosum suscipere volunt, testimonium suppeditari possit.

### DE SACRAMENTO POENITENTIAE

### *quatenus ad Parochum spectat.*

760. Quoad Baptismum et Confirmationem exposui nonnulla, quae sciri quidem debent a Parochis, sed ad eorum officium directe et proprie non pertinent. Hic autem (quia de Officiis Confessarii infra agendum est) de Sacramento Poenitentiae agam dumtaxat quoad ea, quae praecise ad Parochos spectant.

761. Advertentiae circa hoc Sacramentum in Ecclesia administrandum.

*A*) Confessionalia ita collocentur, ut nimis prope nec sedilia nec genuflexoria adsint. Bene est si ostiolis aut cortinis (quae Confessarium obtegant) muniantur. Si confessionalia nova fieri debeant, curandum ut tam pro Confessario quam pro poenitentibus commoda sint, atque ut foramina cratum sint minutissima et rotunda, non vero oblonga. Locus aptus ad excipiendas confessiones virorum semper erit utilis, et poterit quoque esse necessarius. Confessionale etiam aut tabula cum crate pro mulieribus surdis, ut sic melius modestiae consulatur, in Sacristia aut alio loco congruo, valde conveniens esset.

*B*) Iurisdictio in Parochis ex ipso officio provenit quoad parochianos, nec respicit territorium bene vero personas; unde Parochus etiam extra Dioecesim Parochiani sui confessionem valide semper (atque etiam licite si privatim, aut de consensu Rectoris Ecclesiae) excipere potest. Dixi *quoad parochianos;* nam quoad alios iurisdictio est delegata. Haec tamen delegatio, *apud nos*, semper subintelligitur, non solum quod eos qui ad Ecclesiam parochialem se conferunt, sed etiam pro tota dioecesi.

*C* Ianuis omnibus Ecclesiae clausis, nullius foeminae confessio audiatur. Quoad tempus nocturnum, vide dicta (n. 629 x).

*D*) Obligatio audiendi confessiones in Parocho est personalis: imo, dicit Croix (III. 1. 752), hanc praecipuam existimari pastoralis curae partem. Ipse itaque saepe saepius in concione parochianos, et speciatim viros atque eos qui in peccato mortali versantur, ferventer adhortabitur ut Sacramenta frequentent; et saltem diebus festis promptus et assiduus operam suam praestabit. Certe a gravi peccato excusari nequeunt illi Parochi qui solum in Paschate ad confessionale descendunt. Dicunt: poenitentes non adsunt. Sed cur non adsunt? Utique quia sciunt Ecclesiam clausam esse, aut Parochum dormire vel utcumque ad confessionale se conferre nolle. — Dixi *saltem diebus festis*; speciatim enim in magnis parocciis, oppidis et civitatibus, *potest* esse valde laudabile aut etiam necessarium ut Parochus diebus quoque ferialibus in confessionali praesto sit. Certe si sit requisitus, quacumque die et hora (discretione tamen servata) parochianorum confessiones audire tenetur.

*E* Quamvis Parochus personaliter se praestare debeat, id non impedit quominus adiutores sibi adsciscat. Hoc semper laudabile erit, imo passim plus vel minus necessarium. Ubi difficile est quod Parochiani alibi se conferant, oportet omnino ut Parochus identidem Confessarium extraordinarium parocciae suae procuret; idque speciatim in Paschate. In Parocciis satis amplis Vicarius stabilis (etiam in hunc finem) exigi poterit; et interdum ille non sufficiet, sed alii Confessarii quoque procurari debebunt. Videndum tamen quales sint, ne forte potius nocumentum quam adiumentum afferant. Quoad Vicarium, speciales advertentiae infra exponentur. Caeterum Parochus omnimodam libertatem Parochianis relinquat; ut etiam ad alias Ecclesias se conferant pro confessione; et hac de re nullam nec publice nec privatim querimoniam moveat.

*F*) Magna commoditas viris praestari debet; ipsi enim expectandi patientiam non habent, graviora peccata habere solent, et, si quando accedunt commoditatem non inveniant, difficile alia vice redeunt. Optimum factu erit, si singulis diebus festis prius viri omnes (qui valde diluculo venire solent) in Sacristia audiantur, et postea (Missâ celebratâ) in confessionalibus audiantur foeminae. Pessime se gerunt illi Parochi, qui viros despiciunt, aut eos aegro animo audire palam faciunt, aut totam eos audiendi provinciam (quae profecto maioris momenti est) Vicario relinquunt.

*G* ) Personae devotae ( quantum fieri potest ) diebus ferialibus ( speciatim in oppidis et civitatibus ) audiantur, ne diebus festis alii qui magis indigent audiri aut non possint aut solum perfunctorie. Dictae personae devotae solent esse matres familias aut aliae foeminae pauperes, quae necessitatem habent se cito expediendi, atque ordinarie summo mane dumtaxat venire possunt et illucescente die domum redire coguntur, ut rebus familiaribus consulant, aut laborando victum sibi comparent. Ex sacramentorum frequentia in his personis magnum bonum sine dubio provenit; sed: uti patet, necesse est ut Parochus ( cui tale bonum cordi sit ) semper citissime e lecto surgat, et sic ( magnum meritum sibi comparaturus ) non leve incommodum subeat. Curet ut Vicarius idem faciat. Orationem autem et meditationem ad aliud tempus differat.

*H* ) Caveat solertissime Parochus ne scientia confessionis ad aliquam externam Parocciae gubernationem utatur: nec facile roget poenitentes ut eorum dictis ad aliquod monitum vel aliquam correctionem uti possit; quamvis enim poenitens consentiat, de re periculosa semper agitur. — Parochum non debere uti confessionali, ut ab hac vel illa poenitente de parochianorum moribus cognitiones acquirat, iam dixi (n. 522. II.). — Onera exequendi restitutiones pro parochianis declinet, propter periculum ne is cui restitutio fit, aut cui efficienda committitur, in cognitionem vel suspectum personae devenire possit. Attamen vide dicta ( n. 416 ).

*I* ) Caveat denique Parochus ne ad nimiam rigiditatem propendat. Mala est laxitas; sed, speciatim hodie, peior est rigiditas. Haec enim id unum assequitur ut confessionale desertum maneat, et Parochus, quoad Sacramenti Poenitentiae administrationem ( quae, ut dixi, censetur praecipua eius ministerii pars ) inutilis reddatur; ut optime dicit Frassinetti ( man. n. 391 ).

762. Advertentiae circa Sacramentum Poenitentiae infirmis administrandum.

*A* ) Parochus curare debet ut advocetur non solum quando periculum adest mortis adeo vicinae, ut iam sine mora Viaticum sit ministrandum; sed statim ac quis morbo gravi corripitur; si enim consuetudo esset advocandi Sacerdotes solum morte vicina, tunc infirmi nimio timore afficerentur; et, ne hoc accidat, familiares morte quoque vicina procrastinarent, et sic multi infirmi sine Sacramentis morerentur, aut solum quando nihil intelligunt ea reciperent; prout, speciatim quoad divites, accidere solet. Porro id est causa damnationis anima-

rum innumerabilium; et proinde inter graviores Parochi partes hoc erit, ut in concionibus « hortetur parochiales suos, ut « ipsum admoneant, cum aliquem in Parochia sua aegrotare » contigerit » (prout dicit Rituale), nec expectent ut morbus processerit, illum advocando dumtaxat dum medicus Sacramenta indixerit *. In hunc finem valde deservit, si Parochus Benedictionum utilitatem etiam ad corporalem salutem recuperandam demonstret, atque ad benedictiones leviter quoque infirmis dandas (si advocetur) prompte et libenter se conferat. Sed magis adhuc, quoad pauperes et miserabiles, iuvabit, si Parochus infirmos eleemosynis succurrere soleat, ad quod certe tenetur, si potest (ut ait etiam Rituale); et, si non possit, procuret ut per privatas vel publicas collectas aliosve modos miseris infirmis subveniatur. Iuvabit denique si Parochus consuetudinem habeat infirmos omnes, a quibus benevole excipitur, frequenter visitandi, quamvis a morte adhuc valde longe sint.

Vocatus autem sive noctu sive cum quocumque alio incommodo ad infirmum pro Sacramentis, statim ad illum se conferat; neque ullam querimoniam moveat si forte Sacramentorum necessitatem non adesse reperiat. Hae querimoniae in causa essent cur alii sine Sacramentis morerentur.

*B*) Speciatim in vastis Paroeciis, contingere potest quod aliquis periculose decumbat, et Parochus nihil sciat. Ne id accidat, plurimum expedit ut Parochus medicum et phlebotomum, qui ad Paroeciae suae infirmos advocari solent, sibi benevolos reddat, curando ut ab iis tempestive certior reddatur, si forte parochianus aliquis, apud familiam quae de Parocho advocando parum curabit, in periculo versetur.

*C*) Quocumque modo Parochus resciat, aliquem morbo periculoso laborare, neque vocatus fuerit, non semper poterit esse quietus in conscientia dicens: *Ibo, si me vocabunt.* Rituale dicit: « Non expectabit ut vocetur ». Attamen, quoad tempus et modum se introducendi, aliter et aliter se gerere debebit iuxta circumstantias.

*D*) Si Parochiani fuerint ut supra admoniti de Parocho sollicite advocando, et nihilominus in hoc vel illo casu particulari in primis infirmitatis diebus eum non advocent; hoc non

* Si Parochus curam hospitalis habeat, cavebit ne illuc se conferat solum quando extrema Religionis subsidia conferri debent; tunc enim eius accessus tamquam vicinae mortis signum acciperetur et valde invisus redderetur.

leve indicium erit quod pro tunc eius accessus non libenter exciperetur; unde prudentia necessaria esset; accessus enim non libenter acceptus praeiudicare potest, et interdum gravissime, maxime si de divitibus agatur. Tunc itaque a medico (si fieri queat), sin minus a vicinis vel familiaribus informationes, circa morbi naturam et phases, capi debebunt. Si morbus dilationem patiatur et nihil aliud clamet ut sollicitudo adhibeatur, Parochus pedetentim procedere poterit, atque interdum (si familia religionem habeat) expectare ut vocetur. E contra si morbus iam ad ultimum stadium processerit, vel suapte natura cursum brevem habeat, vel cito loquelam et cognitionem adimat; tunc sollicitudo necessaria erit*. Idem dic si non quidem mors adeo vicina esset, sed notabile tempus, sive ad procurandum accessum, sive ad disponendum aegrotum, sive ad eius conscientiae negotia componenda, exigeretur.

* Apoplexia; vulnera in cavum penetrantia; magna haemorragia (v. g., in puerpera); febris perniciosa palustris (maxime in secundo accessu) paucis horis aut citius mortem afferre possunt.

Inflammatio retis rapida et totalis (quam medici italice vocant *peritonite acuta e diffusa*); et inflammatio acutissima membranae cerebralis (*meningo-encefalite-siero-fibrinosa*) cursum brevissimum, nempe duorum vel trium dierum, habent.

Variolae arabae (*vaiuolo nero o maligno*); angina (*croup*); idrofobia; tetanus; intestinorum occlusio (*mal del miserere*) intra septem aut quinque aut etiam tres dies occidere possunt.

Inflammatio pulmonis (vulgo *polmonite, pneumonite, pleurite, peripneumonite, cattarrale, malattia di petto, attaceo di petto, doglia di costa, mal di punta*) regulariter septem vel novem dierum cursum habet; et interdum quatuor, interdum duodecim. In senibus est fere semper lethalis, quamvis forte mitis videatur.

Febris putrida (vulgo *tifo, sinoco, febbre tifoidea, mal maligno*) regulariter duabus hebdomadis durat, et interdum tribus; sed surditatem et delirium adducere solet atque interdum habet cursum (uti aiunt) *tumultuarium*, et intra paucos dies ad mortem ducit; unde cito administranda sunt Sacramenta. Si tamen infirmus delirio non subiiciatur, tunc quatuor etiam aut quinque hebdomadis morbus durare potest; ita ut ex lenta consumptione mors sequatur.

Infirmitates, quae tempore plus vel minus diuturno durare solent, sunt speciatim paralisis (dummodo organa ad vitam necessaria non afficiat); hydropisis; chancrum stomachi (*callo al piloro*), et phthisis. Tertium (seu ultimum) stadium in phthisi indicatur praecipue a sudoribus solum in media parte personae, nempe a ventre usque ad caput et in palmis manuum post somnum, nec non ab alvi profluviis praecipitosis, febri pluries in die exacerbata, et sputis copiosis, fere liquidis, purulentis atque assiduis.

Quidquid sit de genere morbi, signa mortis vicinae sunt; 1. Si inflatio a cruribus iam ad pectus procedat; 2. Si infirmus cibum amplius non sumat; 3. Si eructiones (v. g.; *la migliare*) rapide dispareant et intus redeant; 4. Somnolentia continua; 5. Singultus; 6. Si diebus criticis (nempe septimo et quarto

*E'* Sed quo modo accedendum ? Si res sit de rusticis aut pauperibus adhuc sincere catholicis, accessus non solet esse difficilis. Imo ordinarie nullum sequitur inconveniens si Parochus sic et simpliciter domum infirmi ingrediatur dicendo, v. g., se intellexisse infirmum adesse, et, ad notitiam de eo habendam vel ad benedictionem ei dandam, divertisse. Ordinarie, inquam. Parochus ita se gerens benevole tam a familia quam ab aegroto excipitur.

Si autem de familia sincere quidem catholica, sed nec rustica nec pauperecula agatur: tunc Parochus non sic et simpliciter se praesentare, bene vero ut vocetur procurare debet. In hunc finem rogare poterit personam familiarem vel amicam, ut quasi sponte sua eandem familiam sollicitet ad Parochum advocandum et Religionis subsidia aegroto procuranda. Interdum ipse Parochus (sive coram sive in casu extremo per epistolam) cum patre vel matre familias agere poterit, ut accessum obtineat.

Sed quid si aegrotus esset de illis, qui parum aut nihil religionis habent, et sic difficile sit quod ad recipienda Sacramenta disponatur? R. Quoad huiusmodi homines, caveat imprimis Parochus ne cum ipsis, dum adhuc sani sunt, quasi inimicus procedat. Potius vultum hilarem eis ostendat eosque salutet, et pro opportunitate illos alloquatur atque invisat. Eveniente lethali infirmitate, si non vocetur, tunc quoque medium magis aptum esse solet uti personis familiaribus infirmi, quae illum disponant. Aliquando loqui poterunt de confessione facienda; sed ut plurimum melius erit si agant dumtaxat de recipienda simplici Parochi (aut alterius Sacerdotis magis benevisi) visitatione, dicendo, v. g., illum habere Imaginem vel Reliquiam prodigiosam eiusque benedictionem etiam pro recuperanda sanitate valde efficacem esse posse: aut

decimo) febris adaugeatur; 7. Respiratio frequentissima (*affanno*) cum multo catharro, qui vix aut ne vix quidem expelli possit; 8. Si personae iam seni, aut vitio organico vel magna gibbositate vel morbo chronico affectae, infirmitas acuta nempe cum febri superaddatur; 9. Si in morbo acuto remedia nihil profuerint: 10. Si infirmus in osse sacro aut coxendicibus plagari incipiat: 11. Si involuntarie urinam et excrementa emittat; 12. Si febris sit ardentissima, nempe 40 aut 41 graduum centigradi, aut 130-150 pulsationum in singulis minutis. Attamen ultima tria signa in febri putrida non essent attendenda.

Demum quaedam infirmitates mortis periculosae esse non solent. Huiusmodi sunt 1. Dolores ventris (*coliche*); 2. Febris reumatica articularis (nisi pulmonem aut cerebrum afficiat); 3. Respirandi difficultas (*asma*); 4. Herisipolae; 5. Convulsiones epilepticae; 6. Convulsiones hystericae.

( si infirmus esset pauper ) dictum Sacerdotem largas eleemosynas fore largiturum; aut venire debere ad vicinam familiam pro tali vel tali negotio; aut iam venisse et licentiam visitandi infirmum petiisse; aut fuisse invitatum, quia auditum fuit eum habere cognitiones medicas, quae prodesse poterunt. Aegroti huiusmodi difficultates adducere solent, quae ordinarie fundantur 1° in respectu humano; 2° in timore amittendi subventiones quas a sociis percipiunt; 3° in iuramento emisso nihil commune habendi cum Sacerdotibus et Ecclesia; 4° in defectu fidei; 5° in praetextu quod sufficiat omnia componere cum Deo, quin necesse sit confiteri apud Sacerdotem; 6° in falsa fiducia recuperandi sanitatem; 7° in desperatione obtinendi veniam a Deo; 8° in rubore tot scelera confitendi. Parochus itaque curabit ut dictae personae familiares eliminent difficultates ab aegroto adductas aut verisimiliter adducendas, dicendo, v. g., Parochum venturum esse noctu et nullam publicitatem esse faciendam; si quid forte amittatur, aliis mediis haberi posse tantundem et amplius; dictum iuramentum nullam vim habere, imo maximam esse iniquitatem illud servare; veritates fidei esse certissimas, et, si per impossibile dubiae forent, maximam esse stultitiam malorum aeternorum adeo horribilium periculo se exponere; Confessionem apud solum Deum peractam non sufficere; mortem supervenire posse sanis, et multo magis infirmis; aut etiam infirmitatem esse gravem, et periculum dissimulari non posse; Divinam Misericordiam nullos limites habere; Sacerdotes nullam de sceleribus admirationem concipere, semper enim scelera audiunt; neque oportere ut confessio apud Parochum fiat, et quemlibet alium Sacerdotem seu Religiosum advocari posse; demum ex rebus cum Deo rite compositis magnam pacem et consolationem exoriri, quae etiam ad vim morbi imminuendam valde deservire potest. — Si morbus dilationem patiatur, interdum melius erit non loqui statim de Sacerdote advocando, sed incipere a longe, procurando ut infirmus sacrum numisma ( v. g. *la medaglia miracolosa* ) ad obtinendam gratiam sanitatis accipiat et osculetur, aut unam *Ave Maria* vespertinis horis recitet ut dolores leniantur et quiete dormire possit. Si infirmus alicui sectae adscriptus fuerit et socii illum assistant, tunc curandum ut dictae personae familiares impediant quominus illi ad eius lectum accedant, dicendo quod indiget quiete et expedit ut cum nemine loquatur. — Si Parochus ope consanguineorum nihil obtinere potuerit, videat an ope amicorum, aut vicinorum, vel etiam

famulorum aut alicuius personae, cui infirmus difficile contradicturus sit, aliquid obtinere possit. Foeminae praesertim valde bene deservire solent; idque quamvis non multum Religionis habeant. Interdum habetur auxilium ab iis, in quibus nullam spem collocari posse videretur; imo nonnunquam ab aliquo ex ipsis sociis efficacissimum adiumentum habitum fuit, quandoquidem non in omnibus sectis receptio Sacramentorum in extremis vetatur: et non omnes socii statuta propriae sectae ex corde servant. — Aliquando praecipuum impedimentum provenit ab ipsis familiaribus infirmi, qui, propter timorem aegrotum turbandi et terrefaciendi, Sacerdotis ingressum firmiter impediunt. Tunc Parochus bonis modis eos persuasos reddere conabitur, quod tam caute et pedetentim processurus est, ut infirmus nullo modo turbetur; sed potius magnam pacem, tranquillitatem et consolationem ipsi eius saluti corporali (ut supra dicebam) valde proficuam, experiatur. Si haec non prosint, tunc dicere debebit, quod agitur de aeterna salute illius miseri infirmi; quod morbus ita processit, ut nullam dilationem amplius admittat; quod Sacramenta administrata quando aegrotus nihil intelligit, nihil iuvant; et demum quod de illo aegroto miserrimo sine Sacramentis morituro aeternum remorsum habebunt. In his autem et similibus casibus valde difficilibus orationi est incumbendum; atque interdum pro auxilio vel consilio recurrendum iis Sacerdotibus vel Religiosis, qui speciali peritia et dexteritate hac in re praediti sunt et ab huiusmodi infirmis multo facilius excipiuntur.

Interdum accessus conceditur sed cum pacto ut Parochus ad modum amici non vero ad modum Sacerdotis accedat, quia infirmus nec de benedictionibus nec de confessione quidquam audire vult. Parochus acceptet; quandoquidem amicus aditum confessario forsan aperire poterit.

Sacerdos qui ad infirmum aditum habet, si forte aliquae facultates necessariae sint, curare debet tempestive ut iisdem se munierit, et iuxta casus circumstantias meliori modo possibili se praeparaverit. Oportet etiam ut tempus magis aptum eligat, quod esse solet post horam nonam antemeridianam et circa penultimam ante solis occasum, quando nempe foeminae res domesticas composuerunt et febris remissior esse consuescit. Caeterum in praedictis casibus difficilibus potest esse necessarium ut tempus nocturnum eligatur (ut dixi), et semper cavendum ne socii adsint. Si vero Sacerdos casu eosdem socios ad lectum infirmi reperiat, benevolentiam hilari vultu eis

ostendat; sed pro tunc (nisi res quam maxime urgerent) de fine religioso, propter quem advenit, nihil dicat.

*F*) Si infirmus, Sacerdotem videns, imprecationes et improperia contra illum evomeret, patientia adhibenda esset, neque statim terga ei verti deberent. Incusetur vis morbi et delirium: sermo blande ad aliud divertatur, et sic paulisper (si fieri possit) omnia benevole componantur. Si autem infirmus in sua malevolentia perseveret; tunc Sacerdos, quod praeter intentionem fuerit occasio huius turbationis, displicentiam ostendat: dicat se offensum non remansisse et esse amicum sicut antea; recedens infirmum (si expediat) salutet, illumque postea familiaribus commendet eisque patefaciat desiderium redeundi, si forte miserrimus ille ad meliores sensus rediturus sit.

*G*) Caeterum Sacerdos infirmum visitans curabit ne terrorem, taedium aut displicentiam ullam ei afferat. Dicat, v. g., se illinc transisse, aut morem sibi esse infirmos visitandi quamvis graviter non decumbant. Voce submissa loquatur; nec longos sermones neque cum infirmo (maxime si anhelus aut valde debilis sit), neque cum assistentibus habeat, aut saltem petat an vociferationes ei fastidium afferant; risui aut facetiis non indulgeat; si infirmus lamenta emittat, id non vetet. Non dicat: Haec infirmitas pro te est magnum bonum, pulcherrimum donum Dei, fortuna ingens. Personae quidem perfectioni attendentes verba huiusmodi in bonam partem accipere possunt, sed non personae mundanae aut rudes, quae pro crudelitate id acciperent (quasi Sacerdos de eorum infirmitate gaudeat). Fere omnes aegroti de salute recuperanda sibi blandiuntur, idque avidissime cupiunt. Caveat Sacerdos ne infirmitatem iam esse sine remedio et mortem esse certam declaret; sic enim infirmus magnam aversionem contra illum conciperet, eius praesentiam invisam haberet, et forsan visitationes illius absolute respueret. Ad minus itaque dissimulet; et caveat etiam ne, dum in sua spe aegrotum relinquit, rem esse sine remedio eius uxori aut filiis declaret, si timendum sit ne clamoribus domum repleant et sic infirmus quod dictum fuit resciat; neque fidendum si profunde sopitus videretur; contingere enim potest quod omnia (quamvis submissa voce dicta fuerint) perfecte audiat. Denique visitatio sit brevis; infirmi enim plures necessitates habere solent et in libertate relinqui debent. Dum tamen Sacerdos prima vice recedit (ne visitationes sequentes aegrotum terreant) dicat: Si tibi non displicet, veniam iterum; in more enim mihi est ut meos infirmos, donec convaluerint, frequenter visitem.

*H*) Forsan non sufficit ut Sacerdos nullam displicentiam aegroto afferat, sed interdum necesse est ut modis positivis eum sibi benevolum reddat. In hunc finem (discretione tamen servata) maxime deservire solent sequentia: 1° Amice cum eo loqui, proprio nomine eum vocando, et dicendo, v. g.: Ad te invisendum veni: a longo tempore te cognosco: patrem tuum cognoscebam: reminiscor adhuc de tali vel tali eventu in tua familia etc. Saepe bene erit de aliqua bona qualitate aut habilitate eum laudare. Si pueros habeat, munuscula eis praebere etc. — 2° Sollicitudinem pro ipso ostendere, v. g., (quatenus opus sit et deceat) potum manu propria ei dare: sudorem ab eius fronte abstergere; operimenta aptare; muscas ab eius vultu arcere: consilia igienica ad cubiculi aerem purificandum (ope aceti vel nonnullorum granorum cafaei in ferro candenti) praebere; dulciaria ei dare; maxime vero (si esset pauper) inquirere an necessaria habeat, atque eleemosynam ei largiri. — 3° Si spes recuperandi salutem ei dari possit, hoc est medium optimum obtinendi benevolentiam ab aegrotis quibuscumque; unde saepe expedit ut Sacerdos spem istam aegroto adeo caram positive nutriat, adducendo, v. g., exempla aliorum qui a simili infirmitate optime convaluerunt. Sic infirmus gaudebit, et de facili, ut Sacerdos iterum iterumque redeat, desiderabit.

*I*) Si infirmitas dilationem patiatur, non statim in prima visitatione loquendum est de confessione, nisi circumstantiae aliud suadeant, ut puta, si visitationes multiplicari non possint, vel infirmus sit valde devotus, vel ipse Sacerdotem ad confessionem faciendam accersiverit etc. Ordinarie praestat ut nonnullae visitationes praemittantur, non solum ad infirmi benevolentiam (ut supra) captandam, sed etiam ut sic pedetentim et magis fructuose ad confessionem praeparetur.

*K*) Monitum de confessione facienda dari debet modo ita blando et industrioso, ut infirmus libenti animo obsecundet. Ordinarie res bene succedit, si dicatur: Fili mi, sanitas est in manu Dei: medici nihil poterunt, nisi Deus illos illuminet. Consilium tibi do, fili mi: Fac tibi Deum amicum, fac ut sis in eius gratia; ille enim poterit te adiuvare longe plus quam alii omnes. Esse in gratia Dei semper est necessarium, sed multo magis, quando infirmi sumus. Iam vides quod remedia hucusque tibi praestita parum iuvarunt. Eia age, itaque, confitere cum corde contrito omnia peccata tua, et proiice te intra brachia Dei tui, qui solus omne bonum quoad animam et

quoad corpus tibi dare potest. A multo tempore non es confessus; volo ut nunc bonam confessionem facias; quanta frueris consolatione etc. Interdum iuvat sumere occasionem a benedictione danda (maxime si petita fuerit), dicendo quod longe magis proderit iis qui bene confessi in gratia Dei sint; vel ab aliqua indulgentia lucranda; vel ab aliqua Festivitate appropinquante. Interdum etiam (maxime in Hospitalibus) iuvat dicere: Cras distribuitur Eucharistia infirmis ex devotione communicantibus, et SS. Sacramentum transit prope tuum lectum; volo ut tu quoque communices etc. — Si forte infirmus reluctet vel taedium demonstret, nec periculum sit in mora, Sacerdos dicat: nolo ut turberis: nolo ut confitearis per vim sed libenter. — Si aegrotus dicat: veniam ad Ecclesiam et tunc confessionem faciam, Sacerdos reponat: nonne melius esset quod nunc (quandoquidem tanta adest commoditas) confitearis, ut Deus gratiam convalescendi et te ad Ecclesiam conferendi tibi concedat? — Si dicat: Confessionem facere volo, sed in posterum; Sacerdos annuat: ita tamen ut tempus vicinum determinet. — Si difficultates in medium adducat vel nimiam dilationem petat, et periculum sit in mora; tunc iuvare solet si Sacerdos (maxime si prius de eius moribus informationem habuerit) dicat: Fili mi, iam scio peccata tua: tu blasphemasti; tu Missam non audisti; tu iam inde a decem vel viginti annis praecepto paschali non satisfecisti; tu amicitiam cum foemina non tua habuisti etc. Nonne haec est confessio tua? Eia age itaque, parum remanebit; ego te adiuvabo: In Nomine Patris et Filii etc. Dic: sunt ne viginti an vero triginta anni ex quo non es confessus? — Difficultas interdum non respicit confessionis substantiam, sed Confessarii personam, quatenus multi, speciatim proprio Parocho, peccata (maxime furti vel turpitudinum) confiteri nolunt. Si ergo Parochianus admonitionem de confessione facienda non libenter audiat, Parochus experiri debebit an ope Vicarii vel alterius Sacerdotis aut Religiosi illum ad confessionem disponere possit; imo, toties quoties de dicta verecundia et repugnantia suspicandum sit, Parochus (antequam ipse cum infirmo de confessione verba faciat) curare debebit ope familiarium ut infirmus, apud Sacerdotem cum quo maiorem confidentiam habeat, confiteatur. — Tandem si, omnibus cautelis modisque suavioribus adhibitis, infirmus adhuc reluctaret; tunc Sacerdos horrificum aeternae damnationis periculum ei exponere deberet; sed potius ad modum supplicantis, quam obiurgantis;

cavendum est enim ne ob id clamores suscitentur et maiora mala provocentur. Iuvare poterit si prius apertis verbis vicinae mortis nuntium ei datum fuerit ; sed saepe bona cautela erit, ut ope tertiae personae id peragatur.

*L*) Quoad confessionem infirmorum actu excipiendam sequentia monita passim dantur. — Confessarius inter suum et infirmi vultum (ad minuendam verecundiam) manum interponat. — Dicat ut situ commodo remaneat, et pausas faciat, ne se defatiget. — Si assidua siti vexetur, Confessarius identidem quaerat utrum bibere velit eique potum porrigat. — Si difficile loquatur, Sacerdos interrogationibus illum adiuvet, ita ut fere id unum infirmo reliquum sit ut affirmative vel negative respondeat. — Si omnino necesse sit ut confessio nimis in longum protrahatur (quod tamen raro continget), ad aliud tempus complementum remittatur, ut infirmus non defatigetur et familiares sinistros suspectus non concipiant. — Si ex una parte oporteat ut absolutio statim detur, et ex alia confessio integrari nequeat, Confessarius confessione dimidiata (quali nempe iuxta circumstantias sine gravi incommodo fieri potest) contentus sit, et quietum reddat poenitentem dicendo quod Deus pro tunc confessionem integram non exigit, remanente tamen obligatione illam perficiendi, si postea poterit. — Si inservientes infirmum relinquere nequeant, tunc nonnullorum peccatorum venialium confessionem, et aliorum in genere dumtaxat, exigi debebit. — Exhortatio ad contritionem sit succosa et affectuosa, sed brevis. — Brevissima quoque et levissima poenitentia detur, indictâ tamen aliâ, exequendâ si convaluerit. — Si infirmus (prout in publicis hospitalibus contingere potest) nolit ut pateat se fuisse confessum, propter timorem ne, ob factam confessionem, a sociis occidatur si convalescat, Sacerdos ita se gerat ut non confessionem audire aut absolutionem impertiri, sed simpliciter cum eo loqui videatur.

*M*) Quid si infirmus gravem aliquam obligationem habeat? Theologi dant regulas sequentes. Si concubinam teneat, illam ejiciat vel in matrimonium ducat, si possit; et si non possit, saltem eam a proprio cubiculo arceat, nisi adeo derelictus sit, ut praeter illam neminem habeat, qui ei necessaria ministret. (Vide *De Occasionariis* n. 136, 141, 148, et Gury Cas. consc. II. 722). — Si civile dumtaxat matrimonium contraxerit, actum religiosum exequatur. — Si bona ecclesiastica emerit, haeredem moneat et syngraphum subsignet, iuxta dicta (n. 509 *b*). — Si aliquid restituere debeat absque ulla excusatione (vide dicta n. 372

et seqq.), personae probae rem restituendam tradat (Confessarius tamen hoc onus periculi plenum declinet), aut in testamento sub forma legati restitutionem adimpleat, nec facile haeredibus (nisi sint meticulosae conscientiae) oretenus illam committat, iuxta dicta (n. 416). — Si famam reparare teneatur, illam reparet (et hoc onus facile acceptare poterit Confessarius). — Si ad aliquam scandali reparationem vel retractationem teneatur, illam exequatur (vide dicta n. 249). — Si impiis sectis nomen dederit, ab illis se separet, et Duces occultos Episcopo denuntiandos, (iuxta dicta *De Occasionariis* n. 186) manifestet. — Optime! Sed in praxi obligationes istae non semper sunt moribundis intimandae. Interdum illas prorsus ignorant, aut non credunt esse graves et de necessitate salutis; saepissime autem credunt sufficere propositum easdem exequendi in posterum, quando (prout fere semper confidunt) convaluerint. Aliunde si talis vel talis obligatio, tamquam hic et nunc sub gravi omnino exequenda, declararetur, non semper speratur fructus; et saepe moribundus a peccato materiali in formale coniiceretur absque ullo bono effectu, nisi etiam ipse Sacerdos familiae odium contra se concitet et in gravissimas tricas se coniiciat. Quomodo itaque agendum? Si poenitens iam *certe* in mala fide sit, omnis lapis moveri debet ut obligationi suae, in quantum ab eo cognoscitur, satisfaciat, et quidem ante absolutionem, si fieri possit. Si obstinate recusaret, absolvi nequiret. Attamen, si etiam extra confessionem eius obstinatio cognita fuerit, secreta teneri debet; idque quamvis familiaribus cognita sit. Secretum istud est valde necessarium, non solum ratione scandali, quod ex tali impoenitentia suscitaretur vel augeretur; sed etiam ne propter sepulturam ecclesiasticam tricae postea exoriantur. — Si autem moribundus sit in bona fide; tunc quoque admoneatur, si de fructu non sit dubitandum. — Si vero timeri debeat ne admonitio malum exitum sit habitura, tunc prudentia necessaria est, et pensandae sunt circumstantiae. — Attamen de facili admonitio fieri debet eodem modo, si res a moribundo exequenda fortiter reclametur a bono publico (prout in casu Sacerdotis qui propter haereses typis impressas ad retractationem teneretur); aut si Viaticum administrari debeat, nec administrari possit, nisi prius moribundus debito suo satisfecerit (prout in casu moribundi qui matrimonium civile dumtaxat contraxerit); aut si ille in proxima peccandi occasione relinqueretur (prout in casu habentis concubinam iuvenem aut quomodolibet ad iterum peccandum

valde allicientem); in his (inquam) casibus admonitio ordinarie fieri deberet, idque maxime si bona fides non certa sed dubia esset. Si tamen tota difficultas a Viatico proveniret, notandum quod si noctu administretur, aut agatur de facto antiquo, in quibusdam casibus contingere potest, quod nullum scandalum suboriatur, et populus facile supponat adimpletum fuisse id quod adimpleri debebat. Interdum etiam Viatici ipsius administratio declinari potest. Dices: Si data fuit absolutio, cur de Viatico declinando cogitari debebit? R. Quia absolutio datur privatim, Viaticum vero publice; et scandalum sequeretur si ad moribundum deferatur, quin ille praestiterit id quod praestare debebat. Aliunde (ut notat Lugo de Euch. XIII. 62) Sacramentum Poenitentiae longe maioris necessitatis et longe minoris dignitatis est.

V. Si Sacerdos, vocatus ad Sacramenta ministranda, videat hominem sensibus destitutum, interdum explorare debebit aliquantulum ne forte agatur de ebrio; odor vini dabit indicium. — Ut infirmus a sopore excutiatur, aliquando iuvat nonnullis aquae guttis eius frontem fortiter aspergere, manum et faciem iterum iterumque manu percutere, plantam pedis vel palmam manus vellicare, paullulum aceti intra nares vel os immittere: et postea manum illius accipere dicendo: obstringe mihi manum. Iuvat etiam epigastrium (nempe stomachum) premere: Sacerdos tamen quoad mulieres sic non faciat, quamvis curare possit ut ab aliis fiat. — Si infirmus intelligat, sed loqui non possit, Sacerdos ei suggerat, ut manum obstringat in signum quod tale vel tale peccatum accusat, quod de omnibus culpis suis dolet, quod proponit etc.

Si non appareat quod infirmus intelligat, et nullo modo a sopore excuti possit; tunc Rituale dicit: « Si confitendi desi-« derium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus « est ». — Sed quid si nemo fidem faciat quod infirmus hoc desiderium expresserit? Absolutio in tali casu data eritne valida? Eritne licita? — Quoad validitatem, TT. dicunt quod infirmus suspiriis, contorsione oculorum, aut alio motu corporis, aut saltem ipsa respiratione, absolutionis desiderium exprimere posset, et sic absolutionis esse capax; at vero haec ratio non persuadet; si enim Sacramentum Poenitentiae institutum est ad modum iudicii, atque poenitentis actus tamquam huius iudicii fundamentum, et tamquam vera et essentialis Sacramenti materia requiruntur, utique deberent non solum utcumque adesse, sed ita sensibiliter apparere, ut Confessarius

iudicium suum efformare possit ; quod in casu non verificatur. Adde quod plures ex huiusmodi moribundis in manifesto et continuo delirio versantur, aut cerebrum evidenter paralizatum habent ; et hi certe rationis usum non habent, et de confessione facienda humano modo cogitare non possunt. Nihilominus fundamentum aliquod invenitur in doctrina Scoti, quae nunquam ab Ecclesia damnata fuit, et a multis primi subsellii Doctoribus defenditur. Haec doctrina dicit, actus poenitentis non esse de essentia, quamvis iure divino exigantur toties quoties a poenitente praestari possunt ; essentiam autem huius Sacramenti in sola absolutione consistere, atque gratiam conferre dummodo subiectus sive tunc sive antea peccatorum suorum poenituerit ; unde Scotistae dicunt : « Sacramentum Poeniten- « tiae est absolutio hominis poenitentis ». Quidquid sit de hoc, certum est quod plurimi TT. stant pro validitate absolutionis, quae detur infirmo sensibus destituto, quamvis confessionis desiderium non ostenderit, dummodo in corde suo poenituerit ; unde concludendum quod haec absolutio non certe invalida dici debet, sed valere potest. — Remanet examinandum an sit licita, seu an de facto dari possit? Non obstante auctoritate S. Augustini, S. Antonini, et Sacerdotalis Romani (qui liber a privato auctore exaratus fuit), Ecclesia non solum in Rituali Romano, sed etiam in pluribus Conciliorum et Pontificum decretis (cf. Lugo XVII. 40), semper docuit huiusmodi absolutionem non esse dandam. Attamen in his duobus ultimis saeculis praxis hos moribundos absolvendi adeo universaliter a Theologis (inter quos S. Lig. n. 482) suadetur, et a Parochis observatur, ut, iam disciplinam Ecclesiae esse mutatam, dicere oporteat ; unde (donec Ecclesia ipsa aliter definierit) concluderem, hanc absolutionem dari non solum posse sed debere ; idque quamvis moribundus vitam scelestissimam duxerit, vel (ut ait S. Lig. 483) in ipso actu peccati (v. g. furti, fornicationis etc.) sensibus destitutus remanserit ; forte enim in corde suo poenitere potest vel potuit. — Idem S. Lig. (Prax. 276) docet, moribundos sensibus destitutos absolvi posse frequenter, nempe post tres vel quatuor horas, imo et saepius si, dum sensibus utebantur, tentationibus gravibus expositi erant. Sed subiectis probabilissime et fere certe incapacibus tot absolutiones prodigere, universaliter placere nequit ; quamvis enim dentur sub conditione, id non sufficit ut Sacramento debita reverentia praestetur, nisi discrete procedatur ; nec puto quod usque ad hunc terminum (loquendo semper de

illis qui confessionis desiderium non manifestarunt ) disciplina Ecclesiae mutata dici possit.

*O* ) Gury ( Cas. I. 190. II. 489, 491 ) eo usque procedit ut dicat absolvi posse haereticos, quatenus in bona fide esse queant, non solum si sensibus destituti sint, sed etiam si, rationis usu pollentes, ex errore a confessione abhorreant, quam tamen facerent si illam facere debere cognoscerent, dum interim de propriis peccatis dolent atque a Deo veniam petunt. Addit quod in Germania et Helvetia disciplina Ecclesiae est ut de facto absolvantur. Quidquid sit de Germania et Helvetia, certe apud nos haec disciplina non adest, ut bene observat S. Lig. ( n. 483 ) : unde illos absolvere non deberemus. Idem dic de illis Catholicis qui obstinate Sacramenta recusarunt, non quia crederent sanitatem recuperare et sic extremis Religionis subsidiis adhuc non indigere, sed quia, ex errore intellectus aut perversitate voluntatis, sine confessione mori firmiter decreverunt. Dices: dum isti sensibus destituti remanent, nonne possent poenitere atque etiam confessionem desiderare et sic esse absolutionis capaces ? Ita est ; sed quoad istos disciplina Ecclesiae, prout in Rituali exprimitur, non est mutata; unde tamquam impoenitentes considerari debent, nec ulla possunt absolutione donari. In praxi tamen, nisi sacerdos se praesentaverit et reiectus fuerit ab infirmo firmiter ostendente se velle sine confessione mori, tanta impoenitentia non esset supponenda. — Quid si infirmus confiteretur quidem, sed haereses proferret, et forsan in ipsam confessionem parum credere ostenderet? R. Haeresis materialis dari potest sine dubio, idque (ut notavi n. 52 ) etiam quoad illos qui inter Catholicos conversantur, prout fatentur Reuter, Elbel, Croix et Gury ( ll. cc. ). Inter nos quoque contingere potest quod aliquis ( speciatim si in doctrina catholica solidam instructionem non habuerit, et plurimis praeiudiciis contra Ecclesiam et Sacerdotes fuerit imbutus ) non paucos contra fidem errores habeat, quin sic errando delinquere existimet, nec facile quod reapse erret persuaderi possit. Confessarius itaque in casu moribundum absolvere posset, neque in iis momentis quaestiones cum illo facere deberet, contentus si infirmus sit paratus ad amplectendam veritatem, si illam cognosceret.

*P*) In articulo mortis ( et idem dic de mortis vicinae periculo. Rit. ) simplex Sacerdos, saltem deficiente Sacerdote ad confessiones approbato, accurrere potest. Dixi *saltem;* multi enim censent quod, dum Rituale dicit: « approbatusque desit Con-

« fessarius », hoc sit pro licito ad vitandam admirationem, quae sequeretur ex eo quod accedat Sacerdos simplex dum Confessarius in promptu est ; non vero pro valido. Cf. Gury ( II. 551 ). Quisquis autem ( sive Sacerdos simplex sive Confessarius ) accurrerit, si forte inter confitendum reperiat, moribundum culpas aut censuras reservatas habere, absolutionem ei dare potest ; idque quamvis approbatus ad reservata supervenerit ; tunc enim omnis cessat reservatio. Cf. Gury ( Cas. II. 556 ). Si tamen agatur de censuris Romano Pontifici *speciali modo* reservatis ( v. g. propter haeresim, aut lectionem librorum haereticorum, aut absolutionem complicis etc. ), imponi debet obligatio adeundi Superiorem ( si infirmus convaluerit ) et standi eiusdem mandatis sub poena reincidentiae in censuram. Cf. D'Annib. ( I. 309, 370 ).

*Q* ) Postquam confessio infirmi audita fuerit, si morbus perduret, optimum factu erit, si Parochus toties quoties illum visitat, antequam recedat, eum interroget utrum aliquid sibi dicendum habeat ; imo positive eum blande hortetur ad iterum confitendum, speciatim ante Extremam Unctionem et Benedictionem in articulo mortis, maxime vero si credendum sit quod difficile se contineat et saepe peccet ( prout in iuvenibus phthisi affectis contingere solet ) ; quo casu oporteret ut ad confitendum ad minus quolibet octavo die infirmus induceretur.

*R* ) Si foemina in confessione dicat, medicum illam turpiter tangere absque necessitate, consilium ei dabitur ut toties quoties medicus advenit, aliqua alia mulier praesens sit.

*S* ) Quid de administratione huius Sacramenti tempore pestis? R. Imprimis cautelae adhiberi debent, ut Sacerdotes vitam propriam ( tunc adeo necessariam ) a contagio quantum possunt immunem servent. Hinc Sacerdos 1° Ad infirmos non eat ieiunus ; 2° Curet ut in cubiculo infirmi aer prius renovatus fuerit et immunditiae fuerint ablatae ; 3° Nec infirmum nec quidquam aliud circa ipsum tangat ; 4° Faciem versus faciem eius non teneat, ne illius halitum respiret ; 5° Salivam non deglutiat sed expuat ; 6° Canforam vel aliqua aromata in ore teneat ; 7° Vestem talarem habeat ; 8° Postquam domum redierit, vestem deponat, illamque aeri exponat et se lavet.

Parochi providere debent, ut Parochiani peste affecti sine confessione non moriantur, quandoquidem saltem ab hoc ( et Baptismi, si opus esset ) Sacramento administrando se eximere nequeunt, ut pluries definitum fuit. Cf. S. Lig. ( VI. 233 ) et Bened. XIV. ( De Syn. XIII. xix. 10 ). Dixi *saltem ;* quid enim de aliis Sacramentis dici debeat, declarabitur infra.

Theologi dicunt, integritatem materialem confessionis tunc non esse necessariam, et sufficere si unum vel alterum peccatum audiatur: sed hoc, ut sapienter advertit Benedictus XIV. (l. c. 19), cum mica salis intelligi debet; si enim periculum contrahendi contagium tale ac tantum non sit, ut Christifideles de tanta Sacerdotum festinatione scandalizarentur, nec de huiusmodi confessionibus dimidiatis quieti manerent; tunc confessiones ex integro (saltem quantum satis est ad scandalum declinandum) audiendae essent: nisi forte aliqua confessio adeo prolixa evasura esset, ut interim alii moribundi sine ulla confessione relinqui deberent.

Theologi dicunt etiam quod Parochus curam audiendi confessiones infirmorum ita aliis demandare posset, ut, quamvis personaliter requisitus, accurrere non teneatur; sed hoc etiam intelligi debet solum pro casu in quo bonum publicum id exigat; quatenus, attenta gravitate periculi, expediat ut vita Parochi quantum fieri potest in tuto collocetur, ne Paroecia sine rectore remaneat, et ne sani ab illo adeundo pro Sacramentis aliisque necessitatibus abhorreant.

*T*) An Parochus cum quocumque incommodo, atque etiam cum sacrificio vitae, teneatur procurare ne quisquam sine confessione moriatur? R. Parochus accurrere tenetur non solum cum levibus, sed etiam cum pluribus gravibus incommodis, nempe non obstante pluvia, nive, vento, via lutosa, periculo latronum, itinere longo, hora nocturna etc.; et quamvis ipse reumate aut alia levi infirmitate afficeretur; aut aegrotus assistendus variolis arabis, typho aliove morbo contagioso laboraret. Attamen non potest statui regula universalis, quod Parochus non obstante quocumque incommodo aut periculo accurrere teneatur. Equidem Theologi dicunt quod infirmus huiusmodi (propter difficultatem eliciendi actum amoris Dei, vel contritionis perfectae) sin minus in extrema saltem in gravi necessitate spirituali versatur; quastante, Parochi etiam cum sacrificio vitae accurrere debent. Sed haec principia sic absolute enuntiata non possunt esse vera. Finge quod Parochus, dum vocatur pro dicto moribundo, sit et ipse in lecto cum febri gravissima, adeo ut, si ad moribundum se conferret, paullo post certissime ille quoque causâ itineris moriturus esset. Nunquid accurrere deberet nihilominus? Et, si non accurreret, essetne vituperandus tamquam malus Parochus, qui muneribus suis non satisfaceret, essetque dignus ut ab Episcopo corrigeretur? Minime; et haec obligatio certe non adest, quia si cum oneribus huiusmodi Pa-

roeciae traderentur, non invenirentur qui illas acceptarent, et sic maius malum sequeretur. Dicerem itaque quod ad determinandum in casibus particularibus an Parochus cum tali vel tali incommodo accurrere teneatur, regula non debeat sumi solum a praedictis principiis *de charitate* (maxime sic absolute enuntiatis); cum periculo enim vitae Parochus interdum accurrere debet, quamvis necessitas spiritualis minime sit gravis (ut in casu personae piae morbo valde contagioso affectae); et interdum non tenebitur quamvis necessitas gravissima videretur (ut in casu magni peccatoris moribundi, si Parochus sit, ut supra dicebam, infirmus) *. Regula sumenda erit potius a sensu communi, et a praxi Parochorum timoratae conscientiae, maxime vero a consideratione an cum tali vel tali onere Parocciae acceptari communiter censeantur. Hinc (ut nonnullos casus particulares tangam) 1° Quoad paroecias ab impiis sectis invasas, dicerem, laudandum quidem esse Parochum, qui suis sumptibus aleret sectarios infirmos, eosque sic recompensaret ex integro propter subsidia, quae, Sacramenta recipiendo, a secta amplius recipere nequeunt; sed ad tantum non esse obligandum, speciatim si casus esset frequens, maxime vero si Parochus ob id bona sua patrimonialia vendere, aut ab aliis pauperibus sublevandis abstinere cogeretur. — 2° Si sectarius mo-

* Si quis autem principiis *de charitate* insistere vellet, notare deberet sequentia.

Obligatio subveniendi proximo (in extrema vel gravi necessitate constituto) etiam cum sacrificio vitae, iuxta rationabiles nonnullorum Theologorum animadversiones, non urget (etiam quoad Parochos) in sequentibus casibus. 1. Si ex tali obligatione maiora mala sequerentur (Gury I. 221); 2. Si eadem necessitas non esset certa; 3. Si de bono exitu esset dubitandum (Gury II. 215); 4. Si proximus non ex ignorantia vel fragilitate, sed ex perversa voluntate in malo statu versaretur, adeo ut, si vellet, sat facile sine alterius auxilio sibi consulere posset (D' Annibali III. 519. Not. 17). Hae autem exceptiones tales sunt, ut in praxi vix percipiatur, quandonam, sola vi dicti principii, quispiam pro salute spirituali proximi vitam prodigere teneatur.

Quod autem moribundus versetur in gravi necessitate spirituali propter difficultatem eliciendi actum contritionis perfectae aut amoris Dei, non potest intervenire quia vere difficile sit amare Deum; sed quia moribundus de hoc non cogitet, ut scite notat Ballerini (I. 222 not. *d*). Parochus itaque curabit ut populus circa hunc actum eiusque efficaciam et necessitatem bene instruatur, ut unusquisque hoc medio aeternam salutem sibi et aliis (si forte confessio peragi nequeat) procurare possit. Si autem Parochus vocetur ad moribundum, neque ad illum (iuxta supradicta) se conferre aut alium Sacerdotem mittere possit, curabit ut aliquis actum amoris Dei moribundo suggerat eique Crucifixum osculandum praebeat, Deumque rogabit, ut gratiam bene efficiendi eundem actum moribundo ipsi concedat.

ribundus ab impiis sociis assisteretur, Parochus debebit quidem procurare ut a familiaribus arceantur, ut supra dicebam ; sed non tenebitur, in cubiculum infirmi se introducere cum vero, fundato et magno periculo ne pugnis et calcibus aut sclopo eiiciatur, quin infirmo ullo modo prodesse possit. — 3° Occurrente rixa inter Parochianos, Parochus ad vulneratos se conferre quidem debebit, sed non quando rixa adhuc fervet et ignea globula adhuc hinc inde pervolant, cum magno periculo ne ipse occidatur antequam ad vulneratos perveniat. — 4° Quoad illas familias, quae (etsi de sectariis non agatur) Sacerdotem admittere nolunt, nisi forte in extremis quando moribundus nihil intelligit, Parochus debebit quidem (ut pariter supra dixi) sive indirecte sive etiam directe omnem lapidem movere ut tempestive accedere possit ; sed ita ut non teneatur reapse accedere nisi ingressum satis pacificum obtineat. Berengo (110) dicit : « Si de familia agatur, quae haud facile admissura sit Parochi « non vocati visitationem, nulli Parochus parcat *saltem indirecto modo*, ut familia persuadeatur ad eum vocandum. Si « frustra adlaboraverit, nec alia ei suppetant media, dummodo « non sit omnino certus de iniuriosa expulsione, pertentet *directe per missum suo nomine, sive per litteras* exposcere a « familia personalem visitationem, idque CUM OMNI COMITATE, « PRUDENTIA, PATIENTIA, paratus nihil commoveri, etiamsi forte tassis eius petitio inurbane repellatur —. Quod si noscat eius « ministerium ab infirmo desiderari et a familiaribus impediri, « acrius urgeat, et causam infirmi, meliori quo potest modo, « *etiam personaliter agat* ».

### DE EUCHARISTIA

#### *In Ecclesia conservanda et administranda.*

763. QUOAD CONSERVATIONEM SS. SACRAMENTI, praeter dicta n. 629, notanda sunt sequentia.

*A*) Conservari debet in altari digniori et venerationi magis apto, quod (ut plurimum) est altare maius. Rit. Cf. Berengo (n. 98). Neque modo in uno modo in alio altari retineri debet.

*B*) Particulae consecratae in numero sufficienti semper adsint. Rit. Curandum tamen ne nimis superabundent, maxime vero ne pyxis particulis nimium cumuletur. Gury (II. 315).

*C*) Si de industria, vel ex negligentia Sacramentum absque lampade accensa relinqueretur integro die, vel aliquot integris

noctibus, peccatum mortale esset. S. Lig. (248). Caeterum hac in re quaevis negligentia (intellige semper si sit formalis) aliquam culpam includit.

*D*) Conopaeum pyxidis album esse debet. Rit. Idem dic de conopaeo capsulae in qua Hostia maior asservatur. Berengo (99).

*E*) Corporale, quod stat intra tabernaculum, nitidum sit. Idem dic de corporali et purificatorio pro Communionibus. Aqua vasculi purificationis saepe mutari et in sacrarium proiici debet.

*F*) Transferre Sacramentum ab uno ad aliud altare sine lumine et sine vestibus sacris peccatum quidem est; sed (secluso scandalo) grave non existimatur. Gury (295).

*G*) Facultatem asservandi perpetuo SS.mum Sacramentum habent non solum parochi, sed etiam quotquot quasi-parochi reputantur; quales sunt Capellani Communitatum a Parochorum iurisdictione exemptarum. Si tamen in aliqua Ecclesia harum Communitatum consuetudo asservandi perpetuo SS. Eucharistiam non adesset, licentia Episcopi exigeretur (In aliis Ecclesiis, sine indulto Apostolico Sacramentum perpetuo asservari non potest). Circa Ecclesias Monialium notandum, quod clavis Tabernaculi non a Monialibus ipsis, sed ab earum Cappellano seu Confessario, custodiri debet; prout pluries decisum fuit. Cf. Berengo (n. 98).

764. Quoad consecrationem, consummationem et purificationem.

*A*) Si particulae consecrandae solum post offertorium, aut etiam canone iam incoepto, afferantur, consecrari possunt; nec causa adeo gravis exigeretur; attamen prius oblatio (saltem mentaliter) fieri deberet. S. Lig. Exam. ordin. (99).

*B*) Si Parochus post consummationem adverteret se particulas non consecrasse, dum consecratio ad viaticum illico ministrandum necessaria fuisset: tunc, deficiente alio Sacerdote mox celebraturo, sacrificium iterare posset. Ita docent Lugo (XX. 44), Bonacina (q. ult. VII. 9), S. Lig. (352), Salmanticenses (IV. 16) etc., et haec est sententia communissima. Si tamen populus SS. Viaticum comitaturus praesens esset, aut quomodolibet iteratio Missae magnam admirationem et multa dicteria provocatura foret, tunc dicerem, sacrificium quoad partes substantiales dumtaxat iterari posse, offerendo nempe, consecrando, et sumendo. Idem dicendum esse puto, si Parochus die Paschatis, dum magnae Parochianorum multitudini Eucharistia distribui debet, particulas non consecrasset; secus enim plurimi recederent indignatissimi, non sine magnis contra Parochi incuriam aut stupiditatem dicteriis, et forsan

non sine periculo quod plures praecepto paschali pro eo anno non satisfaciant. Id autem verum scandalum constitueret; lex autem naturalis de vitando scandalo legi positivae de non iterando Sacrificio praeponderat. Aliunde Theologi dant regulam generalem, quod gravi de causa et si absque scandalo fieri queat, Sacrificium iterari potest. — Quid si Parochus non solum consummasset, sed etiam ablutionem sumpsisset? R. Probabiliter id etiam non obstaret, ut patebit ex dicendis infra (n. 768. C. *Caeterum*).

*C*) Si Sacerdos ante Missam particulas consecrandi intentionem efformaverit, hae consecratae manent, quamvis ad altare de illis prorsus oblitus fuerit; sufficit enim intentio virtualis; et de hoc nemo dubitat.

Sed quid si insuper hae particulae extra corporale vel in pyxide non benedicta positae fuerint, aut clausae semper remanserint? R. Sacerdos, dum in Sacristia concipit intentionem particulas consecrandi, hanc tacitam conditionem adiicit: *dummodo consecrari possint*, *iuxtam mentem Ecclesiae*. Mens autem Ecclesiae est, ut defectus leves (quales essent, si pyxis cooperta remanserit aut non fuerit benedicta. S. Lig. 385) consecrationi non obstent; et reapse quilibet Sacerdos, si interrogaretur de sua intentione pro eventu in quo, eo non advertente, pyxis cooperta remaneret vel non esset benedicta, responderet quod nihilominus consecrandi intentionem haberet; nec, sic respondendo, contra rubricam aut legem ullam peccare crederet. — Si vero defectus esset gravis, tunc pariter non obstaret si non facile deprehendi posset (ut puta si pyxis extra petram sacram posita fuisset); minus enim malum est ut rubrica etiam momentosa detrimentum patiatur, quam ut particulae non consecratae (et quae consecratae existimarentur) adorationi exponantur et Christifidelibus pro Communione distribuantur. — Si e contra defectus gravis facile deprehendi possit: tunc non est cur intentio Ecclesiae et Sacerdotis esse debuerit ut nihilominus, pro casu inadvertentiae, consecratio peragatur. Particulae, v. g., in capsula cartacea positae fuerunt, vel pyxis inter candelabra, aut quomodolibet extra corporale collocata fuit. Defectus huiusmodi utique sunt graves, et facile advertuntur; unde pro nullitate consecrationis standum erit. Nihilominus, si pyxis valde prope corporale extiterit, plures dubitant; et ego quoque crederem particulas in ipsa contentas consecrari, si ex circumstantiis (v. g. caecutiente Sacerdote vel si in fimbria corporalis pyxis posita

fuisset) non esset difficile ut tamquam consecratae haberi possent. — In dubio, si urgeat necessitas particulis iis utendi, consecratio renovetur, ut supra, sed sub conditione; secus post Sanguinis sumptionem consumentur, aut in alia Missa (pariter sub conditione) consecrentur. Cf. S. Lig. (217) et cl. Ballerini (283, 313).

Quid si particulae positae fuerint super corporale, sed Sacerdos de illis consecrandis monitus non fuerit, nec ad illas adverterit? Communissime dicunt non esse consecratas. Vide Gury (283). Attamen cl. Ballerini de hoc dubitat.

*D*) Quid si Sacerdos in sumptione calicis advertat, vinum corruptum vel aquam oleumve aut acetum adhibitum fuisse? R. Necessitas integrandi Sacrificium legi ieiunii (tunc iam fracti) praevalet. Missale dicit: « Apponat aliam Hostiam iterum con-« secrandam, vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et « consecret et sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel, si Missa « celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum « scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et, facta obla-« tione, ut supra consecrare et statim sumere, et prosequi « caetera ». Quid si vinum non inveniretur, aut expectare oporteret? Missale dicit: « Si nullo modo haberi possit, pro-« cedendum erit, et Missa absolvenda... Quod si expectando « *aliquandiu* haberi possit, expectandum erit, ne Sacrificium « remaneat imperfectum ». Si autem aliquod dubium superesset ne forte vinum fuerit omnino corruptum; tunc (postquam in alium calicem infusum fuerit), sumpto vino ut supra substituto et certe consecrato, illud etiam sumatur. Si vero nauseam ingereret; tunc fiat prout infra F).

*E*) Si calix post consecrationem decidat, tunc si quid Divini Sanguinis in eo remanserit, illud satis erit pro sumptione; si vero nihil omnino remansisset, Sacerdos ponere deberet iterum vinum et aquam, et, facta oblatione, calicem consecrare. Finita Missa, linteamina ter abluantur ubi Sanguis ceciderit, calice supposito; et aqua ablutionis in sacrarium coniiciatur. Si effusio pervenerit usque ad petram sacram, haec a Sacerdote lambatur, et bene lavetur, et ablutio pariter in sacrarium proiiciatur. Si demum effusio super terram aut tabulam suppedaneam ceciderit, haec lambatur, radatur, et abrasio comburatur, et cinis in sacrarium recondatur. Ita Missale.

*F*) Si musca vel aranea vel aliquid aliud ceciderit in calicem post consecrationem, Sacerdos (si nausea ei fiat) extrahat eam et lavet cum vino, finitâ Missâ comburat, et combu-

stionem ac lotionem huiusmodi in sacrarium proiiciat. Si vinum consecratum (quamvis musca vel aranea sublata fuerit) vomitum provocaret, tunc reponendum esset in alio calice, et aliud vinum cum aqua consecrari deberet. Finita autem Missa, Sanguis repositus in stuppa tamdiu servetur, donec sacrae species desiccentur: et tunc stuppa comburatur, et cinis in sacrarium proiiciatur. Rubric. Missal.

*G*) Si Sacerdos post ablutionem reperiat particulam consecratam (quam, v. g., consumere debebat et non consumpsit), illam sumere non potest (quum non sit ieiunus), nisi forte illam decenter conservandi modus desit *, sed debet illam ponere in pixide cum aliis, aut (si in ea Ecclesia Sacramentum non servetur) in tabernaculo, ut ab alio Sacerdote postea vel sequenti die celebraturo consumetur. — Si vero non particula integra, sed fragmentum (sive parvum sive magnum) repertum fuisset, tunc Sacerdos etiam post ablutionem illud sumere potest. Ita Rubrica Missalis. Ratio est quia particula integra sumitur ad modum Communionis seu Consummationis; fragmenta vero ad modum purificationis; et in hoc casu (etiam quia valde frequentior est, et fragmenta difficile custodiuntur et facile deperduntur) Ecclesia non adeo rigide ieiunium exigit, et permittit ut post ablutionem sumantur, dummodo haec sumptio unione morali cum Sacrificio coniungatur. Rubrica loquitur dumtaxat de fragmentis ad idem Sacrificium pertinentibus, et dicit, sumi posse in altari post ablutionem, ut dixi; sed S. Lig. (251) censet, id fieri posse etiam in Sacristia, dummodo Sacerdos sit adhuc sacris vestibus indutus; et Tamburini (II. 39) dicit perinde esse sive ad idem sive ad aliud Sacrificium pertineant; ordinarie enim sciri nequit ad qualem Missam spectent. Gury autem (315) censet quod, si Sacerdos post ablutionem reminiscatur se debere purificare pixidem, illam (intellige semper quoad sola fragmenta) purificare potest. Idem dic si Sacerdos in fine Missae Eucharistiam populo (aut infirmis in valetudinario) distribuat, et pixis vel patena purificanda remaneat. Croix (486) et S. Lig. (l. c.).

*H*) Quid si inventa fuisset particula certe vel dubie consecrata, sed ita sordida ut sumi nequeat? Reponi deberet seorsim in tabernaculo, ibique relinqui donec corrumpatur. Corrupta autem in sacrario ponenda erit. Gury (313).

* Si sumptio particulae consecratae ad consulendum reverentiae Sacramenti necessaria sit, lex ieiunii obstare non potest; secus enim quod propter Sacramenti reverentiam constitutum fuit, in ipsius irreverentiam redundaret.

765. Quoad obligationem Eucharistiam in Ecclesia Christifidelibus administrandi ; et ritum in hac administratione servandum.

*A* ) Parochus tenetur certe Eucharistiam ministrare non solum in Paschate ( De hoc et de pueris ad primam Communionem admittendis , vide dicta n. 546 et 742 ) ; sed etiam quando Parochiani infra annum ex sola devotione illam petunt. Si recusaret, aut ( quod idem esset ) si morosum ac difficilem se praeberet, certe peccaret. Excipe nisi legitimo detineretur impedimento, aut petitio quomodocumque irrationabilis esset. Determinare autem quando recusatio peccatum mortale constituat, in theoria difficile est. Id tamen contingeret procul dubio 1° Si Parochus ex systemate solum in Paschate Eucharistiam distribuere vellet ; 2° Si, denegando, grave scandalum suscitaret; 3° Si iniuriam aut turbationem gravem alicui inferret. Caeterum, si semel aut bis in anno nonnullae mulieres rogarentur ut alia vice redeant, mortale non esset. Gury ( 292 ).

*B* ) Parochus tempore paschali tenetur distribuere Eucharistiam personaliter, nisi legitime impediatur. Rit. — Infra annum delegare potest alios Sacerdotes, pro quibus licentia praesumpta sufficit. Diaconus quoque delegari valet , sed solum deficiente Sacerdote, et delegatio debet esse expressa. S. Lig. ( 236 ). Vetante Parocho in propria Ecclesia, Eucharistiam ministrare mortale esset; illius enim iurisdictio in re gravi violaretur. Gury ( 289 ).

*C* ) Quoad ritum, praeter dicta ( n. 629 II. ), notari possunt sequentia. 1° Eucharistiae distributioni lotio manuum praemitti debet. Rit. — 2° Color stolae debet esse iuxta officium diei. Rit. et Decr. 4777 ad 13. — 3° Si desit Clericus qui recitet *Confiteor*, mulier ( nisi sit monialis ) supplere non potest ; nulla enim adest necessitas, quandoquidem Sacerdos ipse commodissime illud recitare poterit. Gury ( 302 ). — 4° Si Parochus laboraret infirmitate in pollice vel indice, cl. Ballerini ( 296 ) cum pluribus Theologis sentit, esse probabile quod ( si alius Sacerdos commode accersiri nequeat ) aliis digitis uti possit. — 5° Clericis in gradu altaris vel intra presbyterium Communio dari debet. Rit. — 6° Si Particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur ; locus, ubi cecidit, pallâ cooperiatur, et quo citius fieri poterit mundetur et aliquantulum abradatur , et pulvis atque abrasio in sacrarium deiiciatur. Si vero delapsa fuerit in tobaleam , locus signetur , et ibi tobalea abluatur , et lotio in sacrarium effundatur. Rubr. Missalis. Haec tamen ablutio ( iuxta Croix VI. 1. 484 ) non praecipitur sub gravi. Imo

prorsus omittenda esset, si Particula in vestes communicantis cecidisset. Si demum incidisset intra plicaturas vestium mulieris, nec decens esset ut Sacerdos illuc manum admoveret; tunc mulier ipsa (aut alia) illam accipiat et Sacerdoti tradat, et deinde (adhibito vasculo purificationis) digitos purificet. Gury (296). — 7° Per se loquendo melius est ut Eucharistia intra Missam post Communionem Sacerdotis distribuatur; sed, si communicantium affluentia esset magna, expediret differre Communionem post Missam, ne populus nimis detineatur et taedio afficiatur. Gury (298).

766. Quoad dispositiones, quae in christifidelibus Eucharistiam suscipientibus requiruntur. Hae sunt triplicis generis; nempe. 1° Omnino indispensabiles; 2° Requisitae sub gravi, sed non semper; 3° Requisitae sub levi aut ex solo consilio.

767. *Omnino indispensabiles* sunt 1° Ut Eucharistia absque irreverentia praeberi possit. Hinc, v. g., moribundis in lupanari aut in domo Hebraeorum, vel si adesset grave periculum vomitus * aut expuitionis sacrarum specierum, Sacramentum conferri nequiret. — 2. Ut qui communicat usum rationis habeat, aut saltem aliquando habuerit; iuxta enim praesentem Ecclesiae disciplinam pueris (non adhuc rationis compotibus), et perpetuo amentibus, nec in vita nec in morte Communio dari potest. — 3° Ut Communionis administratio scandalum publicum non praebeat. Id contingeret in casu peccatoris publice impoenitentis, et toties quoties populus effectivam emendationem, vel separationem ab occasione, vel retractationem, vel quomodolibet scandali reparationem adeo expectet, ut, si, ea non secuta, Communionis administrationem inspiceret, graviter scandalizaretur. Pro praxi vide dicta De Occasionariis (148-153). Casus huiusmodi contingeret etiam si foemina cum nimia immodestia ad sacram mensam accideret. S. Lig. (275.) — 4° Ut subiectus sit in statu gratiae. Id tamen intellige quoad subiectum ipsum, qui certe in peccato mortali numquam communicare potest;

* De periculo vomitus quoad infirmos agam infra. Hic notari potest quod aliqui (speciatim ebriosi, et foeminae gravidae in primis tribus mensibus) vomitioni (vulgo *matutinae*) obnoxii sunt. Si vomitus accidat post primam cibi sumptionem, (prout in praedictis foeminis accidere solet), tunc a Communione abstinendum, donec, experientia ad unam vel alteram hebdomadam protracta, hunc defectum cessasse constet. Si vero accidat ante quamlibet cibi sumptionem, tunc Communio possibilis erit; sed expectandum ut prius consueta vomitio locum habuerit; in quem finem bene erit si citius solito lectus deseratur. — Quid agendum sit in casu vomitus statim post Communionem secuti, patebit ex dicendis de Viatico.

non vero quoad Sacerdotem, qui, quamvis occultam subiecti indignitatem cognoscat, non ideo Sacramentum ei denegare debet; hae enim denegationes infamiam producerent, Christifideles a Sacramentis alienarent, et sic mala maiora provocarent. Excipe casum vix practicum, in quo, nemine praesente, Sacramentum ita denegari posset, ut nullum maius malum provocaretur.

768. *Dispositiones requisitae sub gravi, sed non semper (quatenus aliquas exceptiones admittunt)* sunt sequentes.

*A*) Sufficiens discretio, ut nempe subiectus non solum hic et nunc rationis usu polleat, sed etiam modo saltem ordinario Divinum Hospitem excipere et revereri possit. Hinc sensibus destitutis, et amentibus extra lucida intervalla, Communio dari nequit; sed TT. excipiunt casum Viatici. Idem dic de pueris, qui, quamvis aliquem rationis usum habeant, tamen non sufficienti pro hoc Sacramento discretione polleant, nec adhuc a proprio Pastore ad Sacram Mensam admissi fuerint. Semifatuis et surdis-mutis legere nescientibus Communio non solum in morte sed etiam in Paschate a TT. conceditur. Cf. S. Lig. (301-303).

*B*) Confessio sacramentalis; quatenus, si subiectus sit in peccato mortali, ad statum gratiae adipiscendum contritio non sufficit, sed confessio et Sacramentalis absolutio exigitur. Si quis non sit certus de peccato mortali commisso, aut in confessione iam facta de culpa gravi accusanda oblitus fuerit; de his casibus iam egi supra (n. 651); ubi etiam de multis casibus practicis quoad Sacerdotes, nempe quoad Confessionem Missae celebrationi praemittendam, diffuse egi. Quoad laicos, difficile accidit quod, sine praevia peccatorum mortalium confessione et absolutione, communicare possint. Caeterum quisquis ex una parte in necessitate communicandi versaretur, et ex alia confiteri aut absolutionem obtinere nequiret (vide dicta n. 652-655), si ex corde poeniteret et ope contritionis sibi providere conaretur, communicare posset. Casus practicus esset, v. g., si quis iam ad sacram mensam genuflexus de peccato mortali recordaretur et sine magno rubore recedere nequiret; aut si quis absque infamia a Communione abstinere non posset, et Confessarius absolutionem ei (quamvis disposito) concedere noluisset. S. Lig (n. 261) censet, esse probabile quod obligatio satisfaciendi praecepto paschali necessitatem communicandi sufficienter constitueret.

*C*) Ieiunium naturale. Missale dicit: « Si quis non est ie-

« iunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius « aquae vel alterius potus aut cibi, per modum etiam me- « dicinae, et in quacumque parva quantitate, non potest com- « municare ». Ad determinandum punctum mediae noctis standum est horologio publico (sive iuxta tempus verum sive iuxta tempus medium reguletur) S. R. C. Decr. 5622; et ad primum horologii ictum attenditur. Aliqui tamen censent, id non adeo rigide esse intelligendum ut, si quis ex ultimo ictu advertat mediam noctem iam esse, non possit communicare, imo credunt quod buccellam iam in ore positam eiicere non teneatur. Cf. Croix (VI. I. 5a). Quidquid sit de hoc, certissimum est quod ieiunium frangitur solum si aliquid sumptum fuerit per modum cibi, vel potus, vel medicinae, ita ut dici debeat quod homo se cibavit, aut potum vel medicinam sumpsit. — Resolves. Quae nullo modo digeri possunt, ieiunium non frangunt, iuxta omnes. Lugo (XV. 32). Dicunt, ferrum digeri non posse; si tamen pulvis ferrea pro medicina sumpta fuisset, ieiunium fractum esse dicerem. — Ut dignoscatur an aliquid praedictis modis sumptum fuerit, magna regula sumitur ab intentione; si enim aliquid in os intromittatur ex intentione transiiciendi illud in stomachum et reapse transglutiatur; id semper sufficit ut ieiunium frangatur, nec refert si id fiat comedendo, aut bibendo, aut sugendo, aut lambendo etc.; nec pariter refert si quid minimum esset, v. g., mica panis, sacchari, gummis, glycyrrhizae etc., ita ut cum saliva (etiam insensibiliter) deglutiretur. Porro actiones humanae principaliter ab intentione specificantur. — Haec tamen intentio non ita est necessaria, ut homo dici debeat ieiunus, quando manifeste manducaverit aut biberit, etsi praeter intentionem; ut puta, si quis dormiens manducaverit, aut sine advertentia, v. g., granum uvae comederit, aut unda maris in eius os apertum impegerit, unde ipse non parum aquae deglutiverit. Actiones humanae enim non solum ab intentione, sed etiam ab essentia propria specificantur, et bene contingere potest quod essentia comestionis, et verissima sumptio cibi, potus, aut medicinae subsistat, quamvis intentio cibum, potum aut medicinam sumendi non adsit. — Attamen non pauci dantur casus, in quibus, tali intentione deficiente, sumptio cibi, potus, aut medicinae essentialiter deficit, quamvis aliquid digeribile transglutitum fuerit: ut puta, si aliquid (v. g., favilla nivis, pulvis cum aere commixta, exigua musca etc.) in os intraverit et vi naturalis aspirationis in stomachum transiectum fuerit. Idem dic si ali-

quid in os intromittatur non ad illud deglutiendum, sed ex alio fine; tunc enim (adhibita morali diligentia, ne quidquam transglutiatur), quamvis aliquid in stomachum descendat, cibi aut potus sumptio non intelligitur et ieiunium non frangitur. Exemplum habes in iis qui aquâ os aut dentes lavant. Missale dicit, Communionem non impediri « si, lavando os, deglutiatur « stilla aquae praeter intentionem ». Notandum, aliud esse *praeter intentionem*, et aliud *praeter advertentiam*. Contingere enim potest quod quis aliquid deglutiat advertenter, sed praeter intentionem; quatenus nempe eius intentio esset deglutire salivam nolletque aliquid aliud deglutire, quod nihilominus deglutiri advertit, illudque expuere voluisset, sed non potuit. Alia exempla habentur, v. g. in iis, qui aromata (ad phlegmata eiicienda vel contra miasmata vel propter capitis aut dentium dolorem) in ore tenent et masticant; in coquis iusculum degustantibus; in iis, qui sanguinem (v. g., ex digito forato) sugent; in iis, qui propter mortificationem cruces cum lingua in terra faciunt; in iis quibus, cribrando vel mensurando triticum aut ab illo apulam secernendo, pulvis in os venit; in iis quibus pulvis tabaci ex naribus in os descendit, et ex ore in stomachum; in mulieribus quae stuppam nent, aut buccellas puero faciunt, aut lac ex uberibus ore extrahunt. Repeto, adhibendam esse diligentiam ne quid deglutiatur; sed hoc intellige quatenus et quantum moraliter possibile sit; interdum enim quaevis diligentia esset impossibilis et inutilis prorsus, et interdum valebit solum in parte, quandoquidem evitari nequit quin cum saliva aliquid remaneat; et hac profecto exiguitates Communionem non impediunt; nec quisquam in angustias se coniicere tenetur timendo ne parum expuerit.

Dixi supra, ieiunium frangi toties quoties aliquid in os intromittatur ex intentione transiiciendi illud in stomachum si reapse transglutiatur; sed hoc extendi non debet ad casum, in quo aliquid non iam fuerit ab extrinseco in os intromissum, sed ab ore ipso vel a stomacho provenerit. Suget, v. g., quis sanguinem a gingivis, aut cibum a stomacho eructatum denuo masticat et in stomachum coniicit. In his casibus Communio non interdicitur, quamvis ex industria haec transglutita fuerint. S. Lig. (279) aperte dicit ieiunium non frangi, « si quis deglu- « tit sanguinem defluentem e capite vel gingivis aut saniem « ex pustula oris promanantem, *etiam ex industria* ». Idem dici debet de reliquiis cibi, quae intra dentes remanserint et homo, potius quam illas expuere, sive inadvertenter, sive e-

iam advertenter (maxime si tunc de Communione non cogitabat) deglutiverit, quod facillime accidit; absolute enim rubrica Missalis dicit: « Si reliquiae cibi remanentes in ore transglu-« tiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutian-« tur per modum cibi sed per modum salivae ». Ratio est non solum quia sumptio cibi in facti specie non intelligitur, sed etiam quia, pro rebus adeo exiguis et obviis et quae tam facile accidunt, non expedit ut Communio impediatur; et Ecclesia in his casibus non vult Christifideles (maxime vero Sacerdotes) in scrupulos et angustias coniicere, eo quod expuere potuissent et non expuerint. S. Th. (in 4. Dist. 8. q. 1. Art. 4. q. 2. ad 3) scripsit: « Quae interius geruntur sine exterioris cibi sumptione « non videntur solvere ieiunium naturae, nec impedire Eucha-« ristiae perceptionem..... Et similiter videtur de his quae intra « dentes remanent, et etiam de eructationibus ».

Quid de eo qui dubitet an manducaverit vel biberit, vel certus sit quidem se manducasse vel bibisse, sed nesciat utrum id ante mediam noctem an vero postea acciderit? R. Inquisitione facta et dubio remanente, ad Communionem accedere potest: verba enim legis: *Qui non est ieiunus, non potest communicare*, a plurimis Theologis intelliguntur quasi dicerent: *Qui scit, se non esse ieiunum, non potest communicare.* At vero qui dubitat aut nescit, nunquid scit? Utique non desunt qui alio sensu hanc legem interpretantur; sed eorum opinionem sequi non tenemur. S. Lig. (I. 37).

Fractio ieiunii non consideratur casu quo violetur actu ipso quo Eucharistia sumitur, ut puta si Particula palato adhaesisset, et aqua sumeretur, quae forte prius quam Particula ipsa in stomachum descendat; et idem dic de Sacerdote, qui, sumpto Sanguine, adverteret partem Hostiae in eo immissam calicis parietibus adhaesisse, quam simul cum ablutione sumere posset.

Caeterum non ieiunus communicare potest non solum in periculo mortis (de quo infra), et si reverentia Sacramenti (v. g., ad perficiendum Sacrificium) id exigeret, ut supra dixi; sed etiam si, omissa communione aut celebratione, incommoda nimis gravia aut alia inconvenientia, quae praeponderare videantur, orirentur. Theologi notant speciatim casus sequentes. 1° Si Sacerdos, incoepta Missa coram populo, recordaretur se non esse ieiunum; populus enim causa manifestata non acquiesceret et grave aliquod malum suspicaretur. Palao (XXI. XIV. 22). 2° Idem dic de laico, qui ad scamnum communicantium iam accessisset, et sic recedens graves suspectus ingereret.

Tamburini (II. 33) 3° Si Parochus populum die festo sine Missa relinquere cogeretur, aut si in festo solemni unicus adesset Sacerdos Missam decantaturus, qui inadvertenter et occulte ieiunium fregisset. Ita Croix (572), apud quem alios casus similes videre poteris. 4° Si celebratio Missae ad consecrandam hostiam pro moribundo necessaria esset. Lugo (XV. 67) scripsit: « Negari non potest, hanc esse sententiam probabilem ». Et idem dicit S. Lig. (n. 286). 5° Quid de eo, qui extra quodlibet mortis periculum fere quovis momento necessitatem haberet bibendi, et nunquam ieiunus stare posset? Personae huiusmodi certe praeberi potest Communio statim post mediam noctem, saltem identidem, non obstante ritu Ecclesiae, quae noctu Communionis administrationem vetat. Si autem ne hoc modo quidem res componi possit; tunc distinguerem inter casum personae infirmae, ad quam Eucharistia defertur, et personae sanae quae in Ecclesia Communionem recipit. In primo casu Eucharistiae receptionem et administrationem licitam (non tamen, propter sententiarum diversitatem, obligatoriam) esse dicerem non solum in Paschate (ad satisfaciendum praecepto divino de Communione annua, quod, non obstante lege Ecclesiae ieiunium exigente, probabiliter obligat), ut dicunt Toletus (apud Croix 574) et D'Annibali (III. 290), idque conforme videtur Rituali, quod, vetans Communionem infirmis non ieiunis, loquitur de iis qui *ob devotionem communicant;* non solum, inquam, in Paschate, sed etiam identidem infra annum, si infirmus Communionem valde desideret, ut sentiunt aliqui cum Elbel (n. 90); quid enim nimis durum esset integro anno huiusmodi infirmos Eucharistia privare, et aliunde scandalum non sequitur aut facile declinatur, idque passim (ut audio) speciatim in Monasteriis in praxim deducitur. — Si vero agatur de personis quae suis pedibus ad Ecclesiam se conferunt, dispensatio Apostolica, necessaria esset, prout dicunt TT. communissime, saltem si de Communione Paschali non agatur. Ratio est, quia in hoc casu ex Communione facta sine ieiunio admiratio et scandalum sequeretur.

769. *Dispositiones requisitae sub levi aut ex solo consilio.*

*A*) Praeparatio proxima, se recolligendo et excitando actus, v. g., fidei, timoris, amoris, desiderii etc. erga Divinum Hospitem mox excipiendum. Haec certe cadit sub praecepto; attamen iuxta circumstantias et subiecti capacitatem. Ita Lugo (XIV. 27-32), qui addit, irreverentiam adesse posse non solum si quis cum fine venialiter culpabili (v. g., ex vanagloria) ad Com-

munionem accederet, aut voluntarie distractus, sed etiam si anima magnâ peccatorum venialium multitudine sine cura emendationis sordida esset : et censet conscientiae puritatem etiam quoad venialia exigi : non tamen omnimodam, sed iuxta subiecti conditionem ; cum maiori quippe munditie spirituali accedere teneatur Religiosus, dum minus a puero vel rustico exigeretur.

*B*) Exigitur sub levi ut nocte praecedenti pollutio voluntaria, aut graviter culpabilis in causa, non acciderit. Idem dic a fortiori de fornicatione. Nec confessio sufficit, ut alibi iam dixi. Excipe semper, nisi motivum grave aut satis rationabile suadeat, tali defectu non obstante, ad Communionem vel celebrationem procedi posse, de consilio Confessarii. Ita Missale ; et Lugo ( XV. 14 ) dicit maiorem causam requiri, si de fornicatione agatur.

*C*) Si autem pollutio acciderit ex causa dubie mortali, aut si magnam reliquerit mentis perturbationem ; tunc erit de consilio a Communione abstinere ; ut pariter dicit Missale. Idem semper existimatum est de copula matrimoniali, ut patet etiam ex Catechismo Romano ; et TT. communiter censent quod illa magis quam pollutio Communionem impedit ; idque non solum de consilio sed etiam de praecepto ( intellige sub levi ), si motivo voluptatis habita fuerit. S. Lig. ( VI. 273 ). — Caeterum si pollutio perturbationem mentis non reliquisset, aut ex diabolica illusione provocata fuisse videretur ; tunc certe ne ex consilio quidem Communio relinqui deberet. Missale. Idem dic si propter aliquam Solemnitatem, aut extraordinariam Indulgentiam lucrandam, vel ad satisfaciendum speciali devotioni et multo magis ad notae vel scandali periculum evitandum, quis communicare vellet. S. Lig. ( l. c. ). Sed quid de iis personis, quae fere semper a Communione abstinere deberent, eo quod fere semper involuntariis pollutionibus subiiciantur, aut coniugalem copulam habere cogantur ? R. Consilium abstinendi a Communione respicit casus, in quibus, si hodie Eucharistia non recipiatur, cras recipi poterit, vel dies communicandi sine praedictis defectibus satis commode eligi queant ; non vero consilium esse potest, ut his de causis Communione sibi utili aut necessaria quis saepe privare se debeat. Lugo ( l. c. 13 ) dicit : « Defectus ille reverentiae excusatur ob necessitatem virium « spiritualium, cui noceret frequens illa abstinentia ».

*D*) Quid de iis qui dicunt : Pater, manducavi quidem ante mediam noctem, sed postea non dormivi ? Missale dicit, quod, si talis communicet « non peccat : sed, ob perturbationem mentis,

« ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum ».

770. *Dispositiones requisitae pro Communione quotidiana aut quasi quotidiana.*

*A*) Frassinetti (Tr. XV. Dis. x) dicit: « Communio quotidiana « approbatur absolute ab Ecclesia etiam pro Christifidelibus « debilibus et imperfectis... SS. Patres pro Communione etiam « quotidiana, praeter simplicem statum gratiae, nunquam ali- « quid aliud exegerunt..... Quando homo vivit habitualiter in « gratia Dei, potest accedere ad Communionem toties quoties « vult, etiam quotidie ... ; imo dici posse videtur, quemlibet, « etsi habitualiter in gratia Dei non vivat, posse communicare « toties quoties in statu gratiae actualiter sit ».

Alii pro Communione quotidiana aut (quod fere idem est) quasi quotidiana, exigunt etiam, ut poenitens careat affectu ad peccata venialia deliberata; ita tamen ut dictam Communionem concedant personis imperfectissimis, quae, (ut ipsae dicunt) sine advertentia ad culpam, innumera peccata venialia committunt, semperque in eo sunt ut de proximo obmurmurent, mentiantur, superbe respondeant, correctiones non tolerent, litigent, non obediant, et quaquaversus familiam turbent, quin ullum serium emendationis studium unquam praeseferant.

Opinio Frassinettii, atque etiam illorum qui personis adeo imperfectis Communionem quotidianam concedunt, falsa est sine dubio et ab Ecclesiae sensu alienissima. Hoc patet praecipue ex decreto Innocentii XI, qui, quoad ipsas Moniales, sic loquitur: « Moniales quotidie sacram Communionem petentes « admonendae erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto « praestitutis communicent. *Si quae vero puritate mentis eni-* « *teant et fervore spiritus ita incaluerint ut dignae frequen-* « *tiori aut quotidiana SS.mi Sacramenti perceptione videri* « *possint*, id illis a Superioribus permittatur ». Et, agens de personis saecularibus dicit, *conscientiarum puritatem, frequentiae fructum et processum ad pietatem* inspici debere; et speciatim esse cavendum ne, propter negotia, mentis recollectio impediatur, maxime vero ne, continentia ab usu matrimonii non praemissa, coniugati non ut par est augustissimum Sacramentum revereantur, et mente non satis pura coelestibus epulis participent. — Ecclesia itaque serium emendationis studium, verumque processum in via spirituali exigit, et personas tepidas excludit, adeo ut ipsae moniales non facile quotidiana Communione dignae sint. Sic et non aliter Innocentii Decretum intelligi potest. Consonat Catechismus Romanus, qui,

agens de primitivis fidelibus, ait: « Vera et sincera charitate « ita ardebant, ut, cum sine intermissione orationibus et aliis « pietatis operibus operam darent, quotidie ad sacra Dominici « Corporis mysteria sumenda parati invenirentur ». Ita sentiunt etiam Theologi uno ore cum S. Thoma, S. Ligorio (Prax. 149 et seqq.), B. De-Rossi, et Segur, qui, in libello a Pio IX magna cum laude approbato, dicit, Communionem quotidianam concedi posse personae, quae tota Dei esse velit et reapse sit. Ratio autem huius catholicae doctrinae est, quia Divini Hospitis quotidiana receptio magnam intimitatem inter illum et animam exigit. Qui enim singulis diebus ad mensam Principis assidet, nonne ei familiarissimus et carissimus esse debet? Vestis nuptialis, etiam aliqualiter maculata, toleratur pro accessu ordinario, sed pro quotidiano valde munda et pulchra esse debet: secus debita reverentia Sacramento non praestaretur. Necessitas huius conspicuae perfectionis et munditiei toti populo christiano notissima est; et ex hoc ipso, si personis valde imperfectis Communio quotidiana concedatur, verendum est ne in earundem praeiudicium, superbiam fovendo, vertatur. Ipsae imprimis se iam ad perfectionis apicem pervenisse existimabunt, dum, iudicio Confessarii, dignae sunt ut quotidie communicent; et proinde proprios defectus magis magisque parvipendent, nisi etiam circa illos prorsus caecutiant. Hinc correctiones non tolerabunt, et fortasse ex vana gloria (ne scilicet aliis inferiores videantur) ad sacram mensam accedent. Qui autem earum defectus cognoscunt, et vident quod nihilominus quotidie communicant, de ipsis et de Confessariis scandalizantur.

*B*) Personis tamen, etiam valde imperfectis, imo quamvis identidem in peccata mortalia labantur, Communio frequens et etiam quotidiana permitti potest, si motiva praeponderantia illam suadeant. Lugo (XVII. 45) dat exemplum Sacerdotum valde imperfectorum et nihilominus quotidie celebrantium; et ait: « Defectus ille puritatis compensatur per maiorem obligatio- « nem, quam ex officio habent, offerendi Sacrificium; sunt enim « nuncii, et ministri publici, deputati ab Ecclesia, ut eius nomine « Deum placatum reddant: quare ipsius Ecclesiae puritas, cuius « nomine accedunt, reddit eos magis acceptos ut accedant ad « Deum ». S. Lig. (Prax. 149) dat aliud exemplum in persona magnis tentationibus subiecta, quae in periculo versetur incidendi in peccata mortalia, a quibus valde abhorret, quamvis interdum misere cadat; et ait: « Expedit aliquando concedere

« Communionem aliquibus, qui essent *in periculo* labendi in « peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum ».

*C*) Caeterum in casibus particularibus decisio spectat ad Confessarios. In quibusdam monasteriis solum aliquibus diebus Communio permittitur, et aliis diebus vetatur absolute. Imo Abbatissae facultatem concedendi vel interdicendi Communionem sibi vindicant. Hos esse abusus eliminandos dicunt Frassinetti et Ballerini (n. 341); et certe Decretum Innocentii XI saltem in parte obstat.

*D*) Confessarii autem adlaborabunt ut personae piae suorum defectuum emendationi serio incumbant, et virtutes proprio statui convenientes acquirant. Si proficiant, unam vel alteram Communionem infra hebdomadam eis concedant. Videndum praecipue utrum in humilitate sint fundatae, et an Communione se esse indignas reputent; quem in finem Communione ipsa identidem priventur. Si aequo animo id accipiant, bene de ipsis iudicandum erit; secus, si secus. Quando autem in humilitate, patientia, charitate etc. eas bene fundatas et stabiles confessarius repererit, tunc quotidianam quoque Communionem concedere et interdum exigere debebit. Caeterum regulae prudentiales quoque observandae erunt, ut abusus eliminentur, speciatim in monasteriis. Si persona, propter falsam directionem prius habitam, quotidie communicare sit assueta, et non videatur digna, tunc pedetentim, ad modum punitionis pro defectibus commissis, aliqua Communione privetur; sed caute, ne maiora mala provocentur, prout, si hysterica atque ad desperationem prona esset, facillime contingeret.

*E*) Parochus titulo nimiae frequentiae neminem a Sacra Mensa repellet; et in Catechismis Communionem frequentem (quae est medium supremum sanctificandi Paroeciam) valde laudabit et enixe commendabit. Quantum quoque Communio quotidiana esset Deo et Ecclesiae accepta declarabit, sed statim de magna praeparatione, et de conspicuis virtutibus quae ad tantam frequentiam requiruntur, sermonem habebit. Sic Innocentius XI (Decr. cit.).

771. *Post Communionem*, seclusa necessitate, statim abire, speciatim ad res profanas, maxime vero ad ludendum vel manducandum, certe non licet; sed in devota gratiarum actione, saltem per horae quadrantem, remanere oportet. Congruum est etiam, ut qui communicavit, dicto tempore ab expuendo, si possit, abstineat. Cf. Gury (333).

*infirmis administranda.*

772. *A*) Haec administratio (nisi agatur de personis exemptis iuxta dicta n. 683, 684) spectat ad Parochum, sub sequenti distinctione. Si agatur de Viatico, administratio ad Parochum spectat non solum si infirmus sit Parochianus, sed etiam si esset peregrinus, qui in eius Paroecia ad mortem infirmaretur; idque quamvis in coenobio Regularium huiusmodi casus accideret. Berengo (n. 111) et Ferraris (v. *Regulares* Art. I. n. 36). Excipe nisi mors adeo immineat ut Parochus advocari nequeat. — Si autem agatur de Eucharistia ex sola devotione infirmo administranda, tunc pariter administratio spectat ad Parochum si processionaliter deferri debeat. Si vero deferatur privatim (v. g., si infirmus esset in coenobio Religiosorum, vel in domo ubi adsit oratorium privatum), tunc alius Sacerdos sive saecularis sive regularis (Parocho etiam non admonito) infirmum communicare posset. Advertendum tamen quod, ad deferendam Eucharistiam ab oratorio privato, oportet 1° Ut ex Episcopi licentia Eucharistia in eo distribui possit; (Bened. XIV. Const. *Magno* 23); 2° Ut deferatur ad infirmum, ab altari longe manentem (ut suppono), non post Communionem Sacerdotis, bene vero absoluta Missa (S. R. C. Decr. 5002) iuxta aliud Decr. allatum supra (n. 629 II); 3° Ut causa rationabilis privatam administrationem suadeat; regulariter enim publice deferri debet, ut mox videbimus.

*B*) Parochus delegare potest alium Sacerdotem, ut Eucharistiam infirmis deferat; sed (si fieri possit) oportet ut hic Sacerdos ad Confessiones audiendas sit approbatus; ipse enim accedere debet ad infirmum ut cognoscat an (prius quam Viaticum sumat) aliqua peccata confiteri velit. Rit. — Delegatio praesumpta sufficit; sed non facile praesumenda erit. — Administrare autem Viaticum sine delegatione nec expressa nec praesumpta, mortale est; idque, quoad Regulares, sub excommunicatione Pontifici simpliciter reservata, interdicitur.

*C*) « Deferri debet hoc Sacramentum ab Ecclesia ad priva-
« tas aegrotantium domos... manifeste atque honorifice... Noctu
« autem deferri non debet, nisi necessitas urgeat » Rit. Curandum itaque est ut populus concurrat, et Clerici bono exemplo praecedant. Laudandi sunt quam maxime illi Parochi et Comitatus catholici, qui piam societatem in hunc finem instituunt. In

Paschale processio adhuc solemnior desideratur. Caeterum in his miserrimis temporibus habenda est ratio locorum, ne Sanctissimum Sacramentum potius quam honori irreverentiis exponatur. — S. R. C. interrogata utrum Parochus, qui novit SS. Viaticum difficillime porrigi posse infirmo morti proximo, nisi celebret in oratorio domestico domui infirmi proximo, possit in eo celebrare, etiam indultario absente, et inde Sanctissimum Sacramentum infirmo deferre? Respondit, affirmative. Decr. 4782 ad 8. — Non solum in regionibus infidelium et haereticorum, sed etiam interdum apud Catholicos contingere potest quod SS. Viaticum occulte omnino deferri debeat; ut puta, si familia impia consentiat quidem ut aliquis Sacerdos (v. g., consanguineus) accedat ad infirmum, sed nullo modo permittat ut alii accedant aut ulla religiosa coeremonia peragatur. Ita docent Gousset (II. 240) et Gury (II. 305), qui tamen dicit, Episcopum esse prius interpellandum, si tempus suppetat. Ritus huius occultae administrationis prostat in Appendice novissima Rit., ubi dicitur: « Sacerdos stolam semper « habeat propriis coopertam vestibus: in bursa Pixidem re- « condat quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, « et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli (*intellige « si fieri possit*), in defectu Clerici, associetur ».

*D*) Rituale dicit procedendum esse cum omni reverentia; et proinde gravi et moderato incessu, nisi periculum sit in mora, quo casu festinanter procedi poterit ac debebit; sed non credo licitum esse cum sacris vestibus currere (nisi equitando); quidquid enim dicant aliqui apud S. Lig. (VI. 242), hoc nimis dedecet. — Rituale dicit etiam, quod lumen semper praecedere debet: et sic oportet ut laternae vitris munitae adhibeantur. — In triduo maioris hebdomadae solum pro casu urgenti Viaticum deferri potest; et tunc stola debet esse albi coloris; psalmi consueti recitandi sunt quidem voce submississima, sed *cum Gloria;* et in reditu non datur Benedictio. S. R. C. Decr. 4170.

*E*) Si plures pixides in tabernaculo adessent, illa quae sumitur detegatur et inspiciatur, ne forte vacua sit. — Si ruri parva pixis unicam Particulam continens adhibita fuerit, haec a Sacerdote (et non ab aliis) ad Ecclesiam reportari debebit. Berengo (n. 102) addit, illam quamprimum purificandam in tabernaculo reponi debere.

*F*) Quoad Communionem infirmorum ex sola devotione, Rituale dicit, hanc esse consulendam speciatim *si festi alicuius celebritas id suadeat*, nempe in Nativitate D. N. I. C., in Pa-

schate, Pentecosten, et Assumptione B. M. V. — Si infirmus illam desiderat, Parochus recusare non poterit. Id tamen intellige si discrete petat; non enim expediret ut populus nimis frequenter convocaretur pro Communionibus ex sola devotione administrandis, et consideranda esset quoque longitudo et difficultas itineris. Aliud esset si infirmus in Religiosa Communitate degeret.

Quoad Communionem Paschalem infirmorum, vide dicta (n. 546 III).

*G*) Viaticum est Communio quae sumitur paullo ante mortem. Lugo (XVI. 40). Si infirmus commodissime ieiunium servare posset, teneretur illud servare, ut dicunt omnes (S. Lig. 285. Lugo XV. 64 etc.); sed circa hoc nulla admonitio et nulla inquisitio fieri debet, et sinendum ut aegrotus non solum necessitati, sed etiam commoditati suae satisfaciat. Supponendo itaque, infirmum non esse ieiunum, ut Viaticum ei dari possit, duo sunt necessaria: 1° Periculum mortis subsistere debet; 2° Mors censenda est ita vicina ut ea Communio existimetur ultima. Rituale dicit, Viaticum dari posse *brevi morituris* et cum probabile est quod infirmus Communionem *amplius sumere non poterit*. Caeterum sufficit periculum existimatum; non tamen utcumque sed prudenter. Gury (Cas. consc. II. 306). Tale erit si medicus Sacramenta iam indixerit, aut si periculum in mora videatur. Seclusis his casibus, Sacerdos rem examinet prouti potest, et in dubio potius ad dandum quam non dandum Sacramentum se determinet.

*H*) Obligatio recipiendi Viaticum urget, probabilius iure divino (Cf. Palao XIV. 1. 4), et sub mortali. Attamen plures aegroti, sive quia credant eo adhuc non indigere; sive quia timeant ne a sociis (eo quod impiis sectis adscripti fuerint) occidantur aut male tractentur, si convalescant; bona fide Viaticum recusant. Parochus itaque, quamvis de regula ordinaria omnem lapidem movere debeat ut aegroti (etiam non petentes aut aliqualiter reluctantes) ad illud libenter et devote recipiendum se disponant; tamen cum quibusdam magnam prudentiam adhibebit, ne bonum per confessionem obtentum, exigendo Viaticum, destruat; unde Gury (l. c. 305) scripsit quod interdum potest Parochus dissimulare, si praevideat nihil esse profuturum et offensam aegroti incursurum. Non raro tamen res componitur si noctu Viaticum deferatur, aut si eleemosyna repetatur. Interdum etiam expedit, aut omnino oportet, ut non statim post confessionem de Viatico sermo fiat. — Pru-

dentia exigit insuper ut, obtento consensu ab aegroto, familia quoque audiatur, et cum ipsa omnia disponantur. — Tandem hora statuta adamussim servetur.

Theologi post Lugo uno ore dicunt, obligationem recipiendi Viaticum sub mortali adesse non solum si periculum mortis oriatur ex infirmitate; sed etiam si oriatur ex aliis causis, ut puta, ante partum periculosum, ante navigationem difficilem, ante praelium, vel si miles contra latrones ire debeat etc. Sed Christifideles credunt quidem id esse bonum consilium, non autem obligationem, saltem si non sint ieiuni, quo casu nescio an Eucharistiam dare licitum sit. Quid enim si miles, qui contra latrones ire debet, post prandium ad Ecclesiam veniret Communionem petens? In huiusmodi casibus crederem stari posse locali consuetudini, ut dicit etiam cl. Berengo (n. 112); sicut et in casu illorum qui mox extremum supplicium passuri sunt, ut ait Benedictus XIV (De Syn. VII. xi. 3). Antiquissima enim (quae apostolica creditur) Ecclesiae praxis dandi Eucharistiam proxime morituris (in qua praecipue Viatici praeceptum fundatur) respiciebat infirmos, et de illis loquebantur antiqua Concilia, SS. Patres, et Theologi veteres; nec quidquam cogit ut extendamus legem de casu ad casum: finis enim legis non cadit sub lege.

*I*) Qui, non apparente vicinae mortis periculo, communicavit ex devotione, teneturne iterum communicare pro Viatico, si post aliquem diem dictum periculum suboriatur? R. Sententia communior negat; quum ex una parte praeceptum Viatici in substantia sit ut unusquisque sumat Communionem paullo ante mortem, ne scilicet aliquis ex hac vita migret, sine proxima Communionis receptione (quae in casu iam locum habuit); et ex alia parte ad satisfaciendum praeceptis intentio non sit necessaria. Ego censeo standum esse consuetudini, quae est optima legum interpres. Consuetudo autem distinguit inter personam sanam et infirmam. Si quis sanus in Ecclesia communicaverit, et postea in mortis periculum incidat, consuetudo est ut Viaticum ei deferendum esse censeatur, quamvis paucis diebus antea aut etiam die praecedenti communicaverit. Si vero Eucharistia hodie ad personam infirmam ex devotione delata fuerit, et cras mortis vicinae periculum insurgat, iterata Eucharistiae delatio sub obligatione cadere non videtur. Si tamen infirmus illam desideraret, utique etiam non ieiunus communicare posset; ut enim optime scripsit Lugo (l. c. 43). « Non dispensatur in ie-
« iunio solum propter obligationem divini praecepti; sed etiam

« propter maiorem necessitatem et propter maiorem consola-
« tionem moribundi ».

*K* Quid de eo qui mane ex devotione communicavit; et intra eandem diem in mortis iam imminentis periculum versetur? R. Si mane sanus communicaverit, omnino concedi ei posse videtur ut, ingruente postea mortis periculo, iterum communicet: quamvis enim bis in die communicare vetitum sit, non potest supponi quod pia mater Ecclesia filium suum Eucharistia, quam etiam tanto periculo ingruente recipere desiderat, privare velit. Si tamen illam non desideraret, contra praeceptum sumendi Viaticum non peccaret, quia iam proxime ante mortem communicavit, et sic praecepto satisfecit. Si demum non sanus sed infirmus mane communicaverit, ita ut, populo comitante Eucharistia ei delata fuerit, non videtur conveniens ut intra eandem diem populus iterum convocetur, ut Eucharistia iterum eidem personae deferatur. Lugo (l. c.).

*L*) Ut dixi supra (768), amentibus qui aliquando usum rationis habuerint; et infirmis sensibus destitutis aut etiam delirantibus. Viaticum deferri potest; sed circa istos sequentia notari debent. 1° Si spes sit ut aegrotus rationis usum recuperet, expectandum erit. 2° Oportet ut nulla indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri possit. Rit. Prius itaque semel vel pluries (seu quantum satis) probandum erit, an infirmus particulam non consecratam decenter recipiat et deglutiat; in quem finem deservire potest si statim post particulae sumptionem parum aquae aut vini ei praebeatur. Videndum etiam an morbus uniformiter procedat, mutationes enim efficere possunt ut aegrotus, qui prius deglutivit, postea non deglutiat. Quoad epilepticos, durante paroxismo, periculum semper aderit. 3° Oportet ut infirmus christianam vitam duxerit, aut (si perverse vixerit), antequam sensibus destitueretur, contritionis signa dederit: ne tantum Sacramentum peccatori manifesto tradatur. Navarr. (XXVI. 27), Lugo (XIII. 25), etc. Idque multo magis si scandalum superadderetur, ut puta, si moribundus in lupanari actu fornicationis apoplexi correptus fuerit, aut in ebrietate caput sibi fregerit aut ad aliquam retractationem teneatur etc. In his quippe casibus absolutio quidem sub conditione dari debebit; sed non Viaticum, quum ex una parte non sit Sacramentum tantae necessitatis, et ex alia eius dignitas adeo magnum profanationis periculum non patiatur. S. Lig. (n. 302) et Gury (Cas. II. 308). Hinc Catech. Rom. dicit, periculum non solum vomitionis, sed etiam alterius indignitatis et

incommodi abesse debere; quod sane in infirmis sensibus destitutis raro aberit. Attamen, dato casu, si Viaticum ministrari potest (qua de re non est dubitandum), nunquid etiam debebit? Habebitne Parochus veram obligationem inquirendi an dictus moribundus deglutire possit, et an pie vixerit etc., ut ei Viaticum ministret? Id affirmant TT. communissime, et fundantur in antiquis Conciliis, et speciatim in Concil. Carthaginensi IV, in quo sequentia leguntur: « Qui in infirmitate poenitentiam « petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, obmu- « tuerit vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium « qui cum audierunt, et... reconcilietur per manus impositio- « nem, *et infundatur ori eius Eucharistia* ». Sed hoc argumentum non satis efficax videri potest. Tunc enim Eucharistia administrabatur etiam infantibus, et (ad praecavendum periculum expuitionis) sub sola specie vini, ut dicit idem Lugo (l. c. 32); et sic, tali disciplina vigente, Viatici administratio quoad infirmos sensibus destitutos valde expeditior et tutior erat; nunc autem spes boni successus rarissime contingit, et aliquid periculi (ne dicam formidinis non levis) semper supererit. Et hac de causa praxis cum dicta theoria concordare non videtur, quod notavit etiam Emanuel Sà, sine ulla distinctione dicens: « Non est in usu ut amentibus, etiam in « mortis periculo, detur Eucharistia, *ob irreverentiae pericu-* « *lum.* » Observari etiam potest quod Cathechismus Romanus dicit *licebit,* non vero *debebit;* et Rituale de hac obligatione ne verbum quidem.

*M*) Quoad pueros moribundos, qui, quamvis sint doli capaces, tamen ad Sacram Mensam nondum admissi fuerunt, sequenti modo distinguendum esse videtur.

1° Si propter iudicium nimis puerile de aliquo inconvenienti timendum sit, v. g., ne puer videns Sacerdotem eius cubiculum ingredientem aliosque lumina gestantes, timore corripiatur, flere incipiat, caput abscondat etc.; tunc certe Parochus Viaticum ei deferre nec debebit nec poterit. Navarr. (XXI. 57).

2° Si puer S. Viaticum desideret, aut si talem habeat aetatem ut iam ad Communionem admissus esse debuisset; tunc Parochus Viaticum ei deferre non solum poterit, sed sub gravi debebit. Bened. XIV (De Syn. VII. vii. 1) et Laymann (IV. 3).

3° In aliis casibus controvertitur. Sententia communior stat pro obligatione, ut videre est apud Lugo (XIII. 34). Sed Vasquez, Laymann, Hurtado, Tamburini, Diana etc. censent ad minus esse probabile quod talis obligatio non adsit; quate-

nus laudandus erit quidem Parochus si huiusmodi pueros ad Eucharistiam recipiendam disponat; sed, si id non faciat, non erit culpandus quasi munus suum non adimpleat. Navarrus (l. c.) dixit quod praeceptum divinum communicandi sive in vita sive in morte interpretari debet iuxta sensum et consuetudines Ecclesiae; consuetudo autem Ecclesiae (ut ille dicit) est « ut nec in articulo mortis teneantur (pueri) communicare « usque ad aetatem in qua sani tenerentur ». Et subdit, Viaticum antea susceptum solum de consilio esse; ait enim « Quam« quam, meo consilio, tunc communicarent, nisi valde puerili « iudicio essent ». Ego tamen dicerem quod, si puer iam decennis foret, speciatim si in proximo esset ut ad Communionem admitteretur (maxime vero si intuitu dumtaxat Catechismi nondum absoluti haec admissio retardata fuisset); ratione tantae necessitatis antecipari et Viaticum ei deferri deberet.

*N*) Tussis, etiamsi frequentior sit cum ingentis pituitae excretione, Communionem, difficile impedit; pituita enim, quae tussiendo expellitur, non e stomacho et oesophago, sed e pulmonibus vel bronchiis provenit. Tum solum, si vehementissima tussi aeger subito afficeretur, periculum esset ne ipso tussis impetu (aut vomitu qui tussiendo excitari posset) hostia sacra reiiceretur; quod si accidat, expectandum est donec impetus transierit; et semper melius erit, si prius ope particulae non consecratae experimentum fiat.

*O*) Vomitus multo facilius Viatici administrationem impedit: sufficit enim periculum ne infirmus sacras species evomiturus sit. S. Lig. (291). Passim dicunt, Viaticum dari posse si infirmus iam a sex horis non evomuerit, et insuper ope particulae non consecratae experimentum factum fuerit. Haec regula bona est, sed cum quibusdam advertentiis. 1° Si infirmus, intervallis inaequalibus, modo brevioribus modo longioribus, vomitioni subiiciatur (prout in ventris inflammationibus, in hernia incarcerata, in morbis renum, in violationibus cerebri etc. contingere solet); tunc sex horae non sufficiunt, sed duodecim exiguntur, aut (quod melius erit) medicus interpellari debebit. 2° Si infirmus solum post cibum sumptum evomat, tunc sufficit experiri, utrum particulam non consecratam cum exiguo aquae haustu sine ulla ad vomitum dispositione retineat. 3° In quovis casu bene erit si infirmus stomachum vacuum non habeat sed prius aliquid cibi vel potus sumpserit et retinuerit. Bona cautela erit quoque si statim post Viaticum nonnihil a-

quae frigidissimae aut glaciei (quod semper innocuum erit) ipsi porrigatur.

Sed quid si, praeter praevisionem, aeger, Viatico iam sumpto, evomat? Scripsit Ballerini (n. 273). « Non raro contigisse « scimus, ut concitato vomitu post spatium semihorae, aut etiam « horae, sacramentales species, tantum non integrae, redditae « fuerint ». De eodem casu ego ipse testis sum. Contingente itaque vomitu intra tale spatium, faciendum erit prout dicit Missale, nempe : Si species consecratae appareant, caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium proiiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus (*stuppa collectus* :, et cineres in sacrarium mittantur.

De casu in quo periculum sit ne per secessum sacrae species incorruptae emittantur, nihil dico. Casus huiusmodi non est impossibilis, sed rarissimus erit ; talique contingente periculo (eo quod, v. g., familiares dicant quod infirmus quidquid sumit statim per secessum digestione non facta transmittit) certe a S. Viatico ministrando abstinendum esset.

*P*) Pro casibus, in quibus audienda sit confessio infirmi quando Eucharistia iam ad illum delata fuit, sequentia notari debent. 1° Si audiatur tunc prima vice iuxta loci consuetudinem propter magnam distantiam, integritas materialis (quamvis confessio paullo prolixior evadat) exigi debet. Si autem infirmus iam antea confessus, iterum confiteri velit, tunc sufficit ut unum vel alterum peccatum dicat, ne ex confessione nimis protracta admiratio et murmur in populo suscitetur. Sacerdos tamen postea ad infirmum redire deberet, ut confessio rite integretur. 2° Si Sacerdos non esset confessarius, tunc, nisi ageretur de Viatico, confessionem audire nequiret, sed, ad perfectae contritionis actum eliciendum, infirmum adiuvare deberet; contritio enim in tali casu sufficeret. 3° Si infirmus nec dispositus nec disponibilis inveniretur, absolvi non posset, sed admoneri deberet ut alicui praesenti declararet se Eucharistiam suscipere nolle. Si hanc declarationem facere recusaret, Communio (ne sigillum violetur) ei ministrari deberet. Gousset (II. 237). Aliqui suggerunt ut Sacerdos, de consensu infirmi, fingat eum communicare, et reapse Particulam ei non praebeat, si id commode fieri possit.

*Q*) Moribundus sacrilege communicans, praecepto Viatici non satisfacit; *qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit ;* unde Communio sacrilega Viaticum

illud quod a Christo Domino et ab Ecclesia praecipitur, ut custodiat infirmum ab hoste maligno et perducat eum ad vitam aeternam, esse nequit. Viva (Prop. XIV Alex. VII. n. 11). In praxi tamen moribundus ab hac iterum Viatici suscipiendi obligatione facile excusabitur, propter difficultates et speciatim propter admirationem quae in populo oriretur.

*R.* Quid si Viatico sumpto, infirmus aliquo tempore supervivat, iterumque communicare desideret? R. Videndum imprimis an discrete petat, inspectis circumstantiis: aliud enim est si infirmus esset in monasterio, aliud si in civitate, aliud si ruri etc. Praeterea pro Communione iterata non ita faciliter excusabitur a ieiunio, sicut pro prima; quatenus pro secunda non totaliter commoditati suae satisfacere poterit, sed etiam cum aliquo levi incommodo ieiunium servare debebit, et in hunc finem hora matutina (si circumstantiae id sinant) eligi debebit. Si ieiunium servari nequeat, oportet 1° ut haec quoque iterata Communio ultima censeatur, atque ut mors omnino instare videatur, ut dicit Laymann (VI. 20) cum Rituali. Oportet 2° ut aliqua distantia (v. g. octo dierum) inter primam et secundam Communionem intercedat, aut saltem aliqua alia causa urgeat, ut puta, si prius fuisset assuetus quotidie communicare, aut tentationibus nimis vexetur, aut post Viaticum susceptum in peccatum mortale misere incidisset; quo casu aliqui dicunt novam suboriri obligationem Eucharistiam sumendi; sed Suarez, Lugo aliique communiter id negant, quia sufficit confessio; et dicta obligatio nullo iure probatur. — Quoad ritum in Viatico iterato, dicit Scavini (III. 121), utendum esse formula consueta: *Corpus Domini N. I. C.* etc.

Si autem aegrotus iteratam Communionem non exposcat, et eius infirmitas, praeter expectationem, valde in longum (v. g. ultra duos menses) producatur; tunc Parochus eum prudenter admonere debebit ut (sive ieiunus sive non ieiunus iuxta regulas praedictas) iterum communicet.

*S.*) An Parochus teneatur administrare Viaticum tempore pestis? R. Hoc in puncto non solum sententiae Theologorum, sed etiam Decisiones S. C. C., contradictoriae reperiuntur, ut videre est apud Benedictum XIV (De Syn. XIII. xix. 6-10); et forsan decisio quae valeat universaliter pro omnibus casibus dari nequit; pestis enim non semper aequale periculum secum fert, neque semper aequali modo grassatur. Interdum potest esse adeo lethalis atque adeo magnam hominum multitudinem afficere, ut omnes cognoscant sufficere si Sacerdotes confessio-

nes audiant, ne plurimi sine ullo subsidio spirituali remanere cogantur, et ne Sacerdotes fere omnes (dum tanta urget necessitas ut vivi remaneant) moriantur; et tunc Viaticum administrare neque oportebit neque expediet; idque maxime si in Paroecia solus Parochus adesset. Si vero pestis adeo horribiliter non grassetur, et iam communis praxis sit ut Viaticum quoque ad infirmos deferatur (prout accidit etiam quoad morbos contagiosos extra tempus pestis); tunc de obligatione illud administrandi ambigi non poterit. Parochus, qui recusaret, muneri suo deficeret et scandalum daret.

Quoad modum et ritum administrationis, decisio spectabit ad Episcopum, qui (si tamen id necessarium videatur) concedere poterit ut Sacramentum in mensula decenter parata apponatur, ex qua aegrotus (praesente Sacerdote) suis manibus illud sumat et deglutiat. Concedere poterit quoque, ut Sacerdos Sacram Particulam cum aqua aut vino ope cochlearis infirmo porrigat. Cf. Benedictum XIV (l. c. 25).

### DE EXTREMA UNCTIONE

773. Obligatio. Quamvis forte infirmus excusari possit a mortali si, secluso contemptu aut gravi scandalo aut speciali necessitate spirituali, Extremam Unctionem suscipere nolit; tamen a gravi peccato excusari nequit Parochus, si infirmos absque hoc Sacramento mori sinat, dum illud sive expresse sive interpretative desiderant. Quae dixi de obligatione administrandi Viaticum tempore pestis, applicanda sunt etiam ad Extremam Unctionem.

774. Ritus. Unctio pedum non est de essentia, sed solum de praecepto. Dantur tamen casus, in quibus decentia, non solum quoad foeminas sed etiam quoad masculos, exigere potest ut haec unctio omittatur. Bened. XIV. De Syn. (VII. xviii). Etiam unctio renum est solum de praecepto, et quoad masculos dumtaxat, qui ex utroque latere ungi debent, si commode moveri possint, ut dicit Rituale. Multi unctionem istam omittunt, adeo ut in quibusdam Dioecesibus pene in desuetudinem abierit; sed S. R. C. (14 Aug. 1858) scribens ad Episcopum, in cuius Dioecesi talis unctio prorsus incognita erat et nunquam adhibita fuerat, dixit: « S. Congregatio ardentissimum « votum suum expressit ut, curante Amplitudine tua et do- « centibus Parochis, paulatim et sensim sine sensu disponan- « tur fideles ad istam quoque specialem unctionem in extrema

« agone recipiendam iuxta Ritualis Romani praescriptiones » (Decr. 5271). Caute tamen haec unctio fieri debet, ne modestia offendatur, maxime si (prout ordinarie contingit) mulieres praesentes sint; et interdum, propter aliquod notabile incommodum (v. g., propter immunditiem et foetorem) omitti poterit. — Qui carent aliquo sensu (v. g., oculis) ungi debent, sicut ungerentur si illum haberent, quia desiderio peccare potuerunt; idque quamvis a nativitate illo sensu caruerint. Brachio vel crure mutilatus ungatur in parte proximiori, ut dicit Rituale. Si tamen ageretur de coxendice mutilata, modestia exigere poterit, ut unctio omittatur. — Forma comitare debet unctionem, nec absolvi antequam ambo oculi, vel ambae aures, vel ambae manus, vel ambo pedes uncti fuerint. Rit. — In dubio de vita, dici debet: *Si vivis*. — Si moribundus iam iam ultimum anhelitum trahere videatur, ungi debebit in fronte dicendo: « Per istam S. Unctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus omnes ». Quia tamen de validitate huiusmodi administrationis ambigi potest, moribundus, si supervivat, adhuc ungendus erit more solito in singulis sensibus, intelligendo administrare Sacramentum sub conditione quod prius valide administratum non fuerit. Alii vero suggerunt ut sub unica forma (dicendo nempe: Per istam sanctam unctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum deliquisti) celerrime ungatur unus oculus, una auris, una naris, unum labium, et una manus (vel pro manu aliqua alia corporis pars). — Tempore pestis Sacerdotes *gossypium* (Sacro Oleo intinctum) vel etiam penicillum adhibere poterunt, si Episcopus sic expedire decernat. — Demum notari potest quod si Oleum Sanctum deficere inciperet, nec facile aliud Oleum ab Episcopo benedictum haberi posset, oleum commune (attamen semper in minori quantitate) adiungi posset. Rit. — Omitto alia, quia notissima sunt, aut iam supra (n. 629. XI) exposita fuerunt.

775. Subiectus. Qui nunquam peccare potuit (ut fatuus perpetuo a nativitate, vel puer ante usum rationis), huius Sacramenti non est capax. Puer, qui sacramentalis absolutionis capax censeatur, Extremae Unctionis quoque capax censeri debet, quamvis forte Viaticum non videatur ei deferendum. Obligatio tamen praebendi S. Oleum his pueris non videtur gravis, maxime si sat certe constet quod gravia peccata committere non potuerint. In dubio de usu rationis, interrogentur parentes; et, dubio perseverante, puer sub conditione inungatur. Cf. Bened. XIV. De Syn. (VIII. vi. 2).

776. Hoc Sacramentum praeberi potest solis infirmis, et quidem adeo graviter, ut vicinae mortis periculum instare prudenter videatur. Rit. Hinc mulier quae solet periculum mortis subire in partu, poterit quidem inungi in partu ipso si periculose laboret; sed non antea, quia tunc est sana. S. Lig. (713). Idem dic de homine sano aut leviter infirmo, qui periculosam operationem chirurgicam proxime subire debeat. D' Annibali (III. 305). Attamen senectus pro infirmitate habetur. Rit.

777. An recusatio Extremae Unctionis impediat quominus infirmus, qui recusavit, hoc Sacramento muniatur in extremis quando sensibus destitutus evaserit? R. Negative. Ordinarie enim haec recusatio accidit solum propter voluntatem procrastinandi, dum infirmus credit non adhuc versari in statu adeo periculoso; vel propter incommodum lavandi pedes et mutandi linteamina; vel denique propter quamdam repugnantiam recipiendi Sacramentum istud (quod vulgo pro nuntio mortis habetur) in statu plenae cognitionis. Equidem Sacramenta dari nequeunt iis, qui ea suscipere nolunt, et oportet certe ut infirmus sit contentus; sed pro hoc sufficit si moribundus contentus fuerit ut hoc Sacramentum ei conferatur in extremis; quod de fere omnibus Christianis, etiam valde perversis, praesumendum est. Hoc sensu intelligi debet Rituale, ubi dicit, Extremam Unctionem dari posse iis, qui illam *verisimiliter petiisent:* prout patet etiam ex praxi, cui consonant Theologi, ut videre est apud Gury (Cas. conse. II. 183).

778. Quid si quis, actu peccati (v. g., furti, aggressionis, homicidii, duelli, suicidii etc.), vel in statu peccati (v. g. matrimonii pure civilis, concubinatus, meretricii in lupanari, officii mortaliter illiciti etc.) sensibus destitutus remanserit? R. Rituale dicit, hoc Sacramentum penitus esse denegandum non solum impoenitentibus, sed etiam iis *qui in manifesto peccato mortali moriuntur*, quales sunt quotquot actu peccati vel in statu peccati sensibus destituuntur et repentina morte praeoccupantur; secus enim de quibusnam Rituale loqueretur? Haec itaque est certe regula generalis, et reapse passim huiusmodi moribundis Extrema Unctio denegatur (cf. Gousset II. 624 et Berengo n. 110), et, si concederetur, Christifideles scandalizarentur, quasi Sacerdotes sancta darent canibus et proiicerent margaritas ante porcos. Sed circa hanc regulam notari debet 1° Esse intelligendam pro casibus publicis, non vero si Sacerdos scientia privata dumtaxat sciret quod moribundus in statu peccati sensus amiserit, ut innuit Gury (Cas. conse.

II. 182); neque profecto huiusmodi moribundi hoc Sacramento incapaces sunt absolute, possibilitas enim quod in corde proprio poenituerint, vix unquam deerit. 2° Ex eo quod Extrema Unctio dari nequeat, non sequitur quod absolutio quoque sit deneganda; haec enim est maioris necessitatis et secrete dari potest, prout reapse ex doctrina S. Ligorii (ut dixi supra n. 762. X) his etiam moribundis passim datur. 3° In aliquibus locis Parochi et Capellani Ospitalium recedunt a regula Ritualis iamque a longo tempore efformata est praxis communissima non solum absolutionem sed etiam Extremam Unctionem dictis moribundis concedendi saltem in quibusdam casibus satis obviis; atque ex tali administratione nullum scandalum sequitur, sed potius perturbationes et scandala orirentur si Sacramentum non administraretur; et, quatenus ita sit, communem praxim sequi posse dicerem. Si tamen ageretur de casibus extraordinariis, ita ut Extremae Unctionis administratio male audiretur, tunc in istis etiam locis abstinendum esset. Gury (l. c.) ebriis quoque Oleum Sanctum daret; sed hoc fieri posse sine scandalo difficile mihi videtur. 4° Quod dictum est de iis qui actu peccati sensus amiserunt, de excommunicatis quoque notorie et pertinaciter, repeti debet. Berengo (l. c).

779. Quid de impoenitentibus? R. Hi certe hoc Sacramento donari nequeunt. Heic communis locorum omnium praxis cum Rituali concordat. Veruntamen nonnullae enodandae sunt difficultates.

1° Quisnam censeri debet impoenitens? R. Qui omnia Sacramenta ita respuerit, ut firmam ostenderit voluntatem non solum procrastinandi, sed etiam et praecise moriendi sine illis. Hoc autem iudicium difficile efformari poterit, nisi Sacerdos se praesentaverit, et longum vel repetitum colloquium cum infirmo habuerit, unde clare perceperit quod ille neque ex delirio, neque ex respectu humano (praesentibus sociis), neque ex momentaneo turbationis aestu; bene vero ex deliberata, intima et firma voluntate omnino sine Sacramentis mori velit. Dixi *clare;* in dubio enim, moribundus sensibus destitutus sub conditione absolvi et S. Oleo inungi deberet.

2° Quomodo se gerere debebit Parochus, si, secreto infirmum allocutus, illum impoenitentem repererit; et postea a familia (quae de impoenitentia nihil sciat) advocetur, dum infirmus sensibus destitutus evasit? Poteritne Extremam Unctionem eidem administrare, ut ex una parte impoenitentiam servet occultam, et ex alia ipse non incusetur quasi muneri pro-

prio deficiat? R. Non solum animae commendationem huic moribundo concedere deberet, sed etiam Extremam Unctionem, quae non iam ex absoluta subiecti incapacitate (qui enim prius non poenituit postea poenitere potuit), sed solum ex disciplina Ecclesiae non conceditur iis, qui usquedum loqui potuerunt Sacramenta respuerunt; quae disciplina servari debet de regula ordinaria, non vero si circumstantiae speciales clament ut, non obstante dicta impoenitentia, hoc Sacramentum conferatur, prout in casu.

780. Quid de furiose delirantibus? Quoad istos, Rituale dicit: « Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisi- « militer posset quidquam facere contra reverentiam Sacra- « menti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino ». Bonum quidem animarum, sed etiam reverentia Sacramenti Ecclesiae cordi est.

781. *Tempus*. Extrema Unctio dari debet post Viaticum de regula ordinaria, excepto nempe casu, in quo S. Oleum in promptu esset et timeri deberet ne, si prius Viaticum deferri vellet, infirmus moriturus esset. Ordinarie etiam expedit ut non praecise immediate post Viaticum conferatur (nisi locorum distantia aut periculum mortis imminentis id suadeat); sed aliqua mora inter utrumque Sacramentum interponatur, ut interim infirmus blande et convenienter disponi possit, ut, ex Rituali et communi praxi, notat Scavini (III. 416).

Rituale dicit, hoc Sacramentum adhibendum esse « eo tem- « pore, si fieri possit, cum (infirmis) adhuc integra mens et « ratio viget, ut, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipien- « dam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem con- « ferre possint ». Et Catechismus Romanus subiungit: « Gra- « vissime peccant, qui illud tempus aegroti inungendi observare « solent, cum, iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus « carere incipiat ». Praxis itaque administrandi hoc Sacramentum indiscriminatim solum in extremis, corruptela est, et proinde Parochus (si in eius Paroecia talis abusus vigeat) populum ita instruere debet, ut Christifideles ad Extremam Unctionem pio et libenti animo suscipiendam paullo post Viaticum se disponant. Doctrinam autem populo expositam in praxi adhibebit, sed blande et prudenter. *Blande*, adducendo exemplum Apostolorum, qui « ungebant Oleo multos aegros et sanaban- « tur », simulque breviter ostendendo utilitates spirituales et corporales, quae ex hoc Sacramento dimanant. *Prudenter;* cum quibusdam enim cautissime procedendum erit, aut etiam

de Sacramento isto prorsus silendum (ne quod lucratum fuit, deperdatur). Neque profecto per vim aut quasi per vim quisquam inungi debebit; Rituale enim dicit: *si fieri possit;* et Catechismus ait, hanc coelestem medicinam dandam esse quando magis censenda sit profutura: atque evidenter supponit casum personae, quae non iam aegro animo, sed libenter cum pio et devoto affectu hoc Sacramentum susceptura sit. Curandum erit quoque ut non solum infirmus sit contentus, sed etiam illius familia: secus enim ordinarie turbationes suscitarentur et nihil boni obtineretur; imo (apud nos) contingere posset quod, propter Extremam Unctionem, invita familia, administratam, ulterior Sacerdotis accessus penitus impediatur.

782. Iterata administratio. Quoad iteratam huius Sacramenti administrationem melius omnibus scripsit D. Th. (4. d. 32 q. 2. a. 4) inquiens: « Hoc Sacramentum non respicit tantum « infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum; quia non debet « dari nisi infirmis qui secundum humanam aestimationem vi- « dentur morti appropinquare. Quaedam ergo infirmitates non « sunt diuturnae: unde, si in eis datur hoc Sacramentum, tunc « cum homo ad illum statum pervenit, quod sit in periculo mor- « tis, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata; et ita ite- « rum non debet inungi; sed, si recidivam patiatur, erit alia « infirmitas, et poterit fieri alia inunctio. Quaedam vero sunt « aegritudines diuturnae, ut hectica et hydropisis et huiusmodi: « et in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur « perducere ad periculum mortis: et, si homo illum articu- « lum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad simi- « lem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest « inungi; quia iam est quasi alius infirmitatis status, quamvis « non sit alia infirmitas simpliciter ». Et Benedictus XIV (De Syn. VIII. VIII. 4) subdit: « Van-Espen Parochos admonet ne « nimium scrupulose in hoc se gerant; sed, si dubitent, an re- « vera morbi status sit mutatus..., expedire ut ad Sacramenti « iterationem propendeant ». Caeterum ne scrupuli quidem iniiciendi sunt Parochis, si forte, eadem durante infirmitate diuturniori, semel dumtaxat hoc Sacramentum administrent, neque illud iterent elapso primo et novo superveniente periculo (dummodo de annorum aut multorum mensium distantia non agatur), speciatim si infirmus nihil peteret; maxime vero si aliquatenus reluctaret. S. Thomas et Benedictus XIV dicunt quod Parochus Sacramentum iterare potest, sed non dicunt quod debeat.

## APPENDIX I.

### *De moribundis usque ad mortem assistendis.*

783. Assistentia moribundorum, etiam postquam Sacramenta omnia administrata fuerint, certe est de praecepto, ut patet ex Rituali, et ex scandalo quod Parochus praeberet, si, datis Sacramentis, ad moribundos amplius accedere nollet. Haec obligatio potest esse gravis, et certe Parochus graviter delinqueret 1° Si ex firma consuetudine sic semper se gerere vellet; 2° Si moribundus esset fragilis, aut valde tentatus, et multo magis si Confessionem adhuc facere non potuisset aut noluisset; 3° Si infirmus valde turbaretur, eo quod Parochus discrete vocatus advenire nollet, aut magnam illius incuriam ostenderet.

784. Assistentia moribundorum, sicut generatim cura infirmorum, spectat ad Parochum personaliter, quatenus hoc munus gravissimi momenti non ex toto refundere potest in Vicarium. In casibus difficilioribus (si de Vicarii peritia non sit fidendum), et quando infirmus praecise illius personam exoptat, personaliter accurrere debet; et de caetero iuxta alias Paroeciae curas propriasque vires, plus vel minus cum Vicario ipso aliisve Sacerdotibus hoc onus dividere poterit. Rituale dicit: « Si Parochus *legitime impeditus* infirmorum, ut quando plu« res sunt, visitationi interdum vacare non potest: id prae« standum curabit per alios Sacerdotes ». Solertissime tamen caveat Parochus, ne Sacerdos sibi substitutus potiusquam moribundum adiuvet, ex perversitate aut etiam ex sola ignorantia vel imprudentia, ei noceat, aut familiae scandalo sit.

785. Si, Sacramentis administratis, mors adhuc valde distare videatur, vel si ipsa agonia nimis diuturna sit, Parochus non tenetur toto illo tempore apud infirmum die ac nocte manere; imo praxis huiusmodi familiis generatim non placeret, aliis Paroeciae curis obesset, et forsan gravioribus adhuc inconvenientibus occasionem praeberet. Adde quod multi infirmi nimio terrore afficiuntur, si videant Parochum ab eorum domo nunquam discedere; eiusque praesentiam non libenter ferunt. Interpolatae itaque brevesque visitationes sufficient, rariores aut frequentiores iuxta distantiam, et alias curas; speciatim vero iuxta infirmi desiderium; et maxime iuxta spiritualem illius necessitatem, mortisque propinquitatem. Ruri praestat ut prope noctem huiusmodi infirmi semper visitentur. Si Sa-

cerdos in aliqua ex his visitationibus advertat mortem iam imminere, tunc apud moribundum remanere, eiusque animam, iuxta dicta (n. 629. XII), Deo commendare debebit; sin minus, domum redire poterit. — Si propter alios infirmos aliasve graves necessitates agonizantem deserere cogeretur, neque alium Sacerdotem sibi substituere posset; tunc curabit ut assistentes pios affectus moribundo identidem suggerant, Crucifixum ei osculandum praebeant precesque pro eo effundant. Rit.

Sed quomodo cognoscitur, mortem esse vicinam et infirmum non esse deserendum? R. Distinguere oportet inter morbum acutum (cum febri), et chronicum (sine febri). In morbis acutis, donec infirmus loquitur, delirat, se agitat, movet pedes vel manus, aperit et claudit oculos etc., ordinarie mors proxima non est; hi enim moribundi tempore notabili (nempe ut plurimum una vel altera hora) sensibus destituti ita remanent ut ex sola respiratione pateat eos adhuc esse vivos; et tunc mors certe vicina erit, maxime si ne aquam quidem ori admotam sugere possint. — In morbis chronicis e contra infirmi remanere solent cum sensibus usque ad extremum. Quoad vitia organica ad cor, nulla regula sumi potest; et fere idem dicendum est de hydropisis, et de morientibus ex mera senectute. In phthisi pulmonari habetur signum ex pulsu vix sensibili et respiratione intermittente. Quando febris typhoidaea non coniungitur cum delirio et tribus vel quatuor hebdomadibus durat, tunc infirmus lenta consumptione et cum sensibus moritur. Vulnera in ventrem penetrantia, et omnes hemorragiae sensus non adimunt; sed ipsa sanguinis effusi copia, et consequens pulsus extrema debilitas proximae mortis signum praebebit. Denique, si vultus iam horribiliter cadavericus evaserit, tunc mortem esse vicinam semper iudicabis.

786. Extrema Unctione administrata, apud nos consuetudo est ut stola ad pedes moribundi relinquatur. Aqua benedicta deesse non debet; frequenter enim infirmus est benedicendus. Imagines Crucifixi et B. M. Virginis, ubi magis commode a moribundo intueri possint, collocentur. Actus fidei, spei, amoris Dei, amoris proximi, et resignationis Divinae voluntati ei pedetentim suggerantur. Inquirendum an moribundus alicui pio sodalitio sit adscriptus, unde expositio SS.mi Sacramenti ei debeatur, vel Indulgentiam plenariam lucrari possit; ut puta, si Confraternitati SS.mi Rosarii, vel B. V. de Monte Carmelo, vel Immaculatae Conceptionis, vel Cincturae B. V. etc. pertineret, aut alicuius Ordinis tertiarius esset. Ad huius-

modi tamen Indulgentiarum applicationem (Formulae adsunt in Appendice novissima Ritualis) facultas exigitur. Benedictio Apostolica omnibus Christifidelibus (exceptis excommunicatis, impoenitentibus, et in manifesto peccato mortali decedentibus) dari potest; et facultas (quae per se subdelegari nequit) obtinetur ab Episcopo. Caeterum vide dicta (n. 629. XIII). Exhortationes opportunae, iuxta spirituales moribundi necessitates, praebeantur. Orationes (vulgo iaculatoriae) a moribundo saltem corde proferendae, identidem suggerantur. Quando infirmus non adhuc est in extremis, aliqua brevia exempla Sanctorum optime deserviunt; et, si Sacerdos in domo infirmi diutius remanere cogatur atque identidem ab eius cubiculo recedat, modo aedificanti cum familia conversetur, oret, officium recitet, pueros catechismum doceat etc., et domum rediturus infirmum benedicat, eumque tutum reddat se esse Deum, speciatim in Missa, deprecaturum; et promissionem servet reapse.

Procurandum ne alii infirmum affligant, turbent, aut sermonibus inanibus distrahant; et multo magis ne quis ei scandalum praebeat. Si in eius cubiculo imago amasiae adsit, curet Parochus ut amoveatur; prudenter tamen ne peius contingat (forte enim imago illa nullam amplius impressionem infirmo facit); et melius esset si ante primam eius visitationem familiares (quasi consilio proprio) persuasum reddiderint infirmum quod tales imagines, Sacerdote adveniente, removeri debent. — Aliqui Sacerdotes facetiis cum familiaribus indulgent; idque infirmi valde aegre ferunt; et familiares ipsi scandalizantur, quasi Sacerdotes de hominum morte gaudeant. Alii libros spirituales cum magno infirmi taedio legunt. Alii in commendatione animae elatissima voce stridunt, et hoc magnam molestiam moribundo afferre potest. Alii quando infirmus videtur sensibus destitutus libere procedunt, et dicunt, v. g.: *Sumus in fine, ad crastinam diem non pervenict, pulsus amplius non percipitur* etc., vel confabulantur, rident etc. Sed non raro infirmi reapse omnia audiunt; et proinde talia non sunt dicenda et caute procedendum.

787. Scopuli magis exitiales in moribundorum assistentia sunt tres. 1° Pigritia; unde Sacerdos moribundum deserat etiam quando illum desercre non posset, aut ad eum se non conferat, quando sive die sive nocte ad illum se conferre deberet. — 2° Libido aut tractus nimis liber. Caveat Sacerdos ne, dum manet in domo infirmi, libentius et diutius cum foeminis quam cum viris conversetur; et quoad foeminas infirmas

Sacerdotalis modestiae non obliviscatur. Ingrediens in infirmae cubiculum, prius petat an ingredi possit. Adveniente medico, recedat (quod fere semper etiam quoad viros servandum est). Recedat etiam si infirmam qualibet de causa detegere oporteret. Medici partes non agat; sed potius, in quibusdam casibus urgentibus, doceat familiares quomodo se gerere debeant. Si infirma in phrenesi vel ex habituali modestiae defectu se minus honeste detegeret, Sacerdos blando modo, et quantum moraliter possibile sit, illam cooperiat. Aliqui addunt, Sacerdotem non debere sudorem ab infirmae fronte abstergere, et non nisi requisitus eius pulsum tangere; sed, secluso pravo aut minus recto fine, scrupuli circa haec iniiciendi non videntur. — 3° Avaritia est tertius scopulus. Caveat solertissime Sacerdos ne infirmos inducat ad aliquod sibi dandum vel in testamento relinquendum; imo quidquid, etiam sponte sive datum sive relictum, respuat vel haeredibus restituat; secus enim accessus Sacerdotum ad moribundos nimis odiosus redderetur, atque a familiis non raro impediretur. Ab hac regula non recedat Parochus, quamvis esset pauperrimus, aut quamvis peteret non pro se sed pro Ecclesia (maxime propria), aut pro aliis usibus piis. Hoc tamen ultimum intellige, si moribundus consanguineos indigentes habeat; si enim moribundus esset valde dives, Sacerdos ad legatum pium (speciatim propriae Ecclesiae extraneum), maxime vero ad pauperum miserias aliqualiter sublevandas illum inducere posset. Idem dic a fortiori si in conscientia obligationes haberet. Hac de causa (et etiam quia aliquando moribundi circa testamentum Sacerdotis assistentis consilium aut auxilium exposcunt) oportet ut circa successiones ab intestato et testamenta notitiae magis necessariae iuxta civilem propriae nationis codicem habeantur.

788. Apud nos quomodo se habeant successiones ab intestato, patet ex dictis (n. 512). Si moribundus ex solo matrimonio ecclesiastico filios (legaliter non recognitos) haberet, neque isti neque uxor apud legem civilem, quoad successionem, ullo modo considerarentur; et proinde haereditas ascendentibus vel collateralibus devolveretur. Hinc oporteret ut moribundus actu authentico filios recognosceret, simulque matrimonium civile contraheret, si possit; et, si non possit, per testamentum aliumve publicum actum eorum legitimationem (Decreto reali postea obtinendam) peteret (Art. 194-199); sic enim filii perfecte coram lege legitimarentur. Sine hac legitimatione, eis consulere posset condendo testamentum in eorum favorem (relicta tamen

legitima, nempe tertia parte assis, ascendentibus, si adsint, iuxta Art. 807 ). Secluso matrimonio civili et testamento, recognitio id solum efficeret ut filii iuribus filiorum naturalium ( iuxta Art. 744-747 ) gauderent.

789. Iuxta legem, pater debet relinquere saltem medietatem bonorum suorum filiis, nulla facta distinctione inter masculos et foeminas; et iuxta hanc medietatem atque filiorum numerum quota unicuique debita determinatur. Attamen si quis dotem congruam dumtaxat ( ad hanc quotam legitimam non pertingentem ) filiabus assignare vellet ( quod facile fieri potest si assis non in stabilibus sed in pecunia consistat ), non esset inquietandus, ut iam dixi supra ( n. 511. IV ).

790. Dispositiones in favorem pauperum ( intellige semper quatenus legitimam non laedant ) tenent semper, Art. 832. — Dispositiones directae ad cultum tenent, dummodo 1° Non sint expressae modo generico, dicendo solum, v. g.: *Lascio erede l'anima mia* ( Art. 831 ); 2° Institutionem aut dotationem entium suppressorum ( v. g., beneficii simplicis, capellaniae laicalis, ordinis religiosi etc. ) pro obiecto non habeant ( Art. 833 ); unde dispositiones directae ad cultum, si sint perpetuae atque enti conservato non adnexae, invalidae sunt ( Lex 15 Aug. 1867 ). E contra valent 1° Dispositiones temporaneae, ut puta, si poneretur onus haeredi ut talem numerum Missarum vel Anniversariorum celebrare faceret; aut si Executoribus testamentariis imponeretur ut, asse divendito, totum pretium in fabrica Ecclesiae, vel in Missis celebrandis impenderent; id enim nulla lege vetatur; nec haeredis institutio hodie necessario exigitur. Cf. *Avvisatore Eccles.* ( An. III. pag. 20 ). Valent 2° Dispositiones perpetuae, si enti conservato, v. g., Paroeciae vel Loco Pio, adnectantur; quamvis Regis approbationi ( secuta morte testatoris ) subiici debeant. Art. 433, 932.

Caeterum piae dispositiones executioni demandari possunt etiam ope capsae ecclesiasticae, si adsit, transmittendo nempe ad eiusdem capsae deputatos pecuniam, eisque significando usum ad quem destinatur. In praxi tamen Sacerdos, qui moribundo assistit, huius transmissionis onus ordinarie declinabit; agitur enim de re plena periculi, ut supra dicebam.

791. Testamentum ( seu quaelibet dispositio circa aliquid post mortem exequendum ) valet, etiam sine ulla solemnitate atque in charta communi, dummodo 1° ex toto manu testatoris scriptum fuerit; 2° cum indicatione diei, mensis et anni ( expedit ut haec indicatio non cifris sed litteris exprimatur );

3° cum subscriptione testatoris ( nempe nominis, cognominis et paternitatis sine abbreviationibus ) in fine dispositionum. Hoc testamentum dicitur olographum, Art. 775.

Si testamentum non sit olographum, tunc publicus tabellio et quatuor testes masculi, aetate maiores, atque proprium nomen et cognomen scribere scientes, exiguntur.

Si pestis aut alius morbus contagiosus grassetur, valet testamentum factum coram Sacerdote ( loco tabellionis ), et sufficiunt duo testes, etiam foeminei sexus, atque non aetate maiores, dummodo sextum decimum annum compleverint, et quamvis nec testator nec testes propriam subscriptionem apposuerint, dummodo ex impotentia id evenisse exprimatur. Subscriptio tamen Sacerdotis, qui testamentum exaravit, semper exigitur. Art. 789. Secuta morte testatoris, hoc testamentum, statim ac fieri poterit, apud magistratum recensionis (*registro*) deponi debebit. Art. 790.

Monent quod in quolibet testamento semper indicari debet quod testator *est in pleno usu suarum facultatum mentalium*; et quod suam ultimam voluntatem declarare intendit, illamque *libere* manifestat. Testamentum autem alta atque intelligibili voce coram testatore et testibus legi, et hanc lectionem fuisse factam exprimi debet.

## APPENDIX II.

### *De funeribus et de ecclesiastica sepultura.*

792. Quibus ecclesiastica sepultura denegari debeat? R. Prima regula exprimitur in illo canone antiquo: *Quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.* Hinc Rituale dicit, paganis, iudaeis, haereticis ( ex secta. D' Annib. I. 114, 33 ), schismaticis ( ex secta ), et excommunicatis publicis, nempe vitandis ( nisi prius sive in vita sive post mortem in foro externo reconciliati fuerint ), sepulturam esse denegandam. Idem dic de infantibus mortuis absque baptismo; sed isti non in quolibet loco profano, bene vero prope coemeterium sepeliri debent. Hucusque in praxi nulla difficultas.

793. Loquendo autem de iis, qui saltem nomine catholici sint, neque sint excommunicati vitandi, iuxta Rituale, ecclesiastica sepultura privari debent sequentes.

1° *Manifesti et publici peccatores, qui sine poenitentia perierunt.* Huiusce generis sunt certe qui in mortali infirmitate

omnia Sacramenta notorie recusarunt, idque ex perversitate atque ex animo moriendi sine illis, ut puta, si coram testibus (qui rem divulgarunt) Sacerdotem cum blasphemiis aut vituperiis pertinaciter a se repulerint. Quidquid sit de eorum vita praecedenti, hoc sufficit ut, tamquam manifesti et publici peccatores sine poenitentia decedentes, haberi debeant. — Sed quid de iis qui notorie perversam vitam duxerint, et mortui fuerint sine Sacramentis, quin tamen illa (ut supra) respuerint? Multi docent, ecclesiastica sepultura hos esse privandos. Attamen exigunt 1° ut non solum de peccato, sed de statu peccati, nempe de vita in continuo peccato ducta, agatur. Exempla dantur in concubinatu, in matrimonio mere civili, in meretricio, in retentione rei alienae, in odio gravi et inveterato, in officio sub gravi vetito etc.; multo magis si pertinacia in excommunicatione superadderetur. Exigunt 2° ut hic status peccati sit certus, et non tamquam sub dubio sed tamquam certe publice notus; qualis non esset, v. g., si de concubinatu dicteria dumtaxat fierent. Supposito autem statu peccati, eiusque certa et publica notitia, dicunt, id satis esse ut ecclesiastica sepultura debeat denegari; atque, ut dari possit, exigunt ut saltem unus testis de poenitentia ante mortem secuta fidem faciat *; quandoquidem peccatum esset notum et poenitentia ignota, et factum non praesumitur nisi probetur. — Alii e contra censent, talem ac tantam impoenitentiae notitiam atque adeo publicam et scandalosam exigi, ut, si sepultura concederetur, novum scandalum suscitaretur. Ita Gousset (II. 636), et Scavini (IV. 63, 5). Haec sententia (apud nos) in praxim adhibetur satisque valido nititur fundamento. Hodie enim in multis locis ex denegatione ecclesiasticae sepulturae salutaris illa impressio, quae olim oriebatur, amplius non oritur; sed potius, propter sepulturam (uti aiunt) civilem (aetate nostra ad triumphum impietatis invectam), novum scandalum oriretur; et sic lex non in aedificationem sed in destructionem esset. Adde turbationes, et odium familiarum contra Parochum, si (ut suppono) usus iam

* In quovis casu, et quamvis peccator fuerit ex insignioribus, certe sufficit si Sacerdotem petiverit, quamvis ante eius adventum obierit aut sensibus destitutus remanserit. — Si autem ad retractationem teneretur, et Sacerdos cum moribundo loqui potuerit, sufficere potest si ipse moribundus extra confessionem (quamvis sine testibus) a Sacerdote interrogatus in genere an dispositus esset ad retractandum quidquid contra leges Dei vel Ecclesiae commiserit, affirmative responderit. De hac praxi solemnissima exempla habemus, ut videre est in Civilitate Catholica (Fasc. 1. Apr. 1882 et Febr. 1878).

invaluerit ut in iisdem aut similibus casibus sepultura ecclesiastica concedatur; denegatio enim, contra defunctum (quasi aliis de causis talem poenam mereretur) suspiciones ingereret, et pene iniuriosa evaderet. Notari potest quod in ipso casu impoenitentiae verissimae et satis notae, si forte familia scandalum sepulturae mere civilis declinare vellet et sepulturam ecclesiasticam peteret, id bonam impressionem apud nos (loquendo de civitatibus) faceret, et quasi scandali imminutio seu partialis reparatio consideraretur, unde interpellari deberet Episcopus, qui, meo sensu, in huiusmodi circumstantiis (saltem si Sacerdos in extremo agone iterum ad moribundum, quamvis iam sensibus destitutum, accesserit) facile quoad meram sepulturam sine pompa et sine funere consentire posset. Neque dicas, nimis repugnare quod Ecclesia pro huiusmodi defunctis preces effundat; possibilitas, enim, quod aliquo momento ante mortem in corde proprio poenituerint, semper aderit, ut alibi dixi; et aliunde si preces pro iis non valent, valere poterunt pro aliis. A fortiori sepultura ecclesiastica concedi poterit, si Sacerdos reiectus quidem fuerit obstinate, sed non constet an a parte moribundi an vero dumtaxat a parte familiae id evenerit. Ita reapse decisum fuit (14 Mart. 1880) ab Archiep. Neapolit. pro quodam casu huiusce generis illuc obvento.

2° Rituale ab ecclesiastica sepultura excludit *suicidas*, si ob desperationem vel iracundiam, non vero ex insania, se occiderint; nisi ante mortem dederint signa poenitentiae. Congr. S. Officii 16 Maii 1866, hanc legem explicavit, et (supponendo esse certum quod defunctus ab aliis occisus non fuerit) dixit: Si certo constet quod causa suicidii fuerit desperatio vel iracundia, tunc sepultura ecclesiastica denegari debet omnino. Si autem dubitandum sit ne forte ex insania (ut puta, si magnae melancholiae prius subiectus fuerit), tunc sepultura quidem ritu ecclesiastico dari poterit, sed *vitatis pompis et solemnitatibus exequiarum*, nempe (si bene interpretor) in forma privata, cum exiguo Sacerdotum comitatu et sine funere. Caeterum etiam haec regula suas exceptiones habere potest; et ipsa S. Congregatio dixit: « Parochi et Missionarii, in singulis ca« sibus, quibus praesens dubium refertur, recurrant, quoad « fieri possit, ad Ordinarium ».

3° Quoad *duellantes*, Benedictus XIV (supponendo quod agatur de duello veri nominis, non vero de pugna ex improviso, quamvis pugnantes ad alium locum aptiorem communi consensu statim se contulerint) in Bulla *Detestabilem* dicit: « De-

« clamamus, sepulturae sacrae privationem... incurrendam per-
« petuo fore, etiam ante sententiam iudicis, a decedente quoque
« extra locum conflictus... sive duellum publice sive privatim
« indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non in-
« certa poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris
« absolutionem obtinuerit ». Sed etiam in hoc casu, antequam sepultura denegaretur, consulendus esset Episcopus. In Gallia, si vulneratus confessionem petierit, rigor Bullae ne temporibus quidem anteactis applicationem practicam habuit, ut videre est apud Gousset, Gury aliosque. Notandum est etiam quod haec lex statuta fuit ut « poenarum gravitas maiorem perditis homi-
« nibus ingerat peccandi metum » ( Bulla cit. ); sed hodie fere ubique circumstantiae temporum sunt adeo mutatae, ut denegatio sepulturae ecclesiasticae ( quae pompa sepulturae civilis statim suppleretur ) nullam impressionem faceret.

Nihil dico de casu illorum qui praecepto Paschali non satisfecerunt; his enim sepultura ecclesiastica olim denegari quidem debebat, sed solum post edictum affixum ( S. C. Epp. 14 Iun. 1595 ), quod hodie affigi non solet.

794. Si autem, attenta enormitate casus, scandalo populi, aliisve circumstantiis, sepultura ecclesiastica alicubi aut alicui omnino denegari debeat; tunc illam concedere grave esset. Id contingit speciatim in bonis Paroeciis ubi Religio adhuc floreseit, et caemeterium habetur tamquam locus religiosus, in quo ii dumtaxat qui in osculo Domini decesserunt sepulti fuerunt; unde Christifideles horrore concuterentur, si eorum coemeterium profanaretur, et cadaver animae damnatae in eo sepeliretur; maxime vero si ipsos Sacerdotes ad talem sepulturam concurrere conspicerent. Solam tamen pulsationem campanarum, ut fideles pro defuncto orent, Croix ( VII. 268) putat non esse illicitam. Quid si in tali casu pertinaciter gravibus minis sepultura ecclesiastica et exequiae expostularentur? S. Poenitentiaria ( 10 Dec. 1860 ) respondit: « Curandum ut cuncta ad
« normam Sacrorum Canonum fiant ( *ut nempe extra locum*
« *sacrum defunctus sepeliatur* ) ; quatenus vero absque turba-
« rum et scandali periculo id obtineri nequeat, Parochus neque
« per se neque per alios Sacerdotes ad exequias et ad sepultu-
« ram ullo modo concurrat ». Passive itaque se habeat, et sinat dumtaxat ut personae sacculares in coemeterio illum sepeliant.

795. Si defunctus ecclesiastica sepultura donari debeat, ius funeris cuinam spectat?

R. Interdum Parochus ius funeris non habet; idque contingit in casibus sequentibus.

Primus est si defunctus alibi sepulturam elegerit. Oportet tamen 1° ut defunctus fuerit pubes; 2° ut haec electio sit iuridice certa (S. C. C. 15 Aug. 1875); 3° ut Ecclesia electa sit Cathedralis, vel alia Parochialis, vel Religiosorum quorum Ecclesiae olim tumulantes dicebantur, vel talis quae ex loci consuetudine olim humanda cadavera recipere soleret. Quod autem hodie, propter publica coemeteria, prohibitio sepeliendi in Ecclesiis facta fuerit, id non impedit quominus Ecclesiae ipsae antiquo iure gaudeant; et quominus fideles eligere possint easdem Ecclesias ut proprium funus inibi peragatur; unde in substantia electio sepulturae hodie in electionem Ecclesiae proprii funeralis conversa est; imo unusquisque posset unam Ecclesiam pro funeralibus et aliam pro sepultura eligere. (S. C. C. 6 Mart. 1870. et 11 Aug. 1875). Severissime tamen interdicitur ne Ecclesiastici inducant fideles ad eligendam potius unam quam aliam Ecclesiam sive pro sepultura, sive pro funere (S. C. C. Decr. cit.).

Secundus casus est, si defunctus sepulchrum gentilitium vel haereditarium alibi habeat.

Tertius est, si ratione dignitatis seu beneficii residentialis (ut puta, si esset Canonicus) funus alibi habere debeat.

Attamen in his casibus duo iura Parocho restant; nempe ad quartam funerariam et ad comitandum cadaver usque ad Ecclesiam funeris. Imo, si haec esset intra fines Parocciae et non exempta, ius peragendi functionem funebrem (excepto privilegio specialissimo) ad Parochum spectaret, quamvis emolumenta eiusdem Ecclesiae Rectori (dempta quarta) debeantur, ut patet ex pluribus decisionibus apud Vecchiotti (II. 60).

Haec quarta Parochis debetur, quia, propter pabulum spirituale Parochianis viventibus administratum, ius habent ad funeris emolumenta; et lex, dum in dictis casibus hoc iure illos privat, quasi in compensationem quamdam *, eis relinquit quartam.

* Quum quarta detur in compensationem alicuius iuris, hinc debetur etiam in sequentibus casibus. 1. Si quis in Ecclesia sepulchri gentilitii tumulandus, suam Parochialem elegisset pro funere; tunc Parochus quartam Ecclesiae tumulanti dare deberet. S. R. C. Decr. 4998 et 5022. — 2. Si defunctus, v. g., ad Cathedralem aliquibus milliaribus distantem deferri debuisset, et in Parochiali ex culpa, non Parochi, sed haeredum sepultus fuerit, tunc huic Parocho quarta debetur. S. C. C. 11 Sept. 1878. Apud *Avvisatore* (I. pag. 52).

Haec regulariter consistit in quarta parte cereorum (qui circa corpus defuncti atque in altaribus accensi fuerunt), aliorumve aequivalentium emolumentorum, quae ex funere praecise (non vero ex aliis Officiis emortualibus) Ecclesiae obvenerunt. Si tamen constaret de consuetudine legitima, aut conventione, quae hanc partem diminueret aut augeret, tunc consuetudini aut conventioni standum esset. Nomine funeris intelligitur primum Officium emortuale, quod, iuxta defuncti conditionem, post mortem (etsi diu post) celebratur. Et, si postero die aliud funus solemniori pompa celebraretur, ex hoc etiam (ne fraus legi fiat) quarta funebris Parocho deberetur. S. C. Epp. 3 Aug. 1862. Ius ad hanc quartam non contra haeredes, sed solum contra Ecclesiae Rectorem exerceri potest. S. C. Epp. 14 Apr. 1615. Vide *Avvisatore Eccl.* (An. III. pag. 229).

Ad Parochum spectat etiam (ut dixi) comitari cadaver Parochiani sui usque ad Ecclesiam funeris, sive illuc deportetur privatim sive solemniter, idque quamvis defunctus esset Canonicus et Capitulum interveniret. Ad illum spectat stolam tenere, atque (uti aiunt) elevare cadaver (cum perceptione emolumenti respectivi). Attamen *per viam*, si Capitulum adesset, huic praecedentia deberetur. Unica crux, seclusa consuetudine antiquissima in contrarium (S. C. C. 20 Ian. 1735), elevanda est, quae debet esse Ecclesiae tumulantis, nisi haec ad saecularium confraternitatem spectaret, et nisi interveniret Capitulum. Parochus suum interventum recusare non potest. Si tamen expresse recusaret; tunc ad Ecclesiam tumulantem ius elevandi cadaver devolveretur. S. R. C. Decr. 576. 2733. 2910. 4673. 4877. et S. C. C. 20 Ian. 1735. Notandum quod defunctus, qui alibi pro suo funere Ecclesiam elegerit, impedire nequit quominus proprius Parochus quartam funebrem (iuxta consuetudines aut conventiones) percipiat et cadaver comitetur. S. C. C. 6 Mart. 1870. et S. C. Epp. 1581.

Si Parochianus neque Ecclesiam sui funeris elegerit, neque ratione sive sepulchri gentilitii sive dignitatis alibi funus habere debeat; tunc videndum an intra Paroeciam mortuus fuerit, an vero extra.

Si in Paroecia decesserit, funus in ipsa celebrari debet; neque haeredes aliam Ecclesiam eligere possunt. S. C. C. *in Fanens.* Ian. 1870. Tamquam Parochiani considerantur qui in Paroecia habent domicilium, aut quasi domicilium: non vero si in ipsa exigua dumtaxat anni parte remanere intendant, prout in divitibus rusticantibus, aut iis qui curandae valetudi-

nis gratia alibi se conferunt, contingere potest. Lambertini Inst. CV. 43. 44). Si quis aequali (aut magna) anni parte in duabus Paroeciis habitet, tunc funus spectat ad Paroeciam in qua mors accidit, et alteri Parocho nihil debetur. Idem dic de studentibus, famulis et militibus. S. C. C. 17 Aug. 1831. Idem quoque dicendum de Seminaristis et de puellis, quae educationis causa in monasteriis morantur; istae enim *quoad sepulturam* Parocho loci subiiciuntur. Cf. D' Annibali (I. 113 et 112, 15). Idem dic a fortiori de personis, quae sine votis solemnibus, in piis congregationibus moriuntur; imo etiam de veris religiosis in aliqua Paroecia domicilium habentibus, si extra monasterium degant, et conventus vicinus non adsit, vel (si adsit) eius Praelato non subiiciantur. S. C. Epp. 11 Mart. 1881.

Si Parochianus extra Paroeciam decesserit, videndum an satis commode ad propriam Ecclesiam deferri * possit; quin scilicet cadaver putrescat, aut ultra 24 horas funus differri debeat, aut nimia distantia intercedat. Lambertini pro sua Dioecesi decrevit, sufficere tria milliaria; sed de iure communi distantia multo maior, nempe 20 milliar., exigitur. S. Rot. (*in Trevir.* 21 mart. 1756). — Optandum ut opportunis conventionibus aut legibus (ad lites praecavendas) id determinetur, statuendo distantiam exiguam; hodie enim id quoque superadditur, quod cadavera, antequam medicus necroscopus advenerit, moveri nequeunt. — Si itaque translatio cadaveris sat commode exequi non possit; tunc ius funeris parocciae in qua mors accidit devolvitur ex toto, quin scilicet Parocho defuncti quidquam solvi debeatur. Lambert. (Instit. cit. 44. 45) — De iure communi, si defunctus nullam moram notabilem in dicta Paroecia duxisset (ut puta, si viator repente moreretur), ius funeris ad Cathedralem spectaret. S. C. Epp. 3 Iul. 1592.

Si autem cadaver sat commode deferri queat ad propriam Parocciam, huic ius funeris immanet, quin Parocho, intra cuius Parocciae fines mors accidit, quarta debeatur. Lambertini (Inst. cit. 48) censuit, associationem quoque cadaveris iure stricto ei non competere; sed hodie contrarium a S. C. C. (22 Dec. 1866 et 6 Maii 1876. Cf. D'Annib. III. 529. 12) definitum fuit.

Quid de defunctis in hospitalibus? Isti de iure communi funus habere debent a Parochis proprii domicilii, non vero a

* Lambertini (l. c. 16) censet, hanc delationem intelligendam esse de cadavere super feretrum posito, et comitantibus saltem duobus Sacerdotibus, praevia Cruce, iuxta Rituale. Sed de hac interpretatione valde dubito.

Capellano hospitalis, aut Parocho in cuius Paroecia hospitale adest (ad quem cadaveris associatio dumtaxat spectat). S. C. C. 14 maii 1881. Ut dicti Parochi huiusmodi iure destituantur, necessarium est ut conventio interfuerit, nec sufficeret consuetudo, nisi esset immemorabilis; consuetudines enim, etiam centenariae, contra Parochorum iura non sufficiunt. S. C. C. 29. Ian. 1821.

Quid de defunctis apud Regulares? Ipsi possunt suorum Religiosorum, imo et famulorum qui intra septa monasterii diu noctuque morantur, funus peragere, et cadavera (attamen sine solemni pompa) ad publicum caemeterium deferre. Idem potest Capellanus (seu Confessarius) monialium, quoad moniales ipsas; imo etiam quoad foeminas, quae ex indulto Apostolico intra monasterium perpetuo morantur. Cf. D' Annib. (I. 113. et III. 529). Idem dic, si forte Regulares cuiuslibet personae saecularis funus legitime celebraverint. Vecchiotti (II. § 62. in fin.). Caeterum Regulares, quoad sepulturam personae extraneae (quamvis forte apud ipsos domicilium habentis), quae in eorum monasterio moreretur, nullo iure fruerentur; et perinde esset ac si dicta persona in loco non exempto habitasset ibique decessisset: unde casus iuxta regulas supra expositas decidendus esset. S. C. C. (3 Febr. 1694).

Quid de pueris qui apud nutrices moriuntur? R. Alicubi certe ius funeris spectat ad Parochum parentum. In praxi consuetudines sunt attendendae; sed sine dubio (absque Episcopi licentia) hi pueri a domo nutricis ad domum parentum deferri nequeunt; bene vero recta via ad Ecclesiam tumulantem deferri debent. Cf. Lambertini (Inst. CV. 56).

796. Parochus officium suum quoad Parochianos sepeliendos nunquam recusare potest; et lumina, clericum, pulsationem campanarum, utensilia etc., quantum stricte necessaria sunt ut functio iuxta Ecclesiae ritum peragatur, praestare debet. Rituale iubet ut, si hora fuerit congruens, Missa (ut in die obitus) non omittatur. Haec serio perpendant illi Parochi, qui, nisi pecunia solvatur, in his (consuetudine legitima non excusante) valde deficiunt *.

A pauperibus Parochus nihil exigere potest; nec dicat: nolo

* Alicubi pauperes et miserabiles qui in publicis hospitalibus moriuntur, noctu in plaustro ponuntur, et nudi prorsus atque acervati non secus ac essent animalia occisa, nullo Sacerdote comitante, et sine ullo ritu religioso ad caemeterium deferuntur. Episcopi providere debent omnino ut obbrobriis huiusce generis tandem aliquando remedium apponatur.

introducere consuetudinem sepliendi gratis. Quoad alios exigere poterit emolumenta consueta, dummodo sint legitima. Taxae huiusmodi non possunt esse arbitrariae, neque semper sunt iustae, quamvis antecessores illas exegerint. Si Parochi vicini communiter minus exigant, et Parochiani lamenta faciant, pro taxae iniustitia standum erit. — Si defunctus circa funus suum nihil determinaverit, Parochus haeredum dispositionibus acquiescere debebit. Funera plus vel minus solemnia, nempe primae, secundae, tertiae, vel quartae classis, esse possunt. Expensae pro singulis classibus fixae et iustae esse debent. Haeredum erit classem eligere et expensas solvere. Caeterum in quibusdam casibus exceptionalibus prudentia suadere potest, ut, eâdem praestitâ pompâ, expensae aliquantulum imminuantur. Si haeredes designaverint Sacerdotes ad funus advocandos, eorum voluntati standum erit. S. R. C. Decr. 983. Si numerum dumtaxat, sed non personas designaverint, tunc Sacerdotes parochiani praeferri debent. S. C. Epp. 23 Apr. 1649; et in hoc legitimis et rationabilibus consuetudinibus standum erit. — Si et in quantum adsit usus dandi Missarum eleemosynas etiam Sacerdotibus non in Ecclesia funeris, sed alibi celebrantibus, id fieri poterit; sed, si haeredes expresse contradicerent, aut si usus iam satis notus non adesset, tunc id illicitum et iniustum foret. Sacerdotes ad funus invitati, usque ad domum defuncti se conferre debent (quatenus sine magna difficultate fieri possit), neque illis integrum est recedere antequam exequiae expletae fuerint. Parochi conscientia in his oneratur, et solum ex permissione (saltem interpretativa) haeredum aliquam licentiam (data necessitate) alicui concedere poterit. Curet etiam ut Sacerdotes in Sacristia non maneant dum choro interesse debent, atque ut cum debita devotione functioni assistant; secus (quatenus possit et mala maiora non pertimescat) eos amplius non invitet. Sinat etiam ut cerei omnes a principio usque ad finem funeris (iuxta ritum et consuetudinem) ardeant; et in retributione danda clericis aliisque Ecclesiae inservientibus, avare non procedat; ne dicant quod omnia sibi applicare vult.

### DE ORDINE SACRO

797. Populus de sublimi Sacerdotum dignitate edocendus est, ut debitam iis reverentiam habeat.

Si semper, hodie speciatim (tantam enim lugemus Sacrorum Ministrorum penuriam!), cordi debet esse Parochis, ut

pueros bona indole et bonis moribus praeditos (maxime si ingenio quoque polleant, aut a militari conscriptione immunes futuri sint) ad ecclesiasticam vitam eligendam disponant. Summa cura a sociis, scholis, et libris periculosis eos avertere studeant. Curent ut cito vestes clericales induant, atque ad civitatem episcopalem mittantur, diligentissime cavendo ne (quatenus in Seminario claudi nequeant) apud familias, in quibus foeminae iuvenes aut alia pericula adsint, collocentur. Si autem in Paroecia remanere cogantur, tunc quaquaversus (ut nempe spiritum ecclesiasticum custodiant, in congruis studiis proficiant, atque victu et vestitu, si pauperes sint, non careant) eos, quantum fieri poterit, adiuvent. Vide dicta n. 702. XVI. XVII). In hunc finem maxime proderit, si Parochi adlaborent ut piae societates ad pauperum clericorum adiumentum instituantur aut (si institutae sint) conserventur atque adaugeantur. Specialem vigilantiam in clericos (sive tempore autumnali a Seminario reduces, sive habitualiter sive occasione rusticationis in Paroecia remanentes) exerceant, et bonis modis eos corrigant. Defectus magis observandi sunt 1° Si in vestibus et speciatim in capillorum compositione levitatem praeseferant: 2° Si conversationes adeant, et speciatim si cum foeminis libenter conversentur; 3° Si tempore nocturno huc illuc per civitatem circumvagent, maxime cum saecularibus; 4° Si in Sacristiis, et multo magis in locis qui *Caffè* vocantur, vel apud pharmacopolas etc. tempus terant, et se esse otio deditos satis superque demonstrent. 5° Si studendi voluntatem non habeant. 6° Si Sacris functionibus assidui non sint, vel in ipsis devotionem non ostendant; 7° Si pro doctrina christiana pueris tradenda servitium diligenter non praestent; 8° Si diebus ferialibus Missam non audiant, vel nimis raro ad Sacramenta accedant; et, uno verbo, si veram et constantem animi pietatem non praeseferant. — Quatenus autem eorum mores tales sint, ut (si Sacerdotes evaderent) de bono exitu dubitari debeat, tunc Episcopo id significare non omittant. Nihil dico de sinceritate adhibenda, quando pro Sacris Ordinationibus testimoniales informationes obsignari debent. Propter nimiam indulgentiam et falsam omnino commiserationem hac in re multi peccant.

Quid de titulo Ordinationis, quo (ad suam sustentationem) provisus esse debet Clericus, antequam *in sacris* ordinetur? R. Titulus Ordinationis Beneficium Ecclesiasticum esse deberet; sed ex dispensatione (hodie communissima) est etiam Patrimonium Sacrum, aut pensio ad vitam, aut legatum perpe-

tuum Missarum, aut Capellania (etiam amovibilis) si obligetur Ordinando *donec provideatur*. Si tamen titulus ordinationis in his Missis constituatur, cautio idonea exigitur pro casu in quo Sacerdos infirmetur atque sustentatione indigeat. Lambert. (Notif. XXVI. 11). — Patrimonii Sacri constitutioni leges civiles non obstant. Ex iure canonico oportet 1° Ut constituatur in re stabili; 2° Ut Ordinandus nunquam illius usumfructum amittere possit, saltem donec provideatur; 3° Ut sit sufficiens iuxta taxam synodalem vel loci consuetudinem, detractis oneribus; 4° Ut non sit litibus subiectum; 5° Ut non sit falsum vel fictitium, quod contingeret si redditus exprimerentur quidem in instrumento sed reapse non adessent, vel si secreta interponeretur conditio non utendi fructibus, aut assumendi onera quae patrimonium ipsum inutile reddant etc. — Clericus qui cum titulo falso aut fictitio *in Sacris* ordinaretur, mortaliter peccaret.

Quoad clericos recolantur alia multa, quae a n. 579 ad n. 598 exposita fuerunt.

## DE MATRIMONIO

### *Instructiones magis necessariae, quae circa matrimonium populo tradi debent.*

798. I. Matrimonium civile, ab ecclesiastico seiunctum, apud Deum, Ecclesiam et in conscientia nihil valet, et est concubinatus. Attamen, celebrato matrimonio ecclesiastico (quod solum veri matrimonii nomen meretur) civile quoque est celebrandum, propter rationes in tractatu *De Occasionariis* (n. 118) expositas.

II. Matrimonium est sacrum, imo Sacramentum magnum; et proinde in gratia Dei, et (saltem practice) praemissa confessione recipi debet. Benedictio nuptialis, Eucharistiae susceptio aliique ritus, qui in publica huius Sacramenti receptione adhibentur, magni fieri debent; et Ecclesia, licentiam celebrandi matrimonium privatim, concedit quidem; sed (seclusis causis vere gravibus) non libenter.

III. Matrimonium obligationes gravissimas (quae populo diligenter explicari debent) secum fert.

IV. Electio personae matrimonio sibi copulandae est actus quam maxime momentosus, ad quem non ex caeco amore, bene vero ex sapienti consilio et matura ponderatione deveniendum est.

V. Falsa data spe matrimonii puellam sibi devincire, magnum delictum est. Periculosissimi autem et omnino reprobandi sunt amores, si quovis fundamento solido destituantur, vel tempore nimis longo aut clam continuentur; speciatim si parentes nihil scirent, maxime vero si eorum consensus sperari non posset, aut si iam firmiter obstarent, et multo magis si talis reluctantia prorsus rationabilis esset. Quoad praxim autem circa haec in tribunali Poenitentiae tenendam, vide dicta (n. 176), et de Occasionariis (n. 229-246).

VI. Sponsalia (quamvis apud leges civiles pene nullam vim habeant. Art. 53. 54) graves et serias consequentias pariunt; practice enim res eo tandem desinunt, ut miserae puellae, partim in conscientia (atque etiam apud iudicem ecclesiasticum) et partim ex vexatione, firmiter ligatae remaneant; et e contra iuvenes omnimodam libertatem sibi arrogent. Sponsalia itaque (nisi contrahantur matrimonio iam instante), maxime si absque scriptura et sine testibus fiant, sunt dissuadenda.

VII. Genitores, et speciatim matres, gravi culpa se coinquinant, si filias cum amasiis solas, sive in cubiculis sive dum illos abeuntes ad domi ianuam comitantur, notabili tempore relinquant, dum id impedire possent.

*In tractatibus matrimoniorum quoad personae electionem Parochus se ingerere non debet.*

799. Lenocinium, quamvis ad honestum matrimonium dirigatur, Parocho non decet. Dicteriis et quandoque sinistris iudiciis se exponeret. Nihil dico de maledictionibus, si forte matrimonium exitum infelicem habiturum esset; maxime si sponsorum alteruter solum propter persuasiones et non libenti animo nuptiis consentiret. Parochus tamen se aliquo modo ingerere posset si conclusio matrimonii ad scandalum reparandum, ad prolem legitimandam, vel ad puellae honori consulendum necessaria evasisset; sed tunc quoque non semper Matrimonium urgere debet; interdum enim satius est ut puella iacturam suam in pace toleret, quam ut cum dyscolo perpetuum vinculum contrahat. — Caveat etiam Parochus, ne matrimonii alicuius conclusioni se opponat, maxime si pro sola utilitate temporali huius vel illius familiae se opponeret (ut puta, si iuvenis dives puellam pauperem ducere vellet); imo rogatus pro informationibus suam opinionem ad summum generalibus dumtaxat verbis exprimat, enumerans, v. g., dotes quibus sponsus vel sponsa

pollere debet; et dicens ut alii interpellentur; quandoquidem ipse non bene personam cognoscit. Si secus ageret, odia multa et fortassis acerrima iuvenum et familiarum contra se concitaret: quod semper (seclusa necessitate, quae in huiusmodi casibus non satis adesse solet) evitandum est.

*Parochus cognoscere debet impedimenta dirimentia, illos nempe defectus quibus subsistentibus matrimonium non potest esse validum.*

800. Imprimis elucidanda est quaestio: utrum liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio? R. Si dubium possit esse vincibile, certe non licet ad matrimonium procedere, sed prius faciendae sunt inquisitiones; nisi forte casus urgeat et matrimonium celebretur sub conditione, et cum proposito illud non consummandi. Quid si dubium sit invincibile? Hoc multipliciter contingere potest, et proinde diversi casus considerari debent. 1° Si agatur de impedimento a sola Ecclesia constituto, et auctores iamdiu rem examinaverint nec dubium solvere potuerint, quum alii dicant adesse impedimentum, alii vero non; tunc intervenit dubium iuris in impedimento ecclesiastico; et in hoc casu certum est quod practice impedimentum non adest; idque quamvis opinio speculativa in favorem impedimenti esset probabilior; dummodo opinio in favorem libertatis sit ipsa quoque solide probabilis. Ratio est quia tunc Ecclesia certe impedimentum aufert. Vide Gury (n. 724. not. *c* pag. 686). 2° Si agatur de impedimento iuris naturalis vel divini, et pariter Auctores dissentiant utrum in tali vel tali casu impedimentum subsistat quod tamen practice vix unquam contingit. Cf. Pichler IV. 1. 101); tunc Theologi recentiores cum S. Lig. (902) censent, matrimonii celebrationem esse practice illicitam, quia Ecclesia dispensare nequit, et sic sponsi Sacramentum periculo nullitatis et seipsos periculo fornicationis et peccati exponerent; sed Pichler (l. c.) considerat quod Ecclesia approbare solet matrimonia cum his impedimentis dubiis etiam iuris naturalis contracta; unde arguendum est quod haec etiam impedimenta (donec apud Auctores dubia remanent) matrimoniorum validitati non obstant, aut saltem quod bonum publicum exigit ut commercium carnale inter personas sic copulatas tamquam licitum habeatur. Periculum itaque peccati non adesset; et quoad periculum frustrationis Sacramenti notandum est, illicitum quidem esse Sacramenta periculo frustrationis exponere, sed so-

lum si commode illorum administratio omitti possit; quod in casu difficile verificabitur; ut plurimum enim, si sponsi a matrimonio desistere cogerentur, id valde incommodum ipsis esset. 3° Si agatur de impedimento dubio quidem, sed ab Auctoribus nihil aut parum considerato; tunc casus S. Sedi exponi deberet; agitur enim de re nimis momentosa, et nimia incommoda sequerentur si forte postea matrimonium fuisse invalidum detegeretur, maxime si impedimentum iuris naturalis esset. 4° Denique si agatur de dubio facti, animadvertendum quod aliquando huiusmodi dubia praesumptione (nempe sumendo regulam ab iis quae communiter contingunt) solvuntur; ut puta, si quis dubitaret de affinitate contracta propter copulam quam habuit prope vas et cum formidine ne forte aliquid seminis intra vas penetraverit; id enim non praesumitur et sic de impedimenti absentia, non dubium sed sufficiens certitudo adesset. Sanchez (VIII. VI. 18). At vero si dubium (intellige grave et fundatum; vide S. Lig. n. 908), nullo modo deponi possit; tunc certe matrimonium contrahi nequit si agatur de impedimento ligaminis, si nempe probari nequeat quod prior coniux mortuus fuerit; quia incommoda nimis momentosa sequerentur, si contracto iam novo matrimonio et forsan suscepta prole, prior coniux superveniret. Si autem agatur de aliis impedimentis, Viva (l. c. 31) dicit: « Si circa factum de impedimento dirimente detur dubium in- « vincibile, tunc standum pro libertate quae est in possessione « unde licite potest Matrimonium contrahi ». Et Sanchez (l. c.) ait: « Si nec sit opinio, nec merum dubium, sed magis « propendeatur in eam partem ut sit impedimentum, nullo « tamen assensu illius partis habito, nec existente aliqua iuris « praesumptione pro impedimento; tunc adhuc censendum est « non adesse impedimentum, nec exigitur dispensatio: sed « standum est pro libertate contrahendi matrimonium; sicut « in simili diximus de voto (*sc. non nubendi dubie emisso*) ». Ibi autem (I. IX. 11) hic auctor dixerat: « In hoc dubio vo- « luntas possidet suam libertatem, cum de vinculo contracto « dubitetur... Nec obstat requiri bonam fidem possidentis, quia « ante hoc dubium bona fide possidebatur libertas; nec dubium « superveniens, quod sollicita diligentia vinci nequit, tollit « bonam fidem ». Stantibus his doctrinis, probabile videtur quod liceat matrimonium contrahere, si absque gravi incommodo sponsi ab iis nuptiis abstinere nequeant, ut fatetur ipse S. Lig. (n. 1102). Haec limitatio adiicitur quia periculum ne tales nuptiae invalidae sint (et sic Sacramentum periculo fru

strationis exponatur) aderit semper; idque quamvis de solo impedimento ecclesiastico ageretur; si enim impedimentum adesset, utique non cessaret in dubio facti sicut cessaret in dubio iuris (et profecto, si matrimonio contracto impedimentum iam certum evaderet, dispensatio peti deberet).

Nunc singula impedimenta sunt explicanda.

801. Impedimenta ex defectu consensus. Consensus deficere potest si, v. g., sponsus esset mentecaptus, vel simulare intenderet, vel conditionem matrimonii naturae repugnantem aut impossibilem serio adiiceret. Idem dic de conditione turpi serio adiecta, saltem antequam verificetur. S. Lig. (891) et Sanchez (V. I. 4). Sed circa ista (quae in praxi vix unquam accidunt), et circa matrimonium contractum cum ignorantia conditionis servilis (hodie enim servitus fere ubique abolita est), verba non profundo. Agam dumtaxat de errore, metu et raptu.

802. *Error;* nempe 1° Error personae. Contingeret si loco Titiae, quae iuxta conventionem venire debebat, scamno nuptiali (sponso non advertente) se sisteret Caia. 2° Error qualitatis, si qualitas requisita fuerit (expresse aut saltem mentaliter explicite) ad modum conditionis, sine qua non. Alii errores (etsi valde graves, et quamvis, si cogniti fuissent, matrimonium celebratum non fuisset; imo etiam si ex dolo alterius partis provenissent) matrimonii validitati non obstant; secus enim heu! quot matrimonia passim dissolverentur, quod cederet in intolerabile reipublicae damnum et scandalum, ut rectissime notant Lugo (De Inst. XXII. 88), Sanchez (X. IX. 20), Vecchiotti (III. 90). D'Annibali (III. 334) etc.

803. *Metus* dirimit matrimonium sin minus iure naturali, saltem iure ecclesiastico (Cf. Scavini III. 788). Attamen oportet ut metus sit fundatus, et de malo gravi, comminato ad hoc et iniusto. Dixi *fundatus*, certe enim mala imaginaria, seu quatenus a sola imaginatione irrationabiliter confinguntur vel amplificantur, non sufficiunt; unde in iure *C. De eo quod metus*, legitur: « Si quis meticulosus rem ullam frustra metuerit, per « hoc edictum nunquam restituitur ». Casus esset si quis minas formidaret, quamvis sciret quod persona metum incutiens illas exequi non potest, aut non solet et facile placatur. Idem dic si mala comminata sat facile impediri aut declinari possint. Dixi *de malo gravi;* ut puta, si quis mortem, vel graves percussiones, vel reclusionem in carcerem aut monasterium; vel stuprum, vel infamiam, vel paternam exhaeredationem, vel diuturnam parentum indignationem cum molesta et difficili co-

habitatione etc. iure formidaret. Et in his malis aestimandis, habenda est quoque ratio personae metum passae; ea enim mala quae forte levem molestiam viro, iuveni, sano, audaci afferrent, valde gravia et forte intolerabilia foeminae, seni, infirmo, pusillanimi esse possunt. Caeterum solus metus reverentialis, nempe difficultas contradicendi parentibus, non censeretur gravis, nisi alia adminicula diuturni odii, et molestae cohabitationis ( ut supra dicebam ) superadderentur. Sanchez ( IV. VI. 8 ) dicit, maledictionem paternam per se solam non sufficere. Certe si esset irrationabilis, parvi fieri deberet, quia non haberet effectum. Dixi, malum debere esse *comminatum ad hoc*, non enim sufficeret si ad alium finem comminatum fuisset Casus esset si quis puellam defloraset et huius fratres ex vindicta illum occidere vellent, defloror autem, ut illos placaret, se offerret ad puellam ducendam. Dixi demum esse debere *iniustum;* si enim nulla iniustitia adesset, matrimonium ( saltem practice ) tamquam validum haberi deberet. Casus esset, v. g., si quis contraheret coactus a iudice qui iuxta canones legitime processerit; vel quia pater puellae recursum ad iudicem minitatus fuit; vel quia secus amitteret haereditatem sibi non debitam aut promissam sub conditione illius matrimonii; vel quia secus cogeretur solvere statim magna debita contracta et sic in gravissimas angustias reduceretur; vel quia solum ducendo talem foeminam posset se liberare a carcere vel etiam ab extremo supplicio propter delicta sibi debito; vel quia aliis mediis non possit obtinere assistentiam medici ( non conducti ) qua extreme indigeret etc. Porro in his aliisque casibus similibus iniustitia non adesset, et matrimonium valeret. E contra invalidum esset si malum comminatum iuris stricti violationem includeret; ut puta, si iudex iniquus sub poena carceris damnaret iuvenem ad ducendam puellam, erga quam nullam obligationem habeat. Idem dic si iuvenis obligationem quidem haberet, sed ex allegatis et probatis de illa non constaret, et sic inique ad carcerem damnaretur. Idem dic etiam si iuvenis, sponsalia adimplere nolens, cogeretur a iudice ultra terminos iuris, quod aliquam equidem coactionem admittit sed moderatam, ita ut iudex, si nimiam obstinationem perspiceret, iuxta canones ab ulteriori coactione desistere deberet, quia matrimonia debent esse libera, quandoquidem a strictis coactionibus infelices exitus pertimescendi sunt. Sanchez ( IV. XIII. 6 ). A fortiori invalidum esset matrimonium si pater aut fratres puellae mortem aut gravia mala minitarentur iuveni ( etsi obli-

gato) ut illam duceret: prout saepe in praxi contingere solet. Et haec est doctrina certissima, ab omnibus admissa.

Notandum est denique cum Sanchez (IV. VII. 7) quod preces importunae (maxime si agatur de puella a propriis parentibus his precibus vexata) veram violentiam interdum constituere possunt et matrimonium irritare; idque a nuperrima decisione S. C. C. (3 Febr. 1880) non levem confirmationem habet. Vide *Avvisatore Eccl.* (I. pag. 221). Et circa omnia supradicta vide S. Lig. (VI. 1046-1056), Vecchiotti (II. 99), D' Annibali (III. 336), *Monitore Eccl.* (II. pag. 143) et Sanchez (IV. I. III. XII. 15. XIII. 8).

804. *Raptus* dirimit matrimonium iure ecclesiastico, dicente Trid. (XXIV. VI): « Inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa « in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matri- « monium ». Raptus imminuere solet consensus libertatem, et interdum constituere metum gravem (quo casu adesset impedimentum *metus*, ut supra); sed, si mulier etiam libentissime nuptiis consentiret, invalide contraheret donec est in raptoris potestate; idque quamvis diu in eius potestate mansisset filiosque procreasset (Cf. D' Annibali III. 337. not. 38). Attamen ut verus raptus subsistat, sequentes conditiones requiruntur. 1° Ut persona quae rapitur sit mulier; 2° Ut abducatur de loco ad locum; nec sufficeret si simpliciter ubi reperitur obsideretur, vel a cubiculo ad cubiculum eius habitationis transferretur; sumus enim in odiosis et lex prout sonat interpretari debet. Cf. D' Annibali (l. c. not. 37). 3° Ut abducatur invita, nempe sive vi physica, sive metu incusso, sive dolo (dolus certe sufficit. S. C. C. 25 Iun. 1861). Preces, munera et blanditiae non sufficiunt; unde raptus *seductionis*, qui potius *fuga* dici deberet, (quamvis dolus vel minae adhibitae fuissent contra puellae parentes) impedimentum non constituit (Scavini III. 807); nec obstaret si puella postea facti poenitens ab amasio discedere vellet (Sanchez VII. XIII. 9). Notandum quod si tractatus de nuptiis seu sponsalia cum raptore praecesserint, tunc non raptus sed fuga accidisse praesumitur; et aliunde leges canonicae excludunt sponsam, nisi forte iustam a sponsalibus recedendi causam haberet (vide Salmant. XII. 153 et Scavini l. c.). Oportet 4° Ut foemina abducta fuerit non ad libidinem explendam aut ex aliis finibus, sed matrimonii incundi causa; Tridentinum enim loquitur de raptu in hunc finem perpetrato; nec refert si postea de matrimonio cum illa conveniatur (Scavini l. c.). Oportet 5° ut res sit de matrimonio

contrahendo inter raptam et raptorem, quo nomine intelligitur etiam mandans, non vero mandatarius (nempe qui pro alio puellam rapit). Cf. D' Annibali (l. c. not. 35).

805. Ex defectu naturae. Hic defectus provenit 1° ab impotentia; 2° ab aetate.

*Impotentia.* Regula principalis est. *Si coitus impossibilis sit, matrimonium invalidum erit.* Ratio est quia huiusmodi connubia nec ad generationem nec ad remedium concupiscentiae deserviunt: libidinem provocant: tactuum et pollutionum occasio continua sunt; reciprocam malevolentiam ingenerant et voluntatem rem habendi cum aliis facile inducunt. Quum itaque plurima et gravissima mala absque utilitate ulla producant, honesti matrimonii naturam habere nequeunt; idque iam Sacri Canones pluries definierunt. — Haec coeundi impossibilitas provenire potest a parte foeminae et a parte viri. Provenit a parte foeminae 1° Si careat vagina (nempe meatu qui ducit ad uterum), aut illam in ipso aditu prorsus occlusam habeat: 2° Si vaginae aditus sit adeo arctus, vel rigidus (v. g. propter cicatrices) ut penetrari nequeat; 3° Si vagina esset adeo dilatata ut viro nihil deserviret, et semen recipere nequiret; ut dicunt Sanchez (XCII. 11), et Croix (700); sed forsan in praxi hic casus contingere non potest. Provenit a parte viri 1° Si membro genitali (v. g., propter abscissionem vel ulcera) careat; 2° Si illud enormiter amplum (per elephantiasim) habeat; 3° Si propter naturae vitium, seu quamdam infirmitatem (quae ut plurimum ex venereis excessibus oritur) vir constanter semen effundat (et consequenter membri erectionem amittat) antequam penetret; 4° Si vir propter naturalem frigiditatem, maleficium, aut abominationem contra uxorem, nullo modo copulam habere possit.

806. Ut tamen vera impotentia matrimonium dirimens subsistat, quaedam conditiones requiruntur. Debet esse 1° *antecedens,* nempe subsistere ab initio matrimonii; si enim supervenisset, matrimonio iam celebrato (quamvis non adhuc consummato), non sufficeret; 2° *perpetua,* si enim foret temporanea, et futurum esset ut aliquando in posterum evanesceret, matrimonii validitati non obstaret. Id facile contingeret, v. g., si vir, non propter dictam infirmitatem, sed propter nimium calorem, semen ante penetrationem effunderet; quippe calor iuvenilis non semper durat. 3° Debet esse *sine remedio;* et talis censeretur etiam si evanescere quidem posset, sed solum per miraculum; vel per actum illicitum (v. g., exercendo copulam

cum alio viro, vel solvendo maleficium, non per simplicem signorum destructionem, sed per aliud maleficium); vel per medicinam seu incisionem, quae non dolorem aut morbum dumtaxat (haec enim iuxta communiorem sententiam non sufficiunt ut impotentia veri nominis constituatur), sed praecise periculum mortis afferret. Pro praxi notandum quod tale periculum non adest in multis foeminarum coarctationibus, quae facile et saepe solo tentamine copulae evanescunt. Facile etiam vincitur *vaginismus*, nempe musculi constringentis introitum vaginae spasmatica contractio, quae in quibusdam foeminis locum habet toties quoties copulae tentamen instituitur, vel quovis modo os vaginae tangitur. Idem dic de discrepantia organorum, quatenus vir propter membri amplitudinem uxori non statim aptetur. — Notat Sanchez (VII. xcm. 19) quod impotentia censeretur esse sine remedio, quamvis per breve tempus auferri posset, et illico in pristinum statum res rediturae essent.

807. Observandae sunt etiam regulae sequentes. 1° Si impotentia sit certa et certe sine remedio, tunc non solum contrahi nequit matrimonium, sed etiam, si forte contractum fuerit, sponsi separari debent; et convivere possent dumtaxat tamquam frater et soror (quo casu vide regulas *de occasione proxima*). 2° Si impotentia sit quidem certa sed per operationem chirurgicam (et non aliter) absque mortis periculo auferri possit; tunc matrimonium erit validum atque etiam licitum si conscius impedimenti paratus sit operationem subire; qua non peracta, copula tentari nequibit. 3° Si sperari possit quod impotentia, tentando copulam, evanescat (ut in casibus frigiditatis, maleficii, abominationis, improportionis non enormis organorum et nimis festinae seminis effusionis); tunc Matrimonium (saltem admonita parte) contrahi poterit (S. Lig. 1102); et ius canonicum dat triennium in quo copulae tentamen locum habeat. Triennium istud 1° Debet esse continuum; attamen non obstaret si, v. g., vir uno vel altero mense quotannis aegrotaverit vel absens fuerit; 2° Debet decurrere in pubertate *plena* a parte utriusque, nempe saltem ab anno 14 quoad foeminam, et 18 quoad masculum (D'Annib. III. 370. 15); 3° Debet computari ab initio matrimonii (si contractum fuerit post pubertatem plenam), nempe a primo tentamine copulae. Attamen alii dicunt quod solum post decretum iudicis triennium incipere potest. Quidquid sit de hoc, si triennio iam elapso copula perfici non potuerit, tunc impotentia non amplius tamquam dubia, sed tamquam certa habebitur; et matrimonium tamquam

certe nullum considerari debebit. Ut tamen in foro externo separatio cum facultate ad alias nuptias transeundi (intellige si impotentia sit non absoluta sed relativa) locum habere possit, necessaria est sententia iudicis, et quidem ex appellatione confirmata; unde in praxi reclamatio (in cancellaria episcopali custodienda cum decreto concedente triennium) cito fieri debet, ne res nimis in longum procedant, atque etiam ne forte iudex obiicere possit: Cur tamdiu tacuistis? Sententia autem de statu libero nunquam transit in rem iudicatam; unde, si forte postea detegeretur fuisse erroneam, primum matrimonium adhuc valeret; quos enim Deus coniunxit, homo non separet.

808. Quid in dubio an impotentia sit antecedens? R. Dubium istud non potest habere locum si inter celebrationem matrimonii et primum copulae tentamen notabile tempus non intercesserit; sed si etiam longum tempus intercesserit, impotentia considerari debebit tamquam antecedens nempe tamquam vitium naturale. Excipe nisi defectus habeat causam manifestam celebrationi matrimonii posteriorem. Si autem dignosci nequeat utrum ex vitio naturali an vero ex causa posteriori impotentia oriatur; in hoc dubio S. Ligorius (1104) cum multis aliis censet non valere regulam generalem quae dicit: in dubio standum esse pro valore matrimonii; praestat enim ut nuptiae huiusmodi (ex quarum solutione, deficiente prole, nullum inconveniens oritur, et, si continuentur, multa pericula et mala undequaque proveniunt) in dubio solvantur, favendo libertati, quum caeteroquin de vinculo non constet.

809. Quid de hermaphrodito? Quum hermaphroditus coire et seminare possit, illius matrimonium valeret; sed sexum eligere deberet, cum iuramento non utendi alio sexu, si forte post mortem coniugis aliud matrimonium initurus esset. At vero supervacaneum est hac de re verba superaddere; hodie enim ex physiologia certum est quod verus hermaphroditus rarissime invenitur (aut enim solum est mas, aut solum foemina, quamvis aliquod alterius sexus signum adsit); et aliunde veri hermaphroditi (qui unum testiculum et unum ovarium habere solent) fere semper ante pubertatem moriuntur.

810. An regula de invaliditate matrimonii si coitus sit impossibilis aliquam exceptionem habeat? R. Certe valet matrimonium infirmi; quamvis in eo statu physica copulam perficiendi possibilitate destituatur, et sic remansurus sit usque ad mortem. Constat ex consuetudine Ecclesiae approbantis matrimonia moribundorum; quae honesta atque ut plurimum (v. g.,

ad legitimandam prolem, vel ad destruendam occasionem proximam) necessaria sunt. — Valent etiam matrimonia senum (etsi decrepitorum); et Navarrus, Vega aliique (contra alios multos) censent id esse verum, quamvis viribus adeo exhausti essent ut ne arte quidem medicinae ad coitum habiles reddi possent. Profecto nonne isti constituerentur in eodem statu; in quo sunt alii coniugati, qui, quamvis sint decrepiti, cum propriis uxoribus dormiunt? Quaenam heic inordinatio, saltem si senex vetulam duxerit? — Denique (coitu etiam non secuto) valeret matrimonium, si forte foemina foecunda evasisset. Id contingere posse notavi supra (n. 334), et novissime Capellmann (De impotentia) scripsit: « Hodie certum est, sufficere ad foecundationem, si semen in aliquam partem membranae pituitariae vaginalis effundatur, etsi vel illa huius membranae pars esset, quae sine vera penetratione in vaginam a semine attingi posset (nempe attingendo dumtaxat os vaginae ad venerem commotae). Foecundatio non est impossibilis, etiam quando hymen virginale nondum laceratum est ». Scio equidem quod Sanchez (VII. xcix. 37) scripsit: « Esse vere irritum (matrimonium) ac proinde non consummari, licet... absque viri penetratione sit receptum semen intra vas per matricis attractionem ». Sed nescio quomodo hic doctissimus Auctor sic dicere potuerit, dum ipse cum communissima sententia (LXIV. 15) censuit, talem commixtionem sufficere ut vir et mulier sint duo in carne una, atque ut exinde oriatur affinitas. Certe Salmanticenses (IV. 4.) scripserunt: « Si contingat, semen a viro emissum intra vas naturale mulieris recipi, absque eius penetratione,.... matrimonium est consummatum, quia sufficiens est generationi, et per hoc fiunt coniuges una caro ». Utique casus iste est rarus, et in iudicio ferendo circa impotentiam (ex arctitudine, improportione etc.) non supponitur; sed, si secuta foecundatione de eo certe constet, pro matrimonii firmitate (quum eius finis primarius iam fuerit obtentus, et bonum prolis id exigat) practice standum erit; et tunc applicandum erit principium quod in dubio standum est pro valore actus.

811. Hucusque actum est de impotentia quatenus provenit ab impossibilitate perficiendi coitum; sed provenire potest etiam ab impossibilitate generandi.

Imprimis certum est quod eunuchi seu spadones (si ambobus testiculis careant, aut illos habeant adeo corruptos ut officium suum praestare non possint) sunt inhabiles ad matri-

monium. Notandum tamen quod, si testiculorum defectus non proveniat a castratione, medici iudicium exigeretur; interdum enim reconduntur in alvo, et interdum non adeo corrupti sunt ut inertes evaserint aut remedium non admittant.

Supposito itaque vero et absoluto testiculorum defectu, sciendum est quod huiusmodi eunuchi sunt certissime inepti ad generationem: coitum autem efficere possunt, sed raro, difficulter, et valde imperfecte (quasi ad modum pruritus), ita ut ex tali coitu foeminae concupiscentia (propter actus imperfectionem et brevitatem) vix unquam expleri possit.

Propter haec omnia in complexu considerata, Xistus V (22. Iunii 1587) in Motu Proprio *Cum frequenter* decrevit, matrimonia eunuchorum invalida esse iure naturae. En sua verba: « Nos igitur attendentes quod secundum canonicas sanctiones et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque praedicti eunuchi aut spadones, quas tamquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet, tam ipsos dum se potentes ad cocundum iactitant, quam mulieres quae eis nubunt, non ut caste vivant, sed ut carnaliter invicem coniungantur, et prava et libidinosa intentione sub praetextu et in figura matrimonii, turpes huiusmodi commixtiones affectare, quae cum peccati et scandali occasionem praebeant et in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandae. Et insuper considerantes quod ex spadonum huiusmodi et Eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae et incentiva libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuae... committimus et mandamus ut coniugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus, defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares; et tam locorum Ordinariis ne huiusmodi coniunctiones de caetero fieri quoquo modo permittant interdicas, quam eos etiam qui sic de facto matrimonium contraxerint separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita et invalida esse decernas ».

812. Ex hoc decreto Theologi et Canonistae deducunt 1° Non valeret matrimonium illius qui coiret quidem, sed ex constanti experientia cognosceret se seminare non posse (cf. Sanchez

XCII. 24°. Idem casus verificari potest in iis qui (propter hypospadiasim) non ab extremitate sed a radice membri semen effundunt; 2° Si quando reperiretur, semen foemineum exigi ad generationem, invalidum fore matrimonium illarum foeminarum quae seminare nequeunt (cf. S. Lig. VII. 1095 et Sanchez VII. xcii. 9). Ex hoc principio deduceretur quod foeminae, quibus uterus cum utroque ovario manu chirurgica ablatus fuit (quod aetate nostra fit per operationem vulgo *Porro.*), ad matrimonium inhabiles essent; quamvis in ipsis remaneat vagina ad coitum apta praecise sicut prius. Profecto semen mulieris est ovum, et certo certius necessarium est ad generationem.

An autem consequentiae huiusmodi ex dicto Motu Proprio Sixti V (qui caeteroquin magis in frigiditate Eunuchorum et magnis inordinationibus exinde provenientibus, quam in simplici defectu seminis ad generationem apti, fundatur) legitime deducantur, sapientiores iudicabunt. Dato casu, S. Sedem interpellandam esse dicerem.

813. Quidquid sit de hoc, certum est quod foeminae propter defectum, qui non (sicut praedictus) statim et facile pateat, sint ad generationem ineptae, et quae *steriles* appellantur, matrimonium valide et firmiter contrahunt; si enim propter solam et huiusmodi sterilitatem matrimonia solvi deberent, nimia incommoda prorsus intolerabilia sequerentur. Idem dic de matrimoniis illarum, quae propter aetatem nimis provectam iam amplius foecundari nequeant; mundi enim ordo prorsus exigit ut haec matrimonia quoque permittantur.

814. *Aetas.* Ad valorem matrimonii (iure ecclesiastico) exigitur aut quod signa manifesta pubertatis (v. g., pollutiones in masculo, et cursus menstrui in foemina) iam adsint; aut quod masculus annum 14 et foemina 12 compleverit; qua aetate subsistente matrimonium valeret, quamvis forte pubertas adhuc non subsisteret.

815. Ex defectu reverentiae propinquis debitae. Hinc proveniunt impedimenta consanguinitatis, affinitatis, publicae honestatis, cognationis spiritualis, et cognationis legalis.

816. *Consanguinitas*; si nempe sponsi eiusdem sanguinis sint, quatenus proveniant ex eodem stipite, qui tamen (ut impedimentum oriatur) non ultra abavum (*terzavolo*) vel abaviam esse potest.

Ut dignoscatur an hic communis stipes adsit, scribantur nomina sponsi et sponsae in inferiori parte chartae; supra signentur eorum genitores; deinde avi etc.; et, si avus vel

proavus vel abavus utrique communis ( ut in Tab. 1 ) inveniatur , tunc impedimentum aderit ; secus si secus. — In allato exemplo stipes communis invenitur in Caio (*avo*) et Titia (*avia*); ex quorum matrimonio venerunt Petrus et Maria ; ex Petro autem Antonius, et ex Maria Clelia ortum habuit. Invento sic stipite communi , nomina personarum quae ex illo non descendunt, delentur; et signantur dumtaxat personae quae sponsos cum stipite coniungunt. Vide Tab. 2 ; ubi supponitur quod Petrus et Maria sint fratres *germani*, nempe ex eodem patre eademque matre progeniti , prout ordinarie accidit ; sed contingere potest quod fratres sint *consanguinei* dumtaxat, nempe ex eodem patre , non vero ex eadem matre ; aut *uterini* dumtaxat ; nempe ex eadem matre , non vero ex eodem patre. Vide Tab. 3. Dixi , stipi-









tem communem esse posse usque ad abavum ( vel abaviam ) et non ultra; et heic pono schema ( Tab. 4 ) in quo stipes est abavus. — Nota quod consanguinitas comprehendit quatuor generationes. Prima est filiorum (qui invicem sunt *fratres*); secunda nepotum ( qui invicem sunt *primi consobrini*); tertia pronepotum ( qui sunt *secundi consobrini*); quarta abnepotum (qui sunt *tertii consobrini* ).

TAB. 4.




Pro praxi oportet ut probe dignoscatur qua in linea et in quo gradu sponsi coniungantur.

817. Linea est recta vel collateralis. *Recta* est inter genitores et genitos, unde, in schemate exposito, Antonius, Pius, Sylvia, Petrus et Caius sunt omnes in linea recta. Idem dic de Clelia, Thecla, Thoma, Maria et Caio. *Collateralis*, seu transversa, est inter eos quorum unus ab alio generatus non fuit, prout accidit inter fratres, consobrinos, patruum et nepotem etc. Linea collateralis dicitur *aequalis*, vel *inaequalis* secundum quod aequaliter vel inaequaliter personae distant a stipite. Sic in schemate adducto Petrus est in collaterali linea aequali cum Maria, et inaequali cum Thecla.

818. Ad dignoscendos gradus deserviunt regulae sequentes: 1° In linea recta tot sunt gradus quot sunt generationes; seu ( quod in idem recidit ) quot sunt personae, dempto stipite. Sic filius cum patre est in 1° gradu; nepos cum avo in 2°; pronepos cum proavo in 3°; et abnepos cum abavo in 4°.

2° In linea collaterali aequali duae personae tot gradibus distant inter se quot distant a stipite. Fratres, v. g., distant uno gradu a stipite, et proinde etiam inter se sunt in primo gradu. Primi consobrini, sicut sunt in secundo gradu cum stipite, sic etiam inter se etc. Vide Tab. 5.

TAB. 5.




3° In linea collaterali inaequali videndum quot gradibus utraque persona distet a stipite. Si persona vicinior sit in primo gradu cum stipite, et remotior in secundo, tunc erunt in gradu secundo et primo mixto. Possibile est etiam quod sponsi sint in tertio et primo mixto; saepe sunt in tertio vel quarto et secundo mixto; aut in quarto et tertio mixto. Vide Tab. 6.

TAB. 6.




819. Consanguinitas interdum est *duplex*, idque contingit 1° si sponsi proveniant ex eodem stipite in aliquo ex gradibus supradictis, atque insuper adsit sequens

circumstantia, quod nempe antea inter consanguineos ab eodem stipite descendentes aliud matrimonium contractum fuerit, et ex illo unus vel uterque sponsus proveniat; tunc enim bis eiusdem sanguinis sunt. Vide schemata (Tab. 7). In primo, Paulus sponsus est bis eiusdem sanguinis (nempe a parte tam patris quam matris); et sponsi sunt in duplici quarto. — In secundo schemate, ambo sponsi sunt bis eiusdem sanguinis, propter avum et aviam qui inter se consobrini erant: et sponsi sunt in secundo gradu et sunt etiam in quarto.




Casus duplicis consanguinitatis contingit 2° Si duae personae inter se consanguineae duas personas pariter inter se consanguineas matrimonio sibi copulaverint, et ex his matrimoniis sponsi descendant. Id multipliciter contingere potest. Casus magis communes ostenduntur in schematibus sequentibus (Tab. 8. Tab. 9).

TAB. 8.


Saffi Antonius
Berti Carolus
Saffi Petrus
coniuges
Berti Maria
Berti Rosa
coniuges
Saffi Caius
Paulus
sponsi
Clara

TAB. 9.


Antonius
Franciscus
Clara
coniuges
Livius
Caesar
Iacob
Ennius
Petrus
Ioannes
Gaspar
Rosa
coniuges
Aelius
Paulus
sponsi
Anna

In Tab. 8. duo fratres ( Petrus et Caius ) duxerunt duas sorores ( Mariam et Rosam ); et ex his matrimoniis venerunt sponsi ( Paulus et Clara ), qui a parte tam patris quam matris in eodem sanguine conveniunt ; et sunt in gr. 2° duplici. — In Tab. 9. Livius et Rosa inter se consanguinei, cum Clara et Aelio inter se consanguineis coniugia inierunt, ex quibus venerunt Paulus et Anna sponsi. Simile esset si duo fratres duas consobrinas, vel duo consobrini duas consobrinas duxissent.

Denique casus duplicis consanguinitatis contingit 3° Si sponsi descendant ex viro qui successive duas inter se consanguineas duxerit; aut viceversa, ut in schemate ( Tab. 10 ).




820. Consanguinitas non solum duplex, sed etiam *quadruplex* esse potest; et de hoc vide exempla apud Giovine ( De Dispensationibus matrim. vol. I. pag. 356 ).

821. His explicatis, pro praxi sufficit dicere quod matrimonium inter consanguineos est invalidum usque ad quartum gradum inclusive; et nihil refert utrum ex matrimonio an vero ex copula illicita generatio acciderit; et pariter nihil refert sive casus sit notorius sive sit occultus. Quoad modum petendi dispensationem, dicam infra.

822. *Affinitas*. Copula carnalis efficit ut impedimentum affi-

nitatis exurgat inter virum et consanguineos foeminae; et viceversa inter foeminam et consanguineos viri. Caesar. v. g., copulam habet cum Bertha, et proinde evadit affinis cum Berthae ipsius sorore, matre, filia etc.

823. Ad contrahendam affinitatem exigitur certe ut semen virile receptum fuerit intra uterum foeminae ad generationem aptae (quin tamen obstet si forte ipsa sit vetula aut sterilis). Hinc affinitas non contrahitur, v. g., per copulam sodomiticam, aut aliam unionem extra vas; item si vir penetraverit quidem sed seminare nequiverit; aut effuderit semen ineptum (eo quod esset eunuchus); aut si foemina propter aetatem, si nempe pubertatem non attigerit et cursus menstruos adhuc non incoeperit (D'Annib I. 58. 9), ad generationem non fuerit apta; vel si propter defectus n. 805 indicatos semen recipere nequiverit. Idem dic si copula modo onanistico, aut intra illas dumtaxat foemineae naturae partes, quas Physiologi labia magna appellant, (vagina non penetrata) perpetrata fuerit. Attamen in quovis casu, si foemina ex semine viri gravida evasisset, affinitas semper locum haberet; eius enim fundamentum consistit in eo quod vir reliquerit sanguinem seu semen proprium in utero foeminae, et sic evaserint duo in carne una. Sanchez (LXIV. 8. 15) — Olim disputabatur an oporteat ut foemina seminaverit. Opinio affirmativa (caeteroquin communius reiecta) tota fundabatur in persuasione quod humor a foemina eiaculatus esset necessarius ad generationem aut saltem naturam veri seminis haberet (S. Lig. 1075 et Sanchez LXV. 20-22). Sed quum hodie ex Physiologia certissimum sit, humorem huiusmodi nec esse necessarium nec esse semen ullo modo, iam praedicta opinio nullam probabilitatem habere potest; et omnino dicendum est quod affinitas contrahitur sive foemina hunc humorem eiectet sive non. — Pariter nihil refert sive foemina consenserit, sive per vim oppressa fuerit; sicut etiam foemina contraheret affinitatem quamvis dormiens, ebria, vel mentecapta cognita fuisset; hoc enim impedimentum non iam in culpa aliqua (quandoquidem etiam, imo et fortius, ex copula licita oritur) sed solum in sanguinis vinculo seu seminis communicatione fundatur. — Ad contrahendum impedimentum sufficit unica copula; attamen si haec cum eadem foemina multiplicaretur, non ideo multiplicaretur impedimentum.

824. Affinitas (intellige semper quatenus est impedimentum matrimonium dirimens), si proveniat ex matrimonio, extenditur usque ad quartum gradum, nempe ad omnes consangui-

neos coniugis (cum quo matrimonium consummatum fuerit) usque ad quartum gradum: ita ut, si, v. g., vir moriatur, ipsius vidua nequeat matrimonium contrahere cum ullo ex illius consanguineis, qui fuerit cum ipso vel in primo, vel in secundo, vel in tertio, vel in quarto gradu. — Si autem affinitas ex fornicatione, adulterio, stupro etc. (sive notorio sive occulto) proveniat: tunc solum ad secundum gradum extenditur. Cf. Sanchez (LXVII. 5. 6). Scavini dicit, affinitatem in linea recta dirimere in infinitum; sed ad praxim hoc nihil refert: et, quoad affinitatem ortam ex fornicatione, Tridentinum (XXIV. 4), dicens extendi solum ad secundum gradum, nullam inter lineam et lineam distinctionem facit.

825. Dices: Quomodo dignoscuntur lineae et gradus in affinitate? R. Praecise sicut in consanguinitate; nempe qua in linea et quo in gradu quis est consanguineus cum viro cognoscente, eadem in linea eodemque in gradu evadit affinis cum muliere cognita; et vicissim. Hinc mulier per matrimonium (consummatum) evadit affinis in linea recta et in primo gradu cum patre viri (et sic habemus *nurum* affinem cum *socero* in 1° gr. lineae rectae); idem dic si vir ex alio matrimonio filium haberet (et tunc haberemus *novercam it. la matrigna* affinem cum *patrigno it. col figliastro* pariter in 1° gr. lineae rectae).

Mulier ipsa esset affinis cum fratre viri (nempe *fratria* cum *leviro; it. la cognata col cognato*) in 1° gr. lineae collateralis. Esset autem in secundo cum avo, primo consobrino, et nepote viri; et in 2° et 1° mixto cum eius Patruo et filio fratris etc. Vide schema (Tab. 12). — Hinc etiam vir per matrimonium evadit affinis in 1° gr. cum matre uxoris (nempe *gener* cum *socru*); item cum filio uxoris, ex alio matrimonio (nempe *vitricus cum privigna, it. il patrigno colla figliastra*); item cum sorore uxoris (nempe *sororius* cum *glore*). Et pariter esset in secundo cum avia, prima consobrina, et nepte uxoris, etc. Vide schema (Tab. 11). In his schematibus cellulae lineis distinctioribus clausae, indicant duos primos gradus, ad quos dumtaxat extenditur affinitas, si ex copula illicita oriatur.

826. Notandum 1° Sicut consanguinitas, ita etiam affinitas *duplex* esse potest; idque contingeret, si quis duas inter se consanguineas, v. g., duas sorores, cognovisset, et tertiam sororem ducere vellet. Si tres cognovisset, tunc quoad quartam affinitas esset triplex. Vide Scavini (III. 890). Quid si foemina copulam fornicariam cum viro habuisset, et postea

TAB. II.


Gr. 4. Abavia
Gr. 4 et 1. mixt.
Gr. 3. Proavia
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 3. et 1. mixt.
Gr. 2. Avia
Gr. 4. et 3. mixt.
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 2 et 1 m. Amita Matertera
Gr. 1. Mater
Gr. 1. Tertia Consobr.
Gr. 3. Secunda Consobr.
Gr. 2. Prima Consobr.
Gr. 1. Soror
Mulier
Gr. 4. et 3. mixt.
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 2. et 1. mixt. Filia fratr aut sororis
Gr. 1. Filia (ex alio)
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 3. et 1. mixt.
Gr. 2. Neptis
Gr. 4. et 1. mixt.
Gr. 3. Proneptis
Gr. 4. Abneptis

12.


Gr. 4. Abavus
Gr. 3. Proavus
Gr. 4. et 1. mixt.
Gr. 2. Avus
Gr. 3. et 1. mixt.
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 1. Pater
Gr. 2 et 1 m. Patruus Avunculus
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 4. et 3. mixt.
er
Vir
Gr. 1. Frater
Gr. 2. Primus Consobrin.
Gr. 3. Secundus Consobrinus
Gr. 4. Tertius Consobrinus
Gr. 1. Filius (ex alia)
Gr. 2. et 1. mixt. Fil. fratris aut soror.
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 4. et 3. mixt.
Gr. 2. Nepos
Gr. 3. et 1. mixt.
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 3. Pronepos
Gr. 4. et 1. mixt.
Gr. 4. Abnepos

cum ipso matrimonium contraxisset? Affinitas exinde orta inter hanc foeminam et consanguineos viri estne duplex? R. Negative, ut patet etiam ex responso S. Poenitentiariae 7 Iunii 1842 et 10 Dec. 1874 apud *Monitore Eccl.* (II. III. pag. 38).

2° Interdum cognatio est *mixta* ex consanguinitate et affinitate, idque contingit quando quis cum propria consanguinea copulam habet; tunc enim cum consanguineis suis etiam affinis (intra terminos supra indicatos) evadit. Sic qui cognovit suam primam consobrinam eiusque sororem ducere vellet; esset cum ista in secundo gradu consanguinitatis et in primo affinitatis.

3° *Affinitas non parit affinitatem*; nempe extenditur quidem ad consanguineos, ut dixi; sed non ad affines. Si maritus, v. g., haberet patrem et fratrem; aut vitricum (*patrigno*) et sororium (*cognato*); eius uxor esset quidem affinis cum patre et fratre (quia sunt mariti consanguinei); non vero cum vitrico et sororio (quia sunt mariti affines). Vide Tab. 13.

4° *Affinitas non egreditur copulatos*; nempe consanguinei mulieris cognitae evadunt quidem affines cum viro cognoscente, sed non cum illius consanguineis: et vicissim. Hinc duo fratres duas sorores; et pater filiusque matrem filiamque ducere possunt. Vide schema (Tab. 14). Livius ducit Titiam. Ex hoc matrimonio mater et soror Titiae evadunt quidem affines cum Livio ipso, sed non cum eius patre et fratre; unde nihil impedit quominus pater Livii matrem Titiae, et frater Livii sororem Titiae ducere possint.

827. Petes an affinitas contracta ex matrimonio invalido

TAB. 13.






extendatur ad quartum, an vero dumtaxat ad secundum gradum? R. Aliqui TT. (v. g., Gury, n. 815, De Varceno etc.) absolute dicunt, extendi solum ad secundum gradum, quum agatur de copula (saltem materialiter) illicita. Sed haec doctrina sustineri nequit: Tridentinum enim, dum (XXIV. IV) impedimentum ad secundum gradum restringit, loquitur de fornicatione, et dicit hanc legem restrictivam fuisse necessariam gravissimis de causis; quia scilicet commercium fornicarium saepius remanet occultum (et sic nimis frequenter matrimonia invalide contraherentur); atque insuper nullam inter familias animorum coniunctionem producit (Sanchez LXVII. 6); unde patet quod Trid. loquitur de fornicatione extra matrimonium secuta; non vero de copula habita inter eos qui iam publice in faciem Ecclesiae matrimonium (quamvis invalide) contraxerint. Idque a S. C. C. pluries decisum fuit, ut videre est apud Vecchiotti (III. 103) et Scavini (III. 794).

828. *Publica honestas*, oriri potest 1° ex sponsalibus; 2° ex matrimonio rato, nempe non consummato (si enim esset consummatum, tunc oriretur affinitas, ut supra).

Sponsalia (ut impedimentum producant) debent esse 1° *Vera*, quatenus nempe sponsi non iam propositum futuri matrimonii manifestaverint, sed promissionem et repromissionem ad minus implicitam expresserint, iuxta dicta (n. 444-451); 2° *Certa*, nempe cum persona determinata (non vero si quis dixisset, v. g., ducam unam ex vobis, S. Lig. 1061); 3° *Pura*, nempe sine conditione, aut saltem conditione tempestive verificata. Dixi *tempestive;* si enim conditio verificaretur quando consensus fuerit retractatus, aut impedimentum supervenerit, tunc sponsalia nunquam evaderent pura, et sic publica honestas non oriretur.

D' Annibali ( III. 321 ). Notandum quod conditiones quae semper subintelliguntur, si ponantur eo modo quo reapse subintelliguntur, nihil efficiunt, ut puta, si quis diceret: Te ducam si vivam, si Deo placebit etc.; vel: ius habebo resiliendi si fornicationem cum alio commiseris; secus si dixisset: Sponsalia erunt *utrinque* tamquam non facta si cum alio fornicaberis. Sanchez ( LXIX. 8-10 ); 4° Oportet ut sponsalia fuerint *notoria*. Equidem Gury aliique recentiores dicunt, hoc impedimentum oriri etiam ex sponsalibus privatis et omnino occultis. Sed hoc non potest esse verum, ut patet ex ipso nomine huius impedimenti, quod appellatur *publicae honestatis* ; et inductum fuit ob publicam decentiam, eo quod iam publice constet tales fuisse sibi invicem desponsatos, et sic inter unum ex sponsis et familiam alterius quamdam cognationem ( *it. parentela* ) iam extare. Ita profecto senserunt Sanchez ( LXVIII. 17), Pitonius, Navarrus, aliique cum Guttier ( Cap. CIII. 10 ) qui scripsit: « Etiam S. « Congregatio censuit, ex sponsalibus contractis, si, factis de- « nuntiationibus, non apparebit aliquod impedimentum, non oriri « impedimentum publicae honestatis ». Idque patet insuper ex studiis quae novissime ( nempe ann. 1879 ) facta fuerunt apud S. C. C. in praeparationem Decreti de nullo valore matrimonii civilis quoad impedimentum publicae honestatis, ut videre est apud *Monitore Eccl.* ( II. 1. pag. 102 ). — Oportet 5° ut sponsalia fuerint *valida;* si enim facta fuissent ex metu gravi et iniusto, incusso a contrahente, vel cum istius dolo dante causam contractui ( Sanchez I. LXIV ), vel ab amente aut puero non adhuc rationis compote, vel a personis detentis aliquo impedimento, v. g., impotentiae, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis etc., tunc sponsalia nihil valerent, nullumque impedimentum producerent, ut definivit Trid. ( XXIV. III ). Cf. Sanchez ( VII. LXVIII. 5 ). Si tamen fuissent valida in foro externo, et nulla dumtaxat propter defectum mere internum ( v. g., propter intentionem simulandi, vel propter votum soli Deo cognitum ); tunc Sanchez ( l. c. 14 ) dicit: « Nulla ratione per- « suadere mihi possum, quin vere hoc impedimentum ex tali- « bus sponsalibus oriatur ». Quidquid sit de hoc, certum est nihil obstare 1° si sponsalia fuerint rescindibilia ( prout in impuberibus, aut si ex dolo a persona extranea iniecto contracta fuissent ); 2° Si fuerint rescissa, aut si postea quovis modo eorum executio reddita fuerit impossibilis. Cf. Vecchiotti ( III. 102 ) et S. Lig. ( 1063 ).

Impedimentum honestatis ex sponsalibus extenditur dumta-

xat ad consanguineos in primo gradu; quatenus sponsus ducere nequit sponsae sororem, aut matrem, aut filiam (ex alio viro habitam); et vicissim sponsa nec fratrem, nec patrem, nec filium sponsi ducere potest. Trid. (l. c.). Nihil autem refert sive dicti consanguinei sint legitimi sive sint illegitimi. Sanchez (LXVIII. 4) dicit, hoc esse certissimum.

829. Dixi, impedimentum publicae honestatis oriri etiam ex matrimonio rato; et circa hoc plura adverti debent.

1° Extenditur usque ad quartum gradum. Et hic pariter nihil obstaret illegitimitas. Gradus computantur ut in affinitate.

2° Oritur ex matrimonio rato etiam nullo, dummodo nullitas non provenerit ex defectu consensus (dummodo scilicet ex errore aut metu matrimonium contractum non fuerit), vel eo quod actus civilis dumtaxat fuerit peractus. Quidquid sit de quaestione illa valde agitata, an matrimonium clandestinum (seu contractum sine Parocho et testibus) producat impedimentum publicae honestatis (qua de re vide Vecchiotti § 102), hodie certissimum est quod actus, vulgo appellatus matrimonium civile, hoc impedimentum nullo modo producit; quandoquidem SS.mus Dominus Noster Leo Papa XIII, organo S. C. C. die 17 Martii 1879, decrevit: « Actum, qui vulgo dicitur ma-« trimonium civile (in locis ubi promulgatum est decretum « Concilii Tridentini) sive fideles actum ipsum explentes in-« tendant, uti par est (matrimonio ecclesiastico iam rite cele-« brato, vel cum animo illud quantocius celebrandi), meram « coeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de « futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ec-« clesiasticarum legum, intendant matrimonium de praesenti « contrahere, impedimentum iustitiae publicae honestatis non « producere »

3° Impedimentum publicae honestatis non oritur in praeiudicium priorum sponsalium; nempe non extenditur ad sponsam inique derelictam. Hinc si, contractis sponsalibus, sponsus cum sorore sponsae matrimonium contraheret, ex hoc matrimonio rato invalido oriretur quidem impedimentum publicae honestatis, sed non quoad sponsam inique (ut dixi) derelictam, quae proinde adhuc sine ulla dispensatione duci posset ac deberet. Attamen oportet 1° Ut matrimonium non fuerit consummatum; secus enim adesset affinitas; quod autem impedimentum postea subortum non afferat praeiudicium prioribus sponsalibus, peculiare est in impedimento publicae honestatis et non extenditur ad affinitatem, cognationem spiritualem, cognationem legalem

etc. Sanchez ( LXVIII 23 ). Oportet 2° Ut priora sponsalia non fuerint iure dissoluta ; quandoquidem sacri canones dicunt , hoc impedimentum non habere vim dissolvendi praecedentia sponsalia ( ut videre est apud Sanchez l. c. ) ; unde hoc privilegium ad sponsalia iam rite dissoluta nullo modo refertur, ut bene notat De Varceno.

4° Difficile est quod hoc impedimentum sit duplex. Attamen tale esset si quis cum una ex tribus sororibus sponsalia, et cum altera matrimonium ratum contraxisset, et tertiam ducere vellet. D' Annib. ( III. 324 ).

830. *Cognatio spiritualis.* Hoc impedimentum contrahitur 1° A baptizante cum baptizato eiusque parentibus ; 2° A patrinis tam Baptismi quam Confirmationis cum baptizato vel confirmato eiusque parentibus. Trid. ( XXIV. II ). Casus cognationis quoad baptizantem contingere posset, si forte laicus infantem in necessitate privatim baptizaret. Sanchez ( LXII. 10 ). Si autem in Baptismo privato patrini adhiberentur, quoad illos Canonistae non conveniunt ; sed, propter responsum S. C. C. allatum a Vecchiotti ( § 95 ), videtur omnino quod ipsi etiam cognationem contrahant, dummodo non materialiter dumtaxat, sed formaliter, sicut ad sacrum fontem facere intenderent, hoc munere fungantur. — Impedimentum contraheretur cum parentibus baptizati vel confirmati , quamvis ipsi non legitime illum genuissent. Sanchez ( LIV. 15 ) — Si mater baptizaret propriam prolem ex amasio progenitam , cum amasio ipso postea matrimonium contrahere nequiret. Sanchez ( LXII. II ). — Ex solis coeremoniis in Ecclesia suppletis , cognationem non contrahi certissimum est. — Si Baptismum administratum fuerit sub conditione, Sanchez ( l. c. 6-7 ) distinguit inter dubium negativum , quatenus nempe puer fuerit baptizatus quia prorsus ignorabatur , an Baptismus ei collatus fuisset ( et tunc censet standum esse pro cognatione ) ; et dubium positivum , quatenus pro Baptismo antea rite collato rationes probabiles extarent ( quo casu censet pro impedimento non contracto stari posse ). — Quoad patrinos, ad contrahendam cognationem, sufficit si ( in defectu parentum ) Sacramenti minister illos designaverit. Oportet tamen ut valide muneri suo functi fuerint ; unde exigitur ut actu ablutionis physice puerum tetigerint , quamvis non sit necesse ut praecise suis in manibus illum tenuerint, neque ut interrogationibus responderint, et sufficit si super vestes illum tetigerint. Si puer per procuratorem teneatur, impedimentum non a procuratore ipso , sed a mandante

contrahitur; et tunc valet effatum: Qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. Cf. Sanchez (LVI. 6), Del Vecchio (II. 966), et Vecchiotti (§ 95).

Hoc etiam impedimentum potest esse multiplex, idque contingeret 1° si quis tam in Baptismo quam in Confirmatione eorundem genitorum filios tenuerit; 2° Si duo sibi invicem, alter alterius filios tenendo, hoc officium praestiterint. Caeterum si quis, v. g., in solo Baptismo duos vel tres eorundem genitorum filios tenuisset, non propter hoc duplex vel triplex impedimentum evasisset. D' Annibali (I. 61).

831. *Cognatio legalis.* Haec provenit ex adoptione. Claritatis gratia triplex adoptionis genus distingui debet; nempe

1° Adoptio non legalis. Contingeret, si quis puerum pauperem vel derelictum sic et simpliciter reciperet et tamquam proprium apud se retineret, aleret, educaret etc. (quod dicitur *alumnatus*); aut si viduus et vidua filios habentes matrimonium inirent cum pacto ut hi filii eisdem iuribus fruantur quibus fruetur proles ex matrimonio oritura (quod dicitur *unio prolis*); aut si alicubi, legibus nihil circa adoptionem statuentibus, ex patriae consuetudine quis aliquem in filium absque ulla iuris solemnitate adoptaret. In his casibus certissimum est quod nulla cognatio proprie dicta, nullumque impedimentum exurgit, prout decisum fuit a S. C. S. Officii 16 Apr. 1761; ut videre est apud Gury (II 809).

2° Adoptio legalis ad tramites iuris communis. Haec locum habet ubi leges Romanae adhuc vigent, et distinguitur in perfectam et imperfectam. De imperfecta sermonem habere non oportet, quum probabilissimum sit quod impedimentum oriatur a sola adoptione perfecta; ad quam constituendam praecipue exigitur ut persona adoptata sit libera seu sui iuris, et transeat sub patria potestate et in familiam personae adoptantis, quae foemina esse nequit. Cf. Sanchez (LXIII. 2. 3). Impedimentum autem (iuxta leges istas, in hoc a iure canonico confirmatas) adest 1° *instar paternitatis*, inter adoptantem et adoptatam; nec non inter adoptantem et filiam adoptati (si forte ille actu adoptionis filiam habuisset); 2° *instar affinitatis*, inter adoptantem et uxorem adoptati, atque vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis; 3° *instar fraternitatis*, inter adoptatum et filiam carnalem et legitimam adoptantis, vel inter adoptatam et filium adoptantis. In primis duobus casibus impedimentum est perpetuum et durat etiam soluta adoptione (nempe per emancipationem, vel mortem); sed in tertio casu

durat dumtaxat durante adoptione. Cf. S. Lig. (1027), Gury (808, Sanchez (l. c.) etc.

3° Adoptio legalis ad tramites iuris civilis propriae nationis, quod a iure communi discordet. — Sciendum est quod leges Gallicae et Italicae distinctionem adoptionis perfectae et imperfectae non faciunt; et iuxta ipsas verissima adoptio stare potest quamvis sit imperfecta, etsi scilicet adoptatus non sit sui iuris, nec transeat in familiam adoptantis, neque ipse adoptans patriam potestatem habeat. Hinc Gury et Ballerini (II. 809) censent, adoptionem perfectam nunc non esse legalem, et proinde impedimentum iam amplius non exurgere. Sed Gousset, Scavini, Vecchiotti, Bouvier, Giovine etc., impedimentum exurgere opinantur; et ego quoque de hoc non dubitarem si adoptatus sit sui iuris et transeat in familiam adoptantis qui patriam potestatem habeat; si nempe adoptio perfecta interveniat, quae, etsi a novis legibus non exigatur, tamen non excluditur; sicut in substantia nec leges Romanae illam exigebant, dum adoptionem etiam imperfectam pro vera adoptione habebant. Ita sentire videtur D'Annibali (I. 60. not. 24). Atque ita profecto tenendum est, quia S. Penitentiaria a Vic. Gen. Petrocorensi sic interrogata: « Cum in Gallia adoptionis ius modo « legaliter sit receptum, quaeritur an canonicum impedimen- « tum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat? » Die 17 Maii 1826 respondit: « Affirmative, si res sit de adoptione « legitime inita ». Nempe (si bene interpretor) dummodo res sit de adoptione *perfecta* legitime inita, videlicet cum solemnitatibus praescriptis; quarum praecipua est ut tam adoptans quam adoptatus personaliter coram Praefecto Curiae appellationis adoptioni consenserit. (Cod. It. Art. 213). Hanc sententiam, saltem practice, omnino tenendam esse censeo etiam quia, quamvis opinio contraria probabilis esset, agitur de quaestione nova, quo casu (ut dixi) a parte tuta standum est.

Ex defectu libertatis. Heic de impedimentis voti, ordinis, et ligaminis agendum est.

832. *Votum*, si sit solemne, scilicet in professione religiosa emissum, matrimonium dirimere notissimum est. Idem dic de votis (etsi simplicibus) emissis, tyrocinio expleto, in Societate Iesu. An vero idem dici debeat de votis simplicibus emissis in aliis religionibus, expleto tyrocinio, iuxta decretum Pii IX (19 Mart. 1857), negative responderem; quandoquidem Pius IX his votis vim producendi impedimentum dirimens non apposuit, sicut Gregorius XIII quoad sodales S. I. apposuerat.

Cf. Sanchez (VII. xxv. 14). Vota autem emissa (etsi solemniter) in piis congregationibus, quae tamquam veri ordines religiosi ab Ecclesia non habentur, impedimentum quidem impediens, sed non dirimens, constituere possunt.

833. *Ordo.* Circa istud impedimentum non refert immorari. Dico dumtaxat quod, si quis per vim seu ex metu gravi Ordinem Sacrum suscepisset (vel professionem religiosam emisisset), ad continentiam servandam adstrictus non remaneret (Bened. XIV. De Syn. XII. IV. 2). Attamen solum post iudicis ecclesiastici sententiam (iuxta formam Const. *Si datam* Bened. XIV) matrimonium inire posset. Vide dicta (n. 599).

834. *Ligamen.* Nemini licet ad secundas nuptias transire nisi de morte prioris coniugis *certe* constet. Vide textus iuris canonici apud Vecchiotti (§ 101). S. C. S. Officii (13 Maii 1868) momentosam edidit instructionem, in qua indicavit quaenam probationes sufficiant ut de dicta morte satis certe constet. Haec instructio reperitur per extensum apud Scavini (III. 888), et in substantia dicit, quod si forte documentum authenticum (*la fede di morte*), aut depositio iurata duorum testium ocularium haberi nequeat, sufficit quod talis indiciorum aut semiprobationum complexus habeatur ut vir prudens ad mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine permoveri possit. Id autem contingeret si ex una parte iamdudum de coniuge nulla notitia habita fuerit, et ex alia, attentis circumstantiis (nempe eius amore erga uxorem et familiam, eius probitate et religione, eius patrimonio aut negotiis in patria, eius aetate matura, eius gravitate etc., quin ulla appareat causa se occultandi) iam tale silentium nonnisi morti adscribi possit; multo magis si prius frequentes epistolas mittere soleret, aut si iam senex vel malefirmae valetudinis fuerit, aut si pestilentiae, naufragiis, aliisve periculis fuerit expositus; maxime vero si aliquis (etsi unicus) de eius morte fidem faciat, aut testetur se audivisse alios dicentes illum obiisse.

835. Ex defectu baptismi ex una parte. Hoc impedimentum, iure ecclesiastico non scripto et sola consuetudine invectum, a TT. appellatur *cultus disparitas;* et, quatenus est dirimens, respicit casum in quo persona baptizata cum non baptizata matrimonium contrahat; ut puta, si mulier Christiana cum viro Turca, vel Hebraeo, vel quomodolibet infideli (non vero si persona Catholica cum Lutherana, aut infidelis cum alia infideli) nuptias iniret. — Sedulo notandum quod Baptismum dubii valoris (prout facile contingit apud Protestantes) in or-

dine ad matrimonium semper consideratur ut validum; ita ut ex ipso (quamvis forte sub conditione iterum esset ministrandum) impedimentum dirimens (dispensante Ecclesia, si opus sit) nunquam exurgat. Si autem Baptismum iam certe invalidum fuisset, invalidum quidem esset matrimonium; sed, si iam contractum fuisset, casus S. Sedi (expedire enim potest dispensatio) accurate exponi deberet. Cf. Vecchiotti (§ 97).

836. Ex CRIMINE; nempe si agatur de sponsis, quorum saltem unus viduus sit, et in priori matrimonio adfuerit aliquod ex sequentibus delictis. 1° Coniugicidium, utroque machinante; 2° Coniugicidium uno dumtaxat machinante, cum adulterio; 3° Solum adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii. Sed haec sunt explicanda.

837. *Coniugicidium, utroque machinante*, etiam sine adulterio, impedimentum dirimens certe constituit. Patet ex Cap. *Laudabilem* (Decretal. III. XXXIII. 1) ubi Caelestinus III dixit: « Interrogasti de Saracenis qui, dum in captivitate essent, « quarundam Christianarum viros, earum insidiis et machina- « tionibus, occiderunt; utrum, quia postea per ipsas ad fidem « Christianam conversi sunt, eas de iure possint accipere in « uxores: vel, si duxerint, coniugium teneat eorundem. Hic « Triburiensis Concilii regula contenti sumus asserentis, quod « si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae, licet « earum studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhaerere « debent, nec sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi ». Et adiunxit, quod si Saracenus in bello Christianum occidisset, et postea ad fidem conversus dicti Christiani viduam ducere vellet, huic matrimonio nullum impedimentum obstaret, quia mors ab uxore procurata non fuisset. — Ex his verbis luculenter patet, quod, deficiente adulterio, ut homicidium constituat impedimentum, oportet 1° Ut ex mutua conspiratione, seu, ut Canonistae dicunt, utroque machinante aut patrante, commissum fuerit. — Oportet 2° ut mors reapse evenerit ex vulnere, aut veneno, aut alia actione vel omissione iniusta; nec sufficit si fuerit attentata, aut si, v. g., ex vulnere non lethali propter medici negligentiam vel imperitiam coniux interierit (D'Annib. III. 330. 26). Attamen non exigitur ut manu propria homicidium consummatum fuerit, sed sufficit mandatum vel consilium, quod reapse influxerit, iuxta dicta (n. 418. 424). Vide Sanchez (LXXVIII. 7). Sola ratihabitio post factum non sufficit; atque idem dicendum videtur de solo consensu ante factum sine influxu efficaci; iura enim exigunt ut mors *procurata fuerit*,

quae procuratio in mero et nudo consensu non verificatur. ( D' Annib. l. c. 27 ). — Oportet 3° ut homicidium patratum fuerit ex intentione matrimonium contrahendi cum complice ( vel cum uno ex iis, si fuerint plures ); idque patet sin minus ex verbis saltem ex fine legis, ne scilicet quisquam mortem coniugis procuret, ut aliud matrimonium contrahere possit. Sanchez ( l. c. 13 ). Si itaque coniugicidium, v g., solum ex ira aut vindicta, vel ad liberius vivendum in concubinatu cum complice, vel ad contrahendum matrimonium cum alia persona non complice, perpetratum fuisset, impedimentum non subsisteret ( S. Lig. 1033. 1036. vi ). Sedulo tamen adverti debet, satis esse quod haec intentio matrimonii sit a parte unius; in iure enim nullibi decernitur aut innuitur quod talis intentio a parte utriusque desideretur, ut cum Sanchez ( l. c. 14 ) fatentur omnes. Quod autem plures dicunt, hanc intentionem sive ante sive post homicidium manifestari debere alicui, quia Ecclesia non iudicat de internis, quid insulsum mihi videtur; ut enim alia praetermittam ( quae videri possunt apud Ballerini n. 822. not. *a* et Vol. I. 89. not. *c* ), uxor quae inducit alium ad proprium maritum interficiendum et postea tractatum matrimonii cum homicida init, nonne satis superque palam facit se ex hac intentione illius mortem procurasse? Aliunde in iure huiusmodi manifestatio nullibi exigitur, et nullibi ullo modo indicatur. A fortiori falsa est opinio nonnullorum, qui dicunt, praedictam intentionem patefaciendam esse complici praecise ante homicidii executionem; id enim vix non recideret in exigendam intentionem matrimonii ex parte utriusque, quod est contra supradicta. — Observari potest demum cum Sanchez ( l. c. 20 ) omnino oportere ut homicidium contigerit in vero coniuge, quatenus matrimonium fuerit validum ( nec sufficeret si validum a coniugibus et ab omnibus reputaretur ), quamvis non oporteat ut fuerit consummatum, neque ut coniux cum coniuge cohabitet; non enim obstaret si forte divortium factum fuisset, aut nunquam cohabitassent.

838. *Coniugicidium, uno dumtaxat machinante, cum adulterio.* Patet praecipue ex Innocentio III, qui ( Decretal. IV. vii. 6 ) scripsit: « Significasti nobis quod, cum P.... quamdam M... « duxisset legitime in uxorem, ea relicta, cuidam meretrici ad- « haesit... Verum, cum uxor ipsius esset viam universae carnis « ingressa, meretricem cui adhaeserat desponsavit. Nos igitur « inquisiti respondemus quod, nisi *alter eorum* in mortem uxoris « defunctae fuerit machinatus. ..., legitimum iudices matrimo-

« niunt supradictum ». Hinc rectissime scripsit S Lig. (1035): « Sufficit quod, stante adulterio, una pars tantum perpetret « homicidium, quamvis altera inscia ». Oportet tamen ut ex intentione matrimonii contrahendi cum adultera patratum fuerit. Nonnulli hic etiam dicunt, quod haec intentio debet manifestari alteri saltem per indicia praecedentia, v. g., familiaritatis, epistolarum amatoriarum etc. Sed hoc nihil aliud est nisi confusionem in medium adducere; si enim adfuit adulterium, cur alia indicia minoris momenti exigenda erunt? Omnino dicendum est cum Sanchez (LXXVIII. 19) quod haec intentio per adulterium quod praecessit, et per tractatum matrimonii qui coniugicidium subsequitur, satis manifestatur, nisi magnae coniecturae ex alio fine delictum fuisse commissum ostendant. — Caeterum quae dixi supra (circa necessitatem, ut matrimonium antecedens fuerit validum, atque ut coniugicidium non solum fuerit attentatum sed vere consummatum) hic quoque repeti debent.

Adulterium debet esse 1° *Consummatum;* sic enim canones intelligi debent; unde copula sodomitica, tactus impudici, et conatus ad copulam (vase non penetrato) certe non sufficerent. Reiffenstuel (IV. VII. 13) dicit, copulam onanisticam sufficere, neque hoc impedimentum cum impedimento affinitatis esse comparandum. At vero alii censent, non solum penetrationem sed etiam effusionem virilis seminis intra vas omnino requiri; et (quum simus in poenalibus) sic practice tenendum erit. Foeminae tamen seminationem non exigi docuit etiam Sanchez (LXXIX. 2); qua de re hodie non potest amplius dubitari. Adulterium debet esse 2° *Formale*, et quidem a parte utriusque; si enim, v. g., vir coniugatus cum foemina coniugii ignara adulterium commisisset (quamvis postea uxorem suam interfecisset), impedimentum non subsisteret, prout in Cap. 1° *Propositum est nobis* (Decretal. IV. VII) in terminis expressum habemus. Imo idem dici deberet, quamvis foemina illa fuisset coniugata; oportet enim ut adulterium utrinque formale fuerit praecise respectu coniugis occisi, quandoquidem hoc sensu Canones loquuntur. Sanchez (LXXVIII. 12. et LXXIX 31). Quid si adultera dubium concepisset ne forte vir esset coniugatus? R. Dubium leve nihil obstat. Dubium grave obstaret si esset affectatum, si nempe foemina studiose procurasset in ignorantia remanere ut liberius peccaret; ignorantia enim affectata scientiae aequiparatur. Caeterum, stante ignorantia, etiam crassa et supina, impedimentum non exurgeret; ipsa e-

nim dolum ad verum adulterium constituendum requisitum non constitueret, ut dixit Sanchez (l. c. 38). Notari potest, nihil referre sive adulterium appositam causam mortis (v. g. veneni propinationem) praecedat sive subsequatur, dummodo coniuge adhuc vivente accidat. Sanchez (l. c. 38).

839. *Adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii.* Patet ex Gregorio IX (Decretal. l. c. Cap. VIII) dicente: « Si quis, uxore vivente, fide data promisit aliam se ductu-« rum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante nec post « (legitima eius superstite) cognovit eandem..., non est ma-« trimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum, di-« rimendum. Caeterum tolerari non debet, si prius vel postea, « dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset ». Ecclesia autem voluit ut etiam ad hunc casum impedimentum extenderetur, ne propter futuri matrimonii spem ad coniugicidium perpetrandum ansa praebeatur.

Quoad promissionem, notant passim Theologi et Canonistae quod esse debet 1° *Vera* tum ex natura propria, quatenus desiderium, propositum, et velleitas (ut puta si quis dixisset: si non essem coniugatus te ducerem) non sufficiunt; tum ex voluntate promittentis, ludicra enim promissio non est promissio, nec praedictam ansam praeberet. Si extrinsecus seria esset, tunc Sanchez (LXXIX. 10) impedimentum ex mente Ecclesiae oriri censet; sed non videtur verum, quia sumus in poenalibus, et non tantum oritur periculum quantum oriretur si promissio a parte utriusque ex animo esset. S. Lig. (1039). — 2° *Acceptata;* quandoquidem promissio reiecta aut non acceptata pro nihilo reputatur. Ad hanc autem acceptationem constituendam sola taciturnitas (quum agatur de re non facile acceptabili, sed potius valde detestabili) probabiliter non sufficit; et idem dic si viro nuptias post mortem mariti spondenti mulier simpliciter respondisset: Quoad mortem mariti, Deus faciat iuxta suum beneplacitum; vel: Faxit Deus ut vir meus diu vivat. Sanchez (l. c. 23). — 3° *Pura, aut saltem purificata per conditionis adventum ante mortem coniugis,* nec sufficeret si verificata fuisset dumtaxat coniuge iam defuncto, prout contra Sanchez docent communiter. 4° *Respicere debet matrimonium contrahendum post mortem coniugis;* de hoc enim casu, non vero de matrimonio ineundo vivente coniuge, canones loquuntur. — Aliqui exigunt etiam repromissionem; sed hoc mihi probabile non apparet; canones enim nihil habent de hac repromissione, quae caeteroquin in ipsa acceptatione suapte

natura includitur ( Sanchez LXXIV. 25 ). — Notat D' Annibali ( l. c. not. 21 ) quod si ambo essent coniugati, sed, v. g., vir nuptias promittens finxisset se esse caelibem, tunc acceptatio mulieris ( utpote ex errore facta ) nihil valeret; idque forsan verum esset si mulier, re cognita, non consensisset; certe enim promissio aut acceptatio, ex metu gravi vel dolo dante causam contractui et iniecto a parte contrahente, invalida esset. Dixi *forsan;* Ecclesia enim hic, ut notat Sanchez ( l. c. 8 ), non iam validitatem promissionis ( quae semper invalida est ) sed eius periculum ( nempe periculum vitae quoad coniugem ) considerat; et in casu non unus sed duo coniuges in periculo essent. — Aliqui exigunt ut promissio fuerit iurata: sed Sanchez ( l. c. 29 ) dicit, non esse recedendum a sententia negativa, quae a Theologis fere omnibus tenetur et Tribunalium stylo confirmatur. — Nihil interest sive promissio stricte connexa fuerit cum adulterio ( ut puta, si vir dixisset: post mortem mariti te in coniugem recipiam dummodo corporis tui copiam mihi nunc facias ), sive ab ipso adulterio fuerit prorsus independens, sive ante sive post illud fuerit facta. — Oportet 5° *ut promissio non fuerit revocata ante adulterium;* si enim fuisset revocata ( etiam invita parte ), impedimentum consurgere non posset; quia, promissione destructa, adulterium postea subsecutum remaneret solum, et sic non haberet vim impedimentum producendi; nihil tamen referret si post adulterium revocaretur, tunc enim impedimentum iam contractum esset. — Oportet 6° *ut promissio facta fuerit subsistente matrimonio, et quidem utrique cognito;* non enim sufficeret si locum habuisset ante matrimonium, vel cum matrimonii ignorantia a parte unius; quamvis durante vel cognito matrimonio adulterium perpetratum fuisset; hoc enim non sufficit ut promissio prius facta vel acceptata ratificetur: et sic per se solum impedimentum constituere nequit. Idem dic si promissio durante uno matrimonio et adulterium durante alio, aut viceversa, locum habuerit.

Quoad attentationem matrimonii, nihil refert sive hoc fuerit consummatum sive ratum dumtaxat; dummodo adulterium intervenerit. Non sufficit tractatus vel conatus matrimonii celebrandi, sed exigitur ut de facto celebratum fuerit; quamvis invalide; validum enim ( propter ligamen ) esse nequit; neque refert si alia quoque impedimenta dirimentia adessent, ut notant Salmanticenses et Roncaglia. Non oportere ut coram Parocho et testibus celebratum fuerit, dicunt Sanchez ( LXXIX. 8 ), Bonacina ( 9. III. VI. 8 ), Vecchiotti, Scavini, Ballerini,

De Varceno etc.: et iuxta ipsos sufficit ut nomen matrimonii in sensu Ecclesiae, quamvis clandestini et quomodolibet invalidi, habere possit; sed alii, v. g., Croix (VI. III. 621), Palao (XXVIII. IV. 12. 9), Del Vecchio (n. 969) citantes Hurtado et Aversa de sufficientia matrimonii clandestini ad producendum hoc impedimentum dubitare videntur; eo quod canones intelligendi sint de matrimonio in forma Ecclesiae consueta contracto. Quidquid sit de hoc, certum est quod actus, qui vulgo matrimonium civile nuncupatur, sicut constituere nequit impedimentum publicae honestatis (vide supra n. 829), ita ne impedimentum criminis quidem gignere potest. Ratio est quia actus civilis in sensu Ecclesiae nullo modo matrimonii nomen habet; quandoquidem Pius VI (Epist. ad Ep. Lucion.) aperte dixit quod per actum civilem *nullum contrahitur matrimonium*. Porro aliud est *nullum contrahi matrimonium*, et aliud *contrahi matrimonium nullum*. Et novissime Leo XIII (Decr. cit.) dixit quod actus civilis « honorandum *usurpat* ma- « trimonii nomen ». — Loquendo autem de matrimonio in sensu Ecclesiae, certum est quod huiusmodi matrimonii attentatio ita perpetrari debet, ut uterque cognoscat impedimentum ligaminis extare. Ignorantia affectata scientiae aequiparatur, ut dixi. Si vero fuisset dumtaxat crassa et supina, aliqui censent quod, subsecuta matrimonii consummatione, impedimentum criminis consurgeret; quia ignorantia crassa (prout dicitur in Sexto I. II. 1) a legibus non excusat. Sed oppositum dici debet, tum quia consummatio matrimonii cum tali ignorantia perpetrata non constitueret adulterium in sensu legis (ut supra dicebam), tum quia ignorantia attentationem matrimonii concomitans fuisset non iuris sed facti, quae (ut notat Sanchez l. c. 38) excusare solet, propter regulam in Sexto (XIII) dicentem: « I- « gnorantia facti, non iuris, excusat ». — Sed quid si quis, attentato matrimonio cum ignorantia etiam plena quod pars ligaminis impedimento adhuc detineretur, postea, re cognita, a nuptiis male initis non resiliverit, sed in carnali commercio perseveraverit? R. Tunc impedimentum consurgeret; casus enim matrimonii est diversus a casu simplicis promissionis, quatenus matrimonium habet tractum successivum, et per copulam ratificatur; et sic attentatio matrimonii, quae antea (a parte unius) materialis erat, formalis evadit, et criminum unionem producit.

840. Celebris est quaestio: Utrum ignorantia huius impedimenti, ab eo incurrendo excuset? Pro affirmativa stant certe

plures auctores magni nominis, v. g., Pichler, Krimer, Navarrus, Ballerini, et D' Annibali, qui nonnullos alios antiquos citant, et dicunt, hoc impedimentum positum fuisse ad modum poenae extraordinariae, a qua incurrenda (ut patet ex censuris) ignorantia excusat. Alii e contra (v. g., Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Croix, Sporer, Diana, Gury, Vecchiotti etc.) sentiunt quod, non obstante ignorantia, impedimentum exurgit. Quid igitur dicendum? Certe in casu coniugicidii utroque patrante non potest esse necessarium ut uterque cognoverit impedimentum; quisnam enim dixerit quod Saracenus (vide supra n. 837), qui dum adhuc Turca erat (forsan ex mero odio contra Religionem et sine ulla intentione matrimonii) occidit maritum mulieris christianae, cognitionem huius impedimenti habuerit, dum delictum commisit? Imo in quovis casu haec notitia necessaria non videtur; secus enim hoc impedimentum nullam applicationem practicam haberet; quandoquidem vix invenietur persona saecularis quae illud cognoscat. De probabilitate itaque prioris sententiae valde dubito; et censeo quod in praxi, sive impedimentum fuerit cognitum sive non, dispensatio peti debeat.

841. Notari potest denique quod hoc impedimentum interdum est simplex, et interdum duplex. Simplex esset in quolibet ex tribus casibus supra descriptis. Si autem primus casus cum tertio coniungeretur, si nempe tum coniugicidium utroque machinante tum adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii intervenisset; tunc impedimentum duplex foret.

842. Ex DEFECTU SOLEMNITATIS pro validitate requisitae ex Decreto Concilii Trid. dicentis: « Qui aliter, quam praesente Pa-
« rocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii
« licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahe-
« re attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino
« inhabiles reddit, et huiusmodi contractus initos ac nullos esse
« decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annul-
« lat.... Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaqua-
« que parochia suum robur post triginta dies habere incipiat
« a die primae publicationis in eadem parochia factae numeran-
« dos ». Lex ista non viget in tribus casibus sequentibus.

843. I. Si in loco Decretum istud nunquam fuerit publicatum. Huiusmodi loca sunt praecipue Anglia; Scotia; Borussia (intellige antiquam, ut Pomeriana); Saxoniae maximus circulus; Suecia; Dania; Norvegia; pleraeque Helvetiae provinciae, et duae provinciae Hiberniae (*dell' Irlanda*); Asia et Africa

tere ex toto; et aliquae regiones Americae, speciatim California. — In his locis nuptiae, etiam catholicorum, absque praesentia Sacerdotis et testium, valida (non tamen licita) sunt.

II. Si in loco decretum Trid. publicatum quidem fuerit, sed Ecclesia iustis de causis amplius non vigere decreverit. Notandum, id factum fuisse dumtaxat quoad matrimonia haereticorum, et matrimonia mixta (ea scilicet quae illuc inter personas quarum una est catholica et altera haeretica celebrantur). Haec loca sunt praecipue Hollandia; Hibernia; Helvetia; Provinciae Rhenanae; Westphalia; Hungaria; Transylvania; Bavaria; Civitas Constantinopolitana; Serbia; Albania; Bulgaria; Bosnia; Imperium Russicum; Georgia et loca Terrae Sanctae; nonnulli status foederati Americae septentrionalis; et aliae regiones imperii sive Russico, sive Anglico, sive Borussico, sive Danico, sive Batavo (*Olandese*) subiectae. Vide alia minutiora apud Vecchiotti (§ 107 in fin.) — Notandum quod in Graecia eiusque archipelago, nec non in Valachia et Moldavia, decretum Tridentini publicatum fuit in solis Ecclesiis Catholicorum; unde ad Schismaticos non extenditur; ex quo fit ut illuc etiam matrimonia mixta sint valida, dicente Benedicto XIV (De Syn. VI. vi. 12) « Cum coniugum alter tum ratione loci in quo habitat, tum ratione societatis in qua vivit, exemptus sit a « Tridentinae Synodus lege, exemptio qua ipse fruitur, al« teri parti communicata remanet propter individualitatem con« tractus ». Caeterum, exceptis praedictis locis, tam matrimonia haereticorum inter se, quam matrimonia mixta, si absque solemnitatibus a Tridentino requisitis celebrentur, invalida censeri debent. Id patet apertissime, quia ad quaesitum: « Utrum « matrimonia ab haereticis inter se, aut cum catholicis, iuxta « solas leges civiles, seu coram ministro haeretico, sine prae« sentia parochi catholici inita, valida sint in Galliis, et in « aliis regionibus, ubi (ut in Galliis) protestantes et haeretici « omnes habent suos ministros, templa, seu statum legalem a « Gubernio probatum? », S. Poenitentiaria (28 Mart. 1834) respondit: « Negative, exceptis regionibus, de quibus loquitur « Bened. XIV in Declar. diei 4 Nov. 1741, atque ad quas per « Successores suos illa eadem declaratio extensa est »; nempe excepta Hollandia aliisque locis bene multis supra recensitis. Ratio huius responsi est quia Ecclesia, partim declarando et partim dispensando, huic rei per universum orbem iam providit; ita ut loca omnia, in quibus Decretum Tridentini hodie non viget, iam ab ipsa indicata fuerint; unde in aliis locis pro

Decreti ipsius vigore standum erit. Hoc tamen non impedit quominus in posterum alicubi novae circumstantiae ita exurgere possint, ut impedimentum clandestinitatis in destructionem redundet, et sic per se corruat ( v. g., si alicubi futurum esset ut haeretici, hodie pauci vel dispersi, numero valde excrescant, ex iisque fere totus populus efformetur ). Dixi *per se corruat ;* ita ut nempe dispensatione opus non sit ; prout olim accidit in Hollandia; quandoquidem Benedictus XIV ( in dicta declaratione ) circa illam regionem non iam dispensationem dedit, sed solum declaravit impedimentum iamdiu per se corruisse; matrimonia enim ( haereticorum aut mixta ) sine Parocho illuc non solum contrahenda sed etiam prius contracta valida esse definivit. Cf. Vecchiotti ( § 107. q. 3 ) et Ballerini ( II. 841. 4° not. *a* in fin. )

III. Tertia exceptio est, si agatur de locis in quibus Decretum Tridentini viget quidem, sed ( v. g., exorta persecutione ) neque Parochus neque Episcopus, neque sacerdos delegatus adsit aut accessibilis sit. Ratio est quia si Ecclesia tunc quoque impedimentum in vigore servare vellet, matrimonia prorsus impediret; quod esse nequit. Pius VI. occasione perturbationis Gallicae ( an. 1793 ) ad Episc. Lucion scripsit : « Quoniam « complures ex istis fidelibus non possunt omnino Parochum « legitimum habere , horum profecto coniugia contracta co- « ram testibus et sine Parochi praesentia, si nihil aliud ob- « stet, et valida et licita erunt, ut saepius declaratum fuit « a S. C. C. ». Imo nuperrime S. C. Sancti Officii declaravit, facultatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine praesentia Parochi tunc adesse , cum *per mensis spatium* accessus ad eundem *tutus* non sit. Pariter matrimonium celebratum in locis missionum absque praesentia Parochi, qui habitualem residentiam non habet, validum est, etiamsi contrahentes non valde distarent a loco ubi Parochus moratur. Ita declarasse S. Sedem testatur Vecchiotti ( § 106 vers. fin. ). — Caeterum duo testes, qui in his declarationibus semper indicantur, non solum pro licito sed etiam pro valido exiguntur, ut patet ex Brevi Pii VII ad Episc. Genevensem ( 5 Sept. 1793 ); quamvis enim ubi Tridentini decretum publicatum non fuit valeat matrimonium contractum etiam sine testibus; idem dici nequit de aliis locis ubi decretum fuit publicatum; quod si, deficiente Parocho, non totaliter servari potest, saltem qua parte possibile est servari debebit. Attamen Pius VI declaravit quod alius Sacerdos ( non delegatus ) vices Parochi supplere

nequit; et proinde matrimonium cum solis testibus valeret, quamvis alius Sacerdos aut Parochus alienus in promptu esset; qui nihilominus pro licito (nempe ad benedictionem recipiendam) adhiberi deberet. Cf. Gury (II. 843).

Quid si impossibilitas contrahendi coram Parocho non esset publica, sed particularis? Communis sententia docet, matrimonium tunc nunquam valere posse; sed alii pro casu, in quo impedimentum clandestinatis vere et evidenter noxium evaderet, matrimonium validum esse censent; si enim in huiusmodi circumstantiis alia impedimenta dirimentia (iuxta principia generalia *de legibus*), ut fatetur ipse S. Lig. (De Privilegiis n. LVII), cessare possunt; cur non istud quoque? Ita sentiunt Ballerini (II. 840. not. *b*), Taddei (Specimen Cas. 2), aliique doctissimi a Ballerinio, Sanchezio et Diana citati; et in hanc partem D'Annibali (354. not. 34) et Vecchiotti (l. c.) valde et merito inclinant.

844. Quisnam nomine Parochi intelligi debeat? Nomine Parochi intelliguntur Summus Pontifex, Episcopi, Vicarii generales et capitulares, et denique Parochi proprie dicti. Quoad validum nihil obstaret si Parochus non adhuc esset sacerdos, aut esset excommunicatus (etiam vitandus), suspensus, interdictus etc.; uno verbo sufficit si remaneat testis qualificatus, nempe in beneficii parochialis possessione, quamvis forte illud renuntiare deberet, vel iurisdictione privatus existeret, imo et quamvis haereticus manifestus esset. Cf. Scavini (II. 921). Donec quis est Parochus, ne ab Episcopo quidem impediri potest quominus huic vel illi matrimonio sive per se sive per alium Sacerdotem valide (aliud est de licito) assistat; idque patet ex Decreto S. C. C. apud Bened. XIV (De Syn. XII. xxiii. 3); et ratio est quia Episcopus impedimentum dirimens inducere non potest, neque efficere ut matrimonium de iure validum, invalidum sit. Nomine Parochi intelliguntur etiam Oeconomi (paroecia vacante), et Vicarii perpetui vel amovibiles, illi nempe Sacerdotes qui sive in perpetuum sive ad tempus deputantur ad regendam Paroeciam, quae Capitulo vel Monasterio sit adnexa, vel spectet ad Episcopum, Canonicum etc., qui in ea Paroecia residere non possit. Huiusmodi vicarii (qui dicuntur Parochi *actuales*) quoad Paroeciae regimen ab eorum principalibus (qui Parochi *habituales* appellantur) sunt prorsus independentes ipso iure, et proinde etiam circa matrimonia iurisdictione integra (quae nullo modo coarctari potest) sicut alii Parochi fruuntur; et si duo in solidum Paroeciam regerent, matrimo-

nium valeret apud alterutrum, etiam altero invito. Sanchez (III. xxiv. 6). Tamquam Parochi considerantur (quamvis adhuc non sint) etiam coadiutores in spiritualibus, qui sive ab Episcopo sive a Pontifice Parocho inhabili aut seni dantur; nec refert si ius successionis habeant vel non habeant. Attamen videndum, an supplere debeant totaliter et independenter, quo casu certe valent matrimonia (etiam clandestina) coram ipsis contracta. Si vero coadiutor (eo quod Rector principalis non sit prorsus inhabilis) praedictam independentiam non habeat, tunc praesente et invito principali nec licite nec valide matrimoniis assisteret. Cf. Reiffenstuel (III. vi. 49). Principalis tamen neminem praeter coadiutorem delegare posset. — Sufficit si quis Parochus communiter existimetur, etsi propter defectum occultum collatio Paroeciae invalida fuisset, aut etiam nullo modo locum habuisset; et idem dic de praedictis Vicariis, et Coadiutoribus, subsistente enim titulo colorato aut etiam simplici errore communi, Ecclesia (propter bonum publicum et ne tot actus invalidi sint) iurisdictionem supplet. — Parochus intrusus, nullo modo (uti patet) Parochus est; et, si populus cognosceret eum esse intrusum error communis adesse nequiret; et sic matrimonii celebratio apud illum invalida foret. Pius VI (Instruct. 28 Maii 1793) dixit « Non posse fideles adire Pa-« rochum intrusum pro contrahendo matrimonio; unde si non « suppetat medium habendi presbyterum catholicum facultatibus « opportunis ad hoc instructum, fideles debent contrahere sine « praesentia proprii pastoris ». — Denique nomine Parochi intelligitur Parochus proprius; Trid. enim (XXIV. 1) loquitur de « proprio contrahentium Parocho ». — Pro licito (apud nos) assistere debet Parochus sponsae; sed pro valido ubique locorum perinde est sive sponsae sive sponsi Parochus assistat.

845. Quisnam est proprius Parochus? R. Est ille in cuius Paroecia sponsus vel sponsa habet domicilium habitationis, quae stabilitatem praeseferat. Claritatis gratia, considerandi sunt casus 1° domicilii principalis; 2° domicilii secundarii; 3° domicilii unici; 4° domicilii duplicis; 5° nullius domicilii.

846. *Domicilium principale.* Casus domicilii principalis (seu veri) sunt duo. Primus est, si quis tali vel tali loco stabiliter moretur; quamvis ad breve tempus, et certe minori anni parte, in alio domicilio degat. Secundus est, si quis domum suam cum supellectilibus vel familia alicubi habeat, sed modo stabili fere semper alibi moretur cum intentione domum suam redeundi (v. g., absolutis negotiis, finito famulatu, expleto

anno scholastico, finito servitio militari etc.), quo etiam in casu domum huiusmodi domicilium principale appellarem. — In primo casu, matrimonium contractum apud Parochum domicilii principalis semper valebit; sed non item in secundo; mora enim longe a domicilio, quando est diuturna, efficit ut, dum quis stabiliter alibi degit, tamquam parochianus considerari nequeat: unde tunc domicilium istud (quoad parochialitatem) ad nihil reducitur. Reapse Sanchez (III. xxiii. 19), agens de habente domicilium verum in una, et quasi-domicilium in alia paroecia (ubi saltem maiori anni parte commoretur), ait quod, posita sufficientia istius quasi-domicilii ad constituendum parochianum (qua de re hodie dubitari nequit), dicendum est, illum « pro « eo tempore non esse parochianum primae parochiae, sed se- « cundae, quam inhabitat ». Idem dicit Reiffenstuel (IV. III. 62). Pro casu tamen, in quo quis singulis annis domum redire soleat (prout accidit in studentibus), Schmalzgrueber rem in dubium revocat; et ego quoque parochialitatem remanere existimarem, saltem si pluribus vicibus intra annum domum redire soleret.

847. *Domicilium secundarium* (quod communiter quasi domicilium appellatur) locum habet, quando quis, retento (ut supra) domicilio principali, seu parochianus remanens, alio se confert, ibique cum notabili stabilitate commoratur. Difficultas reducitur in determinando, quantum tempus exigatur, ut, ad effectum matrimonii valide contrahendi, istud domicilium secundarium seu quasi domicilium efformetur. Plurimi dicunt maiorem saltem anni partem exigi: sed profecto minus sufficit: et sic distinguendum: Quando quis alicubi se transfert cum intentione manifesta illuc permanendi ad minus per mensem; et in hunc finem domum conducit, sua supellectilia secum fert, vel collegium ingreditur, vel famulatum incipit etc.: tunc iam a primis diebus domicilii sic constituti verus incola, verusque parochianus evadit; et proinde tunc ibi matrimonium valide contraheret; neque obstaret si forte post paucos dies ex improvisis circumstantiis, illud domicilium prorsus deserendo, domum redire cogeretur. Hoc patet exemplo famularum, quae, quamvis ad mensem servitia ineant, iam a prima die parochianae existimantur. Hinc rectissime scripsit Ballerini (n. 839): « Conformius iuri sentire videntur, qui tenent, sufficere pro- « positum habitandi per aliquot menses, praesertim si domus, « conclave etc. fuerint conducta. Ita Suarez, Navarrus, Lay- « mann etc., apud Schmalzgrueber (II. n. 19) ». — Si autem

haec intentio permanendi saltem ad mensem non esset ita firma et manifesta; tunc Benedictus XIV in epistola ad Archiep. Goanum dicit, exigi et sufficere unum mensem iam praestitae habitationis; dicit enim: « Necessarium fore censemus nonnihil « adiungere ut in propatulo sit, quidnam *requiratur* ad quasi « domicilium (*intellige in casu supra expresso, de quo Ponti-* « *fex agebat*) adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto « responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contra- « hatur, spatio saltem unius mensis, ille qui contrahit habita- « verit in loco ubi matrimonium celebratur. Definitiones S. C. « C. hac de re observari poterunt apud Fagnanum..., ubi, eo- « rum contextu perpenso, haec habet: Vir et mulier Traie- « ctenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam « urbem Aquisgranae se contulissent, S. C. consulta super va- « liditate, censuit exprimendum esse tempus quo contrahentes « Aquisgranae manserunt; quod, si fuerit saltem unius mensis, « dandam esse decisionem pro validitate... Dubitari quidem pos- « set, num ad domicilium acquirendum matrimonii causa, non « solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subse- « quens ad aliquod temporis spatium. Verum, cum observave- « rimus, subsequentem habitationem ab iis Auctoribus, qui hanc « tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum « reputari ut novum domicilium quaesitum dicatur, *nihil vero* « *de illa praescriptum fuisse a S. C.* in adducta paullo ante « definitione, nolumus hac de re quidquam novi decernere ». Vult itaque Pontifex ut stetur decisioni S. C. C., et nihil novi decernatur. Vide etiam apud Gury (n. 847) aliam confirmationem datam a C. S. O. (6 Dec. 1843). Ita et non aliter verba Pontificis et Sacrarum Congregationum intelligi posse (contra plures) censet idem Gury (l. c.); et iure prorsus. Ratio autem huius Pontificiae definitionis est; quia qui iam ab uno mense a proprio Parocho abest, iam novo pastore, ad Sacramenta ei conferenda obligato, indigere censendus est. Passim notant quod nullum domicilium contraheretur, quamvis mora ultra mensem procederet imo valde diuturna evaderet, dum tamen qui moratur de die in diem vel utcumque ante finem mensis domum redire cogitaret, et solum propter circumstantias non praevisas reditum differre cogeretur. Sed, si ita res se haberet, tunc S. C. C, in adducto casu sponsorum qui Aquisgranam se contulerunt, non iam respondere absolute quod transacto mense standum sit omnino pro matrimonii validitate, sed distinguere debuisset. Caeterum TT. et Canonistae magni nominis in hoc

conveniunt quod, si non constet de voluntate discedendi ante mensem, habitatio mensilis sufficit ut de quasi-domicilio iam vere contracto praesumi debeat. Cf. Scavini (III. 896 in fin.).

Sedulo notandum quod alicubi ex lege civili, ad acquirendum domicilium, sufficit inscriptio in albo oppidi. Sed haec sola ex se non potest constituere domicilium, quod a iure canonico praecipitur ad rite contrahendum, prout decisum fuit a S. C. C. 28 Aug. 1864. Idem dic de locis, ubi quindecim dies ad constituendum quasi domicilium sufficiunt.

848. *Domicilium unicum.* Hic est casus ordinarius: et contingit quando quis aliud domicilium vel nunquam habuit, vel prorsus deseruit (sine intentione ad illud redeundi) simulque fixit habitationem alicubi cum voluntate ibi permanendi sive semper sive cum aliqua stabilitate. Hoc domicilium acquiritur statim ab initio habitationis cum dicta voluntate, excepto casu in quo intentio remanendi ad minus uno mense non esset clara et manifesta; secus enim non appareret an incola, an vero potius vagus esset: quod tamen matrimonii validitati non obstaret, ut infra videbimus.

849. *Domicilium duplex.* Contingeret si quis aequali aut fere aequali anni parte habitare soleret in duabus paroeciis. Ille valide contraheret apud quemlibet ex duobus Parochis, quamvis actu celebrationis matrimonii non in Paroecia ubi contrahit, sed in alia habitaret. — Quid si quis nocte in una (ubi domum aut familiam habet) et die in alia Paroecia moraretur? R. Hic non esset casus duplicis domicilii; et matrimonium valeret solum apud Parochum ubi contrahens nocte moratur. Ita De Luca aliique communiter cum S. Lig. (1086). Dixi *ubi domum aut familiam habet*; si enim nocte (v. g., ratione officii aut concubinatus) alibi moraretur; tunc paroecia ubi adest domus aut familia, tamquam eius vera et unica paroecia existimaretur. Idem dic de iis qui tota hebdomada extra morantur, sed saepissime (v. g. singulis diebus festis) domum redeunt.

850. Casus *nullius domicilii* in praesenti materia contingit dupliciter: 1° Quando quis nullum omnino habet domicilium, prout accidit non solum in vagis stricte dictis (vulgo *zingari*); sed etiam in iis qui, pristino domicilio prorsus relicto, novum domicilium vel quasi domicilium adhuc non contraxerunt, et interim sunt in via aut alicubi hospitantur, prout contingere potest in puella famulatum exercente, quae, imminente celebratione matrimonii, domum heri relinquat, et per unam vel alteram hebdomadam alicubi immoretur, ut, celebrato matrimo-

nio, ad novum domicilium cum marito se conferat. 2° Quando quis habet quidem domicilium, sed tale ut ad parochialitatem nihil deserviat ( cf. n. 846 ), atque interim peregrinetur quin moram sufficientem ad quasi-domicilium contrahendum ullo loco trahat ; prout contingit in milite qui domicilium paternum habeat, et matrimonium contrahere velit, dum nec in statione nec in castris sed in expeditione versetur. Porro isti omnes vagis aequiparantur *. Sanchez ( III. xxv. 4 ), Schmalzgrueber ( IV. III. 165 ) aliique passim.

Vagorum Parochum esse illum in cuius Paroecia hic et nunc morantur, dicunt multi ; sed non accurate. Melius dicit Sanchez ( l. c. 11 ) : « Quicumque Parochus potest matrimonio va-« gorum interesse,... quia non est maior ratio de uno Parocho « quam de alio, cum nullam certam Paroeciam habeant », idque esse verum, quamvis non agatur de vagabundis stricte dictis, sentit idem Auctor inquiens : « Similiter, dum non ha-« bet Parochiam, quia primam deseruit et quaerit aliam, et ad « breve tempus hospitatur in aliqua, potest coram quocumque « Parocho... contrahere, quia est vagus respectu Parochiarum ».

Si alter sit vagus, alter vero incola, potest pariter quilibet Parochus sive per se sive per Sacerdotem delegatum valide matrimonio assistere. Sanchez ( l. c. 14. 15 ), aliique communiter.

851. Ex principiis hucusque expositis sequentes conclusiones practicae deduci debent.

1° Collegiales ; studentes ; famuli ; officiales ( *impiegati* ) habentes officium extra patriam ; milites in statione vel castris ; carcere detenti ultra mensem ; iuvenes et puellae in orphanotrophiis vel brephotrophiis ; et pastores qui hyemali tempore, relictis montibus, in vallibus degunt, et in aliqua Paroecia stabilem habitationem figunt ; hi omnes sunt veri Parochiani, eorumque matrimonium apud Parochum parocciae, ubi degunt, certe valebit, quamvis domicilium principale alibi retineant. Idem dic de puellis educandis apud moniales ; etsi enim istae possint esse exemptae a iurisdictione Parochi loci ( ubi est monasterium ) quoad alia Sacramenta, non tamen quoad matrimonium. Attamen, pro licito domum remitti deberent, ut illuc matrimonium celebrent. Cf. Scavini ( III. 799 ).

Quid si aliquis ex praedictis non apud Parochum loci ubi

* Haec doctrina validissime confirmat ea quae dicta sunt n. 846 ; si enim miles in expeditione retineret parochialitatem, ubi domum paternam habet, iam tamquam vagus considerari nequiret.

tunc degit, sed apud Parochum domicilii principalis, matrimonium celebraret? R. Valeret certe, si, relicto prorsus domicilio secundario, ad principale se conferret, etsi intentionem haberet illud statim deserendi et ad tertium domicilium se conferendi; si enim tunc considerari nequiret ut parochianus, iam ut vagus (nempe ut paroecia carens) considerari deberet. Difficultas est si domum veniret unice ad matrimonium contrahendum, et statim ad locum, ubi prius erat, rediturus esset; maxime vero si in ipso loco domicilii secundarii contraheret apud Parochum domicilii principalis eiusve delegatum. Decisio pendet a parochialitate, et vide dicta (n. 846). Advertendum est tamen quod, subsistentibus duobus domiciliis, res potest esse adeo dubia et obscura ut vix percipiatur an parochialitas adhuc subsistat necne; et tunc procurandum erit ut alter Parochus vel Episcopus (sive sponsi sive sponsae) delegationem ad cautelam concedat, ut facultas valide assistendi in tuto ponatur.

852. II. Circa puellas famulatum exercentes, nec non circa educandas, casu quo *intra ipsam civitatem* habeant quoque domicilium principale seu paternum. Lambertini (Notif. 88. n. 13-16) docuit, non esse validum matrimonium contractum apud Parochum in cuius Paroecia adest domus heri, vel Monasterium, eo quod tunc eaedem famulae et educandae summa facilitate ad Parochum domicilii principalis se conferre possint; et aliunde ratio, cur Parochus quasi-domicilii pro praecepto paschali et matrimonio recognosci valeat tamquam proprius, est quia Parochus domicilii principalis non commode adiri posset quod in casu non verificaretur. Sed haec doctrina passim reiicitur, et pro certo habetur quod famulae sunt verae parochianae ubi degunt, quin distinguatur utrum in alia eiusdem civitatis paroecia domicilium paternum habeant, necne; et tum occasione paschatis, tum in quibuslibet aliis circumstantiis Parochum Paroeciae ubi morantur tamquam proprium considerare possunt, imo tenentur, donec ab eius paroecia non discesserint; imo, discessu non secuto, bene contingere potest quod apud Parochum domicilii paterni matrimonium (propter parochialitatem amissam) non valeat, ut supra notabam. Et idem dicendum de educandis quoad matrimonium, si forte in monasterio illud contraherent. Cf. Vecchiotti (§ 106. *Verum*), et D' Annibali (352. 9).

853. III. Quoad infirmos in hospitalibus, videndum an illuc quasi-domicilium contraxerint; tunc enim coram Parocho, in cuius Paroecia hospitale adest, non vero (seclusa legitima dele-

gatione ) coram Capellano hospitalis, matrimonium celebrare possunt. Ita S. C. C. apud Scavini ( n. 799. 3 ). Valeret tamen si etiam coram Parocho proprii domicilii eiusve delegato illud contraherent, quia parochialitatem amittere non solent, nisi tamquam chronici recepti fuerint.

854. III. Quoad divites rusticantes habemus sequentem declarationem S. C. C. ( 1. Dec. 1640 ): « Parochum ruralem non « esse proprium et verum Parochum, quando rus itur causa « recreationis vel pro rusticanis negotiis; ideoque matrimo- « nium valide coram huiusmodi Parocho celebrari non posse ». Attamen hic quoque excipi debet casus in quo contractum fuisset quasi-domicilium; ut patet etiam ex eadem S. C. C., quae post praedicta verba subdit: « Partibus tamen dentur declara- « tiones antiquae, scilicet.... non valere matrimonium contra- « ctum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non « animo ibi domicilium contrahendi ». An autem ad contrahendum ruri quasi-domicilium sufficiat mensis, merito ambigi posset, si huiusmodi divites identidem ad domicilium principale se conferrent, ut observat De Luca ( XIV. II. 1. n ). Scio equidem quod Lugo ( Resp. mor. d. 37 ) nec quatuor nec quinque habitationis menses etiam prorsus continuos sufficere censet; sed non video quomodo haec doctrina cum supra allatis S. C. C. et Benedicti XIV decisionibus componi valeat. Schulte ( apud Scavini III. 896 ) dicit praedictos divites non posse habere ruri ullum quasi-domicilium, quia neque ad laborandum neque ad explicandam propriam activitatem; sed solum propter oblectamentum et recreationem eo se conferunt. At vero alii apud eundem Scavini ( l. c. ) censent non esse inquirendum qua ex causa, sed solum quanto tempore et quo animo permanendi quis alicubi habitaverit.

855. Quoad comaedos qui occasione bacchanalium, et mercatores qui occasione nundinarum alicubi morantur, dicerem esse perpendendum an haec mora ultra mensem procedat; et a fortiori pro certo habeo quod miles in patriam redux, cum licentia ad mensem, domi validissime matrimonium contrahat. Dico *a fortiori;* parochialitas enim, dum quis ad domicilium suum principale personaliter ( quamvis illico abiturus ) redit, facilius ( et, ni fallor, citius, nisi etiam interdum statim ) acquiri debet.

856. Quid de illis qui nullum domicilium principale habentes semper circumvagantur, sed ita ut per notabile temporis spatium huc et illuc habitationem figant, prout facere solent,

v. g., qui merces vendunt in apothecis vulgo ambulantibus, aut feras ostendunt, etc.? R. Isti, si ad quasi-domicilium acquirendum non pertingant, tamquam vagi considerari debent.

857. Quid demum de iis qui, retento domicilio principali, itinera suscipiunt, aut quomodolibet in gyrum de uno ad alium locum ita se conferunt, ut nullibi quasi domicilium acquirant? R. Si tempore adeo diuturno et continuo a propria domo vel familia absint, ut (iuxta dicta n. 846) parochialitatem amittant, tunc erunt vagi et proinde eorum matrimonium apud quemcumque Parochum valebit. Secus, si parochialitatem non amittant: tunc enim proprium parochum adhuc habent; unde solum coram illo eiusve delegato matrimonium contrahere possunt. Haec tamen conclusio duabus exceptionibus subiicitur.

Prima est si necessitas matrimonium sine mora celebrandi ita urgeret, ut impedimentum clandestinitatis cessare (iuxta dicta n. 843) existimandum esset. Secunda est si quis peregrinaretur in loco exempto a lege Tridentini (v. g., in Anglia); illuc enim matrimonium valide contraheret, quia peregrini non adstringuntur patriae legibus, et quoad contractus (et proinde etiam quoad matrimonium) legibus localibus stare possunt. Ita docet Ballerini (n. 839. not. *a*). Excipe, nisi quis in fraudem legis (nempe eo solo animo ut sine Parocho contraheret) illuc se contulisset, simulque vere (ut supponimus) nullum domicilium aut quasi-domicilium illuc acquisivisset; hoc enim acquisito, fraus non obstaret. Haec omnia patent ex declaratione S. C. C. confirmata ab Urbano VIII et a Benedicto XIV in cit. epist. ad Archiep. Goanum. Enimvero S. C. definivit: « Non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes « et transeuntes *cum fraude..., nisi domicilium vere transfera-* « *tur* »; unde subdit Bened. XIV: « Huius definitionis con- « textu bene perpenso, facile intelligitur, matrimonia irrita ac « nulla decerni *quia fraus intercessit;* validum autem censeri « matrimonium, in quo, *licet fraus intercesserit*, nihilominus « is, qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, *do-* « *micilium seu quasi-domicilium adeptus erat* ».

858. Parochus (et a fortiori Episcopus) delegare potest alium ad assistendum matrimonio (ut dixi), sed oportet ut delegatus sit Sacerdos (aut talis reputatus. Pichler IV. III. 22). Delegatio praesumpta (nempe quae concederetur, si peteretur) certe non sufficit, quia de facto non est concessa. Non sufficit ut Sacerdos sciat Parochum esse contentum, aut dixisse se velle eum delegare, sed oportet ut reapse, per intimationem ei

directam, licentiam concesserit. Non obstare si contrahentes metu aut dolo, ad delegandum talem vel talem Sacerdotem, Parochum vel Episcopum induxerint, dicit Sanchez (III. xxxix. 13); et certe non obstat si in licentiae petitione talis error bona fide irrepserit, ut, eo secluso, licentia obtenta non fuisset, ut ex declaratione S. C. C. apud Lambertini (Notif. 88) manifestissime patet. Ratio est quia delegatio in his casibus nullo iure irritatur. Oportet ut licentia non fuerit retractata (intellige per intimationem delegato directam et quae tempestive ad illum pervenerit: non enim sufficeret si delegatus casu intellexisset, Parochum nolle ut matrimonio amplius assistat. Sanchez III. xxxvi. 9). Si Parochus moriatur, antequam delegatus assistat, controvertitur. Vide Scavini (l. c.). Sicut Parochus ita Sacerdos delegatus valide assistere potest etiam extra Parocciam vel Dioecesim. Sanchez (III. xxxiv. 3). Quamvis delegatio praesumpta non sufficiat, sufficit tamen delegatio tacita, ut puta, si Capellani hospitalium, scientibus et tacentibus Episcopis, iam a longo tempore matrimoniis etiam assistere consuevissent Ratio est quia delegatio tacita vere subsistit de praesenti. Sufficit quoque delegatio implicita, nempe inclusa in delegatione data ad omnia, (ut alter ego), quae *ad universitatem causarum* appellari solet; ut puta, si Parochus discedens per notabile tempus diceret Vicario absolute: *te in meam vicem relinquo, ut quidquid occurret, facias.* Sanchez (l. c. XXXV. 8). Idem dic si Parochus discessurus esset ad breve tempus, sed interim matrimonium (v. g., iam publicatum) celebrari deberet. Imo generatim in facultate absque limitatione concessa intelligi debet etiam facultas assistendi matrimoniis, parocho absente, toties quoties speciales circumstantiae non suaderent, talem facultatem ei dare non intendisse (prout contingeret in absentia brevi quoad casum matrimonii clandestini). Simplices Vicarii Parochorum, ex hoc ipso quod ad tale munus assumuntur, in multis locis censentur deputati ad universitatem causarum (nisi Parochus expresse aliquid excipiat); sed apud nos non est ita. Delegati ad universitatem causarum (non vero alii, quamvis, ad assistendum omnibus matrimoniis delegati essent) hanc facultatem subdelegare possunt. Gury n. 850 et Scavini (III. 804).

859. Quoad duos testes ad matrimonii valorem requisitos, non oportet ut sint masculi, aut puberes aut sponsorum familiis extranei, aut quod voluntarie et libere accesserint etc.; sed sufficit si usum rationis habeant, et taliter assistant ut de

re gesta testificari possint. Assistentiam tamen matrimonio praestare debent *una simul* cum Parocho; et necesse est ut contrahentes, sin minus de visu prius cognoscerent, saltem recognoscere possint. Hinc testis coecus, qui ex voce contrahentes recognoscere nequeat, non esset adhibendus. Sed quid de teste vel Parocho surdo? Passim dicunt esse aptum, quia consensus non solum ex verbis, sed etiam ex signis sufficientissime percipi potest. Sanchez (III. XXXIX. 2), d'Annibali (III. 353), De Luca (XIV. II. II. 14) etc.

860. Quid si Parochus, deprehensus a sponsis clandestine contrahere volentibus, et reapse coram ipso consensum exprimentibus, data opera, nihil audire et videre procuraverit, et reapse nihil audiverit et viderit? R. In hoc casu matrimonium valeret; quandoquidem ad quaesitum: « Si Sacerdos adfuerit; « nihil tamen eorum quae agebantur vidit neque audivit, u- « trum tale matrimonium valide contrahatur; vel potius, tam- « quam sine Sacerdote, nullius sit ponderis et momenti? » S. C. C. ad Ep. Giennense (an. 1581) respondit: « Non valere, si « Sacerdos non intellexit; nisi tamen affectasset non intelli- « gere »; nempe: nisi tamen procurasset non intelligere. Ita enimvero et non aliter hoc verbum interpretari debet, dicente Benedicto XIV: « Praedicta verba *nisi affectasset non intelli- « gere*, de eo casu accipienda esse, quo Parochus invitus ad « matrimonii contractum adhibitus, ideo nec videt nec perci- « pit, quia data opera neque videre voluit, neque percipere; « cum tamen et videre et percipere naturaliter potuisset, ea- « dem ratione qua (N. B.) testes ad eum ipsum actum adhi- « biti, et vidisse se et percepisse fatentur ». Et de hoc hodie nullum superesse potest dubium, quia idem Pontifex, cum huiusce generis casus accidisset, declaravit standum esse pro validitate (De Syn. XIII. XXIII. 11).

861. Quid si contrahentes nullam haberent intentionem adhibendi Parochum, sed ille sive casu sive ex industria adesset, dum (v. g., apud officialem civilem) contrahunt? R. Matrimonium non valeret; quandoquidem, proposito quaesito: « An sit ma- « trimonium, si duo contrahant per verba de praesenti, proprio « Parocho praesente et aliis requisitis non omissis, cui contra- « ctui Parochus formaliter adhibitus non fuit; sed, dum forte « convivii vel confabulationis vel aliud tractandi causa adesset, « audit huiusmodi contractum geri, et postea alter contrahen- « tium velit ab huiusmodi contractu ratione defectus resilire? » S. Congregatio respondit: « Posse, nisi alia interveniant, quae

« Parochum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant ». Ita apud Benedictum XIV (l. c. n. 5).

*Parochus cognoscere debet etiam impedimenta impedientia.*

Haec matrimonium non quidem invalidum sed illicitum efficiunt; et sunt sequentia.

862. SPONSALIA; nempe obligatio stricta contrahendi matrimonium cum alia persona; quae obligatio ordinarie oritur ex sponsalibus veris et validis et non legitime dissolutis; sed oriri potest etiam ex stupro. Vide dicta n. 433-466. et 828 — Dixi *obligatio stricta;* aliae enim obligationes ex sola charitate vel pietate ortae conscientiam quidem ligare possunt, sed tamquam vera et canonica impedimenta non considerantur.

863. VOTUM SIMPLEX; si nempe quis castitatis, aut virginitatis, aut non nubendi, aut suscipiendi Ordines Sacros, aut ingrediendi religionem votum emisisset. Oportet tamen ut non de proposito, sed de vero et valido voto agatur; prout supra (n. 107) explicavi.

864. MIXTA RELIGIO; si nempe unus ex sponsis sit catholicus, alter vero haereticus aut schismaticus.

Haec matrimonia mixta interdum possent quoque esse invalida; nempe 1° si haereticus valide baptizatus non fuisset, ut dictum est (n. 835); 2° si nuptiae celebrarentur sine Parocho, in locis ubi decretum Tridentini etiam quoad matrimonia haereticorum servari debet, iuxta dicta (n. 843); 3° si conditiones aut pacta, quae cum matrimonii validitate stare nequeunt, adiicerentur; ut puta, de matrimonio dissolvendo propter adulterium, prout apud Calvinistas usuvenit (Bened. XIV. De Syn. XIII. XXII. 9). Aliqui censent, matrimonium esse quoque invalidum, si sponsi pactum educandi prolem in secta haeretica inirent; et quidem id verum esset si apponeretur conditio dissolvendi matrimonium, pacto non servato; sed, praescindendo ab hoc casu (qui non solet esse practicus), matrimonium valeret et pactum non teneret. Cf. Vecchiotti (III. 98), et Ballerini (ad n. 830 not. *b*).

865. Quamvis autem non adsint hae circumstantiae, quae validitati obstarent, matrimonium inter personam catholicam et haereticam est gravissime illicitum, propter vetitum Ecclesiae multis vicibus repetitum; unde Bened. XIV (Encycl. *Magnae nobis*) scripsit: « Semper Apostolica Sedes catholicorum « cum haereticis coniugia reprobavit »; et postea subiunxit quod

tale matrimonium inire *gravissimum scelus* est. — Ratio legis est quia, ut legitur in eadem Bulla, huiusmodi coniugia « plu« rimum deformitatis, nec parum spiritualis periculi praesefe« runt ». Hinc non solum ecclesiastica, sed etiam naturali lege huiusmodi matrimonia interdicuntur; ita tamen ut, gravi subsistente necessitate (maxime ubi catholici sunt pauci et haeretici multi), ex una parte lex naturalis (cautelis adhibitis) non amplius urgeat, et ex alia dispensatio obtineri possit. S. Lig. (VI. 56) innuit, non exigi dispensationem si pars haeretica conversionis fundatam spem praebeat, et multo magis si illam promittat. Sed quomodo, eodem ferme tempore quo Benedictus XIV Bullam *Magnae nobis* ediderat, sic scribere potuerit, plane non intelligo; et huiusmodi opinio teneri non potest *.

866. Petes: Quum hodie civitates (speciatim Italicae et Gallicae) plenae sint hominibus, qui dicuntur *liberi cogitatores* (*it. liberi pensatori*), aderitne impedimentum canonicum in matrimoniis cum ipsis contrahendis? R. Negative; heic enim leges Ecclesiae intelliguntur de haereticis ex secta (neque sunt extendendae ad alios quamvis forte essent peiores); et *liberi cogitatores* proprie non sunt tales, sed ad summum tamquam apostatae (vide *De Occasionariis* II. n. 205) considerari possunt, ut dicit Avanzini (De Const. *Apostolicae Sedis* n. 2). Dixi *ad summum*; ipsi enim in apostasia non solent esse omnino declarati et firmi; et saepe qui hodie de absoluta incredulitate se iactat (ut plurimum ex mero respectu humano), cras (v. g., infirmitate deprehensus) Sacerdotem vocat et se catholicum esse profitetur. Aliunde nunquam auditum est quod pro huiusmodi matrimoniis (utique innumeris) quispiam dispensationem petiverit. — Aliud esset si Catholicus Protestantibus adhaesisset et protestantismi stabilem professionem aperte faceret. Ita sentit etiam *il Monitore Eccl.* (II. n. pag. 140).

867. Loquendo autem de haereticis proprie dictis et ex secta, Parochus imprimis (saltem ordinarie) omnem curam adhibere debet ut partem catholicam ab huiusmodi nuptiis contrahendis avertat; dispensatio enim conceditur quidem, sed aegre. Si huiusmodi conatus nihil proficiant; tunc dispensatio a C. S. Officii, vel ab Episcopo (extra Italiam enim Episcopi hanc facultatem habere solent; non tamen quoad Italos illuc morantes,

* Dum Ecclesia dixit, S. Ligorii opiniones tuto pede sequi posse, id intellexit sub limitatione: dummodo aliqua opinio falsa aut improbabilis non reperiatur. Porro Ecclesia non definivit nihil falsi in eius operibus reperiri posse, neque dixit (nec dicere potuit) quod falsa etiam sequi liceat.

nisi italicum domicilium prorsus deseruerint. Cf. Vecchiotti § 98 in fin.) peti debebit. Haec dispensatio sub quibusdam conditionibus concedi solet: nempe 1° ut non adsit proximum periculum perversionis seu delinquendi contra fidem (quod semper interveniret si maritus esset minister cultus, et uxor cogeretur scholam protestanticam tenere, aut maritus ipse liberum catholici cultus exercitium uxori relinquere nollet); 2° ut pars catholica promittat omnem curam adhibere ut coniux haeresim deserat; 3° ut uterque, aut saltem pars catholica (modus est varius pro variis temporum, locorum et personarum adiunctis) se obliget ad educandam universam prolem, absque ulla sexus distinctione, in religione catholica.

868. Si sponsi conditiones adimplere, aut dispensationem ipsam petere nolint, Parochus eorum consensum excipere nequit, nisi forte ex improviso deprehendatur. Attamen quoad Russiam, Germaniam et Hungariam (propter speciales circumstantias et speciatim propter periculum, ne, Parochis Catholicis derelictis, apud ministros haereticos matrimonia contrahantur) statutum fuit ut Parochi nihilominus (cum Episcopi licentia) assistere valeant. Sed haec licentia efficit quidem ut Parochi licite assistere, non vero ut sponsi licite contrahere possint. Vide documenta apud Vecchiotti et Ballerini (ll. cc.).

869. Quid si contrahentes matrimonium celebraverint, aut celebraturi sint, etiam coram ministro haeretico? R. De hoc habemus instructionem C. S. Officii (17 Febr. 1864), in qua sequentia leguntur: « Urgentibus haereticis aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post contractum... matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat explendum.... Verum, quotiescumque minister haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi Parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare, eo quod hic adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam... unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac... cum haereticis in divinis communicatio.... Sciant Parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum..., se silere non posse, sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris quas incurrunt. Veruntamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo particulari casu Parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nunc

« adire ministrum haereticum ; et nulla fiat ab iisdem sponsis « explicita declaratio de adeundo ministro haeretico, praevi- « deat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovan- « dum consensum, ac insuper... praevideat monitionem certo « non fore profuturam imo nocituram.., tunc sileat ; remoto « tamen scandalo et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae con- « ditiones atque cautiones rite positae sint.... Quod si tandem « consensus coram Parocho velit renovari, postquam praesti- « tus iam fuerit coram ministro haeretico, idque publice no- « tum sit, vel ab ipsis sponsis Parocho notificetur, Parochus « huic matrimonio non intererit, nisi.... pars catholica facti « poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a « contractis censuris rite prius obtinuerit ». — An autem prae- dicta omnino damnata communicatio in divinis cum haereticis vere subsistat, si minister haereticus nullam caeremoniam adhi- beat, sed dumtaxat sive domi, sive in aula consistoriali, sive in templo matrimonii bonum exitum adprecetur, et de coniu- gum officiis sermonem habeat; de hoc disputatur, et S. C. de Propaganda Fide interrogata in benignam partem inclinasse videtur, inquiens: « Difficile haud tibi erit propositis dubiis oc- « currere, et conscientiarum tranquillitati consulere ». Cf. Vec- chiotti ( § 98. in not. ).

870. De regula ordinaria huiusmodi matrimonia ( quamvis dispensatio obtenta fuerit ) sine praeviis publicationibus, extra quemlibet locum sacrum, sine ulla veste sacra, absque reli- giosis caeremoniis, et sine verbis: *ego vos coniungo* etc., cele- brari debent. Postea tamen pars catholica Missae ( de die ) assistere et Eucharistiam recipere posset. Interrogatio autem ( *N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta leges Sanctae Matris Ecclesiae?* ) expediens erit, ut con- ditionibus, quas forte pars haeretica consensui opponere posset, aditus praecludatur. — Dixi *de regula ordinaria;* alicubi enim proclamationes ( etiam in templo ; nulla tamen facta mentione diversae religionis quam pars haeretica profitetur ), et de pro- clamationibus peractis litterae testimoniales permittuntur. Imo alicubi permittitur etiam ut matrimonium in Ecclesia ( de li- centia Episcopi, gravibusque motivis id suadentibus ) praecise iuxta Rituale ( attamen sine Missa *pro sponso et sponsa*, et sine benedictione nuptiali ) celebretur. Cf. Vecchiotti ( § 98 ) Sca- vini ( IV. 535 ) et Gury ( n. 829 ).

871. INCESTUS ; attamen pro solo casu in quo cum persona ipsius incestus complice matrimonium contrahi velit ; tunc e-

nim impedimento dirimenti sive consanguinitatis, sive affinitatis, sive publicae honestatis, sive cognationis spiritualis aut legalis, impedimentum quoque impediens ex incestu superadditur; unde ab hoc etiam dispensatio peti debet; prout in tractatu *de Occasionariis* (n. 123) contra Ballerini luculenter ostensum est.

872. Casus hucusque recensiti constituunt vera et propria impedimenta canonica, quae perpetuo durant, nisi dispensatio obtineatur. Addi debet impedimentum ex defectu publicationum, de quo opportunius agam infra. — Sed adsunt etiam alii casus, in quibus nuptiae sunt illicitae, quatenus aliquid prius praestari debet ut licitae evadant; unde impedimenta quaedam temporanea vel improprie dicta constituunt; de quibus hic aliquid dico.

873. *Vetitum particulare.* Accidit quando a Parocho vel Episcopo (sive propter impedimenti denuntiationem aut suspectum non inanem, sive propter metum ne ex illis nuptiis gravia mala exoritura sint) matrimonium ad tempus suspenditur.

874. *Ignorantia catechismi* quoad prima rudimenta omnino necessaria. Quod praedictum vetitum et haec ignorantia catechismi non constituant impedimentum veri nominis; notavit etiam Benedictus XIV (De Syn. VIII. xiv. 5) inquiens: « Non « solum in Episcopo, sed etiam in Parocho facultatem agnoscunt « (Theologi) impediendi ad tempus matrimonium ex aliqua ra- « tionabili causa, puta ad sedandum scandalum, vel ad dete- « gendam alicuius obiecti impedimenti veritatem; nec tamen « inde confici authumant verum et proprium impedimentum, eo- « rum auctoritate, matrimonio apponi; siquidem illa prohibitio « temporaria est, atque, ablato scandalo et detecta falsitate ob- « iecti obstaculi, sine ulla dispensatione cessat et extinguitur. « Idem autem contingit in re nostra (*scilicet quoad ignoran- « tiam catechismi*); Episcopus enim ignorantibus Christianae « Religionis instituta et praecepta, matrimonium interdicit so- « lum ad tempus, donec scilicet illa addiscant ». Aliqui docuerunt nullam extare Ecclesiae legem quae Catechismi scientiam in sponsis exigat; sed perperam omnino. Rituale dicit: « Uter- « que sciat rudimenta Fidei ». Et S. C. C. decrevit, non esse a Parochis matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererint in Christianae Religionis rudimentis sufficienter instructos. Et hoc decretum a Clemente XI et a Bened. XIV. pontificia auctoritate confirmatum fuit, ut videre est De Syn. (l. c. 3). Circa hoc examen duo notanda sunt: 1° Accedente puella, curandum ut eius mater aut soror praesens sit, aut saltem cubiculi ianua aperta servetur. 2° Discretione opus

est. Videndum imprimis an persona examen bono animo acceptura sit; et tunc exigatur ut mysteria principalia Fidei, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicalem, Sacramenta, et praecepta decalogi atque Ecclesiae recitet; speciatim si agatur de sponsa (filios enim in christiana doctrina instruere ad matres praecipue spectat). Sunt qui adeo hebetis sunt ingenii, et exilis memoriae, ut (v. g., Symbolum Apostolicum) nunquam didicere potuerint; neque desunt foeminae quae verecundantur et confunduntur. Cum his (quamvis bono animo, ut dixi, examen subeant) severitas adhiberi non debet. Si autem agatur de iis qui (attenta eorum conditione, aut exigua, ut ita dicam, religione, prout hodie maxime in civitatibus et quoad viros facile accidit, non libenter examen subituri sint; prudentia exigit ut Parochus examen circa formulas magna ex parte vel etiam ex toto (et forte etiam quaslibet alias interrogationes) praetermittat. Attamen cum omnibus (aut fere omnibus) methodum servabit enunciandi paucis verbis (et quasi ad modum reducentis in memoriam) principales Fidei veritates, nempe (ut ait Benedictus XIV. De Syn. l. c. 6): « Unum esse « Deum omnium rerum auctorem, qui accedentes ad se vita « aeterna remuneret, improbos et rebelles aeternis suppliciis in « alio saeculo puniat. Deinde hunc ipsum Deum esse Patrem et « Filium et Spiritum Sanctum, tres quidem personas, sed Unum « Deum verum. Praeterea Filium Dei, propter reparandam sa« lutem hominum, factum hominem ex Virgine Maria, pro nobis « passum et mortuum ac tandem resurrexisse et regnare in ae« ternum: hunc esse Iesum Christum Dominum et Salvatorem « nostrum. Postremo neminem posse esse salvum, nisi credat « in Iesum Christum, et poenitens de peccatis commissis, Sa« cramenta ipsius suscipiat; Baptismatis quidem si infidelis est; « Confessionis autem si lapsus post Baptismum; ac denique « statuat ea servare, quae Deus (*in Decalogo*) et Ecclesia « Sancta (*in suis mandatis*) praecipiunt; quorum summa est « ut Deum diligat super omnia, et proximum sicut seipsum ». Necesse est etiam ut Parochus de Sacramento Matrimonii, de dispositionibus ad illud requisitis (maxime inculcando, si opus sit, ut, confessione praemissa, mane cum consuetis solemnitatibus celebretur), et de oneribus novi status sponsos instruat (Cf. Berengo n. 124. 125). Cum iis tamen, qui prorsus sunt increduli et solum ut sponsam non contristent se praesentant, Parochus ea quae in derisum impie verterentur aut inutiles

quaestiones provocarent, prudenter reticebit, et potius illa a quibus aliquem fructum sperare poterit, enixe inculcabit.

875. *Consensus.* Parochus interrogare debet sponsum (vel sponsam) utrum libere, et secluso quovis metu, matrimonio consentiat. An parentes quoque ex utraque parte contenti sint. An aliquod sive ex sponsalibus sive aliunde impedimentum adsit. Rit. Rom. et Bened. XIV Encycl. *Nimiam.* Denique an omnia sint disposita, ut actus civilis quoque locum habeat; secus enim (iuxta instructionem S. Poenitentiariae 15 Ian. 1866) Parochus ad publicationes procedere nequiret sine licentia Episcopi, qui (ut dicit eadem instructio) non posset esse facilis ad annuendum, imo in gravioribus casibus S. Sedem interpellare deberet. — S. Poenitentiaria dicit etiam quod sponsi actum civilem « antequam Matrimonium coram Ecclesia celebraverint, « peragere nequaquam debent. Et si qua coactio aut absoluta « necessitas, quae facile admittenda non est, eiusmodi ordinis « invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit, ut « matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque « interim contrahentes seiuncti consistant ». — Scavini (III. 388) dicit quod, si forte semifatuus matrimonium contrahere vellet, tunc quoque Parochus Episcopum consulere deberet.

Notandum quod temporum iniquitas est talis ac tanta, ut interdum, quamvis sponsus personaliter non comparuerit (et proinde etiam de doctrina christiana nihil praestiterit), sed solum ope tertiae personae (v. g.: matris suae) consensum significaverit; Parochus (informatione capta speciatim circa matrimonium civile, ut modo dicebam) patientiam adhibere et litteras testimoniales nihilominus (quoad simplicem consensum) concedere poterit. Intellige, si Parochus pro personali sponsi accessu prudenter insistere nequeat; tunc enim lex de hoc accessu exigendo epicheiam subit. Utique non erit expectandum ut huius furfuris homines bonam educationem filiis praestent; sed vae si Parochi quotquot malam educationem filiis praebebunt a matrimonio excludere cogerentur!

876. *Fides status liberi, seu facultas publicationes faciendi.* Antequam matrimonium publicetur, exigitur, quamvis sponsi essent ambo dioecesani (nisi lex in desuetudinem abierit), fides status liberi conficienda in Curia Episcopali, ad quam proinde (vel ad Vicarium Foraneum, si pro examine testium fuerit delegatus) duo testes pro sponso et totidem pro sponsa mitti debent. Si hi testes non sint Cancellario Episcopali (aut Vicario For.) cogniti, exigitur ut Parochus per litteras de eorum ido-

neitate illum tutum reddat. Erunt autem idonei si ex una parte sint fide digni, et ex alia personam (de cuius immunitate ab impedimentis testari debent cum iuramento) cognoverint iam inde ab eius pubertate, eique adeo prope habitaverint aut quomodolibet semper in tali relatione fuerint, ut, si in vulgus notitia aut rumor de aliquo contracto impedimento irrepsisset, ipsos non latuisset. In hunc finem acceptantur (imo praeferuntur) personae de eadem sponsorum familia (v. g., fratres, genitores etc.), neque excluduntur foeminae. Duo testes pro ambobus sponsis sufficerent, si illos ambos ut supra cognovissent, non vero secus; et in hoc practice multum alicubi delinquitur; imo interdum acceptantur testes, qui nec sponsum nec sponsam unquam cognoverunt nihilque de ipsis scire possunt, et nihilominus iuramentum eis datur!! — Quoad viduos, exigitur etiam fides authentica et legaliter recognoscibilis de morte coniugis, et circa hoc vide dicta n. 834. — Si, habita fide status liberi a Curia Episcopali, matrimonium ad tres menses procrastinaretur, ordinarie nova fides exigeretur, nisi Episcopus hanc non esse necessariam existimaret. — Pro matrimoniis in articulo mortis contrahendis fides status liberi non exigitur. Attamen, si coniux forte convalesceret, matrimonio uti non posset, nisi prius omnia supradicta praestita fuerint.

877. Sed quid si unus ex sponsis esset diversae dioecesis? R. Tunc fides status liberi perficienda est in ambabus Curiis, neque publicationes fieri possunt antequam Curiae eamdem fidem sibi invicem communicaverint; idque servandum est quamvis Dioeceses vicinae, aut Paroeciae sponsorum in duarum Dioecesum confiniis essent.

878. Quid si sponsi non semper fuerint dioecesani? R. Si ante pubertatem in dioecesim venerint et in ipsa semper commorati fuerint, tunc ut simpliciter dioecesani considerantur; si vero post pubertatem in aliis dioecesibus degerint, tunc (stando in terminis iuris) fides status liberi a respectivis Curiis exigitur; idque quamvis a decem annis et ultra intra Dioecesim venerint, aut etiam coniugati, et postea, mortua uxore, aliam ducere velint; et, si vagi fuissent, habita fide status liberi a Dioecesi originis et a locis ubi diutius moram duxerint, iuramentum suppletorium sponsis ipsis dari deberet. Dixi: *stando in terminis iuris*; passim enim leges istae magna ex parte in desuetudinem abierunt, et quando in Dioecesi (eo quod, v. g., sponsi proprias familias secum habeant) reperiantur qui de statu libero iam inde ab adolescentia testari possint; id satis

esse censetur. Cf. Berengo (n. 128. et App. IX.) et D'Annibali (III. 345. not. 14). Certe saepe expedit ut Episcopi in huiusmodi dispensent.

879. *Excommunicatio* impedit ne quis licite Sacramenta (et proinde etiam Matrimonium) recipiat. — Quum de excommunicatione hucusque nihil dictum fuerit, hic paullisper sistendum, et notanda sunt sequentia. I° Ut excommunicatio locum habeat, oportet ut delictum commissum comprehendatur clare in lege quae censuram (nempe excommunicationem ipsam) statuit; in dubio enim leges poenales stricte interpretari debent. Excipe censuram canonis (scilicet contra percussores clericorum), quae magis ut favorabilis (erga statum ecclesiasticum), quam ut poenalis, consideratur. — II° Nisi lex actum quoque imperfectum expresse feriat, oportet ut delictum sit in suo genere consummatum; unde qui, consummatione non adhuc secuta, poeniteret, censuram contrahere nequiret. — III° Oportet etiam ut delictum certe commissum fuerit cum omnibus illis circumstantiis, quae exiguntur ut censura contrahatur, et nemo in dubio an tale crimen commiserit, tenetur se tamquam excommunicatum considerare; non enim est aequum ut pro delicto incerto poena certa infligatur. — IV° Ignorantia (sive circa delictum sive circa poenam adnexam) excusat a censuris, dummodo non fuerit crassa et supina aut affectata (cf. supra n. 838); sed notandum quod si lex dicat *scienter* vel *consulto*, tunc quaevis ignorantia (etiam affectata) excusat: at vero si lex diceret solum *temere* vel *praesumptuose*, tunc ignorantia quidem crassa et supina, non autem affectata (quandoquidem ista temeritate et praesumptione non caret) excusaret. Qui actu delicti ad censuram non advertit, illam non incurrit; inadvertentia enim et oblivio, aeque ac ignorantia, efficit ut contumacia contra Ecclesiam (quae ad censuram incurrendam semper exigitur) adesse nequeat (D'Annib. Commentar. 7. not. 25. et Salmant. XVIII. IV. 10). — V° Etiam metus gravis excusat a censuris de regula ordinaria: metus enim, quamvis forte a culpa non excuset, illam tamen valde diminuit et quadam indulgentia dignam reddit. Excipe nisi lex feriat crimen, quod ordinarie sub influxu talis metus perpetretur; aut nisi agatur de crimine quod, non obstante tali metu, gravissimum remaneat, prout esset, v. g. occisio Episcopi. D'Annibali (l. c. 8) censet quod metus non adeo gravis (ut puta si quis ex mandato sui superioris delinqueret) excusare potest a censura, si de rebus non gravioribus agatur, v. g., si Religiosus laico

Viaticum ministraret. — VI° Impuberes a censuris eximuntur; nisi in lege expresse comprehendantur. S. Lig. (VII. 14). Idem dic de Regibus, ut iure notat Bonac. (De Cens. ext. B. Coenae II. II. VI. 7). — VII° Quomodo intelligenda est censura quae feriat mandantes, consulentes, auxilium aut favorem praebentes, ratum habentes et adhaerentes? R. *Mandans* est qui iubet aut rogat ut alter vice sua delictum exequatur *. *Consulens* est qui persuadet et impellit alium (per se non paratum) ut delictum committat, sed non vice sua. *Auxilium ferens* est qui facto suo, sive necessario sive utili, alteri iam parato opem praestat, ut delictum exequatur. *Favorem praebens* est qui (etiam seclusо auxilio aut consilio) aliis modis, v. g., suffragium dando, commendationem praebendo, praesentia et auctoritate propria adiuvando, instructiones suppeditando, et tandem non impediendo (dum ex officio impedire deberet) ad delictum concurrit. Non est necesse ut auxilium aut favor praestetur *propter delictum* censura punitum (nempe ex animo ipsi propenso), bene vero oportet ut praestetur *in delicto*, seu delictum ipsum respiciat atque ad illud proxime et stricte atque cum peccato mortali concurrat. Imo ad decernendum an talis vel talis favor censura plectatur, observandae sunt circumstantiae; si enim censura, iis attentis, v. g., propter nimiam extensionem, non esset in aedificationem sed in destructionem, tunc non subsisteret. Vide Lugo (De Fide XXV. 13. 17), et declarationem infra adducendam D. N. Leonis XIII circa illos qui Protestantibus auxilium aut favorem praestant. Denique ut causae istae (nempe mandatum, consilium, auxilium et favor) censurae subiiciantur, oportet quod delictum principale reapse acciderit, nisi lex (prout in casu duelli) aliud disposuerit. *Ratum habens* est qui approbat delictum nomine suo (N. B.) perpetratum Denique *adhaerens*, est qui, delicto (v. g., rebellione) nondum perpetrato, palam facit se exoptare et approbare ut executioni demandetur. Attamen Filliuccius (XVI. IV. 69) exigit insuper ut paratus sit ad concurrendum. — VIII° Censurae latae sententiae per legem Ecclesiae generalem hodie sunt dumtaxat quae indicantur in Const. *Apostolicae Sedis*, (quae anno 1869 edita fuit). Addendae tamen sunt (ex Const. ipsa) aliae censurae, quae antea a Concilio Tridentino inflictae (non vero confirmatae dumtaxat) fuerunt; imo et nonnullae aliae quae

* Censura contra *facientes* non extenditur ad mandantes, nisi iuxta sensum communem mandans pro faciente haberetur, v. g., si censura plecteret vendentes, alienantes etc., et quis mandaret ut alius suo nomine venderet, alienaret etc.

post dictam Constitutionem fuerunt emanatae. — IX° Praescindendo nunc a suspensionibus et interdictis et loquendo solum de excommunicationibus; hae distinguuntur inter reservatas et non reservatas; et notandum quod reservatio, quando (ut in casu nostro) apponitur a lege ecclesiastica aliquid prohibente simulque (cum censura aut etiam sine censura) reservationem superaddente: bene sustineri potest quod tunc ipsa reservatio adiiciatur vel superaddatur ad modum poenae, quodque proinde, si quis illam ignoret (quamvis forte excommunicationem adesse sciat) reservationem non incurrat. Ita reapse sentiunt multi gravesque Auctores. Cf. Vindicias Alphonsianas (II. v. q. XII. 3), Gury (II. 571), et Pichler (IV. VII. 6). — X° Excommunicationes reservationi subiectae diversimode reservantur; nonnullae enim reservantur Summo Pontifici *speciali modo*; quatenus nempe in generali facultate absolvendi a casibus et censuris papalibus comprehensae non censentur, et speciali mentione indigent *. Aliae Summo Pontifici reservantur simpliciter. Aliae demum per legem generalem aut Dioecesanam Episcopo (seu Ordinario) reservantur. — XI° Excommunicationes Pontifici reservatae, *si sint occultae*, absolvi possunt (ex Cap. *Liceat* confirmato a Const. *Apostolicae Sedis*) ab Episcopis, seu Ordinariis, exceptis tamen et solum illis quae speciali modo Pontifici reservantur; unde istae (quamvis occultae) ab Episcopis absolvi nequeunt. Ut Ordinarius absolvere possit, non obstat si res sciatur ab aliquibus, aut sub dubio (ita ut tergiversationibus celari possit), aut materialiter dumtaxat; quatenus nempe populus sciat quidem delictum commissum fuisse, sed censuram (quae tunc vere et formaliter occulta esset) ignoret; et tandem non obstat si censura post Tridentinum aut post Bullam *Apostolicae Sedis* lata fuerit. Episcopus potest hanc absolutionem etiam extra Sacramentum (attamen solum pro foro conscientiae) concedere, illamque delegare huic vel illi Sacerdoti particulari etiam habitualiter, sed non omnibus, aut multis in globo. Cf. S. Lig. (VII. 79 80), et D'Annibali (222 et seqq.). Quoad Praelatos regulares vide dicta (n. 683. II°). — XII° In articulo seu periculo (existimato proximo) mortis (quale esset etiam imminente praelio, periculosa navigatione etc.), cessat omnis re-

* Si detur haec facultas absolvendi a casibus speciali modo reservatis, hodie casus haeresis exclusus non censetur, sicut olim; bene vero casus tam Sacerdotis qui complicem in peccato turpi absolverit, quam cuiuslibet personae quae de sollicitatione Sacerdotem innocentem accusaverit, exclusi censentur. Cf. Scavini (III. 488) et D' Annibali (Commentar. n. 224).

servatio. Vide dicta (n. 762. P), ubi, postquam asseruerim exigendam esse, si res sit de excommunicatione speciali modo reservata (Cf. D'Annibali 218) promissionem (Cf. S. Lig. VII. 92) adeundi Superiorem (si infirmus convaluerit) et standi eiusdem mandatis, addidi *sub poena reincidentiae in censuram;* sed nunc, considerans quod Const. *Apostolicae Sedis* confirmat praedictam obligationem quin reincidentiae poenam adiiciat, de hac ipsa reincidentia valde dubito. — XIII° Quid extra mortis articulum de impeditis quominus Romam se conferant? In Cap. *Nuper* (29 De Sent. Excomm.) legitur: « Si difficile sit ex « aliqua iusta causa, quod ad ipsum excommunicatorem absol- « vendus accedat, concedimus indulgendo ut (praestita iuxta « formam Ecclesiae cautione quod excommunicatoris mandato « parebit) a suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote ». Haec facultas, etiam post Const *Apostolicae Sedis*, certe subsistit (Cf. Comment. Pat. n. 218, et D' Annib. n. 218. 225). Iustam excusationis causam habere possunt speciatim pauperes, valetudinarii, senes et personae non sui iuris. Dixi *habere possunt;* hodie enim (ut observant Commentatores Rom.) itinera etiam longa pro multis valde faciliora reddita sunt. Caeterum, si crimen non sit notorium, et si, deficientibus aliis causis aut praetextibus verisimilibus Romam adeundi, periculum infamiae aut gravium suspectuum ex tali itinere suboriturum esset, tunc quisquis excusaretur. Mulieres, iuris beneficio, a reservationibus papalibus eximuntur; sed haec exemptio ad casus, in quibus expresse in lege comprehenduntur, caeteris paribus, non extenditur. Et idem dic si lex nullam personam exclusam esse decernat, prout accidit pro casu accusantis de sollicitatione Sacerdotem innocentem, qui casus censurae quidem non subiicitur, sed specialissimo modo Pontifici reservatur. Recentiores Theologi dicunt quod si poenitens non posset Romam se conferre intra sex menses, posset tamen postea; haec non esset causa sufficiens absolutionem ei concedendi (eo quod sola ratio remanendi per sex menses in peccato mortali, in excommunicatione, et in periculo damnationis, non valeat), nisi forte aliae circumstantiae superaddantur, v. g., si poenitens absque scandalo vel infamia Eucharistiae susceptionem omittere nequiret; quo casu concedunt absolutionem quidem ei conferri posse, sed indirecte. At vero haec doctrina (quamvis hodie communissima) in iure nullum fundamentum habet. Iura dicunt: « Si difficile sit ex aliqua iusta causa quod ad ipsum « excommunicatorem absolvendus accedat etc. »: sed de prae-

dictis sex mensibus ( ego enim textus omnes huc spectantes inquisivi et consideravi ) nihil dicunt. Equidem si poenitens post paucos dies Romam se conferre posset, certe non esset absolvendus ; sed, hoc casu excluso, facultatem decernendi an iustum impedimentum subsistat necne relinquendam esse viro prudenti, dicerem cum aliis Theologis et Canonistis. Isti, sublata distinctione absolutionis directae et indirectae, dicunt, poenitentem gratiam Dei exoptantem, et impeditum quominus Romam se conferat, *directe* absolvi posse, quin de praedictis sex mensibus ullam mentionem faciant, ut videre est apud Lugo ( XX. 218 ) et Laymann ( De Excomm. VI 4 ) ; imo id concedunt etiam pro diversis casibus in quibus communicandi necessitas intervenit. Bonacina ( De Censur. XXII. III. 23 ) scripsit : « Pro« babile est, excommunicatum necessitatem habentem cele« brandi seu communicandi, posse *ab excommunicatione* absolvi « antequam celebret.. In hoc enim casu admitti potest epikeia ». Et Sporer ( Theol. Sacr. n. 756 ) subiunxit : « Marchantius « noster.... docet eo casu necessitatis Confessarium inferiorem « *etiam directe* absolvere posse a reservatis... Approbat Diana... « Nec mihi displicet ». Idem sensit Dicastillus cum aliis ; et novissime Bertagna ( De casuum reserv. II. IV ) dicit quod sententiam istam « graves Doctores docent ». Omnes tamen fatentur, poenitentem promittere debere se aditurum esse superiorem quamprimum cessante impedimento, prout iura semper requirunt ( attamen hodie pro solo casu excommunicationis speciali modo reservatae, ut supra dicebam ), idque non iam ut iterum absolvatur, sed ut Superioris monita audiat, eiusque mandata humiliter recipiat. Multi merito notant, hoc onus non esse imponendum si, propter magnam ab Urbe distantiam, lex de comparendo coram Pontifice praescriptionem subierit, aut si qualibet de causa impedimentum censeri debeat perpetuum. Plures addunt considerari debere perpetuum si ultra quinquennium esset duraturum : sed iura de hoc quinquennio nihil habent. — Qui personaliter Romam se conferre nequit censetur impeditus, quamvis per epistolam vel procuratorem Pontificem adire posset ; obligatio enim est comparendi personaliter, non vero alio modo ( Cf. Scavini I. 830 ). Excipe nisi lex feriat personas, quae nonnisi per epistolam absolutionem petere possint ( ut in casu Monialium ), ut scite observat Bertagna ( l. c. ). Quid si in loco adessent Sacerdotes habentes facultatem absolvendi a casibus papalibus? R. Poenitens non tenetur illos neque adire neque inquirere ; iura enim dicunt quod impeditus ire

Romam a suo absolvatur Episcopo vel proprio Sacerdote; nec ullam imponunt obligationem alios adeundi. — Sed quomodo intelligi debent ista capitis *Nuper* verba: *a suo absolvatur Episcopo vel proprio Sacerdote?* Doctrina communis tenet, proprium Sacerdotem (nempe *hodie* quemlibet confessarium) tunc solum absolutionem concedere posse, quum poenitens Episcopum adire nequit. Sed Palaus, et Passerinus aliique non pauci censent, quod Confessarii absolvere valeant impeditos, quamvis Episcopum commode adire possent: et haec sententia certe est iuri valde conformior: ut patet etiam ex Cap. *Eos qui* De Sent Excomm. in 6° (ubi dicitur absolute: *ab alio absolvuntur*), imo ex eodem Cap. *Nuper*, quod agens, paucis lineis antea, de eo qui incidit in Excommunicationem nemini reservatam, eâdem adamussim phrasi utitur et dicit: « A suo Episcopo vel a « proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere ». Cf. Bertagna (C. IV). Caeterum in praxi, si forte quoad impedimenti sufficientiam dubia remaneant, aut si onus comparendi coram Pontifice supersit, melius erit ut a S. Poenitentiaria facultas opportuna petatur. — Nunc de excommunicationibus particularibus aliquid dicendum est.

880. Excommunicationi speciali modo rom. pont. reservatae subiiciuntur sequentes.

I. *Omnes a christiana fide apostatae, ac omnes ac singuli haeretici, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes; eorumque receptores, fautores, ac generaliter quilibet illorum defensores.* Apostata est qui totaliter nomini christiano renuntiat, quales sunt moderni Athei, Deistae, Materialistae, Indifferentistae, et quotquot dicuntur *liberi cogitatores*. Haereticus est qui, retento nomine christiano, in parte dumtaxat a fide deficit. Non est necesse ut articuli in quibus haereticus deficit fuerint definiti ab aliquo Concilio, vel Pontifice; sed sufficit quod ab omnibus catholicis credantur esse de fide absque ulla controversia, quatenus clare sive in S. Scriptura sive in Traditione contineantur. (Cf. Lugo De Fide XX. 66). Ad haereticum constituendum sufficit quod dubitet; iuxta adagium: « Dubius in fide infidelis est ». Ad pertinaciam (quae ad haeresim exigitur) constituendam non oportet ut quis tractu temporis obstinate in suo errore permanserit; sed sufficit si perspiciens suam sententiam esse contra fidem, nihilominus illam tenuerit atque expresserit, quamvis statim poenituerit, et quamvis nemo illum audierit. Uno verbo sub nomine Apostatae et Haeretici quilibet a fide devius intel-

ligitur. Hinc prima fronte plurimi in hanc censuram incurrere, et nostrae civitates excommunicatis plenae esse viderentur: sed non est ita; oportet enim 1° ut qui a fide aberrat, prius persuasus fuerit gravem adesse obligationem credendi illa quae nunc non credit; si enim quis, etiam ex propria culpa et negligentia gravi, talem obligationem nunquam didicisset, apostata vel haereticus formalis esse nequiret. Lugo (l. c. 171). Oportet 2° ut recessus a fide non ex mero intellectus errore provenerit, sed exigitur ut talis error a passionibus seu prava voluntate ita provocatus fuerit, ut a mortali peccato excusari nequeat. Oportet 3° ut error fuerit exterius expressus, et quidem talibus verbis aut factis, ut quis tamquam haereticus existimari debeat; secus enim non haereticus externus, sed ad summum suspectus de haeresi esset: et Ecclesia non iudicat de internis. Oportet 4° ut haeresim proferens excommunicationem incurrere sciat atque advertat. — Quoad credentes haereticis et fautores haereticorum, pro praxi sufficit observare declarationem datam per Card. Vicarium a D. N. Leone XIII die 12 Iul. 1878, iuxta quam excommunicationi subiiciuntur 1° Qui etiam ex solo respectu humano Sectae Haereticae nomen dant; 2° Qui Haereticorum functionibus participant (intellige *formaliter*, vel saltem stricte in divinis, v. g., participando *coenae*. Cf. *Monitore Eccl* II. u. pag. 107), aut praedicantes audiunt cum animo eis credendi, si (ut aiunt) persuasi reddantur; 3° Qui ad conferentias haereticorum alios ducunt; 4° Qui invitationes ad ipsas conferentias earumque themata typis publicant. Non vero (etsi peccent) excommunicationem incurrunt qui ex mera curiositate easdem conferentias audiunt aut eorum functionibus assistunt; item qui ex solo fine lucri in eorum templis cantant aut sonant; et qui eorum templa fabricant vel ornant; demum qui ipsorum scholas adeunt aut filios ad easdem mittunt.

II. *Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes; nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomod libet defendentes.* Circa hanc censuram vide explicationes in Tract. De Occasionariis (n. 202-221).

III. *Schismatici, et ii qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.*

IV. ..... *Ad universale futurum Concilium appellantes* .....

V. *Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes Cardinales,*

*Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris seu Dominiis eiicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.*

VI. *Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et* (scilicet *vel: ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.* Iurisdictio consistit in potestate legislativa, iudiciaria, et administrativa. *Legislativa*, cui leges vel decreta condere, censuras adiicere, et dispensationes concedere; *iudiciaria*, cui sententias proferre et executioni demandare vel a censuris et peccatis absolvere: *administrativa*, cui beneficia et officia distribuere, delegare, Dioecesim visitare etc., spectat. Impedientes hanc iurisdictionem, sive quoad Summum Pontificem, sive quoad Congregationes et tribunalia Romana, sive quoad Episcopos, contrahunt praesentem excommunicationem, effectu secuto: idque sive per se (v. g., coactione, minis etc.), sive ope fori (nempe tribunalis) saecularis (recurrendo v. g., prout aiunt, *propter abusum*) iurisdictionis exercitium impediant.

VII (pars prima). *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones.* Haec censura (ut explicat Commentar. Patavin.) ferit illos qui contra virum ecclesiasticum iudici laico talia deferunt, ut iudex ad normam legis eum non tamquam testem sed tamquam reum aut debitorem ad suum tribunal trahere cogatur. Non itaque iudices sed accusatores excommunicatione ista plectuntur; idque intellige si accusator contra privilegium fori (adhuc in loco vigentis) vere delinquat: non vero si quis (tribunalibus ecclesiasticis frustra requisitis, aut manifeste iam non amplius deservientibus) coram iudice laico clericum debitorem, aut publice facinorosum conveniret. D'Annib. (Comment. n. 65).

VII (pars secunda). *Edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.* Huiusmodi edentes sunt etiam qui suis suffragiis (sive tamquam deputati, sive tamquam senatores, sive tamquam consiliarii municipales) ad tales leges vel decreta concurrunt. Decreta tamen debent esse generalia, non vero restricta ad casum particularem. Censura itaque locum habet in legibus quae intercipiunt, restringunt vel perturbant, v. g.,

ius docendi, promovendi ad Ordines, publicas supplicationes extra templa vel noctu obeundi, templa, beneficia. Ordines Religiosos et pia sodalitia excitandi et conservandi, beneficia conferendi sine *regio placet*, acquirendi et possidendi bona temporalia, administrandi bona locorum piorum etc. Notandum quod Pius IX (Alloc. 25 Iul. 1873) agens de lege respiciente suppressionem familiarum Religiosarum atque earundem bonorum venditionem, dixit: « Compellimur... elata voce nunciare « iis omnibus qui praedictam iniquissimam legem *proponere*, « *probare*, *sancire* non extimuerunt, nec non *mandantibus*, « *fautoribus*, *consultoribus*, *adhaerentibus*, *executoribus*, bono- « rumque ecclesiasticorum emptoribus, maiori excommunicatio- « ne... iuxta S. Canones... et generalium conciliorum, Tridentini « praesertim, decreta obstringi ».

VIII. *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.* Huc veniunt illi etiam qui recurrunt ad laicam potestatem, ut aliquis *regium placet* non obtineat.

IX. *Omnes falsarii litterarum Apostolicarum.....*

X. *Absolventes complicem in peccato turpi....* Haec censura alibi declarabitur.

XI. *Usurpantes vel sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas Ecclesiasticas rationem suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.* Haec excommunicatio 1° respicit usurpationem bonorum beneficialium (etiam iuris patronatus laicalis), aut capellaniarum *collativarum* (sunt enim vera beneficia. Bonac. I. XVIII. II. 25), aut spectantium ad Canonicos in globo (haec enim pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum); sed huc non spectant alia bona ecclesiastica, etsi forte a Beneficiatis administrarentur, v. g., ad dotandas puellas, ad templa reparanda etc. (haec enim non pertinent *ad personas ecclesiasticas*). 2° Non respicit (secus ac olim in Bulla *Coenae*) bona monasteriorum. Idem dic de beneficiis vacantibus; secus enim quomodo ablatio accideret contra personas ratione *suorum* beneficiorum? Ita aliqui (contra plures) apud Bonacinam (l. c. 31) et D'Annibali (n. 85. not. 8). 3° Ferit usurpatores stricte sumptos, eos nempe qui primitus dicta bona auferunt; idque per iniuriam quidem, sed ita ut non fures sed dominos se (saltem externe) authument, quasi ius suum pro-

sequerentur. Imo (ut observat De Luca *Annot.* ad Conc Trid. D 23) haec censura non respicit usurpationes privatas, contra quas mediis legalibus Ecclesia se tueri potest (ut puta, si quis praetenderet se decimas solvere non debere, aut in confiniis terram Ecclesiae usurparet etc.), sed auctoritativas et potentiales usurpationes percutit, contra quas extremum dumtaxat censurarum medium deservire possit. 4° Ferit etiam sequestrantes, eos nempe qui auctoritate publica auferunt dicta bona a legitimis possessoribus, quamvis non pro se, sed pro usurpatoribus sequestrum exequantur. Bonac. (l. c. III. 7-18). — Caeterum qui praesentem censuram effugiunt, facile incidunt in alias, de quibus infra.

XII. *Invadentes, destruentes, detinentes per se vel alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in iis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.* Haec censura ferit omnes concurrentes ad invasionem dominii temporalis Romani Pontificis, vel ad rebelliones contra illud. Extenditur etiam ad favorem praebentes (imo Pius IX, Const. *Respicientes* 1. Nov. 1870, adiecit etiam *adhaerentes*); sed tam circa istos quam circa alios, oportet ut participatio gravitatem etiam externam praeseferat; unde concursus ipsius gravitas, efficacia, diuturnitas, maxime vero quo animo praestitus fuerit, considerari debet. Cives plurimi ex metu et ignorantia suffragium dederunt; milites plurimi non voluntarie sed coacte invasionis participes fuerunt; plurimi denique momentaneo aestu adhaeserunt, aut ex respectu humano aut ex aliquo metu nonnulla signa laetitiae seu adhaesionis adhibuerunt. Isti omnes excommunicationem non incurrerunt. Cf. Del Vecchio (I. 588). — Haec censura ferit etiam retinentes iurisdictionem, nempe imperium et regimen, non solum absolute supremum sed etiam in civitatibus, terris, locis etc. Retinentes intelliguntur quoque ii qui usurpationem non perpetraverint, sed usurpata haereditaverint. Oportet tamen ut haec retentio sit graviter culpabilis; si enim quis iurisdictionem quidem retineret, sed ex una parte restitutionem in favorem Pontificis exequi nequiret, et ex alia dispositus esset non solum ad procurandum bonum societatis, sed etiam ad tuenda iura Pontificis quantum poterit, ita ut complicitas formalis evanescat, et Pontifex ipse optare debeat ut talis persona in officio permaneat; tunc excommunicatio adesse nequiret: idque multo magis si ambiguum esset an tale

vel tale officium (prout speciatim contingit in officio Deputati aut Senatoris) supremae iurisdictionis exercitium vere implicet. Sic sentiunt Ballerini (972 not. *d*) et D' Annibali (Commentar. 91. not. 6). Vide etiam Appendices ad Commentar. Avanzinii, et *Monitore Eccl.* (II. 1. pag. 153, et I. pag. 208).

XIII. (Ex Const. Romanus Pontifex edita ann. 1873). *Canonici qui, remoto Vicario Capitulari, curam, regimen et administrationem Dioecesis vacantis concedere et transferre praesumunt in nominatum ac praesentatum a saeculari potestate ante exhibitionem litterarum Apostolicarum. Nec non ipsi nqmin di et praesentati qui illam suscipere praesumunt. Et demum ii qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, favorem praestiterint, cuiusvis status, praeeminentiae ac dignitatis fuerint.* Excipiuntur Episcopi, qui suspensioni et interdicto subiicerentur.

XIV. (Ex S. Poenit. 4 Aug. 1876 probante Pio IX) *Profitentes, foventes societatem sedicentem catholicam pro vindicatione iurium populi Christiani et imprimis Romani, in electione Summi Pontificis.*

881. Excommunicationi rom. pont. simpliciter reservatae subiiciuntur

I. *Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ad Ap. Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis.* Notentur verba *sub excommunicationis poena latae sententiae;* oportet nempe ut damnatio facta fuerit a Pontifice ex cathedra. Observari potest quod propositionibus damnatis in Syllabo excommunicatio non adiicitur. Videndum tamen semper ne forte agatur de propositione damnata tamquam haeretica, et ne quavis de causa defensio propositionis haeresim includat; tunc enim excommunicatio contra haereticos lata et speciali modo reservata locum haberet. Vide Ballerini ad n. 975.

II. *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos vel utriusque sexus Monachos, exceptis (quoad reservationem) casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat.* Loquendo itaque solum de reservatione papali, oportet ut laesio fuerit vel enormis (v. g., grave vulnus, mutilatio, excaecatio), vel gravis (v. g., magna percussio, et respici debent quoque circumstantiae personae et loci) simulque ab eo qui collegialiter non vivat perpetrata. D' Annibali (n. 101) censet quod hodie (secus ac

olim, impuberes hanc excommunicationem non contrahant; sed si illam (prout ego censeo) contraherent, certe reservationi papali non subiiciuntur, idque quamvis solum post pubertatem absolutionem peterent. — Nomine clerici venit quisquis prima tonsura sit insignitus, quamvis forte excommunicatus vel suspensus; attamen oportet ut vestes clericales non deposuerit si sit in minoribus; secus si esset in sacris, nisi delictis aut artibus ignominiosis se dedisset (Salmant. X. IV. 21). Nomine monachi veniunt etiam moniales, et intelliguntur non solum qui solemnem et veri nominis professionem emiserint, sed etiam qui monasticum habitum induerint tamquam novitii, aut (iuxta Commentar. Patav. contra alios) qui cum habitu religioso pertinent ad pias societates ab Ecclesia recognitas (quamvis non formaliter approbatas) in quibus vota simplicia dumtaxat emittantur. — Ad censuram incurrendam, oportet ut violentia physica circa personam locum habeat; unde si clericus moreretur propter minas, terrores, privationes etc., censura non adesset. Oportet etiam ut violentia sit graviter culpabilis et contra statum clericalem formaliter iniuriosa; unde si accidisset ex ioco, inadvertentia, iusta correctione, iusta defensione, iusta expulsione, vel ex actu primo-primo, vel ex errore (dum clericus pro laico occisus fuerit), censura non subsisteret. Iura excipiunt etiam casum in quo manus violentas quis in clericum cum propria uxore, matre, aut filia (non vero cum aliis) turpiter inventum ipso facto (non vero postea) iniecerit. — Caeterum non exigitur ut laesio corporalis acciderit, sed violentia sufficit; v. g., si quis Clericum violenter detineret, vinculis obstringeret, in carcerem detruderet, sodomitice (intellige semper per vim) cognosceret. Idem dic si quis sputa vel lutum ei in faciem coniiceret; aut violenter vestes ei abscinderet, pileum vel baculum (cum gravi iniuria) auferret etc. Denique nihil refert sive violentia per immediatam manuum iniectionem, sive per aliquod obiectum intermedium acciderit; ut puta, si quis clericum veneno interimeret, telo aut lapide vulneraret, sclopo extenso consistere cogeret vel in fugam coniiceret, aut canem belluamve ferocem contra ipsum incitaret etc. — Olim in hanc excommunicationem incurrebant etiam mandantes; sed Const. *Apostolicae Sedis* illos recensuit quidem in censura lata contra percutientes Episcopos (ut supra vidimus), sed non in ista; unde D'Annibali, Ballerini aliique (contra alios) censent quod mandantes hic non amplius comprehendantur, et rationes quas adducunt convincentes mihi videntur.

III. *Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quilibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.*

IV. *Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos corypheos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.* Si itaque agatur de secta contra Ecclesiam (ut puta, si eius asseclae debeant abstinere a cultu catholico, vel conspirare contra iura, v. g. dominium temporale. Ecclesiae), tunc censura semper aderit; si vero secta respiciat dumtaxat gubernia temporalia, tunc videndum an haec sint legitima, vel an gubernia omnia tam illegitima quam legitima (prout accidit in internationalismo) pro obiecto habeant. — Ut quis censuram incurrat eo quod sectae nomen det, oportet ut sciat qua de re agatur. Sufficit tamen si de fine pravo a secta intento graviter suspicari debeat (quia, v. g., arcani iuramentum exigatur). — Theologi dicunt, quod inter favorem praestantes recenseri debent etiam qui modo indirecto et praeter intentionem favent vel auxilium praebent, ut puta, si domus sectariis locetur. Attamen semper necessarium erit ut hic favor indirectus gravem reatum constituat iure naturae, secus enim qui etiam panem et vinum eis vendunt excommunicarentur. Vide dicta (n. 256). — Denuntiatio respicit corypheos et duces solum in casu quo sint occulti. Peragi debet intra mensem; et, denuntiatione secuta, censura contracta solum ex illius procrastinatione per se cessat.

V. *Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes.* Haec immunitas in eo sita est ut delinquentes nequeant extrahi a loco sacro, si ad illum confugerint. Quum tamen exigatur ausus temerarius, excusantur milites qui a suis ducibus, et duces qui a suis superioribus ad id coguntur; et proinde in praxi censura ista rarissime locum habebit.

VI. *Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerunt, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo: pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V (Const. Decori) praescri-*

*ptam*. In hac censura et reservatione papali impuberes quoque (uti patet) et foeminae comprehenduntur. Alias explicationes iam dedi supra (n. 676. et 684. IV).

VII. *Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliique eas admittentes.* Intellige si Regulares pertineant ad Ordinem Religiosum veri nominis, iuxta dicta (n. 671); et nisi mulier mortis vitandae causa illuc confugisset. D'Annibali (117).

VIII. *Rei simoniae realis in beneficiis quibuslibet, eorumque complices.*

IX. *Rei simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.*

X. *Rei simoniae realis ob ingressum in Religionem.*

Ad dictam simoniam realem constituendam, oportet ut quis beneficium, vel ipsius collationem, vel electionem seu praesentationem, vel facultatem procedendi ad religiosam vestitionem seu professionem, emerit aut vendiderit, facto consummato ex utraque parte. Quoad simoniam confidentialem vero (de qua vide supra n. 506. q. X) sufficit si pactum initum fuerit.

XI. *Omnes, qui, quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V.* Quam plenum. Haec censura non ferit Episcopos. Oportet ut quaestum non solum attentatum sed obtentum fuerit revera, idque sive ex indulgentiis, sive ex quibusdam aliis gratiis spiritualibus indicatis in praedicta Bulla S. Pii V.; inter quas mentionem merentur gratia pro usu ciborum vetitorum, et absolutio propter simoniam realem in praec. § indicatam.

XII. *Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* Ad hanc censuram incurrendam oportet 1° Ut verificetur collectio, nec sufficeret si quis ab uno vel altero tantum Missas colligeret; 2° Ut collector partem stipendii motivo lucri, non vero alio fine, sibi retineat; 3° Ut eas celebrari faciat non in loco collectionis sed alio, et praecise tali in quo minori stipendio Missae celebrari soleant; 4° Ut lucrum inde perceptum materiam gravem constituat.

XIII. *Omnes qui excommunicatione multantur in Constitutionibus... alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. Ecclesiae respicientibus.* Censuram istam incurrunt moderni conciliatores, dummodo sive personaliter, sive per inter-

nuncios, sive per litteras aut libros, sive per subscriptiones (*indirizzi*), de alienatione totali aut partiali dominii temporalis cum R. Pontifice revera agant, quamvis irrito conatu.

XIV. *Religiosi praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis, aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia* (intellige expressa aut praesumpta). Haec censura non extenditur ad Sacerdotes novitios aut quomodolibet nondum solemniter professos, vel extra claustra ad modum presbyterorum saecularium vitam degentes. Oportet autem ut dicta Sacramenta ministrentur clericis aut laicis; unde si Regularis Viaticum ministraret Monacho (etiam diversi Ordinis et extra monasterium) censuram non incurreret. Quando vero agitur de clericis aut laicis, censura contraheretur quamvis forte intra monasterium degerent, exceptis monasterii ipsius famulis, iuxta dicta (n. 683).

XV. *Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex..... Catacumbis Urbis Romae.....*

XVI. *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso.. . ;* nempe in eo crimine propter quod excommunicatus fuit.

XVII. *Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pont. nominatim excommunicatis.....*

XVIII. *Absolvere praesumentes, etiam quovis praetextu, ab excommunicationibus Rom. Pont. reservatis speciali modo.*

XIX. *Qui (extra casus expositos in censura XI speciali modo reservata) usurpant bona ecclesiastica cuiuslibet speciei, aut usurpata acquirunt, iuxta Decretum Concil. Trid. (XXII. XI) a Const. Apostolicae Sedis confirmatum.*

882. In hoc casu, hodie apud nos adeo practico, paullisper immorandum est; et notari debet imprimis quod ante Decretum Tridentini aderat alia excommunicatio in celebri Const. *Ambitiosae* (in sext. III. Extrav. De Reb. Eccl. non alienand. Cap. unic.), quae sic dicebat: « Ambitiosae cupiditati, illorum prae« cipue qui..... damnatione postposita, *immobilia et pretiosa* « *mobilia* Deo dicata..... profanis usibus applicare, aut cum « maximo illorum ac divini cultus detrimento exquisitis mediis « *usurpare* praesumunt, occurrere cupientes, *omnium rerum*, « *et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum* « *per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hy*« *pothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec* « *non infeudationem vel contractum emphyteuticum*, praeter-

« quam in casibus a iure permissis... ac de bonis quae servando « servari non possunt..... fieri prohibemus.... Si quis autem.... « quidquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, con- « cessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi nullius « omnino sit roboris vel momenti. Et *tam qui alienat, quam « is qui alienatas res..... receperit*, sententiam excommunica- « tionis incurrat ». Haec censura non est reservata, et respicit solum casum, in quo legitimi bonorum ecclesiasticorum administratores bona alienent, sive haec alienatio usurpationem velet, sive etiam absque tali malitia peragatur.

Decretum Tridentini aliter se habet, et contra casum usurpationis severius procedit, excommunicationem Romano Pontifici reservando, et praecipue illam extendendo ad casum in quo legitimi administratores usurpationis ipsius complices non essent. En verba Decreti: « Si quem clericorum vel laicorum, « quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praeful- « geat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupave- « rit, ut alicuius Ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis « beneficii, montium pietatis, aliorumque locorum piorum iu- « risdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphy- « teutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, « quae in Ministrorum et pauperum necessitates converti de- « bent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per « suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque « arte aut quocumque quaesito colore, in proprios usus con- « vertere illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne ab « iis, ad quos de iure pertinent, percipiantur, is anathemati « tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, « fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quo- « modocumque, etiam ex donatione suppositae personae, per- « venerint, Ecclesiae ciusque administratori sive beneficiato « integre restituerit, ac deinde a Rom. Pont. absolutionem « obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiae Patronus fuerit *, etiam « iure patronatus... privatus existat. Clericus vero, qui nefan- « dae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consen- « tiens fuerit, eisdem poenis subiaceat etc. ».

Hoc decretum non tantum ad litteram, quantum iuxta communem interpretationem, maxime vero iuxta authenticas Ecclesiae

* Qui, ut explicat De Luca ( Annot. ad Trid. XXIII ), se ingerat in perceptione fructuum ac administratione bonorum Ecclesiae vel Beneficii, cuius ipse patronus sit.

declarationes intelligi debet. Puncta principalia sunt sequentia.

*a*) Extenditur latissime, nempe 1° ad omnia bona stricto sensu ecclesiastica, quae nempe ab Ecclesia possideri aut administrari debent, qualia sunt bona monasteriorum piarumque confraternitatum auctoritate Episcopi erectarum; nec non Congregationum vota simplicia habentium, si sint ab Ecclesia approbatae (Lucidi II. n. 440); item bona Ecclesiarum fabricis aut sacristiis addicta (*fabbriceria*); montes pietatis, aliaque pia loca Ecclesiae auctoritate erecta, tum quoad bona tum quoad regimen eorum; et beneficia omnia (etiam vacantia); sed recolendum quod usurpantes vel sequestrantes bona beneficiorum non vacantium incidunt non in hanc, sed in aliam excommunicationem, quae est XI[a] inter reservatas speciali modo; ut supra vidimus. 2° Extenditur etiam ad bona non stricte ecclesiastica, qualia sunt dotes Capellaniarum laicalium; hae enim etiam in Ministrorum necessitates converti debent. Cf. D'Annibali (Summula III. 101), Del Vecchio, De Varceno etc. Unde hoc in puncto Decretum Tridentini tum ab excomm. XI. reservata speciali modo, tum a Constit. *Ambitiosae* differt.

*b*) Haec Concilii Tridentini censura ferit imprimis usurpantes, eos nempe qui primitus contra legitimos administratores spolium exequuntur; idque intellige de spolio auctoritativo et potentiali (iuxta explicationem datam n. 880. XI), ut patet etiam ex declaratione C. S. O. (9 Mart. 1870), ubi decernitur, fures heic non comprehendi, et ex Trid. (XXV. XII) circa subtrahentes decimas. Non exigitur ut usurpatores in proprios usus personales eadem bona convertere velint; quando enim verificatur usurpatio auctoritativa; id satis est. Censura ferit mandantes (dicente Decreto *sive per se sive per alios*), intellige tamen si mandatum habeat effectum. Ferit quoque executores (eos nempe qui usurpatorum nomine bona occupant *aut* vendunt), ut patet ex Allocutione Pii IX supra allata (880. VII. Pars secunda), et ex declaratione S. Poenitentiariae (13 Nov. 1863) dicente: « Attentis occupationibus...., quibus « regius Oeconomatus operam suam praestare tenetur, quaeque « absque ecclesiasticarum censurarum incursu fieri nequeunt « etc. ». Ferit etiam legitimos administratores, si forte ad lucrum proprium illegitime et cum pseuda auctoritate alienarent, et sic usurpatores evaderent; si vero usurpationis ab aliis perpetratae complices aut consentientes essent, tunc censuram incurrerent solum si essent Clerici, ut Tridentinum expresse dicit. Ephemeris *il Monitore Eccl.* (I. pag. 207) opportune

notat, talem consensum debere esse efficacem, nec sufficere si Clericus solum post factum consentiret, aut si ab oppositione facienda se abstineret, dum oppositio nihil valeret. Si demum legitimi administratores, *sine ulla usurpationis malitia*, praeter casus in iure expressos ad alienationes procederent, tunc incidérent solum in censuram *Ambitiosae*, quae explicabitur infra.

*c*) Haec censura ferit etiam emptores, illos scilicet qui (sine venia Apostolica) bona nuperrime usurpata (non vero quae olim occasione perturbationis Gallicae a Guberniis usurpata et postea vendita fuerunt: cf. Scavini IV. 219) emunt. C. S. O. (8 Iul. 1874) dixit: « Minime dubitandum, quin ementes bona « ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in Excomm. « Rom. Pont. reservatam * », et declarat tali modo intelligendum esse decretum Tridentini. Patet etiam ex Allocutione Pii IX supra relata. Attamen ut censura propter emptionem incurratur, D' Annibali (88, not. 40) censet oportere semper ut de immobilibus aut mobilibus pretiosis res sit; atque emptor nomine proprio, non vero (per mandatum procurationis) pro aliis emat. Certe nec tenor Decreti Tridentini nec quidquam aliud cogit ut, quoad horum bonorum emptionem, cooperatores (quales sunt etiam tabelliones, testes, advocati. Cf. *Monitore* II. n. pag. 60) in censura comprehendantur. Exigitur etiam ut emptio non solum attentata, sed vere peracta fuerit; unde licitantes, si *adiudicatarii* non remanserint, censuram non incurrunt. S. Poenit. (15 April. 1873).

*d*) Huc usque dicta clara sunt et in viridi observantia. Sed quid de illis ad quos nec per usurpationem praecise nec per emptionem, sed aliis modis (venia Apostolica non obtenta) dicta bona pervenerint? R. Emptores censurae subiiciuntur non ex lege nova, sed ex Decreto Tridentini; quandoquidem tum Allocutio Pii IX tum declaratio C. S. Officii ad illud se referunt. Quum autem Decretum istud de emptoribus explicite non loquatur, reliquum est ut isti comprehendantur in illis generalibus verbis *quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque pervenerint*; unde concludi debet quod, stando in puncto iuris et supposita mala fide, censura Tridentina extenditur ad omnes illos, qui, absque indulto apostolico, bona aut iura usurpata possident, quidquid sit de modo (intellige semper auctoritativo)

* Nempe simpliciter; idque quamvis bona empta ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum spectarent; censura enim speciali modo reservata ferit solum istorum bonorum usurpatores stricte sumptos, non vero emptores, ut supra vidimus.

quo ad eosdem pervenerint. Hinc qui, etiam post primos usurpationis executores, locorum piorum regimen tenent; qui bona ecclesiastica per haereditatem vel legatum acquirunt ab iis qui absque indulto Apostolico ea retinebant (si enim defunctus cum venia Ecclesiae ea possidebat, haeredes et legatarii licite succedunt); qui bona beneficiorum iuris patronatus redimunt ut ea sibi applicent; qui bona emphyteutica (quorum dominium directum penes Ecclesiam sit), vel alia iura Ecclesiae ex indole propria irredimibilia (utendo facultate a lege civili concessa) redimunt; item qui in emphyteusim a Demanio bona ecclesiastica accipiunt etc.; isti omnes censurae Tridentinae subiiciuntur. Dixi *stando in puncto iuris*: si enim, v. g., regimen locorum piorum iam a tempore satis diuturno, absque dependentia ab Ordinariis *, acceptaretur etiam a viris probis et catholicis, neque Ecclesia ullo modo reclamaret, tunc videri posset quod censura evanuerit, et quod proinde, nisi ad alienationes ruinosas procedant, urgeri non debeat. Dixi insuper *supposita mala fide;* si enim, v. g., quis bona fide haereditasset bona ecclesiastica empta atque possessa illegitime, censuram non incurreret, nisi quando, cognita obligatione Apostolicam veniam petendi sub poena censurae, illam petere nollet. (*Monit. Eccl.* II III. pag. 30).

*c*) Quid de iis qui bona usurpata conducunt (*prendono in in affitto*)? R. Plerique dicunt, censuram incurri; Tridentinum enim comprehendit etiam usurpationem seu illegitimam occupationem fructuum et reddituum; et si, iuxta Const. *Ambitiosae* (quae nunc quoque viget), excommunicationem incurrunt qui sine beneplacito Apostolico conducunt ultra triennium bona ecclesiastica a legitimis administratoribus eis locata, cur qui eadem bona ab usurpatoribus accipiunt, illam effugient? Equidem quod licentia peti debeat, certum est; et Episcopi solent habere facultatem delegatam (ad annum) concedendi hanc licentiam, pro casu conductionis sive iam peractae sive adhuc peragendae, sub conditionibus supra enunciatis (n. 509. *e*), et, praevia absolutione, quatenus absque venia conductio peracta fuerit. Sed quoad censuram, cl. D'Annibali (Comment. 88. not. 40) aperte supponit illam non adesse. Ratio esse potest quia, usurpatione iam peracta, parum vel nihil damni habet Ecclesia si haec bona iam pene deperdita locentur et condu-

* Sub quibus conditionibus Ordinarii (iure delegato) concedere possint licentiam exercendi huiusmodi officia, iam dixi in Tr. de Occasionariis (n. 276).

cantur; nec clausulae quae apponuntur pro conductione sunt momentosae, sicut quae pro emptione applicantur, in qua conditio quoque non revendendi, imo et piis oneribus satisfaciendi, apponitur; adde quod necessitas accipiendi fundos (non solum urbanos sed etiam rusticos) ad locationem est frequentissima, unde necesse est omnino ut Ecclesia contractibus huiusmodi facillime assentiat, quod in emptione non verificatur; denique censura notissima quidem est quoad emptionem, sed quoad conductionem (quamvis adeo frequentius accidat) vix aliquis de illa cogitat aut dubitat. Haec omnia simul sumpta suadere possunt quod gravissima excommunicationis poena ad conductores (maxime si fundi conducti spectent ad pia loca, quibus intersit ut locationes peragantur) non extendatur; sed sapientioribus decisionem remitto, valde desiderans ut Ecclesia rem hanc authentice declaret.

*f*) Quid si quis, cum intentione petendi quamprimum veniam Apostolicam, emptionem perageret? R. Si graviter dubitandum esset quod Ecclesia requisita non annuisset; tunc certe censura non effugeretur. Si vero credendum esset quod Ecclesia annuisset, simulque impedimentum aliquod satis rationabile tempestivae petitioni aditum praecluderet; tunc in emptione non videretur adesse talis malitia quae excommunicationem mereatur; idque speciatim si praecise propter utilitatem Ecclesiae, et semoto scandalo, emptio perageretur. Confirmatur ex doctrina infra adducenda circa illos qui a legitimis administratoribus bona ecclesiastica acquirunt in casibus urgentibus sine indulto Apostolico, quod caeteroquin (seclusa casus urgentia) exigeretur. — Alii aliter sentiunt; et proinde hic quoque iudicent sapientiores.

883. Excommunicationi episcopo seu ordinario reservatae subiiciuntur

I. *Clerici in Sacris constituti vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis Matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.* Commentatores fere omnes censent, heic agi de matrimonio, quod, si non obstaret impedimentum Ordinis aut voti, validum esset; et proinde actum civilem (quod matrimonii nomen nullo modo meretur, ut alias vidimus) hanc censuram parere non posse. Cf. D'Annibali (n. 149).

II. *Procurantes abortum effectu secuto.* Hac censura plectuntur dumtaxat procurantes, qui scilicet nomine proprio, sive

personaliter sive ope tertiae personae, mulierem (sive minis, sive persuasionibus) inducunt ad abortiendum, aut directe in hunc finem illam percutiunt, terrent etc. Haec censura ad cooperatores seu executores alieno nomine probabiliter non extenditur, et nequidem ad medicos qui rogati pharmacum suppeditant. (Comment. Patavin. 3. Distinctio inter foetum animatum et inanimatum hoc locum non habet: supponitur tamen quod abortus sit talis ut gravem reatum sine ulla controversia implicet, qua de re vide dicta (n. 192). Oportet etiam ut abortus reapse (quo nomine craniotomia non venit) acciderit; et quidem certe, et ex causis ad illum directis, non vero aliis. An foemina quae in se ipsa abortum procuret, iuxta Bullam *Effraenatam* Sixti V, excommunicationem incurreret, olim disceptabatur; sed hodie certe lex non distinguit. Nihilominus interpretes adhuc non conveniunt. Cf. D'Annibali (l. c. 153).

III. *Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini in ea re cooperantes.* (Cf. D'Annibali l. c. 155. et 78. not. 28).

IV. *Ob percussionem levem Clerici vel Monachi; aut gravem quidem sed perpetratam ab eis qui collegialiter vivunt, dummodo non fuerit enormis.* Levis dicitur, quae gravem quidem iniuriam infert, sed citra laesionem physice gravem, v. g., pugno, pede, lapide, fuste. Cf. Ballerini (II. 975. II. *c*).

884. Excommunicationi nemini reservatae subiiciuntur

I. *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.*

II. *Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosque ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.* Casus practicus contingere posset in Confessario sollicitante, qui denuntiantem perterrefaceret.

III. *Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis* Ambitiosae; nempe pro casu in quo bona ecclesiastica (non adhuc usurpata) a legitimis administratoribus sine beneplacito Apostolico (quando de iure inconcusso * exigitur) alienentur, iuxta

* Non semper ac in hac vel illa Curia stylus est ut beneplacitum Apostolicum petatur, hoc exigitur vere de iure inconcusso. Si Canonistae non conveniant, si praxis non sit ubique uniformis, nec quidquam authentice definitum fuerit, semper probabile erit non exigi; et proinde (non obstante stylo curiae) censura locum non habebit. Idem dic si exigeretur quidem omnino, sed non praecise propter alienationem.

tenorem praedictae Extravagantis, quam retuli supra (n. 882); quae intelligi debet etiam pro casu in quo alienatio in favorem alterius Ecclesiae facta fuerit; prout S. C. C. declaravit (24 Ian. 1632) apud Ferraris (h. t. IV. 14). Attamen ad hanc censuram incurrendam

885. Oportet 1° ut interveniat *vera alienatio*. Beneficiatus itaque qui aliquam rem sui beneficii in aliam transmutaret, v. g., calicem vetustum in crucem; pluviale superfluum in casulam etc. (porro haec licent etiam sine licentia Episcopi. Ferraris v. *Alienatio* IV. 3); imo et qui bona sui beneficii destrueret, aut in ruinam ire sineret (quamvis peccaret) censuram non incurreret. Ad veram enim alienationem constituendam oportet ut res Ecclesiae ad alios transeant: imo videtur quod haec translatio intervenire debeat per pactum seu contractum aut saltem conniventiam; si enim ex mera incuria beneficiati res Ecclesiae ab aliis diriperentur, vel servitutes efformarentur, vel hypothecae aut alia iura perirent, censuram non adesse dicerem. Advertendum etiam quod alienatio non intelligitur, nisi agatur de rebus aut iuribus stricto sensu possessis, seu, ut aiunt incorporatis; unde repudiatio legati non adhuc acceptati, poterit quidem esse illicita, sed non erit contra praesentem Constitutionem; et idem dicunt de condonatione caducitatis, eo quod emphyteuta canonem tempestive non solverit (quod tamen est potius ad evitandam duritiem, ut notat De Luca h. t. 125); et de transactione in rebus litigiosis, dummodo tamen (N. B.) hae ab Ecclesia non adhuc possideantur. Cf. D'Annibali (n. 167 bis). Caeterum, supponendo quod de alienatione veri nominis agatur, haec latissime patet; et certe comprehendit, ut in ipsa Extravaganti legitur, *omne pactum per quod dominium transfertur*, nempe venditionem, donationem et permutationem. Quoad alios contractus, illustris neotericus dicit, comprehendi solum hypothecam, et locationem (ultra triennium); non vero pignus, censum, servitutem etc.; sed haec interpretatio est contra communissimam Canonistarum sententiam, nec potest admitti. Verum est quod Extravagans hos ultimos contractus non nominat; sed sub generali nomine *alienationis* comprehenduntur. Cf. Bonacinam, Ferraris, Reiffenstuel, Lambertini (Notif. LXIX) etc. — Aliqui dicunt, censuram non adesse si alienatio ex iusta causa et sine Ecclesiae damno accideret; sed hoc etiam mihi probabile non videtur; quamvis enim motivum legis provenerit *ex maximo detrimento*, quod ex liberis contractibus Ecclesiae obveniebat, ut dicitur in proemio; tamen,

ad praeveniendum periculum, Pontifex voluit ut contractus omnes circa res pretiosas beneplacito Apostolico subiicerentur, et proinde in parte dispositiva absolute locutus fuit, nullamque distinctionem apposuit. Attamen alienatio debet esse consummata, nec sufficit promissio, aut si conditio suspensiva apposita fuerit et adhuc expectetur, v. g., si, re non tradita et dominio adhuc apud Ecclesiam remanente, beneficiatus dixerit: *reservato beneplacito Apostolico*. D'Annibali (168). Denique si quis nomine beneficiati alienaret, non ipse, sed beneficiatus (si alienationem mandaverit aut ratam habuerit) censuram incurreret.

886. Oportet 2° ut alienatio fiat *ab administratore legitimo, qui nempe nomine Ecclesiae rei stricto sensu ecclesiasticae administrationem habeat.* Si itaque ageretur de bonis quae in substantia sunt saecularia, quorum scilicet proprietas et administratio pertinet ad personas saeculares, quamvis aliquo modo erga Ecclesiam sint obligata, haec, si ab iisdem personis alienentur, huc non spectant. Exemplum habes non solum in fundis qui hypothecis, censibus aut legatis piis erga Ecclesiam gravantur; sed etiam in fundis qui Capellaniarum *laicalium* dotes constituunt. Equidem dotes huiusmodi a capellanis alienari nequeunt; sed non quia sint bona stricte ecclesiastica, nempe sub dominio et administratione Ecclesiae (hoc enim non subsistit), bene vero solum quia pia voluntas Fundatorum (cuius Ecclesia tutelam habet) fuit, ut neque alienentur neque ad alia applicentur. Cf. Lucidi III. pag. 413. n. 16. Si tamen vera usurpatio locum haberet, tunc (ut vidimus supra) censura Tridentini adesset. Idem (ni fallor) dicendum videtur de illis qui alicuius Templi vel Oratorii publici dominium habent, quamvis certe nec ad alienationem nec ad immutationem procedere possint, ut nuperrime (1. Maii 1874) a S. C. C. declaratum fuit. Cf. D'Annibali (163. not. 3), Del Vecchio (I. 626), Vecchiotti (II. § 12), Scavini (III. 610. 679) et De Varceno (V. 5. App.). Certe huc non pertinent bona illarum Confraternitatum aut Locorum Piorum, quae auctoritate Episcopi erecta non fuerint. S. Lig. (IV. 187. VI). — Si etiam ageretur de bonis stricto sensu ecclesiasticis, oporteret semper ut alienatio peracta fuerit a veris administratoribus; si enim, v. g., Religiosus obiectum pretiosum a monasterio surriperet et alienaret, excommunicatus non remaneret. — Praelaudatus neotericus ab excommunicatione ista eximit non solum Episcopos, sed etiam Rectores Ecclesiarum et Beneficiatos, quia in dicta Extravagante aliis poenis subiiciuntur; sed, si haec ratio valeret, nemo excommunicationem

incurreret; quandoquidem in illa, etiam alii administratores aliis poenis expresse plectuntur. Tenor legis est ut omnes tum excommunicationi tum aliis poenis subiiciantur. Cf. Reiff. (III. XIII. 68).

887. Quid de iis qui bona usurpata emerunt, seu quovis alio modo illegitime possident, si ad alienationes procedant? R. Hi certe sub censura *Ambitiosae* non cadunt. Iam ab initio in censuram Tridentinam inciderunt; in qua, donec ad modum dominorum se gerunt, permanent: nec est cur iterum in illam incidant dum ad alienationes procedunt; alienare enim est actum dominii exercere, et sic semper in eodem peccato et proinde in eadem poena perseverant. Aliquid speciale circa Administratores Locorum Piorum notari debet; sed hoc iam supra (n. 882. *d*) indicatum est.

888. Quid de iis, qui cum indulto Apostolico bona usurpata possident, si procedant ad alienationes, quin pro istis beneplacitum petant? Plures dicunt, eos legitimis administratoribus, de quibus Const. *Ambitiosae* loquitur, esse accensendos; sed haec Constitutio de iis profecto locuta non fuit; eo enim tempore de administratoribus qui tales erant iure ordinario, non vero de iis qui ex indulto apostolico tales essent, res erat; neque inter bona adhuc possessa, et bona usurpata et fere omnino deperdita par est ratio, ut supra observabam. Potius itaque considerandae sunt conditiones indulti. Quoad emptores bonorum immobilium, quoad patronos qui beneficia vacantia redemerunt, quoad eos qui bona ecclesiastica a Gubernio in emphyteusim acceperunt, aut ecclesiasticas emphyteuses affrancarunt, et demum quoad horum omnium haeredes, in indulto Apostolico semper apponitur conditio *retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, et conservandi ipsa bona et rem utilem in eis gerendi*. Dicerem, hanc conditionem prohibere quidem venditionem, donationem, permutationem, emphyteusim, hypothecam et censum; non vero simplicem locationem, etsi ad novennium. Hinc pro tali locatione nullam censuram adesse putarem; sed quoad alios contractus censuram Tridentinam adesse dicerem; quia dicti emptores et haeredes auctoritatem, quam non habent, in sensu decreti conciliaris sibi usurparent, et sic illegitimis bonorum ecclesiasticorum occupatoribus aequiparari deberent. — Idem dicerem quoque de iis qui cum debita venia emerint, et postea sine beneplacito Apostolico vendiderint bona mobilia pretiosa, si haec servando servari poterant, eorumque elenchus Ordinario iam traditus fuerit; sub conditione enim ea conservandi venia data fuit. Vide dicta (n. 509. *c*).

889. Quid de iis qui ex revenditione illegitime peracta lucrum perceperint? R. Si lucrum ex melioramentis provenerit, tunc perinde est ac si non intervenerit; si autem antiquo et naturali fundi ipsius valori assignandum sit, tunc revenditor a censura absolvi nequibit donec lucrum ipsum (quod sine usurpatione retineri non posset) in manus Ordinarii deposuerit. Vide dicta (n. 509. *d*).

Sed, redeundo ad casus censurae *Ambitiosae*, ut ipsa incurratur,

890. Oportet 3° ut alienatio fiat *circa bona immobilia aut mobilia pretiosa.*

Immobilia strictissimo sensu sunt dumtaxat praedia et domus; sed in iure immobilia appellantur multa alia, ea omnia scilicet quae fixa immanent, ita ut beneficiato ea ipsa a proprio loco et statu amovere nefas sit. Huiusmodi sunt census, servitutes activae, actiones ad immobilia, arbores non caeduae, iura decimandi vel piscandi vel retinendi hypothecas etc. Dicit praedictus neotericus, has omnes alienationes esse quidem vetitas, sed sub censura *Ambitiosae* cadere solum alienationes praediorum et domorum. Haec quoque opinio mihi videtur adeo singularis ut admitti non possit.

Mobilia pretiosa sunt ea mobilia quae aut magnam utilitatem (propter fructus vel usum) aut spectabile ornamentum Ecclesiae afferunt. Exempla dantur in grege ovium, in copiosa bibliotheca, in vasis aureis vel argenteis, in rebus quae propter artificium vel antiquitatem valde aestimandae sint. Ita Vecchiotti (II. § 42). Ciolli autem (n. 154) dicit, obiectum esse semper pretiosum, si valorem non exiguum habeat, prout declarabitur infra.

891. Oportet 4° *ut non agatur de casibus exceptionalibus, in quibus alienatio sine beneplacito apostolico * licita est.* Hi sunt sequentes.

*A*) Si casus urgeat; si nempe opportuna occasio faciendi contractum *necessarium aut valde utilem* se praesentet, nec adsit tempus implorandi beneplacitum Apostolicum; tunc enim contractus fieri posset cum sola licentia Episcopi, et etiam sine ista si ne Episcopum quidem interpellandi tempus suppeteret. Dicunt tamen quod postea confirmatio peti deberet. Cf. S. Lig.

* Quando beneplacitum Apostolicum non exigitur, regulariter licentia Episcopi necessaria est. Si tamen ista non peteretur, censura *Ambitiosae* locum non haberet. Comm. Patav. n. 136.

( IV. 187. VI ). Ballerini ( n. 977 ) et Comment. Patav. ( n. 432. 435. 439 ). Cavendum semper ne ex huiusmodi contractibus damnum Ecclesiae obveniat, quod facile contingit si agatur de rebus antiquitate vel artificio pretiosis, nec in alienante peritia sufficiens adsit, quo casu alienandi licentia praesumi nequiret.

*B*) Si alienatio fieri omnino debeat ex iuris necessitate. Exemplum dant in praediis quae Capuccinis donarentur, quaeque proinde quum ipsi possidere nequeant ) necessario vendi deberent ( Reiffenst. h. t. 39 ); vel si bona relicta fuissent Ecclesiae cum pacto illa restituendi post certum tempus : vel ei vendita fuissent cum pacto retrovenditionis etc. De Luca ( h. t. 126 ). Huc ( ni fallor ) spectare videtur casus venditionis coactae ; nempe, lege civili ( a lege canonica approbata ) cogente, ut pars fundi ( v. g., pro via publica construenda ) Gubernio vendatur. Cavendum tamen ut summa recepta canonice investiatur ( vide infra n. 892 ) : et quidquid pro novis plantationibus, vel restaurationibus datum fuerit in tuto ad finem suum collocetur.

*C*) Si agatur de rebus ( etsi pretiosis ), quae servando servari nequeant : nempe ( ut explicant ) si intra triennium notabilem deteriorationem verisimiliter subiturae essent ; ut puta, si casula antiqua et pretiosa iam notabiliter scindi inciperet. (Bonac. n. 2. Reiffenst. n. 47. S. Lig. IV. 187. VI. etc.).

*D*) Si agatur de re quae nec spectabilem splendorem, nec ullam utilitatem Ecclesiae afferat; ut puta, si, ad illam conservandam, eius redditus non sufficerent ( S. Lig. l. c. ), prout potest contingere in domo ruinosa. Idem dicit Scavini ( III. 637) de rebus quae omnino steriles evaserint; sed ad modum regulae firmae et generalis hoc statui nequit. Vide dicenda n. 895.

*E*) Si quid donatum vel legatum fuerit Ecclesiae cum facultate, imo cum onere, illud alienandi ad determinatum effectum ; v. g., si praedium datum fuerit ut cum eius pretio fabricetur templum, vel emantur suppellectiles, vel dotentur puellae etc. Ferraris ( h. t. IV. 26 ).

*F*) Si agatur de rebus exigui valoris. In Can. *Terrulas* ( XII. II ) legitur : « Terrulas aut vineolas, exiguas et Ecclesiae minus utiles aut longe positas, parvas, Episcopus.. . distrahendi « habeat facultatem ». Hic canon non potest intelligi de parte fundi maioris, quae studiose a suo toto separetur, ut declaravit Clemens VIII apud Ferraris ( h. t. IV. 19 ); neque de terrulis disiunctis quidem, sed ita ut satis commode coli possint et sic formaliter unum praedium constituant. De Luca ( h. t. I. 118 ). Ex communi interpretatione haec dispositio extenditur etiam

ad mobilia (quamvis, attenta materia, essent pretiosa) dummodo sint exigui valoris. S. C. C. (22 martii 1711) declaravit id intelligi debere de rebus, quarum valor 25 aureos *de camera* (nempe Fr. 218) non excedat. Sed Ballerini (n. 977) dicit, heic quoque haberi posse rationem minoris valoris, quem lapsu saeculorum pecunia subiit; et reapse in quibusdam Dioecesibus Episcopi etiam ultra Fr. 400 licentias concedunt. Scavini (III. 637). Consuetudines hac in re sunt valde attendendae et considerandae. Sic, v. g., quando agitur de bonis mobilibus aut non stricte immobilibus (v. g., de pecunia, de arboribus etc.) Episcopi solent concedere licentias, quamvis, v. g., arbores ex maiori sylva succidantur, aut pecunia ex maiori summa accipiatur; attamen non ita ut hae licentiae post breve intervallum repetantur.

*G*) Si fiat locatio non ultra triennium, casu quo res singulis annis fructum producat: aut non ultra novennium, si res quolibet triennio dumtaxat fructificet (prout contingit in sylvis); unde dicitur, locationem fieri posse, absque beneplacito apostolico et cum sola licentia Episcopi, si peragatur dumtaxat ad triennium *fructiferum*. Caeterum peragi potest etiam ad sexennium vel novennium, si partes in singulis trienniis ita liberae sint, ut a contractu resilire possint. Aliqui dicunt simplicem promissionem renovandi contractum finito primo triennio, sub lege non cadere; aliud enim est promittere locationem, aliud vero illam facere. Quidquid sit de hoc, censeo non posse sustineri opinionem eorum, qui dicunt locationem ultra triennium quidem, sed solum ad vitam beneficiati, sub censura *Ambitiosae* non cadere. Enimvero haec Constitutio non distinguit; nec est cur contractus adeo abominandus, quique in ruinam non solum beneficiati (maxime si fiat anticipata mercede), sed etiam beneficii, redundare solet, a lege excipiatur. Cf. Benedictum XIV. Const. *Universalis Ecclesiae*.

892. Quid de alienatione pecuniae? R. Si non sit investienda (ut quae ex superfluis in Monasteriis vel Seminariis, sive pro quotidianis usibus sive pro futuris incertisque circumstantiis, servatur), tunc non est cur de beneplacito Apostolico loquamur. — Si e contra sit investienda, tunc, si agatur de summa exigua (ut supra explicatum est), sufficit licentia seu approbatio Episcopi, qui tamen iuxta antiquas canonicas sanctiones, aut speciales facultates a S. Sede obtentas et non aliter, in his quoque exiguis investimentis approbandis se gerere debet. — Si autem agatur de summa non exigua, videndum in primis

an investimentum canonicum, nempe in fundis stabilibus, aut etiam in censibus (nisi agatur de fundatione pro Missis. Lucidi II. 60), fieri possit. Si non (prout hodie contingit), beneplacitum Apostolicum semper exigitur; sine quo proinde, v. g., non licet, dotes Monialium in manibus eorum consanguineorum relinquere (Lucidi II. 187); item summas, sive ex venditione stabilium, sive ex compositionibus propter beneficia ab eorum patronis redempta, sive ex censibus redemptis, sive ex emphyteusibus affrancatis, sive ex novis fundationibus stabilitatem exigentibus, provenientes; aut summas conservandas propter gravissimas futuras necessitates (Reiffenst. h. t. 15); non licet, inquam, has summas in syngraphis debiti publici aut municipalibus (Lucidi II. 68), in actionibus pro viis ferreis, in mutuis (etsi tutissimis) erga particulares, in capsis popularibus, vel parsimonialibus etc. collocare. Multo minus licebit pecuniam ad talem vel talem finem destinatam, ad fines diversos sine Beneplacito Apostolico expendere. Si autem investimentum canonicum possibile esset; tunc pro eo exequendo Beneplacitum Apostolicum interdum exigitur, et interdum non; imo interdum ne ipsius quidem Episcopi licentia necessaria est. In his differentiis explicandis non immoror. Vide Lucidi (l. c. n. 294).

893. Quid de redemptione censuum? Aliqui census sunt irredimibiles, nempe ab eorum debitoribus redimi nequeunt; idque contingere potest speciatim in censibus reservativis *, et in illis qui ante Bullam Pianam (an. 1568) creati fuerunt. Lex italica (24 Ian 1864) potestatem fecit redimendi etiam hos census irredimibiles, si sint in favorem Ecclesiae aut aliorum entium moralium. At vero, spectata conscientia, Ecclesia ius habet ut hi census firmi maneant et non redimantur; unde qui, non obtento beneplacito Apostolico, illos, praedicta lege freti, redimunt, incidunt in censuram latam contra usurpatores, quae erit speciali modo aut simpliciter reservata, secundum quod census ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum

* Census distinguitur in reservativum et consignativum. Reservativus intervenit quando dominus fundi, fundum alienans, pro se vel aliis censum (seu ius ad annuam pensionem ex fundi ipsius fructibus comparandam) reservat. Consignativus intervenit quando quis domino fundi pecuniae summam consignat, ut habeat ius ad annuam pensionem. Post Bullam Pianam census consignativus celebrari non potest, quin dominus fundi censiti (qui dicitur censuarius aut debitor census) ius habeat restituendi creditori (qui dicitur censualista) summam in census fundatione receptam, et sic (praevia monitione *it. disdetta* duorum mensium) censum ipsum redimendi.

et beneficiorum, aut alio modo ad Ecclesiam vel Loca Pia pertinent. Si autem non vi praedictae legis, sed ex Administratorum libero consensu, redimerentur; tunc censura *Ambitiosae* locum haberet, unde scripsit De Luca (h. t. I. 17): « Si « census est irredimibilis, ut contingit in reservativo, volun- « taria facultas affrancandi est species alienationis ». Idem dic de emphyteusibus, livellis, decimis, legatis piis, aliisque similibus praestationibus annuis; quae etiam (si perpetuitatem habeant) coram lege civili redimi possunt. Vide Rivarolo (IV. 1. Cap. I. n. 3). — Sed quid si census (prout ordinarie accidit) esset redimibilis? In hoc casu, si ope pecuniae redimeretur, Ecclesia, redemptionem acceptans, meram debiti solutionem acceptaret, pignusque (si hypotheca adesset) restitueret; non vero quidquam alienaret; si enim hoc locum haberet alienatio, haec, ut aperte dicit De Luca (h. t. 126 et de Cens. Summ. n. 55), non esset voluntaria, sed necessaria necessitate iuris, quae (iuxta dicta n. 891. B) non consideratur. Audio, stylum semper fuisse ut nihilominus Beneplacitum Apostolicum peteretur, propter novum investimentum simultanee faciendum. Sit; sed tunc beneplacitum respicit investimentum, non vero census redemptionem, in qua, nulla subsistente alienatione, nulla censura adesse potest. Praeterea hoc investimentum pertinebit ad Ecclesiam, non vero ad censuarium. Quis enim dixerit quod expensae pro investimento (ad quod peritiae aliaque requiruntur) ad censuarium spectent? Dixi: *si census ope pecuniae redimeretur*; Ecclesia enim, quae in fundatione census veram pecuniam dedit, ius habet ut in eius extinctione vera pecunia sibi restituatur. Sed hic quoque subintrat praedicta lex, quae exigit ut census huiusmodi solum ope schedularum debiti publici redimantur; et in schedulis istis valor nominalis dumtaxat, qui a reali plus minusve distare solet, consideratur. Censuarius, qui sic et simpliciter hac lege uteretur, et non ex integro debitum suum solveret, censuram (ut supra) certe incurreret. Advertendum est tamen quod censuarius ex italica iurisprudentia (quae tamen adhuc inconcussa et tranquilla non est) forsan solvere debet quoque summam necessariam ut Ecclesia habeat suos fructus liberos a taxa (vulgo *di ricchezza mobile*), ut scilicet ipsa compensetur pro retentione ex hac taxa proveniente. Cf. Rivarolo (IV. n. 19) et Scavini (II. n. 568). Quid itaque si, attenta hac additione, aut praestito augmento in vera pecunia ad supplendum defectum valoris nomi-

nalis schedularum *, censuarius integram summam Ecclesiae restitueret; et unica difficultas ad hoc reduceretur, quod, loco pecuniae (quam ex lege solvere nequit), praedictas schedulas sine beneplacito Apostolico solveret? Decisio huius casus (quoad censuram) non est facilis. Ex una parte censuarius ius habet redimendi censum. Ex alia parte Ecclesia ius habet recipiendi veram pecuniam ex integro. Iurium itaque collisio heic intervenit. Ecclesia possidet (volenti enim redimere, obiicere potest: solve veram pecuniam iuxta pactum); et in iurium conflictu melior est conditio possidentis; at vero id procedit *in pari causa*, non autem si ius fortius ex alia parte adesset; et in facti specie durum videtur quod censuarii (qui magnam et multiplicem habere possunt necessitatem ut proprii fundi liberi evadant) redimendi suos census ius amiserint. Equidem Scavini (IV. 229. 10. not. 1) rotunde dicit censuram incurri; sed, si censuarius ius redemptionis non amisisset, censura ipsa locum non haberet. Alii Theologi et Canonistae de hoc silent, et aliqui (cf. Ciolli 154. not. 2) illam adesse innuunt solum pro casu quo augmentum traditum non fuerit; qua de re dubitari nequit, ut dixi. Sed de hoc puncto iudicent sapientiores.

894. Quid de pacto imminuendi in posterum fructum census, dum scilicet censuario volenti redimere censum, nisi pensio imminuatur, huius imminutionis facultas conceditur? Imminutio, ex conventione privata, amicabili et revocabili, licita censetur. Circa imminutionem vero factam nomine Ecclesiae, an vetitam alienationem (secluso beneplacito Apostolico) contineat, Canonistae non conveniunt. Ferraris (v. Census n. 26) affirmat; talemque esse dicunt Curiarum praxim. Negat vero De Luca (De Cens. Summ. 55), semper ac res sit de censu redimibili, quia perinde est ac si census redimeretur, et postea recepta pecunia in alio censu investiretur; sed ego supra (n. 892) dixi quod pro novo investimento beneplacitum Apostolicum interdum exigitur et interdum non; et ex hoc quaestionis decisio pendet.

895. Quid de caesione et alienatione arborum? Si arbores,

* Hoc augmentum dari debet Ordinario; qui caute procedat, et in chirographo receptionis dicat dumtaxat in genere: « Fidem facio quod N. N. in « extinctione talis vel talis census conscientiae suae plene satisfecit ». Secus enim haeredes censuarii illum molestiis afficere, imo etiam summae restitutionem iuridice repetere, possent.

Quoad schedulas debiti publici, si forte deperderentur, non dari ullam actionem apud administrationem Status, dicit Scavini (II. n. 567).

iuxta bonae agriculturae regulas, intactae servari debeant; tunc in nullo prorsus casu caedi possunt. Si vero bona cultura exigat vel permittat ut evellantur, tunc quaedam distinctiones faciendae sunt. Arbores quae identidem huc illuc demortuae vel corruptioni proximae reperiuntur; aut quae (istis non sufficientibus) de more adhibentur ad ignem (etiam pro colonis), certe evelli possunt, nulla petita venia (dummodo semper, quatenus opus sit, loco avulsarum novae plantae ponantur); id enim, vidente et tacente Ecclesia, a beneficiatis quoque meticulosae conscientiae peragitur. Si arbores evellerentur, non ad eas vendendas, sed ad trabes vel portas etc. pro beneficii fabricis construendas: tunc sola formae transmutatio, non vero alienatio, locum haberet, et proinde censura non adesset. Attamen culpa interveniret 1° Si ex beneficiati incuria restaurationes necessariae evasissent, et sic de proprio illas peragere deberet; 2° Si beneficii fructus abundarent, et arbores pro aliis circumstantiis magis necessariae futurae essent: 3° Si de caesione magna ageretur: beneficiatus enim est ad instar usufructuarii, qui sine consensu domini arbores caedere nequit, et supponi non potest quod Ecclesia consentiat, ut, quin interpelletur, magnae caesiones (etsi ad optimum finem) peragantur. Si demum arbores (etsi iam steriles, sed corruptioni non proximae), ad eas alienandas, caederentur; tunc (dempto casu in quo caesio in tam exigua quantitate fiat, ut expensae pro nova plantatione lucrum sint *statim* compensaturae) legitimi Superioris licentia semper exigitur; idque quamvis pretium pro beneficio ipso impendi vellet; arbores enim considerantur ut pars fundi, et proinde ut bonum immobile; et sic earum alienatio, si sit in quantitate superante valorem 25 aureorum, beneplacitum Apostolicum omnino exposcit; idque non solum traditur passim a Canonistis; sed etiam resolutum fuit a S. C. Episcoporum et Regularium, ut patet ex rescripto misso ad Episcopum Nostrum (22 Martii 1836 *). Non itaque est audiendus Roncaglia, qui (Consil.

* En tenor rescripti: « Circa il quesito da V. S. proposto, se gli alberi « *quantunque maturi*, come i pioppi, spettanti alle Chiese ed a' Luoghi Pii, si « possano tagliare ed atterrare senza licenza della S. C. de' Vescovi e Rego« lari, non cade dubbio essere in facoltà dei Rettori delle Chiese recidere ed « atterrare le macchie, che diconsi cedue, ed usare delle potazioni, ossia dei « prodotti degli alberi, nelle loro scadenze. Diversamente devesi opinare dei « tronchi, degli alberi, *inclusivamente ai pioppi*, i quali si reputano *ut capi« talia fundi*, per il taglio dei quali è necessario il superiore permesso, *quan« tunque siano infruttiferi*, e sovente necessario sia il loro diradamento per

XXII ) sophistice dicit, censuram non incurri per caesionem, quia caesio non est alienatio; et nequidem per venditionem, quia arbores iam incisae sunt mobile, quod servando servari non potest. Censura pariter non effugeretur, si beneficiatus ex arboribus ( quae sine dicto beneplacito alienari non possint ) mobilia, non pro Ecclesia, sed pro se suisque haeredibus conficeret.

896. Quid si Beneplacitum Apostolicum obtentum quidem esset; sed in petitione exposita fuissent falsa? R. Si falsitates expositae non essent substantiales; ita ut, iis etiam seclusis, beneplacitum obtentum fuisset ( ut puta, si nominum error accidisset ); tunc gratia valeret. Si vero falsitas fuisset substantialis ( talisque hac in re censeretur solum si evidens Ecclesiae utilitas non subsisteret ); tunc beneplacitum nihil valeret; alienatio invalida esset; et ( supposita mala fide ) censura interveniret. — Advertendum quod Beneplacitum nihil pariter suffragaretur, si executioni perperam, et non servatis conditionibus substantialibus, demandatum fuisset. Cf. De Luca ( h. t. I. 54. et seqq. ).

897. Censura feritne solum alienantes, an vero eos etiam qui ab alienantibus bona ecclesiastica sine Beneplacito Apostolico recipiunt? R. Ferit etiam recipientes, ut ex ipsis verbis Bullae patet. Isti tamen ex ignorantia, crassa quoque et supina, excusarentur; quandoquidem Const. Apostolicae Sedis dicit: *recipere praesumentes;* unde, si etiam cum dubio bona huiusmodi reciperent, non excommunicarentur. Quum autem, si res sit de pecunia, aut de arboribus, aut de aliis obiectis mobilibus, recipientes facile aut sint in bona fide, aut de alienatione illegitima ad summum suspectus habeant; ipsi circa res huiusmodi ordinarie a censura excusantur; ut notavit De Luca ( l. c. 19. et seqq. ).

898. Caeterum, quum hodie haec censura alienantes dumtaxat et recipientes feriat; consulentes, testes, aliique participantes exclusi remanent. Cf. Comment. Patav. n. 430. — Sed procedamus ad reliquas censuras nemini reservatas.

IV. *Negligentes, sive culpabiliter omittentes, denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Grego-*

« rendere più fruttifero il fondo. Verun dubbio poi non cade sugli Alberi frut-
« tiferi, pel taglio dei quali è necessaria una particolare facoltà della S. Con-
« grègazione. Su tali permessi si regolerà V. S. a norma del Capitolo *Terrulas*
« *et Vineolas*, non volendo la S. Congregazione derogare alle ordinarie sue
« facoltà ». Roma 22 Marzo 1836. G. A. Card. Sala Pref.

*rio XK... et Benedicto XIV. Const.* Sacramentum Poenitentiae. Circa huius censurae declarationem sufficiant dicta (n. 549-578). Recolantur speciatim ea quae n. 567. q. IX. et 577. q. III. exposita fuerunt. Avanzini (32) ad quaestionem : Si elabatur mensis ad denunciandum utilis, atque ob negligentiam vel culpam persona sollicitata in excommunicationem inciderit, poteritne a Confessario absolvi ab excommunicatione contracta? Respondent, posse absolvi si poenitens promittat se quamprimum denunciaturum; non enim in hoc articulo habetur illa clausula de duratione censurae *donec non denunciaverint*, quae habetur in Art. IV. *De Excomm. R. Pontifici reservatis.* Idem sentit D'Annibali cum aliis. Caeterum in praxi ordinarie melius erit exigere, ut poenitens prius muneri suo satisfaciat.

V. *Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt*, iuxta Decr. Tridentini Sess. IV. *De Edit. et usu Sacror. Libror.* Moderni Commentatores Constitutionis *Apostolicae Sedis* quasi uno ore dicunt, heic agi dumtaxat de commentariis Sacrae Scripturae ; sed non video quo solido fundamento. Interpretatio huiusmodi est contra naturalem verborum sensum ; libri enim tractantes de rebus sacris intelliguntur ii etiam qui tractant de Theologia, Liturgia etc. Verum est quod Tridentinum prius quasi ad modum proemii locutum fuit solum de Sacra Scriptura eiusque commentariis, sed postea in parte dispositiva omnes alios libros de rebus sacris in suo decreto comprehendit dicens : « Nullique liceat imprimere vel imprimi facere *quosvis libros de* « *rebus sacris* sine nomine auctoris .... nisi primum examinati « probatique fuerint ab Ordinario sub poena anathematis etc. » Sic pars dispositiva latius patet quam proemialis ; idque in aliis quoque iuris canonici legibus factum reperitur, ut etiam videre est supra n. 885 in Const. *Ambitiosae.* Praeterea dicta interpretatio est nova prorsus ; semper enim verba Tridentini in suo obvio generali sensu intellecta fuerunt; nec invenire potui Auctorem (ante modernos Commentatores) qui praedictum sensum restrictum eis tribuerint. Cf. S. Lig. (VII. 212), Croix (VII. 382), Ferraris (v. *Libri* 2), et Palao, qui (De Censur. III. XXXVI. 1) dicit: « Materia istius excommunicationis..., spectato « Concilio Tridentino, est... imprimere et imprimi facere prae» fatos libros *de religione* tractantes ». Bonacina, qui in materia de censuris adeo classicus est, (D. II. q II. p. XVI. n. 3) dixit : « Quinam autem libri dicendi sint de rebus sacris agere, patet « a simili ex dictis in expositione Bullae *Coenae* (Excomm. 1.),

« dum agerem de libris tractantibus de Religione », ubi (I. II. p. IV. n. 22) ait : « Ille liber dicitur tractare de Religione, in « quo ex professo, et non tantum obiter et incidenter, disseritur « *de re sacra, ut de Sacra Scriptura, de articulis fidei, de* « *rebus ad cultum Dei vel Sanctorum spectantibus, vel de* « *Theologia scholastica* ». Ita sentit etiam Commentar. Patavinum (n. 461), et iure prorsus. Adde quod Const. *Apostolicae Sedis* dicit absolute : *libros de rebus sacris tractantes ;* quae verba magis consideranda sunt quam contextus Tridentini; secus enim, quum censura Tridentini feriat solum libros *sine nomine auctoris*, dicere deberemus, etiam in *Apostolicae Sedis* censura libros anonymos dumtaxat comprehendi : quod nemo admittit.

VI. *Raptores mulierum ad finem matrimonii, ac omnes iisdem consilium, auxilium et favorem praebentes.* Ex Tridentino (De reform. Matr. XXIV. VI.) confirmato a Const. *Apostolicae Sedis.* De hoc vide dicta (n. 804).

VII. *Domini temporales, qui directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios* (*sive viros sive mulieres*) *cogant quominus libere matrimonia contrahant.* Ex Trid. (l. c. IX). Non pauci existimant quod sub hac censura comprehendantur non solum Domini temporales (scilicet habentes temporale dominium seu alicuius populi regimen), sed etiam quicumque alii ; at vero Bonacina (De Excomm. extr. Bull. *Coenae* II. II. punct. VI. n. 5) dixit : « Sententia quae mihi probabilior « videtur, asserit. istam excommunicationem eos solum afficere « qui temporale dominium et iurisdictionem in foro externo « habent ». Idem dicunt Sanchez, Coninch aliique; unde Commentar. Patav. (n. 472) ait : « Numerus et gravitas Doctorum, « qui (huic sententiae) patrocinantur, probabilitatem extrin- « secam satis solidam eidem praebent ». Hodie itaque censura ista in praxi vix locum habebit. Oporteret insuper ut coactio vera (quamvis sufficiat indirecta, ut si quis magni debiti solutionem alicui denegaret, nisi matrimonium contraheret) nempe cum vera iniuria, interveniret; nec sufficeret si quis solum aliceretur, etsi gravissime ; aut si metus levis dumtaxat adhiberetur. Oporteret demum ut coactio matrimonii celebrationem respiceret ; ut scilicet talis vel talis persona, et non alia, in matrimonium ducatur; sensus enim Decreti non respicit casum, in quo (seclusa hac ipsa malitia) quis impediret ne tale vel tale matrimonium concluderetur. Vide Bonacinam (l. c.).

VIII. *Personae, cuiuscumque conditionis aut dignitatis, quae quomodocumque coegerint foeminam invitam* (*praeter quam*

*in casibus in iure expressis* ) *ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem* ( *cogentibus* ) *dederint; quique, scientes eam non sponte* ( *nempe ab aliis coactam* ) *ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* Ex Trid. ( XXV. XVIII ). Quoad coactionem recolenda sunt mox dicta in censura antecedenti. Casus in iure excepti sunt 1° si uxor concesserit viro licentiam Religionem profitendi, et ipsa, facto voto castitatis, sit suspecta ne illud servatura sit; tunc enim cogi potest ut monasterium ingrediatur; 2° Si uxor adultera, secuto divortio, a marito recipi nolit; tunc enim etiam cogi potest ut perpetuam poenitentiam in monasterio agat. Idem dic si foemina non ad finem profitendi vitam religiosam, sed alia de causa iusta et rationabili ( v. g. motivo educationis, defensionis vel custodiae ) in monasterio ad tempus ( etsi metu gravi adhibito ) collocaretur. Comment. Patav. ( 476 ).

IX. *Qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.* Ex Trid. ( l. c. ). Hoc intelligitur semper non iam de voto simplici, sed solemni ( quod scilicet in professione Ordinis religiosi veri nominis ) emittitur. Dum autem Concilium dicit *quoquo modo impedierint*, hoc intelligendum est non iam de solis precibus et consiliis; aut de industriis ( hodie consuetis ) quae a parentibus adhibentur, ut filia in theatris, similibusque mundi oblectamentis evagata a proposito desistat; sed intelligi debet de impedimento quod voluntati cum vera iniuria opponatur, quamvis non intersit utrum in vi physica, utrum in metu, utrum in dolo ( apto ad decipiendam quoque foeminam prudentem ) consistat. Bonacina ( II. II. p. III ).

X. *Magistratus saeculares, qui Episcopis denegant auxilium ad Monialium clausuram restituendam vel inviolatam servandam.* Ex Trid. ( XXV. V ). Haec censura non ferit Principes, sed magistratus inferiores; et pro casu in quo possint; non vero si auxilium praestare nequirent.

899. Nunc de absolutione ab excommunicatione aliquid dicendum superest.

*A* ) Si absolutio ex delegatione concedatur, et Superior dixerit: *in actu Sacramentalis confessionis*, tunc forma communis ( qua semper utimur ) adhibenda erit ( admonito tamen poenitente quod a tali vel tali censura absolvitur ). — Si Supe-

rior dixerit : *in forma consueta :* tunc adhiberi debet prima ex duabus formulis quae sunt in Rituali ( *Tit. de absolutione ab excomm. in foro exteriori* ) ; sed advertendum quod coeremonia ibi praescripta denudandi humerum poenitentis (masculi) usque ad indusium exclusive, illumque leviter percutiendi, omitti potest ex causa quae iusta videatur. Scavini (I. 946), S. Lig. (VII. 116 ). Sic autem absolutus a censuris, non ideo remanet absolutus a peccatis, ut per se patet. Si Superior nihil dixerit; tunc, si poenitens in confessione dumtaxat rem manifestaverit, absolvi debebit in actu confessionis, cum solita forma, ut dixi ; si autem res non sit sub sigillo confessionis, tunc utendum erit prima ex dictis duabus formulis, si delictum fuerit ex gravioribus ; sin minus alia forma brevior a Rituali ipso indicata, vel formula sacramentalis ( si poenitens sacramentaliter confiteatur ) adhiberi poterit. Et idem dic si iure ordinario absolutio concedatur. — Interdum Superior dicit : *pro foro conscientiae tantum.* Hoc non significat quod absolutio debeat dari necessario in actu confessionis ; bene vero quod ipsa, quamvis in foro exteriori daretur, nihil suffragari posset, si forte apud Ecclesiasticum Tribunal postea processus locum haberet.

*B* ) Si censura sit Rom. Pontifici reservata, non semper necessarium erit Romam recurrere ; quandoquidem ( praeter dicta n. 879 circa impeditos ) sciendum est, quod pro casibus magis practicis Episcopi ( attamen quoad subditos tantum ) opportunas facultates ( etiam subdelegabiles ) habere solent. Vigore harum facultatum absolvi possunt sequentes :

I. *Qui emerunt et retinent bona ecclesiastica immobilia*, dummodo *prius* tradiderint syngraphan ab eis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, qua declarent se subiicere obligationibus, quas supra ( pag. 373 ) indicavi et explicavi. — Hic notandum 1° quod S. Poenit. ( 10 Aug. 1876 ) dixit : « Emptores bonorum ecclesiasticorum absque venia Apostolica « considerandos esse ut emptores et possessores malae fidei ; « quos ( N. B. ) petentibus reconciliationem nulla promittitur « pretii soluti restitutio, aut alia conceditur gratia ». Cf. *Monit. Eccl.* ( *I. pag.* 241 ). — Notandum 2° quod in multis casibus Ecclesia a Gubernio non tantum percipit quantum exigeretur ad pia onera adimplenda sicut prius, imo non raro nihil percipit; unde opus est ut emptores, qui volunt cum Ecclesia reconciliari, diligentes circa id inquisitiones faciant, et quidem (si opus sit) quotannis ; ipsi enim ad haec onera adimplenda tenentur principaliter ; imo, ultra haec onera, tenentur etiam

ad aliquam subventionem Ecclesiae praestandam, nisi illa a Gubernio recipiat summam maiorem ea quae ad onera adimplenda sufficiat. Cf. *Monit.* (II. I. pag. 75). — Sed quid, si (attenta summa in emptione soluta) redditus sufficientes pro onerum satisfactione non remanerent? R. Pro hoc casu Episcopi nullam facultatem habent; et proinde emptores aut nihilominus onera adimplere, aut ad S. Sedem recurrere deberent. — Quid si iam a multis annis onera adimpleta non fuissent? R. Emptores malae fidei ea omnia adimplere deberent, quatenus toto illo tempore fundos possederint. Dixi *emptores malae fidei*: si enim (quod difficile erit) bona fide fundos acquisiissent et hucusque retinuissent; tunc (quum ex solis fructibus onera adimpleri debeant) obligatio ad fructus futuros, aut hic et nunc extantes sive in se sive in aequivalenti, restringi videretur. Imo aliqui censent quod fructus consumpti, etsi in aequivalenti adhuc extarent, computari non debeant, si leges civiles (prout apud nos) possessoribus bonae fidei ita faveant. Vide supra (n. 390) et *Monit. Eccl.* (II. III. pag. 29).

II. *Qui eadem bona revendiderunt*, deposito lucro etc., iuxta dicta (pag. 374).

III. *Qui acquisierint a Demanio bona ecclesiastica per emphyteusim*, dummodo *prius* tradiderint syngrapham, qua declarent se subiicere obligationibus 1° conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi; 2° nunquam affrancandi canonem; 3° standi mandatis Ecclesiae quoad eorundem bonorum restitutionem; 4° adimplendi pia onera adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur; 5° solvendi interim annuum canonem, illumque augendi favore Causae Piae ad quam canon de iure pertinet, si nimis tenuis (iudicio peritorum timoratorum) impositus fuerit; 6° monendi haeredes per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus.

IV. *Qui non solum acquisierunt per emphyteusim, sed etiam bona sic acquisita affrancaverunt*, dummodo praestent quae praescribuntur sub n. I. circa emptores.

V. *Qui redemerunt* (intellige cum solis schedulis debiti publici) *census redimibiles*, dummodo *prius* in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Demanio persolverint.

VI. *Qui affrancaverunt canones, livella, praestationes, et alia iura ecclesiastica natura sua non redimibilia*, dummodo *prius* tradiderint syngrapham qua declarent se suosque successores subiicere obligationi 1° Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi;

2° conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerendi; 3° servandi indemnia quocumque tempore Loca Pia super integra perceptione canonis, livelli ac praestationis, ac super quibusvis aliis iuribus, quae ad ipsa Loca Pia exinde spectabant, nec non adimplendi pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur; 4° Monendi haeredes et successores per syngraphum subscriptam de huiusmodi obligationibus.

N. B. Hae facultates sunt *ad annum*, quo durante idoneis personis ecclesiasticis subdelegari possunt *etiam ad tempus*.

VII. *Qui res mobiles emerunt*, nisi hae superent valorem 500 scutorum, et cum conditionibus indicatis n. 509. *c*.

VIII. *Qui pro legibus super usurpatione bonorum aliorumque iurium ad Ecclesiam et ad Loca Pia spectantium; ac suppressione Ordinum Regularium suffragia dederunt, vel iisdem legibus adhaeserunt, aut earum promulgationi sive executioni cooperati sunt;* dummodo tamen *prius* verae resipiscentiae signa exhibuerint, ac illicitum iuramentum, quatenus illud emiserint (cf n. 102), retractaverint: iniuncta singulis congrua poenitentia, cum reparatione scandali, meliori modo quo poterunt, aliisque iniunctis de iure iniungendis. Verum officiales publici, qui fuerunt de novo creati seu assumpti ad exequendas dictas leges, vel qui per exercitium officii, quod iam antea obtinebant, *imputabiliter* (iuxta regulas a probatis Auctoribus traditas circa furtum et rapinam) cooperantur praefatis legibus, seu usurpationibus, vel earum manutentioni aut consummationi, non absolvantur, nisi imposita illis obligatione dimittendi officium. Reliqui vero officiales, quorum officium huiusmodi *imputabilem cooperationem* iudicio prudentium importare non videatur, quatenus illud absque gravi sui vel propriae familiae detrimento dimittere nequeant, tolerentur; sed sub conditione ut a laudandis, probandis, consulendis, promovendis dictis usurpationibus omnino abstineant; quin imo pro viribus curent eas differre ac temperare favore Ecclesiae, se dirigendo consilio pii et docti Confessarii.

N. B. Hae etiam facultates sunt *ad annum*, et personis idoneis ecclesiasticis, ad hoc specialiter deputandis, subdelegari possunt.

IX. *Qui rebellioni contra Ditionem Pontificiam cooperati sunt quocumque modo, aut (ea occasione) immunitatem ecclesiasticam violaverunt;* dummodo tamen *prius* verae resipiscentiae signa exhibuerint, illatum scandalum meliori modo quo poterunt reparaverint, et obedientiam S. Sedi, Eiusque mandatis

desuper ferendis iuramento promiserint ; *nec antea nec aliter ;* iniuncta poenitentia salutari, aliisque iniunctis de iure iniungendis. Exceptis tamen rebellionum Magistris, Coriphoeis, Instigatoribus, ac Officialibus publicis aut exercituum dimicantium (si absque gravissimae poenae periculo militiam deserere poterant); et exceptis illis qui violaverunt Immunitatem Ecclesiarum per manuum iniectionem in Cardinales, Episcopos, aut alios Ecclesiasticos in dignitate constitutos. — Si rebelles essent Ecclesiastici, deberent insuper prius in aliqua religiosa domo saltem per mensem spiritualia exercitia peragere. — Milites autem, si certis ac determinatis personis, suo privato ausu, damna intulissent, ea reficere deberent.

N. B. Haec facultas, quae pariter est *ad annum*, delegari potest confessariis benevisis.

X. *Qui manus violentas in Clericos vel Regulares iniecerint*, dummodo non fuerit secuta mors, vel mutilatio, vel lethale vulnus, aut ossium fractio ; et dummodo casus ad forum *externum* deducti non fuerint : iniunctis iniungendis, et praesertim ut parti laesae competenter satisfiat.

XI. *Duellantes*, in casibus ad forum *Ordinarii* non deductis : iniuncta gravi poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis.

XII. *Qui haereses, etiam coram aliis, externarunt aut insinuarunt* (*exceptis publice dogmatizantibus*). *Item qui private vel catholicismum abiurarunt, vel prorsus infideles evaserunt. Demum qui superstitiones haereticales commiserint, aut cultum idololatricum in sortilegiis aut maleficiis Daemoni praestiterint.* Oportet tamen prius ut poenitens 1° complices (prout de iure) denuntiet, aut (si tunc non possit) serio ipsos quamprimum denunciare promittat ; 2° abiuret coram absolvente haereses ; 3° promittat se retractare coram quibus haereses protulit et reparare scandalum ; 4° in casu dictarum superstitionum, pactum cum Daemone initum retractet ; et syngrapham forte exaratam, aut alia media superstitiosa tradat. Denique gravis poenitentia cum frequentia Sacramentorum ei iniungatur.

XIII. *Qui violarunt clausuram Regularium utriusque sexus*, dummodo id non acciderit ad malum finem (etiam effectu non secuto), et dummodo casus non fuerit deductus ad forum externum. Supposito autem malo fine, absolvi poterunt mulieres quae violarunt clausuram virorum Religiosorum (non vero Religiosi qui illas admiserint) ; dummodo casus occultus remaneat ; iniuncta gravi poenitentia, cum prohibitione accedendi

ad Ecclesiam et conventum dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

XIV. *Qui retinuerunt aut legerunt libros prohibitos*, iniuncta congrua poenitentia, nec non firma obligatione tradendi (prout de iure) sive per se sive per alios absque ulla mora (et, quantum fieri poterit, ante absolutionem) libros prohibitos, si illos adhuc in sua potestate retineant.

XV. *Qui sectis Massonicis aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem praestiterunt;* ita tamen ut a secta omnino se separent, eamque abiurent; libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis tradant, ad Ordinarium quam primum caute transmittenda, aut saltem (si iustae gravesque causae id postulent) comburenda; iniuncta gravi poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, aliisque iniunctis de iure iniungendis. — Sed quid si necis timor impediat ne quis statim et totaliter sectam deserat? R. Separatio a secta exigitur solum per quantum exigi potest; si enim communicatio cum secta ex una parte ab actibus intrinsece malis seu nullo metu excusabilibus (quales essent, v. g., homicidia, impietates etc.) immunis esset; et ex alia continuaretur solum materialiter, et mere per quantum esset omnino necessarium ut gravissima mala evitarentur; tunc videretur quod lex humana subitaneam et totalem separationem cum tanto sacrificio exigere nequeat; et quod proinde conditio illa *omnino se separent* hunc casum strictum non respiciat; ut innuit D'Annibali (Comment. 107. not. 9). Cf. De Occasionar. (n. 186).

*Item qui eiusmodi sectarum duces et magistros occultos denunciare culpabiliter neglexerunt*, iniuncta pariter salutari poenitentia; et firma manente obligatione (sub reincidentia) eosdem Episcopo vel aliis (prout de iure) denunciandi. — Obligatio tamen huius denunciationis nonnullas exceptiones practicas habere potest, ut in tract. de Occasionariis (l. c.) explicavi.

XVI. *Qui munera a Regularibus utriusque sexus acceperunt,* sub sequentibus conditionibus. Si accepta munera fuerint ultra valorem scutorum decem, *vel* constet fuisse de bonis propriis Religionis; tunc *prius* fieri debet restitutio; et, si de praesenti fieri nequeat, oportet ut poenitens serio promittat restituere infra terminum ab absolvente praefiniendum; alias sub reincidentia. Si autem munera nec superent dictum valorem, nec constet fuisse de bonis propriis Religionis; tunc aliqua eleemosyna Religioni ipsi quamprimum danda erit. — Hic casus est reservatus Rom. Pontifici, sed sine censura.

XVII. *Religiosi qui inciderint in casus vel censuras in sua Religione reservatas*, dummodo legitimam habuerint licentiam confessionem peragendi extra proprium ordinem.

900. N. B. Hae ultimae octo facultates sunt *ad quinquennium*. Exerceri possunt ab Episcopis eorumque Vicariis Generalibus (dummodo Presbyteratus Ordine sint insigniti) pro foro conscientiae, et etiam (intellige quoad solas censuras) extra Sacramentalem Confessionem; ita tamen ut in singulis casibus exprimatur quod absolutio ex speciali Sedis Apostolicae auctoritate conceditur. Subdelegari possunt Canonico Poenitentiario Vicariisque Foraneis habitualiter; et (ob peculiares circumstantias) aliquibus aliis Confessariis ad tempus determinatum; aliis vero, quando recursum habuerint in casibus particularibus. Hi omnes solum in actu Sacramentalis confessionis absolvere poterunt.

901. Si autem Episcopus facultatem absolvendi non haberet; tunc Romam recurrere oporteret; nempe ad Cardinalem Maiorem Poenitentiarium. Poenitentiaria enim facultatem habet absolvendi ab omnibus censuris non solum occultis sed etiam publicis; ita tamen ut absolutio censurarum publicarum committatur Ordinario; occultarum autem Confessario. Scav. (IV. 523).

902. Quid si conditiones praescriptae, in casu practico adimpleri nequeant? Valebitne absolutio a censuris sine illis? R. Considerandum est imprimis quod quaedam conditiones sunt ita substantiales, ut, iis deficientibus, perseveret delictum propter quod censura lata fuit; et tunc manifestum est quod censura auferri non potest. Exemplum habes (n. VIII) si censura feriat tale vel tale officium, et poenitens illud dimittere nolit; (n. XII) si haereticus haereses retractare recuset; (n. XV) si sectarius in sua secta inexcusabiliter permanere velit. Item si rescriptum dicat, absolvendum esse censuratum, *si de peccato doleat*, et ipse vere non doleat. Scavini (IV. n. 526). Si autem conditio ex una parte ad delictum destruendum substantialis non sit et ex alia concessionis verba non clare conditionem absolute verificandam significent; sed accipi debeat tamquam merum monitum directivum circa ordinarium agendi modum; aut tamquam vera conditio quidem, sed ita ut in praxi ex interpretativo Superioris consensu epicheiam admittere valeat, ne gravia inconvenientia sequantur; tunc dicerem, absolutionem valere, quamvis talis vel talis clausula moderaretur, vel non adimpleretur; nec obstat si forte ipsa ablativo absoluto exprimatur. Ita reapse sentiunt multi gravesque Auctores, ut videre

est apud Lambertini ( Notif. LXXXVII. n. 67), Sanchez (De Matrim. III. xxxiii. 3), Laymann (De Cens. II. vi. 8), et Ballerini (II. ad n. 955). Exemplum habes, si, dicente Superiore: *imposita poenitentia gravi cum frequentia Sacramentorum*, haec poenitentia (intellige semper iusta de causa) in aliam commutaretur. Idem dic si imponi deberet obligatio tradendi libros prohibitos Episcopo vel Inquisitori, et in casu practico expediret ut potius eosdem comburendi obligatio imponeretur. Caeterum, excepto forsan casu urgentissimo, conditiones impositae in primis sex casibus ( circa bona ecclesiastica ) certe verificari debent, sub poena nullitatis. S. Poenit. enim diserte dicit: « Si « tamen prae specialibus adiunctis huiusmodi conditiones essent « quovis modo vel mutandae vel moderandae, ab usu huius fa« cultatis abstineat, et recurrat ad S. Poenitentiariam omnia « exponendo, ut opportune in Domino decerni possit * ». Idem dic circa rebelles contra Ditionem Pontificiam, quoad conditiones prius reparandi scandalum et praestandi iuramentum obedientiae S. Romanae Sedi; quum ( ut vidimus ) S. Poenitentiaria dicat: » Nec antea nec aliter ».

903. Reminiscatur lector quod occasio tractandi de excommunicationibus fuit quia Parochus ad matrimonii celebrationem de regula ordinaria admittere nequit eos qui excommunicatione sunt innodati. ( Veniam peto si digressio nimis prolixa fuit ). Si itaque alteruter ex contrahentibus sit excommunicatus, et speciatim si censura sit reservata, maxime vero si conditiones quae exiguntur non facile acceptari soleant; Parochus tempestive, et antequam ad Matrimonii publicationes procedat, curabit ut sponsus censura affectus ad absolutionem obtinendam se disponat. — Sed quid si illum disponere nequeat? Si casus esset occultus, matrimonio ( non secus ac nihil obstaret ) assistere deberet, iuxta omnes. Si vero casus esset publicus, tunc assistere nequiret, si absque malis consequentiis suam assistentiam denegare posset. At vero quandonam hae malae consequentiae aberunt? Quum omnia iam sint disposita, familiae gravissime turbarentur, contra Parochum ira acerrima incenderentur, di-

* Dixi *excepto casu urgentissimo;* si nempe tempus recurrendi Romam non suppeteret. Id contingeret speciatim in moribundo, qui nec syngraphum subscribere, nec ( v. g. quia impeditus a familiaribus ) testes advocare posset. In huiusmodi casibus dicerem quod Ecclesia impossibilia non iubeat, et quod Confessarius, postquam meliori modo possibili intentionibus Ecclesiae prudenter satisfecerit, absolutionem concedere possit. Vide casum similem apud S. Lig. VI. 1117 in fin.

cteria innumera fierent, matrimonii mere civilis magnum periculum provocaretur; et sic ex denegatione mala maiora quaquaversus sequerentur. In praxi itaque distinctio inter casum occultum et publicum (saltem hodie et apud nos) vix locum habere potest; multo magis quia supponimus unam partem esse innocentem. Curandum tamen (pro casu publicae obstinationis in censura) ut Matrimonium privatim, et prius consulto Episcopo, celebretur. Vide dicta de Occasionar. (n. 120). — Sed non solum excommunicatio; bene vero etiam

904. *Peccatum mortale* matrimonii celebrationem graviter illicitam reddit; idque quia contrahentes Sacramentum suscipiunt, imo etiam sibi invicem ministrant. Casus esset, v. g., si sponsus, invitis rationabiliter parentibus, illas nuptias contraheret; aut propter defloralionem aliam puellam in matrimonium ducendi gravem obligationem haberet. Practice curandum est ut sponsi in gratia Dei constituantur; sed, quamvis hae curae in irritum cesserint, (nisi Episcopus assistentiam vetuerit) Parochus Matrimonio assistere debebit; nec facile a tali assistentia se eximere posset, etsi de casu publico ageretur, ut modo dicebam. — Curandum est etiam ut sponsi ante matrimonium Sacramentalem confessionem faciant, sed ex lege Ecclesiae ad illam praecise non obligantur; et proinde male se gerunt illi Parochi, qui (seclusa lege synodali) absolute recusant Matrimonio assistere, nisi sponsi prius confessionem faciant, vel confessionis peractae testimonium praebeant. Berengo (n. 126).

### *De proclamationibus Matrimonii celebrationi praemittendis.*

905. Ad impediendum ne quis iam alio Matrimonio ligatus, aliisve impedimentis detentus, aut insciis parentibus, nuptias contrahat, Concilium Trid. (XXIV. 1) praecepit, ut « ante« quam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium « Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter « Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matri« monium sit contrahendum ». Explicantur verba.

*A*) *A proprio contrahentium Parocho.* Rituale dicit: « Si vir « et mulier Parochiae sint diversae, in utraque Parochia fiant « denuntiationes ». — Proprius Parochus intelligitur ille, in cuius Paroecia sponsi ut veri Parochiani, habitant de praesenti. Interdum tamen, publicationes proprii Parochi non sufficiunt. Vecchiotti (§ 71), Berengo (n. 131), aliique dicunt fuisse de-

cisum quod, si matrimonium celebrari debeat a iuvene degente in collegio, monasterio, vel conservatorio, publicationes non solum in Paroecia collegii, monasterii etc., sed etiam in illa, ubi eius Parentes vel Tutores degunt, faciendae sunt. Del Vecchio (n. 996) idem dicendum esse asserit de militibus, si forte in exercitu longe a domo paterna nuptias contrahere velint. A fortiori idem dicendum esset si sponsorum alteruter duplex domicilium haberet (cf. n. 849), aut si matrimonium contracturus esset in loco quasi-domicilii, dum alibi principalem parochialitatem conservat. Scavini (III. 809) dicit quod S. C. C. declaravit, faciendas esse proclamationes etiam in Paroecia unde quis a brevi tempore discessit; atque insuper (absque ulla casuum distinctione) in loco originis; sed regulae istae non ubique vigent; et proinde Parochi in praxi propriae Dioecesis consuetudinem (donec Episcopus aliter non disponat) observare debebunt, ut recte notat Del Vecchio (l. c.).

*B*) *Tribus continuis diebus festivis.* Quid de diebus festis suppressis? In iis quoque fieri possunt proclamationes; sed dummodo frequens populus ad Missam concurrere soleat, et sic scopus a Concilio intentus obtineri possit. Cf. plures S. C. C. decisiones apud Vecchiotti (§ 71). — Quid de illis diebus ferialibus, qui a populo ex devotione tamquam festivi celebrantur? In his fieri nequeunt proclamationes, nisi pro aliquo casu particulari ex causa rationabili et de licentia Episcopi. Vecchiotti (l. c.). — Quid si proclamationes fierent quidem tribus diebus festivis, sed non continuis? Alicubi consuetudo est ut, si forte occurrat dies festivus infra hebdomadam, licitum sit illum praeterire, peragendo proclamationes solis diebus dominicis; imo alicubi Dioecesanae leges iubent ut dies festus sine proclamationibus relinquatur, si forte die immediate antecedenti proclamationes factae fuissent. Parochi itaque propriae Dioecesis consuetudinibus vel legibus se conformabunt; sed certe a peccato veniali excusari nequiret Parochus, qui, postquam fecerit primam proclamationem, v. g., die dominica, sequentem diem dominicam praeteriret, quin adhuc secundam perageret. Scavini (III. 809). — Proclamationes fieri possunt etiam tempore pro nuptiis vetito; sufficit enim ut nuptiarum celebratio ad tempus licitum differatur. Scavini (n. 901). — Unius proclamationis omissio peccatum veniale non excedit; idemque dicunt Salmanticenses de duabus. Ego dicerem perpendendas esse circumstantias, et speciatim qua de causa omittantur, utrum alicuius impedimenti timor adsit, an populus admonitus fuerit proclamationem

illam esse ultimam; praecipue vero an inter talem proclamationem et matrimonii celebrationem intervallum decurrat. Cf. S. Lig. ( VI. 990 ). Omittere autem proclamationem ex toto ( intellige semper seclusa dispensatione expressa aut saltem legitime praesumpta ) certe peccatum mortale est.

Quoad proclamationes in locis ubi Conc. Trid. publicatum non fuit, servabitur Dioecesis consuetudo. Attamen una saltem publicatio (ex Cap. finali de Clandest. Despons.) ubique exigitur.

*C*) *In Ecclesia inter Missarum solemnia;* nempe in Missa Parochiali, ut declaravit S. C. C. apud Scavini (809). In casu oblivionis, fieri poterunt in alia Missa ( supposito semper populi concursu ) aut post meridiem, in concione, in processione etc. Tempore pestis, si populus ad Ecclesiam non concurrat, per publica edicta ( nisi Episcopus dispenset ) Ecclesiae ianuis affixa peragendae erunt. ( Cf. Scavini n. 900 ).

906. Episcopi eorumque Vicarii generales habent facultatem ordinariam ( quam aliis delegare possunt ) dispensandi a publicationibus*. Attamen causae graves exiguntur; quales essent non solum si ageretur de periculo mortis, aut de matrimonii iam contracti revalidatione, aut si qui de facto concubinarii sunt coniuges legitimi reputarentur, aut si iustis de causis matrimonium secretum ( vulgo conscientiae), iuxta dicta De Occasionar. n. 119, celebrandum esset; sed etiam si mulier iam esset gravida et timeretur ne vir voluntatem mutaret; vel si sponsi parati essent ad matrimonium civile statim contrahendum; et multo magis si publicationibus non consentirent, et timendum esset quod, si fierent, civiliter dumtaxat et non ecclesiastice nuberent; vel si sponsus in longinquas regiones statim profecturus esset; vel si timeri deberet ne parentes matrimonium inique impedituri essent; vel si ageretur de Regibus et Principibus quorum Matrimonia in Ecclesia publicari non soleant; vel si ex una parte tempus Quadragesimae vel Adventus immineret, et ex alia periculum incontinentiae aut aliud grave motivum suaderet ne diu matrimonium differatur; denique si sponsi valde senes, aut sive aetate sive conditione valde dispares essent. — In praxi Parochus pro suis Parochianis dispensationem a publicationibus implorans de huius vel illius causae existentia, simulque an alicuius impedimenti timor adsit vel non adsit Episcopum certiorem facere debet. — Episcopus autem non raro

* Si sponsi non essent ambo dioecesani, plures sentiunt sufficere unius Episcopi dispensationem, et sic certe dici debebit pro casu urgenti; sed de caetero in praxi consuetudini standum erit. Cf. Scavini ( III. 816 ).

veram obligationem habere potest dispensandi ; si nempe in illo casu particulari legis observantia in malum redundaret (cf. Ballerini II. ad n. 725). Interdum etiam expedire potest ut solum ab una vel a duabus, non vero ab omnibus proclamationibus dispenset ; unde D' Annibali ( III. 344 ) dicit : « Episcopis per-« mittitur ab eis dispensare : nempe ab una ex iusta causa ; a « duabus ex gravi ; ab omnibus ex gravissima necessitate ». Vide etiam Scavini ( 816, 902 ), Vecchiotti ( § 71 ), et speciatim Benedictum XIV. Constit. *Nimiam licentiam.* — Trid. dicit quod proclamationes praetermissae suppleri debent postea, antequam Matrimonium consummetur ; sed hoc ( saltem apud nos ) in desuetudinem abiit.

907. An Parochus, absque dispensatione ab Ordinario obtenta, possit aliquando Matrimonio, omissis proclamationibus, assistere ? R. Si Ordinarius adiri nequiret, et motiva essent adeo gravia ut Episcopus dispensationem omnino concedere teneretur, tunc dispensatio praesumpta sufficeret, et Parochus assistere posset, imo deberet. Aliqui censent, Parochum assistere posse etiam casu quo Episcopus iniuste renuisset ; nec ad maiorem Superiorem recurrendi tempus adesset. Sed haec opinio mihi videtur subversiva et practice non admittenda, nisi forte Episcopus iam aliis vicibus de imprudenti severitate convictus fuisset, aut alienationis mentalis signa dedisset.

*De obligatione impedimenta denunciandi.*

908. Haec obligatio non respicit impedimenta improprie dicta, nempe si nupturiens esset excommunicatus, aut, seclusis sponsalibus, aliam ducere teneretur etc., ut observat D' Annibali ( n. 346. not. 19 ). Respicit itaque impedimenta veri nominis, sive dirimentia sint, sive solum impedientia ; et urget sub gravi, idque quamvis publicationes praetermissae fuissent. Sanchez ( III. XIII. 2 ) et Scavini ( 812 ).

909. Ut haec obligatio subsistat, non est necesse ut impedimentum per alios testes probari possit, quandoquidem hac in re sufficit testimonium unius, unde in iure legitur : « Matre « asseverante ipsos esse consanguineos, non debent coniungi ». Exigitur tamen ut denuntiatio tamquam solidum et iuridicum unius testimonium valere possit ; si enim notitia impedimenti habita fuisset a personis non fide dignis, aut sub dubio, aut a persona ignota, aut si quis non recordaretur a quibusnam personis rem illam audivisset ; tunc obligatio denuntiationis

( utpote quae nihil solidi contineret ) non adesset. Attamen aliqui notant quod bonum erit consilium tunc quoque denunciationem peragere, dummodo de impedimento infamatorio non agatur. Cf. Sanchez ( III. xiii. 7 ) S. Lig. ( 994 ) et Scavini ( 812 ).

910. Solum secretum naturale aut merae confidentiae, quamvis promissum aut iuratum, certe non eximit ab hac obligatione. S. Lig. ( l. c. ). Sed circa secretum, quod consilii vel auxilii petendi causa commissum fuit ( prout accidit in medicis, obstetricibus etc. ), Theologi non conveniunt. Scavini ( 812 ) et Berengo ( 132 ) obligationem tunc non urgere censent ; et cum istis ego quoque opinor : credo enim quod bonum publicum multo magis exigat ut secreta huiusmodi serventur, quam ut nullitas aut illiceitas ( ut plurimum materialis ) aliquorum matrimoniorum ( quae postea, si forte impedimentum detegatur, legitimari solent ) impediatur.

911. Obligatio non adest 1° Si denuntiatio inutilis esset ; ut puta, si testis ex visu iam denuntiasset ( tunc enim testis ex fama ad nihil teneretur ) ; vel si dispensatio iam petita fuisset ; vel si sponsi admoniti, iam a matrimonio abstinere essent parati; vel si matrimonium iam contractum fuisset. Scavini ( 812. not. 5 ). — 2° Si denuntiatio sine gravi incommodo peragi non posset. S. Lig. ( 995 ) dicit : « Cum tuo gravi damno aut aliorum scan« dalo non teneris denunciare ». Exemplum esset si ex facto infamanti, proprio vel proximorum consanguineorum, impedimentum ortum fuisset. Scavini ( l. c. ).

*Quomodo se gerere debeat Parochus, proclamationibus iam peractis ?*

912. Si nullum detectum fuerit impedimentum, tunc Parochus sponsi de hac re litteras testimoniales mittere debet ad Parochum sponsae, qui, illis habitis ( et non antea ) matrimonio assistere poterit. Et notandum quod inter ultimam publicationem et matrimonii celebrationem ad minus una dies intercedere debet, ut, si quis aliquod impedimentum denunciare debeat, id praestare possit. Scavini ( n. 810 ). — Quid si Matrimonium diu differatur ? Rituale dicit : « Si infra duos menses post factas « denunciationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes « repetantur, nisi aliter Episcopo videatur ».

913. Si aliquod impedimentum denuntietur, Parochus illud ad Episcopum statim deferre debet ; idque quamvis dubium, falsum vel calumniosum ei videretur ; iudicium enim non ad Parochum

sed ad Episcopum spectat. Vecchiotti (§ 71). Idem dic si, nemine denuntiante, Parochus ipse alicuius impedimenti notitiam haberet; dummodo non ex sola confessione aut sponsorum ipsorum secreto commisso, eo quod de re occulta quae sine infamia revelari nequeat, aut de voto occulte emisso, agatur; quibus in casibus, Episcopo non admonito, per se ipsum dispensationem procurare deberet.

*Quid sciendum aut faciendum a Parochis casu quo dispensatio ab aliquo impedimento peti atque executioni demandari debeat.*

914. Nihil dico de illis impedimentis, a quibus Ecclesia dispensare nequit, prout essent impotentia, ligamen et consanguinitas in primo gradu. Sunt etiam impedimenta a quibus Ecclesia dispensare non solet (quamvis absolute posset), nempe votum solemne, Ordo, aetas, raptus, et crimen ex coniugicidio (speciatim notorio). Adde (nisi forte ex causis gravissimis) affinitatem ex copula licita in primo gradu; consanguinitatem et affinitatem in gradu 2 et 1 mixto (vide n. 818 et 825 et de Occas. 127); et (apud nos) cultus disparitatem et mixtam religionem. Quoad impedimentum ex sponsalibus, vide de Occas. (n. 128).

915. Si impedimentum oriretur ex voto simplici castitatis *temporaneae*, aut virginitatis presse sumptae, aut non nubendi, aut suscipiendi Ordines Sacros, aut profitendi Institutum quod Ordinem Religiosum veri nominis non constituat; tunc ad Episcopum pro commutatione recurrere sufficit*. Caeterum quoad votum (etsi simplex) castitatis perpetuae atque perfectae, et Religionis stricte dictae, Episcopi nullam facultatem habent. Idem dic, apud nos, de aliis impedimentis, quamvis occultis, pro quibus proinde Romam recurrere oportet. Dixi *apud nos*; extra Italiam enim huc illuc Episcopi ex speciali indulto et in quibusdam casibus dispensare possunt; et tunc notandum quod, si sponsi essent diversae dioecesis, dispensatio concessa ab uno Episcopo, pro ambobus valeret. Gury Cas. Conse. (II. n. 1036).

916. Ut dispensatio ab impedimentis matrimonialibus obtineri possit, causa legitima exigitur. Causae huiusmodi reduci possunt ad quinque sequentes.

* Nihil tamen vetat quominus pro his quoque casibus Romam recurrat qui ad Episcopum recurrere nollet. — Commutatio concedi potest ab iis quoque qui S. Poenitentiariae facultates habent.

I. Si foemina in magno periculo versaretur innupta remanendi, aut nubendi solum cum viro disparis conditionis. Hinc causae legitimae sunt 1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (attamen ratione tantum foeminae), cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum. Casus verificari potest in familiis nobilibus aut honestioris conditionis. Locus non censetur angustus si in ipso plus quam 300 familiae aut 1500 personae inhabitent; neque si agatur de suburbio aut oppidulo, a quo civitas vel aliud oppidum non ultra milliare distent. Cf. Berengo (App. XI). — 2° *Aetas foeminae (non viduae) superadulta*, si scilicet 24 aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenerit. Non inquiritur cur non invenerit. Si tamen ex mera morositate optimas occasiones respuisset, dicunt, id in supplicatione exprimi debere. Cf. D' Annibali (III. 401). — 3° *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe foemina non habeat *actu* tantam dotem, ut viro aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit (N. B.) in proprio loco ubi commoratur. — 4° *Infamia mulieris* ex suspicione orta, quod illa, cum suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita fuerit ab eodem, licet suspicio sit falsa. Si tamen mulier (prout contingere potest in plebeis), non obstantibus his suspectibus, fere aeque nuberet, tunc haec causa (pro gradibus propinquioribus) non valeret. — 5° *Copula et praegnantia, ideoque legitimatio prolis.* Si tamen copula patrata fuisset sub spe facilioris dispensationis: haec circumstantia, quae dispensationem ipsam difficiliorem reddit, in supplicatione foret (et quidem pro valido) exprimenda.

II. Periculum incontinentiae: prout contingere potest 1° *Propter nimiam et periculosam familiaritatem*, nec non *propter cohabitationem* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit; 2° *Si ageretur de vidua adhuc iuveni*, quae non facile alteri nubere posset.

III. Remotio gravium scandalorum; nempe 1° *Ad avertendum periculum publici concubinatus*, vel ad concubinatum iam subsistentem e medio tollendum; 2° *Ad avertendum periculum matrimonii mere civilis*, et a fortiori si istud iam contractum fuisset; 3° *Ad avertendum periculum matrimonii mixti*, aut coram acatholico ministro celebrandi; 4° *Ad impediendas gra-*

*ves rixas*, vel ad extinguendas graves inimicitias, vel ad pacem magni momenti iam initam confirmandam.

IV. Graves necessitates temporales; nempe 1° *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur; 2° *Necessitas auxilii*, quatenus mulier tali viro indigeat ad recuperanda bona sua magni momenti; maxime vero si ageretur de magna lite circa bonorum successionem, quo casu ratio quoque boni publici superadderetur. 3° *Periculum vitae*, quod practice ingruere potest viro, nisi ad foeminam ducendam (quam forte gravidam reddidit) se offerat.

V. Excellentia meritorum erga Ecclesiam, si nempe quis virtute, doctrina, liberalitate, aliove modo de Religione sit optime meritus. Heic recidit *largior eleemosyna*, quae a Curialibus dicitur *causa sine causa*, quia aliarum causarum defectum supplet, et in rescripto Apostolico exprimitur illis verbis: *Ex certis et rationabilibus causis.*

917. Causae recensitae non sunt omnes eiusdem ponderis, uti patet; nec quaelibet sufficit pro quolibet casu. Causae gravissimae et urgentissimae reputantur periculum matrimonii civilis aut contrahendi coram ministro acatholico, item periculum vitae, denique copula cum praegnantia et necessitate legitimandi prolem. Hae causae etiam pro gradibus propinquioribus sufficere solent. Idem dic si ex aliis causis non una sed plures concurrerent.

918. Ad obtinendam dispensationem pro voto castitatis perpetuae non semper exigitur periculum incontinentiae; sed (ut certe mihi constat) sufficere potest si foemina iam superadulta ex una parte voti emissi commutationem desideret, et ex alia motivis satis gravibus (quamvis sint solum temporalia, v. g. ad sustentationem sibi comparandam) matrimonium inire cupiat.

919. Si mulier voto castitatis ligata nubere vellet cum consanguineo; tunc causa, quae sufficeret ut dispensetur a voto, non semper sufficeret ut dispensetur etiam ab impedimento consanguinitatis; quae enim, v. g., ob periculum incontinentiae indiget ut a voto liberetur, non ideo indiget etiam ut consanguineo nubat; et proinde alia causa insuper exigeretur.

920. Dispensatio potest esse invalida 1° Ex *obreptione*, nempe ex falsitate causae adductae; 2° Ex *subreptione*, nempe ex reticentia vel erronea narratione earum rerum quae de iure omnino exprimi debent. Bona fides in hoc nihil suffragatur. De obreptione opportunius aliqua dicam infra (n. 930 *G*). Circa subre-

ptionem notanda sunt sequentia. Exprimi debet 1° *Species infima impedimenti;* nempe, in consanguinitate vel affinitate, an orta sit ex copula licita vel illicita; in publica honestate, an ex sponsalibus vel matrimonio rato provenerit; in impedimento criminis, utrum provenerit ex solo adulterio cum promissione matrimonii, an vero ex coniugicidio cum eadem promissione vel adulterio; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem; denique in voto, utrum fuerit simplex castitatis (temporaneae aut perpetuae), publice aut private emissum, an religionis, vel Ordinis Sacri suscipiendi etc. — 2° Si agatur de consanguinitate vel affinitate vel honestate ex matrimonio rato, exprimi debet *linea et gradus* *; nec non an gradus sit simplex, an vero mixtus et quomodo praecise, idest non tantum remotior sed etiam propinquior (cf. n. 818. 3). — 3° *Numerus impedimentorum* non solum dirimentium sed etiam impedientium; et an consanguinitas vel affinitas sit unica, an vero duplex vel multiplex (cf. n. 819. 826). — 4° *Copula incestuosa;* habita nempe a sponsis (intellige formaliter, et dum ambo se esse consanguinitate vel publica honestate vel alia cognatione ligatos, indeque oriri specialem incestus malitiam, cognoscebant) ante dispensationis executionem, sive ante sive post eius impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Quomodo autem id peragi possit absque infamia, n. 925 explicabitur. Notandum 1° quod intentio praedicta (si forte adfuerit) exprimi deberet pro valido, quamvis copula non adduceretur pro motivo dispensationis obtinendae, ut patet ex responso C. S. Officii allato (De Occasionariis n. 123). 2° Probabiliter tamen oportet ut haec intentio ex utraque parte adfuerit. Gury (Cas. Conse. II. 1042). Quid de copula onanistica? R. Copula debet esse non onanistica sed consummata. Sanchez VIII. x. 10. Attamen (ut dicit Scavini) Leo XII (5 Maii 1827) declaravit, *pro foro externo* exprimendam esse copulam, si vas foemineum penetratum fuerit, licet ea secuta non fuerint, quae tum ad generationem prolis tum ad perfectam copulam requiruntur. — 5° Si agatur de dispensatione obtinenda pro foro externo, oportet etiam ut exprimantur *nomina et cognomina Oratorum;* nec non quaenam sit *Dioecesis sive ori-*

* Si exprimeretur quartus pro tertio, dispensatio non valeret; secus si exprimeretur tertius pro quarto. Gury Cas. consc. (II. 1060).

*ginis sive actualis domicilii* ipsorum, ad cuius Ordinarium dispensationis executio committi solet.

921. Hucusque dicta circa causas adducendas pro obtinendis dispensationibus, et circa ea quae exprimi debent ut dispensatio non sit subreptitia, excerpta sunt ab Instructione a S. C. De Prop. Fide emissa die 9 Maii 1877 (apud Berengo app. XI); et notandum quod plures opiniones vel doctrinae hucusque expositis non cohaerentes hodie reiici debent.

922. Si forte dispensatio alia vice petita et denegata fuerit, et nunc denuo petatur, oportetne ut prioris repulsae mentio fiat? R. Negative; id enim nullo iure cavetur. Cf. Gury Cas. Consc. II. 1043. Attamen vide infra (n. 937 *F*).

923. Impedimentum potest esse occultum *, et publicum, et partim publicum partim occultum.

Si sit occultum (prout esse potest affinitas ex copula illicita, crimen, et votum private emissum), tunc Parochus (aut Confessarius) dispensationem per se ipsum petere debet, ut supra dicebam. Epistola mittitur Romam ad Card. Maiorem Poenitentiarium, tacito nomine et cognomine vero sponsorum. Exempla sunt sequentia.

*Pro impedimento affinitatis.* Eminentissime Domine. Titia in eo est ut matrimonium contrahat cum Caio. At vero obstat impedimentum omnino occultum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum fratre sponsi. Quare humiliter supplicat Eminentiae vestrae ut super isto impedimento cum ea dispensare dignetur. — Causae sunt... (*heic indicentur causae*). Dignetur Eminentia vestra responsum mittere ad... (*heic Parochus seu Confessarius suum nomen, cognomen et patriam indicet*).

*Pro impedimento criminis.* Titia et Caius Matrimonium inire cupiunt. At vero obstat impedimentum criminis ortum ex copula carnali inter ipsos habita, vivente adhuc prima uxore Caii, cum promissione matrimonii data et acceptata, neutro tamen machinante. Impedimentum est occultum. Quare humiliter supplicant Eminentiae vestrae ut super isto impedimento cum iisdem dispensare dignetur. Causae sunt.... (*ut supra*).

*Pro impedimento voti.* Titia (annos nata.....) cupit inire Matrimonium. At vero obstat impedimentum voti simplicis olim

* Occultum intelligitur quod ex una parte notorium non est, et ex alia rationabiliter exigi possit ut occultum servetur; si enim consanguinitas vel affinitas *ex copula licita* forte esset occulta, nihilominus tamquam publica haberi deberet; quo casu impedimentum dicitur *de facto occultum, sed natura sua publicum.*

private initi castitatis perpetuae (*aut* Religionem ingrediendi). Quare humiliter supplicat.... Causae sunt... (*ut supra*).

924. Si impedimentum sit publicum, prout sunt aut semper reputantur consanguinitas et affinitas et publica honestas ex matrimonio, cognatio spiritualis, cognatio legalis, cultus disparitas, mixta religio, sponsalia et votum publice emissum; nec non alia impedimenta orta ex crimine vel fornicatione, si forte notoria evaserint; tunc dispensationis impetratio Curiae Episcopali relinquitur; quae illam obtinet modo a Dataria (sive in forma ordinaria sive in forma pauperum), modo a Poenitentiaria; hodie enim Poenitentiaria dispensat loco Datariae, et sic etiam pro foro externo. Dispensationes quae obtinentur a Poenitentiaria sunt quidem pro pauperibus sed non dicuntur in forma pauperum *.

925. Si demum impedimenta sint partim publica et partim occulta (prout contingere solet, interveniente copula occulta, quae incestum constituat aut affinitatem consanguinitati superaddat); tunc pro impedimento publico ope Curiae Episcopalis recurrendum erit, et pro occulto Confessarius (seu Parochus) recurrere debebit, ut supra. Nota quod Confessarius recurrens non solum hoc ipsum impedimentum occultum, sed etiam im-

* Quinam veniunt sub nomine pauperum ita ut dispensationem a S. Poenitentiaria obtinere possint? R. Hodie stylus est sequens. Oportet 1. ut bona stabilia, quae (ambobus sponsis consideratis) fr. 2000 (extra Italiam fr. 2500) excedant, non habeant; 2. ut sua industria aut aliis redditibus vel capitalibus mobilibus non vivant adeo commode et opulenter, ut pauperes appellari nequeant.

Taxa, quae in Poenitentiaria solvitur, a fr. 16 usque ad 40 circiter extenditur; nisi sponsi sint adeo pauperes et miserabiles ut dispensationem gratis omnino obtinere mereantur.

Dataria dispensat quoad divites in forma communi (cf. de Occasionariis n. 126). Quoad pauperes (si ad illam recurrant), *in forma pauperum;* idque duobus modis; nempe 1. soluta dumtaxat taxa (vulgo *exercitii*) pro officialibus (quae tamen taxa solet esse semper paullo maior illa quae in Poenitentiaria, ut supra, solvitur), si oratores sint pauperes et miserabiles; talesque considerantur iuxta regulam supra expositam. 2. Aliqua ulteriori soluta taxa, si sponsi sint fere pauperes, quales esse censentur si eorum fortuna fr. 10,000 non superet.

Ad obtinendam dispensationem more pauperum litterae testimoniales Episcopi necessariae sunt; et in praxi tutius est exponere quanta sit fortuna sponsorum cum adiunctis, ut procurator Romae ad Datariam vel Poenitentiariam recurrat, secundum quod melius iudicabit (multo magis quia stylus in rebus huiusmodi variare solet), atque etiam ut ipsa Dataria vel Poenitentiaria magis praecise sciat quomodo res se habeant.

Quid si sponsi essent divites, et Datariae taxam solvere nollent? Vide De Occasionar. (l. c.).

pedimentum publicum exprimere debet; secus enim numerus impedimentorum in neutra supplicatione expressus remaneret, et sic dispensatio ex subreptione invalida esset. Do exemplum.

Eminentissime Domine. Sempronius et Livia matrimonium inire intendunt. Dispensati fuerunt a S. Sede Apostolica ab impedimento consanguinitatis (*vel* affinitatis) ex copula licita (*exprimatur linea et gradus*). At vero obtenta dispensatio nulla est ob impedimentum affinitatis occultum et reticitum proveniens ex copula illicita Sempronii cum sorore Liviae (*vel* ob falsam allegatam copulam absque culpa Oratorum; *vel* ob incestum occultum reticitum in precibus; *vel* ob reticitam bona fide Oratorum malitiosam intentionem qua incestum commiserunt sub spe obtinendi facilius dispensationem). Quare humiliter supplicant Eminentiae vestrae, ut pro impetrata sed invalide illa dispensatione, gratiam convalidationis ipsis concedere dignetur. Causae sunt.... (ut supra). — Notandum 1° quod, si ageretur de nullitate propter reticitam affinitatem ex copula illicita, tunc non ambo recurrerent, sed solum ille qui fuit causa affinitatis, et proinde in singulari, nempe eius nomine dumtaxat, epistola conscribi deberet. — Notandum 2° quod interdum potest esse bonum consilium ut dispensatio (ne expensae factae in Dataria inutiles evadant) petatur prius a Poenitentiaria; et tunc dicendum erit: *Dispensationem petituri sunt... dispensatio nulla erit... pro impetranda sed invalide dispensatione etc.* Ita Vecchiotti, D' Annibali etc. Notandum 3° quod, Episcopi solent habere facultatem dispensandi propter copulam incestuosam occultam et reticitam in precibus, si dispensatio obtenta fuerit pro 3° vel 4° gradu sive consanguinitatis sive affinitatis. — Imo ipsi Episcopi hodie habere solent etiam ampliorem facultatem circa huiusmodi incestum, nempe: « Dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis *super quo-* « *cumque canonico impedimento* ab Apostolica Sede expeditas, « quae nullae fuerint ob incestum (*non distinguitur inter oc-* « *cultum et publicum*) reticitum in precibus, aut iteratum..... « iniuncta poenitentia salutari; ac, si agatur de litteris ab Apost. « Dataria obtentis non in forma pauperum super impedimentis « primi, seu primi et secundi, aut secundi tantum consangui- « nitatis seu affinitas graduum, praescripta aliqua eleemosyna « iudicio Ordinarii taxanda iuxta contrahentium vires ». Cf. *Monitore Eccl.* II. III. pag. 85.

926. Ex dictis patet quod dispensatio mittitur 1° interdum a Poenitentiaria pro solo foro interno; 2° interdum a Dataria;

3° interdum a Poenitentiaria, loco Datariae, pro utroque foro *. Hodie stylus est ut concedatur in forma non gratiosa sed *commissoria;* ita ut nempe dispensatio non ab ipsa Poenitentiariá vel Dataria, bene vero ab Episcopo vel Confessario, ad quem rescriptum mittitur, executioni demandetur.

927. In his rescriptis plures clausulae reperiuntur, quae praescribunt quo modo aut sub quibus conditionibus dispensatio executioni demandari debeat. Sed quomodo cognoscitur an talis vel talis clausula sit pro valido et tamquam vera conditio sine qua non; an vero sit solum pro licito et tamquam simplex monitum quo executor reminiscatur quomodo se gerere debeat? R. Si rescribens gravissimis verbis utatur, dicendo, v. g., *sic tantum et non aliter et nullo alio modo*, tunc certe agitur de vera conditione. Particulae *si* et *dummodo* ut plurimum indicant pariter conditionem pro valido; sed aliqua exceptio, considerato fine dispensantis, adesse potest. Ablativum absolutum indicare conditionem sine qua non, dicunt multi; sed haec regula saepe fallit, maxime si agatur de rebus quae de iure pro solo licito praescribuntur eodem modo. Rei gravitas consideranda est; sed suprema regula ab interpretatione communiter admissa sumi debet.

928. Quid de dispensatione probabili? Quid nempe si graves et probati Auctores censeant dispensationem tali vel tali modo executam valere, aut talem vel talem clausulam non esse pro valido; sed alii non pauci contra sentiant? R. Sanchez (VIII. 1. 3-15) distinguit inter dispensationem *ex gratia* et dispensationem *ex debito*. In primo casu dicit, dispensationem tamquam vulnus legis atque odiosam esse considerandam: et proinde tunc, quum odia sint restringenda, in dubio pro dispensationis nullitate standum esse. In secundo, si nempe propter causarum gravitatem et casus urgentiam dispensatio omnino concedi debeat, sentit dispensationem ipsam tamquam favorem causae debitum esse habendam, et proinde in dubio pro illius validitate esse standum. Alii indistincte dicunt quod in opinionum probabilitate supplet Ecclesia, idque omnino esse admittendum mihi videtur ne tot actus invalidi sint; dispensationum enim executores a probatis Auctoribus regulam sumunt. Cf. D'Annibali (III. 419. not. 6).

929. Dispensationes missae a Poenitentiaria pro solo foro in-

* Ad Poenitentiariam quovis tempore recurri potest (etiam pro foro externo). Dataria vacationes habet per duos menses in Autumno, tres hebdomadas a Nativitate Domini incipientes, tres hebdomadas in Paschate, et duas in Pentecosten, et duas in Festo S. Petri: sed in Autumno, non obstantibus vacationibus, dispensationes matrimoniales concedit.

terno committuntur *proprio Oratoris Parocho, sive Confessario approbato ab Ordinario et per eundem Oratorem specialiter eligendo*. Hodie igitur non exigitur ut sit magister in Theologia vel Decretorum Doctor. Oportet solum 1° ut sit approbatus, ita ut orator apud illum valide confiteri possit ; nec obstaret si extra Dioecesim confessionem faceret. Oportet 2° ut sit specialiter electus ad hoc ut dispensationem exequatur. Si tamen apud electum nihil concluderetur, orator poterit alium eligere Confessarium, neque obstabit si Poenitentiariae rescriptum a priori Confessario apertum et lectum fuerit. Roncaglia, et Scav. (824).

930. Clausulae, quae a Poenitentiaria pro foro interno ponuntur, sunt sequentes.

*A* ) *Audita prius eius* ( vel *eorum* ) *sacramentali confessione... In foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, et non aliter neque ullo alio modo*. Haec clausula non solum ad licitum sed etiam ad validum pertinet sine dubio. Si oratores non eodem uti vellent Confessario, tunc prior confessarius, post dispensationem, poenitenti rescriptum tradere debet, ut alteri confessario praebeatur. Sed quid si post unius confessionem et dispensationem, alter confiteri nollet? R. Impedimentum iam sublatum fuit quoad utrumque ; dum enim S. Poenitentiaria exigit ut alter quoque confiteatur et cum eo etiam rescriptum executioni demandetur, hoc est ut salutares poenitentiae ambobus applicentur, non vero quia adhuc perduret impedimentum. Ita S. Poenit. ( 16 Nov. 1748 ). Vide *De Occasionariis* n. 132. Clausula confessionis itaque pro licito quidem utrumque, sed pro valido alterutrum dumtaxat respicit. — Quid si confessio fuerit nulla aut sacrilega? R. Dispensatio nihilominus valida foret ; nec obstat quod Rescriptum dicat : « Cupiunt a praemissis, *de quibus plurimum* « *dolent*, absolvi ». Id quoque decisum fuit a S. Poenitentiaria ; ut l. c. videre est. — Quid si Confessarius animadverteret, poenitentem esse indispositum, et proinde illum absolvere nequiret? R. Tunc a dispensatione concedenda abstinere deberet. Enimvero in quolibet rescripto leguntur sequentia verba : « A quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, si quas propter « praemissa quomodolibet incurrerint, incestu ( *vel* adulterio « *vel* fornicatione ) et excessibus huiusmodi, hac vice in forma « Ecclesiae consueta absolvas * ». Si tamen ex una parte haec

* Si censurae aut culpae praedictae reservationi Dioecesanae subiicerentur, nihilominus absolvi possunt, propter facultatem heic pro una vice a S. Sede concessam.

absolutio concedi nequiret, et ex alia si, dispensatione non concessâ, gravia inconvenientia (prout ordinarie contingit) oritura essent, tunc Confessarius dispensationem concedere posset; dicente S. Poenitentiaria (l. c.): « Absque sacramen-« tali absolutione concedi potest (dispensatio), si forte urgens « aliqua necessitas id suadeat ».

*B*) *Iniuncta eis pro modo culpae* gravi (*vel* longa, *vel* diuturna) *poenitentia salutari.* Gravis esset, v. g., ieiunium in Sabbato, vel confessio mensilis (pro non assueto), vel quotidiana recitatio Rosarii, seu lectio spiritualis, seu eleemosyna, per sex menses. Longa esset ad annum; diuturna ad triennium. — Haec clausula est solum pro licito, non vero pro valido, prout fere omnes fatentur. Cf. Scavini (n. 824. 5. not. 2).

*C*) *Quodque in pauperum subventionem faciant eleemosynam arbitrio tuo iuxta eorum vires taxandam.* Haec clausula ponitur solum pro casu incestus. Eleemosyna poenitentiae Sacramentali superaddi debet. Dicitur *arbitrio tuo*; sed hoc arbitrium debet esse ratione regulatum, ita ut eleemosyna iuxta personae vires taxetur.

*D*) *Aliisque iniunctis de iure iniungendis.* Casus esset, v. g., si ex adulterio, vel stupro etc. damna reparari deberent. Sufficit si obligationes huiusmodi iniungantur; nec invalidam reputarem dispensationem, si forte Confessarius ex ignorantia vel inadvertentia non omnia iniunxisset quae de iure iniungenda essent; non enim expedit ut propter faciles confessariorum errores matrimoniorum valor in discrimen ponatur. Si autem poenitens muneri suo satisfacere nollet, tunc evaderet indispositus, et sic redirent supradicta.

*E*) *Sublata occasione peccandi.* Haec clausula apponitur pro casu affinitatis ex copula illicita, habita, v. g., cum sorore sponsae; unde Confessarius exigere debet separationem ab hac occasione (si adhuc formaliter extet); et si forte occasio esset necessaria, tunc exigere deberet usum cautelarum, ut occasio ipsa ex proxima reddatur remota. Sed, si occasio non submoveretur, dispensatio essetne invalida? Affirmat Bouy. ; sed Scavini dicit: « Iuxta alios haec clausula ponitur tant m ad « liceitatem, ad monendum scilicet Confessarium quid ipsi a-« gendum sit ».

*F*) *Dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum.* Intellige 1° Impedimentum veri nominis; non vero si obstaret pertinacia in censura, peccatum mortale, ignorantia catechismi etc. (vide supra n. 872). Intellige 2° Impedimentum di-

versum sive specie sive numero. Diversum numero contingeret, v. g., si quis pro impedimento affinitatis contracto ex copula habita cum sorore sponsae dispensationem petiisset, et sive antea sive postea cum alia eiusdem sponsae consanguinea copulam habuisset. Caeterum omnes norunt quod copularum multiplicitas cum eadem persona habitarum, impedimentum non multiplicat. Intellige 3° Impedimentum sive dirimens, sive impediens dumtaxat; et recole quod incestus cum sponsa ipsa perpetratus verum impedimentum impediens constituit; unde si ante dispensationis executionem intervenisset, nec in petitione expressus fuisset, dispensatio certo certius invalida esset. Vide *De Occasionariis* (n. 123).

*G*) *Si ita est.* Si nempe causae adductae in petitione verae sint, nec quidquam expositum fuerit, quod dispensationem obreptitiam vel subreptitiam reddat. Certe haec clausula est pro valido, et omnia debent esse vera saltem tempore executionis. Dixi *saltem;* hodie enim communissime dicunt, non oportere ut fuerint vera tempore petitionis aut concessionis Pontificiae, quum dispensatio in forma commissoria, et ideo non a Pontifice sed ab executore (quamvis Pontificis nomine) detur. Confessarius itaque, antequam ad executionem procedat, rem examinare debet, multo magis si non ipse sed alius petitionem Romam misisset; et in hunc finem maxime expedit ut missae petitionis exemplar conservetur. Examinet itaque utrum veritas exposita fuerit, et an forte causa adducta evanuerit, ut puta, si tota causa fuisset legitimatio prolis, et proles obiisset. Attamen in hoc examine sufficit si Confessarius poenitentis dicto acquiescat (dummodo positivam et gravem aliter sentiendi rationem non habeat); nec oportet ut testes aut iuramentum exigat; et, si pro certo haberet causas adductas esse veras nullamque postea mutationem accidisse, ab examine abstinere posset. — Si in petitione causa falsa exposita fuisset, et in rescripto causa vera exponeretur, nihilominus dispensatio invalida foret; scribae enim S. Poenitentiariae solitis formulariis utuntur (quae non semper cum petitionibus adamussim cohaerent); sed dispensatio non procedit a scribis, bene vero a voluntate superioris dicentis: *fiat ut petitur, si vera sint exposita.* E contra si in petitione causa vera exposita fuisset (v. g., excellentia meritorum), et in rescripto causa falsa seu non subsistens (v. g., periculum scandalorum) exponeretur, dispensatio valida esset. Ratio est eadem. Gury (Cas. Consc. II. 1058). — Quid si causae adductae partim verae et partim falsae essent? R.

Si causae verae sint tales, ut de stylo tamquam sufficientes ad dispensandum habeantur, tunc dispensatio valebit (exemplum dant si copula falsa et infamia vera exposita fuisset: cf. D'Annibali III. 402. 19. Del Vecchio 1011, Gury etc.); secus, si secus. Sed quid in dubio? R. Ad evitandum periculum matrimonii invalidi, novus recursus exigeretur, multo magis si ageretur de mero dubio privato, quo in casu Ecclesia certo certius iurisdictionem non supplet. — Quid si Confessarius nullum examen institueret, sed causae adductae verae essent? R. Dispensatio valeret; quandoquidem S. Poenitentiaria non dicit: *Si ita esse repereris;* sed dicit: *Si ita est.* D'Annibali (I. 219).

*H*) *Dummodo impedimentum occultum remaneat.* Haec clausula sine dubio est conditio sine qua non. Plures Theologi et Canonistae in hac clausula interpretanda forte nimis laxe loquuntur; sed Lambertini (Inst. LXXXVIII. 43) sapienter dicit: « Ut occultum impedimentum dignoscatur, parum referre « putamus, si illorum sententiae tantum investigentur, qui « nulla experientia praediti S. Poenitentiariae, de hac re teme- « re scripserunt; sed necessarium ducimus perscrutari, quid « hoc vocabulo occulti impedimenti ab eodem S. Tribunali « intelligatur ». Deinde ad Poenitentiariae mentem sequentes normas suppeditat. Impedimentum censetur occultum, licet aliquibus sit notum, puta quatuor vel quinque personis in oppido, septem vel octo in civitate; idque intelligendum nisi dictae personae rem sint evulgaturae, nisi scilicet prudenter timendum sit ne impedimentum ex occulto publicum fiat. S. Poenitentiaria interdum (nempe pro impedimento criminis cum machinatione) dicit: *Dummodo impedimentum sit* OMNINO *occultum;* et tunc si duo vel tres de illo notitiam haberent, dispensatio invalida esset. — Non sufficeret si impedimentum esset occultum ubi contrahitur matrimonium, si forte alibi publicum esset. — Non tamen obstaret si olim publicum fuisset, dummodo iam a longo tempore (et saltem a decennio) occultum esset; tempus enim omnia devorat. — Admitti nequit sententia eorum qui dicunt non obstare si impedimentum sit *materialiter* publicum, si nempe notorium sit crimen, dummodo *formaliter* sit occultum, dummodo scilicet communiter ignoretur quod ex illo crimine impedimentum exurgat. Sententiam huiusmodi Lambertini (l. c. n. 48) dicit, esse omnino contrariam institutis ac consuetudini S. Poenitentiariae, cui se accomodare debent qui ipsius litteras ac diplomata exequuntur. Attamen recole dicta (n. 928).

*I*) *Nullis super his datis litteris, sed praesentibus, sub poena excommunicationis latae sententiae, statim per te post executionem penitus laceratis.* Haec clausula significat, nullum testimonium in scriptis dandum esse de dispensatione obtenta, et rescriptum esse lacerandum post executionem statim (intellige moraliter et saltem infra triduum). Si confessarii essent duo, lacerandum esset ab ultimo. Omissio lacerationis culpae quidem et censurae locum daret, sed dispensationem invalidam non redderet. Scavini (III. 824).

*K*) In rescriptis pro dispensatione a voto castitatis adsunt sequentes clausulae speciales: « 1° *Previa absolutione a mutatione propositi huiusmodi.* Intellige si poenitens culpabiliter « mutaverit propositum atque adhuc absolutione indigeat, sub« lata quavis reservatione si quae sit (Sanchez VIII. XXXIV. 29). « 2° *Facultatem concedit... castitatis votum simplex ab ea* PRI« VATE *emissum (ad hoc tantum ut matrimonium servatis de « iure servandis contrahere et in eo debitum coniugale reddere « et exigere licite valeat) in sacramentalem* CONFESSIONEM SEMEL « QUOLIBET MENSE *et in alia poenitentiae opera a te discrete « praescribenda, et tamdiu duratura quamdiu commutationi « huiusmodi locus erit, inter quae sint etiam aliqua pietatis,* « QUAE ORATRIX QUOTIDIE FACIAT, *ut ea adimplens meminisse « semper possit obligationis, qua huiusmodi voto obstringeba« tur,* PROUT IPSIUS ORATRICIS ANIMAE SALUTI IN DOMINO EXPEDIRE « IUDICAVERIS. *dispensando Apostolica auctoritate, arbitrio tuo « commutandi; pro foro conscientiae et in Sacramentali con« fessione tantum; ita tamen ut, si Oratrix extra licitum ma« trimonii usum contra VI. Dec. praeceptum (quod absit) « deliquerit, sciat se contra castitatis votum facturam; et si « viro, cui nubet, supervixerit, castitatem servare teneatur, « utpote eodem voto ut prius obstricta;* ET ITA ILLAM MONEAS ». — Opera poenitentiae intelliguntur non solum ieiunia aliaeque corporales macerationes, sed etiam orationes (maxime genibus flexis) et speciatim psalmi poenitentiales, psalmus Miserere, actus contritionis etc. Opera pietatis intelliguntur opera misericordiae, sive corporales sive spirituales, sive pro vivis sive pro defunctis. Non oportet ut plura opera tam poenitentiae quam pietatis quotidie exercenda imponantur, sed sufficit si confessarius indicet plura ex huiusmodi operibus, ut poenitens quotidie ad minus duo ex ipsis (ad libitum variando) eligat atque exerceat. Si autem duorum operum impositio nimia videatur,

unum sufficere poterit, dicente rescripto : *prout animae saluti in Domino expedire iudicaveris.* Cf. Sanchez (l. c. n. 41).

*L*) *Apostolica auctoritate misericorditer dispenses ; prolem suscipiendam * exinde legitimam nunciando.* Confessarius post absolutionem a peccatis, dicere poterit : *Auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso te ab impedimento N., ut eo non obstante matrimonium contrahere possis, et prolem suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris etc.* — Et, si agatur de voto castitatis, formula poterit esse sequens : *Auctoritate Apostolica votum castitatis quod emisisti in opera tibi iam iniuncta dispensando commuto, ita ut matrimonium contrahere, eoque uti valeas. In Nomine Patris etc.*

Si omittantur verba *Auctoritate Apostolica*, Auctores non conveniunt utrum dispensatio valeat. Cf. D'Annibali (III. 426. not. 31).

931. Hucusque dicta pertinent ad rescripta Poenitentiariae pro foro interno. Nunc explicanda sunt rescripta Datariae, quae pro utroque foro dispensat.

932. Dispensationis executio ut plurimum committitur Vicario generali (seu Officiali, prout dicunt ultra montes) ; et tunc Episcopus illam valide exequi nequit. Si committeretur Episcopo, tunc Vicarius generalis illam exequi nequiret. Si committeretur Ordinario, tunc tam Episcopus quam Vicarius illam exequi posset ; et non alius. Uno verbo executio alteri subdelegari nequit, nisi in rescripto haec facultas expresse concedatur. Cf. Scavini (IV. 532). Attamen delegatus inquisitiones preparatorias per alium exequi potest.

933. Clausulae Datariae pro impedimento orto ex causa honesta sunt sequentes.

*A*) *Dummodo propter hoc* (*mulier*) *rapta non fuerit.* Intellige, quamvis raptor iam illam libertati restituerit. Sanchez (VIII. xxv. 18).

*B*) *De praemissis te diligenter informes, et si per informationem easdem preces veritate niti repereris... tunc cum ipsis Auctoritate nostra dispenses.* Benedictus XIV (Const. *Ad Apostolicae*) dicit : « Cum expressio causarum *earumque veri-* « *ficatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat*, « illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita sit, nullamque « executionem mereatur..... ». Intellige, nisi executor iam de omnimoda veritate certus esset ; tunc enim dici nequiret quod

* Pro impedimento criminis additur : *non tamen in adulterio conceptam.*

gratia executionem non mereatur. Dubium, quod ab aliquibus hoc in puncto in medium affertur, scrupulus est. — Si autem delegatus rerum statum ignorans inquisitiones praetermitteret, sed de facto preces veritate niterentur; utrum tunc ex inquisitionis defectu dispensatio irrita sit, de hoc non satis constat, Cf. Vecchiotti (§ 116). — Si rescriptum diceret dispensationem concessam fuisse *ex certis et rationabilibus causis*, tunc nulla inquisitio necessaria esset: id enim significat quod Dataria certo novit iustam causam existere, quatenus larga eleemosyna data fuit: et tunc dispensatio dicitur concessa ex causa sine causa.

*C*) *Deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, aut praemii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere monemus...; volumus autem quod, si tu, spreta monitione nostra huiusmodi, aliquid muneris aut praemii occasione praemissorum exigere, aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam incurras.* Si dispensatio concessa fuerit in forma pauperum, excommunicatio Summo Pontifici reservatur; et insuper (quod bene notandum) tunc rescriptum addit: *Dispensatio nullius sit roboris vel momenti.* Haec dispensationis nullitas subsistit, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, ut patet ex recentissimo S. C. C. decreto (28 Ian. 1882). Intellige tamen de muneribus Episcopo seu Vicario (nempe executori) datis, non vero de modica taxa quae Cancellario Episcopali pro scriptura solvatur. Cf. *Monitore* (III. 1., pag. 20). Aliqui dicunt, non comprehendi munera sponte oblata, postquam dispensatio iam fuerit executioni demandata; idque forsan verum est, nisi id quid firmum et in more positum evasisset.

*D*) In dispensationibus Datariae in forma pauperum dicitur etiam: *Dummodo ipsi pauperes et miserabiles existant, ac ex suis labore et industria tantum vivant.* Haec conditio non dispensationem sed solum exemptionem a taxa respicit; unde si ficta paupertas allegata fuisset, Datariae dispensatio valeret (quamvis taxa ex iustitia adhuc solvi deberet). Excipe nisi paupertas explicite vel implicite etiam tamquam causa finalis dispensationis exposita fuisset. Ita S. Lig. (Hom. Ap. XVIII. 87), Vecchiotti (§ 116), D'Annibali (III. 414), Gury (879) Scavini etc.; idque a S. C. C. decisum fuit. Cf. Acta S. Sedis (VII. pag. 425). Quinam autem vere pauperes et miserabiles dici possint, declaratum est supra (n. 924 in not.).

934. Pro impedimento ex causa infamante Dataria sequentes clausulas superaddit.

*A*) *Imprimis ab invicem eos separes.* Clausula ista est pro valido. Intelligitur separatio etiam quoad tectum. Tempus separationis discreto executoris arbitrio remittitur. Scavini ( IV. 528. *f*).

*B*) *Recepto prius ab eis iuramento quod, sub spe facilius assequendae dispensationis, incestum non commiserint, et quod talia nunquam deinceps committent, neque committentibus praestabunt auxilium, consilium vel favorem.* Id quoque exigitur pro valido. — Aliud est sub spe facilius assequendae dispensationis, et aliud esset cum spe dispensationis obtinendae, quod non obstaret. — Necesse est ut ambo iurent. — Si falso iurarent, dispensatio esset invalida; et pro revalidatione ad Poenitentiariam ope confessarii recurrendum esset. Reiffenstuel (De Dispens. n. 347 ).

*C*) *Quatenus contra ipsos causa super praemissis in iudicium quoquomodo deducta fuerit, parito iudicato.* Haec clausula est pro valido, sed vix habet applicationem practicam. Significat quod si delictum, quod produxit impedimentum, deductum fuisset ad forum contentiosum, tunc reus deberet prius satisfacere sententiae latae aut ferendae. Reiffenst. ( n. 343 ).

*D*) *Ipsos ab.... excessibus huiusmodi, imposita poenitentia salutari in utroque foro Apostolica Auctoritate hac vice dumtaxat absolvas in forma Ecclesiae consueta.* Haec non est absolutio sacramentalis, sed iuridica, nempe a censuris aliisque poenis, quae absolutio valet quidem pro utroque foro sed semper quoad solas poenas ipso iure inflictas aut infligendas, non vero quoad culpam. Absolutio et poenitentia salutaris dari potest in ipso Decreto dispensationis, dummodo non agatur de censuris, ( quae forte ex lege Dioecesana incursae fuissent ) pro quibus absolutio dari deberet in forma Ecclesiae consueta; attamen subdelegari posset. Scavini ( IV. 528 ).

935. Nunc dicendum est aliquid de rescriptis, quibus utitur S. Poenitentiaria, quando vice Datariae pro utroque foro cum pauperibus dispensat, ut supra innui.

936. Poenitentiaria dispensationum huiusmodi executionem ut plurimum committit Ordinario. Vide dicta ( n. 932 ).

937. Clausulae solent esse sequentes :

*A*) *Interdicto prius illis quocumque tractu per tempus sibi ( Ordinario ) benevisum.* Haec clausula est pro valido, et apponitur semper ac cum publico impedimento publicus concubinatus inter ipsos sponsos coniungatur ( quamvis forte incestuosus non esset, prout in impedimento criminis contingere

potest). Significat separationem totalem, ita ut nempe quaevis conversatio suspecta vel periculosa ab ipsis evitetur. Si intra tempus praefixum sponsi separationem totaliter non servarent, nova separatio necessaria esset: si vero incestum renovarent, tunc dispensatio ipsa invalida redderetur. Attamen, ut alibi notabam, Episcopi a Poenitentiaria ipsa facultatem dispensationem revalidandi habere solent. Vide dicta (n. 925).

*B*) *Proviso prius opportunis modis ut occasio amplius carnaliter peccandi cum..... removeatur.* Haec clausula apponitur si agatur de publico impedimento affinitatis ex copula illicita, et providendum est ut occasio peccandi cum persona, quae fuit causa affinitatis, amoveatur. Intellige si occasio proxima adhuc extet; et in praxi videndum an separationis onus imponi debeat, an vero aliarum cautelarum assignatio sufficiat, quod facile credendum est, quum matrimonium ordinarie huiusmodi erroribus finem imponat.

*C*) *Exhibita ob eis fide peractae Sacramentalis Confessionis.* Non sufficit confessio peracta antequam sponsi de hac conditione certiores facti fuerint. Quamvis a brevi tempore confessi fuissent et postea in nullum lethale incidissent, nihilominus ad dispensationis validitatem confiteri deberent. Cf. Del Vecchio (n. 1018). Dispensatio tamen valeret, quamvis confessio invalida aut sacrilega fuisset vel absolutio obtenta non esset; sufficit enim quod *ambo* sponsi confessionis peractae fidem a Confessario subscriptam exhibeant. Imo crederem non esse necessarium quod ipsi suis manibus hanc fidem exhibeant; sed sufficere si, v. g., Parochus apud quem confessi fuerint, de confessione peracta apud Ordinarium fidem faciat. Aliqui censent, sufficere si sponsi se confessos fuisse testentur; idque admittendum videtur si sint fide digni; substantia enim servata fuisset.

*D*) *Praevia sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo ad hoc specialiter deputandam eorum absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis, ob praemissa* (nempe ob culpas quae impedimenti causa fuerunt) *quovis modo incursis et incestus reatibus, cum gravi poenitentia salutari* Haec absolutio et poenitentia non est sacramentalis, sed iuridica, prout dixi supra (n. 934. *D*); et confessionem praecedere debet, ut nempe vincula omnia censurarum et reservationum, si forte adsint et absolutionem sacramentalem impediant, auferantur.

*E*) *Si vera sint exposita.* Vide dicta (n. 930. *G*).

*F*) *Dummodo super petita dispensatione recursus* (intellige

sive pendens sive denegatus) *ad Apostolicam Datariam factus non fuerit; aliudque non obstet canonicum impedimentum.*

*G*) *Apostolica auctoritate in utroque foro misericorditer et gratis dispensandi* (*S. Poenitentiaria facultatem concedit*). Quid si Episcopus dispensaret antequam praedicta praestentur? Del Vecchio (n. 1018) dicit: » Si in rescripto Pontificio clau-« sulae fuerint appositae ante dispensationem implendae (prout « in casu), has prius implere necesse est; secus nulla est di-« spensatio ».

938. Quid si recurrentes ad Poenitentiariam pro dispensatione, pauperes se finxissent? R. Poenitentiaria non apponit clausulam *dummodo oratores sint pauperes* sicut facit Dataria, (et iam dixi n. 933. D. quo sensu): nihilominus ipsa solum pro pauperibus dispensationes concedit: idque quia facultas ipsi concessa est dispensandi dumtaxat in casibus *in quibus concurrat vera Oratorum paupertas per authenticam Ordinariorum attestationem comprobanda* (Acta VII. pag. 423). Hinc praxis Poenitentiariae est remittendi Oratores ad Datariam aut implorandi specialem facultatem a Pontifice, si forte animadvertat paupertatem falso expositam fuisse; idque quamvis dispensatio iam fuerit expedita, imo quamvis Oratores Matrimonium iam contraxissent et sanationem peterent. S. C. C. pluries ad trutinam revocavit praesens dubium, sed semper illud insolutum reliquit. Novissime ad quaestionem: An validae sint matrimoniales dispensationes pro pauperibus a S. Poenitentiaria in foro externo concessae, quando paupertas falso allegata fuerit in casu? Die 28 Iunii 1873 respondere censuit: *Nihil esse innovandum;* nempe Poenitentiariam suam consuetam praxim servare debere, et omnia relinquenda esse in statu quo. Haec quoque responsio dubium non solvit; Poenitentiaria enim dictam praxim servat ad cautelam atque ut suo more a parte tuta consistat. Plures (vide Acta l. c.) opinantur dispensationem esse validam, quamvis certe solvenda sint ex iustitia iura Datariae; sed ego cum aliis non percipio quomodo Poenitentiaria valide exercere possit facultatem quae ei data non fuit. Attamen (ut patet ex agendi ratione Sacrae C. C.) res est valde dubia: et in praxi ego dicerem, ante celebrationem matrimonii standum esse a parte tuta: illo autem contracto, non posse dissolvi, sed nihilominus sanationem ad cautelam esse procurandam. Matrimonium tamen tamquam certe invalidum considerari deberet si paupertas ut motivum finale dispensationis falso exposita fuisset, ut alibi notabam. Exemplum habes si dictum fuisset, mulierem esse in periculo prosti-

tutionis propter paupertatem, aut esse indotatam etc., idque verum non esset.

939. An Parochus teneatur solvere ex proprio expensas pro dispensatione si forte id necessarium esset, ut in concubinatu vel matrimonio civili vitam ducentes cum publico scandalo, legitimo matrimonio coniungat? R. Affirmative si ex redditibus beneficii habeat superflua, quae in rebus aequalis aut maioris momenti non sint eroganda.

*Quid si post missas preces incestus, vel copula quae affinitatem causavit, reiteretur?*

940. Si copula quae affinitatem causavit reiteretur cum persona diversa, tunc certe novum impedimentum non quidem specie sed numero distinctum exurgeret, et sic nova dispensatio necessaria esset in quovis casu. Si autem reiteretur incestus inter sponsos, vel copula quae affinitatem causavit iterum habeatur cum eadem persona; tunc communissima sententia dicit, quod exinde nullum novum impedimentum exurgeret, quia ex incestuum vel copularum numero impedimentum non multiplicatur.

At vero haec doctrina sic absolute enuntiata admitti nequit. Quoad incestum, dicendum est quod si renovetur durante tempore separationis vi litterarum apostolicarum indictae, tunc non est intentio Ecclesiae quod dispensatio valeat; unde nova dispensatio necessaria redditur, quae tamen hodie (propter speciales facultates ad annum duraturas) ab Episcopis concedi potest, idque etiam si de casu urgenti non ageretur. Porro S. Poenitentiaria interrogata: Si, interdicto per Ordinarium quocumque tractu, nihilominus Oratores tempore interdicti habeant inter se tractum, an ideo opus sit nova dispensatione seu revalidatione? Die 15 Febr. 1854 respondit affirmative, si violatio interdicti pervenerit usque ad incestum. — Et in facultatibus quae Episcopis *ad annum* conceduntur, invenitur quoque facultas « dispensandi seu convalidandi litteras dispen- « sationis super quocumque canonico impedimento ab Aposto- « lica Sede expeditas, quae nullae fuerint ob incestum... itera- « tum durante tempore separationis vi litterarum Apostolicarum « indictae ».

Quoad copulam, quae affinitatem causavit (si forte iteretur); aut quoad incestum iteratum post missas preces, sed extra tempus separationis indictae, certissimum est quod iteratio nihil

influit si post dispensationis executionem locum habeat; idque patet non solum ex communiori Doctorum sententia, sed etiam ex tenore facultatum quae Episcopis concedi solent, in quibus aperte supponitur, nullam revalidationem tunc esse necessariam. Si autem iteratio ante executionem, quamvis extra tempus separationis, interveniat; tunc dubia suscitantur 1° ex tenore facultatum quas Episcopi habere solent *ad quinquennium*, in quibus absolute dicitur, Apostolicas litteras irritas ac nullas reddi ex incestu, sive post petitam dispensationem, sive post expeditionem et ante respectivam executionem patrato *ac iterato* usque ad eandem executionem; 2° ex eo quod Ioseph Mach (*Tesoro del Sacerd.* XIV. vi), agens tam de incestu quam de copula producente affinitatem, scripsit: « Difficultas consistit in validitate dispensationum si post recursum « ad Poenitentiariam novae copulae intercesserint. Certum est « quod hoc Tribunal eas tamquam invalidas considerat. Theo« logus, qui in S. Poenitentiaria magnam partem habet, de « hoc me tutum reddidit. Cuiusdam Episcopatus provisori a Ro« ma sic responsum fuit: *Recidivitates in copula durante im« petratione aut post concessionem dispensationis nova absolu« tione* (?) *indigent; quandoquidem S. Sedes a peccatis factis « et accusatis, non vero a futuris et adhuc accusandis absol« vit* ». — Quia tamen hoc non solum discordat a doctrina communissima omnium Doctorum, sed etiam cum verbis, quae a Poenitentiaria ipsa in facultatibus *ad annum* adhibentur (ut supra vidimus), non cohaeret; dicerem, cum praedicta doctrina adhuc stari posse, quandoquidem in re tanti momenti dispositio in contrarium (si quae sit) non satis promulgata esse videtur. Vide D' Annibali (III. n. 423).

*Quid faciendum a Parocho, casu quo, dum omnia ad proximam vel immediatam matrimonii celebrationem sunt disposita, impedimentum detegeretur?*

941. Si impedimentum dispensationem non admitteret (ut si Confessarius animadverteret virum esse impotentem aut sponsam esse illius filiam naturalem), tunc si id in confessione detectum esset; videndum an sponsi sint in mala, an vero in bona fide. Si in mala; sub denegatione absolutionis a matrimonio essent firmiter deterrendi. Si in bona; tunc magna discretione opus esset, nec regula generalis dari potest. Considerari debet 1° an et quanta spes sit ut a matrimonio contrahendo

desistant, si admoneantur; 2° an impedimentum sit certum, an vero dubium; 3° quanta sit probabilitas quod matrimonii nullitas in posterum ab ipsis dignoscatur; 4° an matrimonium ipsum revalidari possit (ut in casu metus), an vero in perpetuum remansurum sit invalidum (ut in casu impotentiae et dictae consanguinitatis). Certe matrimonii invaliditas (etiam quando dispensatio postea obtineri valet) pessimas habere potest consequentias, nec (illo non adhuc contracto) facile est quod sponsos in bona fide relinquere expediat. Nihilominus, hunc casum dari posse, sentiunt Lugo (De Poen. XXII. 24), Gury (Cas. conse. II. 1068) etc. — Si vero Parochus extra confessionem dictum impedimentum detegisset, illud Episcopo denuntiare deberet, si tempus suppeteret. Abstinere deberet quoque ab assistentia, si casus iam notorius evasisset. Difficultas esset si ex una parte ageretur de re occulta et occultanda, et ex alia Episcopus adiri non posset; insuper sponsi, ut desistant a matrimonio contrahendo cum spe fructus admoneri non possent, aut secreto admoniti nihilominus Sacramentum publice peterent; atque Parochus absque gravissimorum malorum formidine assistentiam recusare nequiret. Ledesma apud Sanchez III. xv. 8 dicit quod Parochus tunc assistere deberet; idque mihi quoque probabile videtur, speciatim si impedimentum esset dubium, maxime vero si sponsi illud negarent et sufficientes probationes iuridicae non adessent, ita ut Episcopus quoque ex earum defectu licentiam assistendi dare cogeretur *; ingentia enim mala provocare absque ullo fructu certe non convenit.

Si impedimentum dispensationem admitteret, curandum esset ut sub aliquo praetextu matrimonium differatur, donec interim dispensatio obtineri possit. Confessarius tamen hoc quoque in casu, si poenitentes sint in bona fide, prudentiam adhibeat. — Si autem matrimonii celebratio usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur differri nequeat (prout contingere potest si in vigilia aut ipso die celebrationis matrimonii impedimentum detegatur), tunc (si tempus suppetat) ad Episcopum recurrere oportet. Episcopus, si habeat facultates Poenitentiariae, tunc certe dispensare potest (etiam per alium, dummodo actu confessionis) ab impedimento affinitatis ex copula illicita (qui est

* Parochus, quando ab Episcopo (ad quem frustra delatum est impedimentum) compellitur ut matrimonio assistat, quamvis ipse certe sciret impedimentum adesse et matrimonium esse invalidum, assistere posset. Sanchez (l. c. 11).

casus ordinarius ) etiam in primo gradu ; et petitio, absque ullo periculo violandi sigillum aut quidquam revelandi, peragi potest, dummodo ab Episcopo in genere petatur facultas utendi omnibus facultatibus Poenitentiariae. At vero Episcopi dispensare possunt in tali casu urgenti ( intellige semper iure delegato ), quamvis istas Poenitentiariae facultates non habeant, et non solum a dicto impedimento affinitatis, sed etiam ab omnibus aliis impedimentis occultis : imo et publicis, si forte, non obstante impedimenti notorietate, gravissima dispensandi necessitas urgeret. Haec omnia fuse probavi in tractatu De Occasionariis ( n. 135 ). Hic noto quod haec necessitas dispensandi multo facilius accidere potest diebus nostris, propter periculum ne sponsi, spreto ecclesiastico, ad civile dumtaxat matrimonium recurrant ; sciendum est enim quod lex civilis impedimenta canonica magna ex parte non recognoscit ; unde libertatem contrahendi matrimonium concedit, non obstantibus impedimentis cognationis spiritualis, publicae honestatis, disparitatis cultus, et criminis ( nisi coniugicidium adfuerit ) : imo quoad ipsam consanguinitatem et affinitatem gradum primum ( *fratello colla sorella, cognato colla cognata* ) et primum cum secundo mixtum ( *lo zio colla nipote, il nipote colla zia* ) dumtaxat recognoscit ( art. 59 ). — Si demum ne ad Episcopum quidem recurrendi tempus suppeteret, tunc aut impedimentum per se cessaret, aut Parochus seu Confessarius dispensare posset ; et haec hodie est doctrina communissima et in praxi tuta. Vide dicta *De Occasionariis* ( n. 136 ).

942. Quid si, dispensatione iam obtenta et dum omnia sunt parata ita ut matrimonium absque gravium scandalorum periculo differri nequeat, novam dispensationem necessariam esse detegeretur, sive quia prior fuisset invalida, sive quia postea, subsecuto incestu aut non servata aliqua conditione, irrita evasisset ? R. Resolutio huius casus non differt a praecedenti. Adeundus nempe Episcopus, si tempus suppetat ; secus, Parochus ipse dispensare potest. Ita Gury ( Cas. conse. II. n. 1045 ), Reuter ( n. 607 ) et S. Lig. ( VI. 1117 in fin. ).

943. In praxi valde expediret quod Parochi, in locis a residentia Episcopi dissitis, sibi procurarent ad tempus facultatem dispensandi et revalidandi in huiusmodi casibus, in quibus non adest tempus recurrendi Romam ; quam facultatem Episcopi bene eis subdelegare possunt, attamen solum pro actu sacramentalis confessionis, et pro solis casibus occultis affinitatis ex copula illicita, et incestus sive reticiti in precibus sive postea

iterati, ut supra dictum est; si enim ageretur de aliis casibus, Episcopi facultatem subdelegandi minime habent; sed solum possunt dispensare per se ipsos quando singuli casus (si tempus adsit) eis deferuntur: et, si tempus non suppetat, Parochi dispensant tamquam delegati non ab Episcopo sed a Pontifice.

*De tempore et loco matrimonii celebrandi eiusque ritu.*

944. Tempore feriato, scilicet in Adventu et Quadragesima, solemnitates nuptiarum, nempe benedictio nuptialis, traductio sponsae cum clamoroso apparatu et solemnia convivia, interdicuntur; matrimonium tamen eo quoque tempore (cum venia Episcopi) contrahi potest. Rituale et S. R. C. Decr. 5275.

945. Assistentia ad matrimonium est personalis pro Parocho. Benedictus XIV (Encycl. *Nimiam*) dixit: « Munus quo ad « proprium Parochum iure spectat interessendi matrimoniis ce- « lebrandis per se ipse Parochus, nisi legitima gravissimaque « de causa impeditus, obire tenetur ».

946. « Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari *decet:* « sed, si domi celebratum fuerit.... sponsi veniant ad Ecclesiam, « benedictionem accepturi ». Rituale. Obligatio benedictionem nuptialem recipiendi subsistit sine dubio; sed solum sub levi. Scavini (III. 826).

947. Sive solemniter in Ecclesia, sive privatim, quovis tempore (etiam feriato), matrimonium celebretur, tam in primis quam in secundis nuptiis, ritus in Rituali praescriptus ex integro servandus est; quippe benedictiones sponsorum et anuli, quae in Rituali praescribuntur, cum benedictione nuptiali (quae est in Missali et non semper dari potest) confundi non debent.

948. Stola alba et superpelliceum exiguntur. Quaesitum fuit: Utrum pro superpelliceo uti valeat Sacerdos alba cum stola in pectus transversa in celebrando matrimonio, cum, immediate post absolutionem ritus matrimonii, Missam pro sponso et sponsa celebraturus sit? S. R. C. (Decr. 5382) respondit: « Si immediate sequitur Missa, Sacerdos praeter al- « bam et stolam induere debet etiam planetam. Atque ita re- « scripsit et servari mandavit ».

949. Benedictio nuptialis dari nequit in duobus casibus, nempe 1° Si sit tempus feriatum, quamvis Episcopus matrimonii celebrandi facultatem concesserit (Decr. 5275); 2° Si mulier sit vidua, et iam in primis nuptiis benedictionem acce-

perit ( si enim eam non accepisset, non obstaret quod vidua esset. Ita C. S. O. die 31 Aug. 1881 ). Tam in primo quam in secundo casu non solum benedictio nuptialis, sed etiam Missa votiva *pro sponso et sponsa*, imo et simplex eiusdem Missae commemoratio, interdicitur. S. R. C. Decr. 4868, et 4299. Attamen nihil obstat quominus simplex Missa de die pro sponsis praesentibus et communicantibus dicatur et applicetur. Scavini ( III 920. 5 ).

950. Caeterum Benedictio nuptialis dari potest ( attamen solum in Missa. Decr. 5275 ), quamvis mulier gravida esset, aut a contracto matrimonio diuturnum tempus effluxerit et mulier cum viro suo cohabitaverit filiosque genuerit. In hoc a normis antiquis recessum est; quandoquidem in praedicto Decreto novissimo C. S. O. dicit: « Benedictionem nuptialem.... semper « impertiendam esse ( infra tamen Missae celebrationem iuxta « rubricas et extra tempus feriatum ) omnibus illis coniugibus, « qui eam in contrahendo matrimonio *quacumque ex causa* non « obtinuerint; etiamsi petant postquam diu iam in matrimonio « vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam « in aliis nuptiis non acceperit ».

951. Quando danda est benedictio nuptialis, non semper Missa votiva *pro sponso et sponsa* dici potest. Interdum enim dici debet Missa de die; idque accidit diebus dominicis et festivis de praecepto, nec non diebus quibus agitur Officium duplex primae aut secundae Classis, atque etiam infra octavas privilegiatas Epiphaniae et Pentecostes cum istius vigilia, et die octava Corporis Christi, aliisque diebus duplicia secundae classis ( et a fortiori Missam votivam *pro sponso et sponsa* ) excludentibus. A Carpo ex Decr 4415 et 4587. His diebus legenda est Missa de die cum commemoratione pro Sponso et Sponsa, aliisque precibus quae benedictionem nuptialem constituunt ( Decr. 4415 et Missale ). — Hac exceptione facta, legi debet Missa *pro sponso et sponsa*, nec obstat si currat officium duplex sive minus sive maius ( Decr. 4415 ). In hac Missa color alb., 1ª or. propr., 2ª de die, 3ª quae 2º loc. dicenda esset, sine Glor. sine Cr. et cum *Benedicamus Domino* ( Decr. 4544 ). Sponsis dari potest pax si adsit consuetudo, dummodo non adhibeatur patena. A Carpo.

952. Sacerdos non tenetur applicare Missam pro sponsis si ab iis eleemosynam non accipiat, quo casu potest applicare pro aliis, etsi Missam pro sponso et sponsa legat. Scavini ( III. 920).

953. Nihil obstat quominus, v. g., Parochus nuptiis assistat,

et alius Sacerdos Missam *pro sponso et sponsa* celebret. Idem (l. c.).

954. Si plura matrimonia simul celebrentur, pro singulis servanda sunt ea quae in Rituali praescribuntur, usque ad verba *Ego vos coniungo etc.* inclusive. Sed benedictiones anulorum et reliqua in communi perfici possunt: et, si unica pro iisdem legatur Missa, nihil in ipsa immutari debet. Idem (l. c.).

*Quomodo se gerere debeat Parochus, si forte, matrimonio iam contracto, aliquod impedimentum dirimens detegatur.*

955. Si impedimentum sit dubium, tunc pro praxi sufficiunt dicta (n. 334. Q. XVII). In praxi si agatur de impedimento affinitatis ex copula illicita, bene perpendendum est an revera adsit: quandoquidem non raro propter actus imperfectionem impedimentum productum non fuit. Vide dicta (n. 823). Sed si de impedimento non sit dubitandum, tunc (agendo hic imprimis de impedimento dirimente) videndum an sit occultum an vero publicum.

956. Si sit occultum, plures distinctiones fieri debent. 1° Si putati coniuges sint ambo in bona fide, nec possint ambo admoneri sine periculo divortii, tunc relinquendi sunt in bona fide, et scientibus impedimentum imponi debet silentium; nec cogitandum de dispensatione, quae nullo modo concederetur, et S. Poenitentiaria Parocho responderet: « Praefatos putatos « coniuges relinquat in bona fide, et conscios de impedimento « (si qui sint) moneat de silentio stricte servando ». — 2° Si ambo sint in mala fide, nempe ita ut cognoscant matrimonialem copulam sibi illicitam evasisse, tunc curandum, ut saltem quoad torum illico separentur et casti maneant, donec dispensatio obtenta et applicata fuerit. — 3° Si una pars dumtaxat sit in mala fide, tunc videndum an ipsa aliam partem aperte admonere possit, an vero potius oporteat ut sub aliquibus praetextibus, donec dispensatio obtenta fuerit, copulam declinet. — 4° Si ambo sint in bona fide et ex monitione non quidem divortium sed continuatio in usu matrimonii timeri debeat, tunc, quamvis relinquendi sint in bona fide, tamen interim (si sat commode omnia expediri possint; cf. Gury Cas. consc. II. 1071) dispensatio procuranda erit. — 5° In supplici libello (qui, tacitis oratorum nominibus, ad Card. Poenitentiarium Maiorem dirigitur; cf. supra n. 923) exprimere oportet an matrimonium contractum fuerit bona fide, an vero cum scientia

impedimenti ex parte unius vel utriusque ; item an praemissis denuntiationibus et coram Parocho fuerit celebratum ; an sub spe facilius dispensationem obtinendi ; demum an fuerit consummatum, idque an bona vel mala fide. Haec omnia sub poena nullitatis exprimenda sunt, sive impedimentum sit occultum sive sit publicum. Alia quoque exprimi debent iuxta dicta ( n. 920 ). Quando agitur de matrimonio iam contracto , causa specialis non exigitur, sed sufficiunt incommoda quae ex matrimonii dissolutione sequerentur, maxime si matrimonium bona fide contractum fuerit. — 6° Rescriptum S. Poenitentiariae, praeter clausulas iam supra ( n. 930 ) enuntiatas, dicit quoque : *Inter se de novo secrete renovato mutuo consensu* ; et, si impedimentum uni dumtaxat parti notum sit ( prout accidit in affinitate ex copula illicita ), tunc dicit : *Certiorata parte de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut delictum* (quod fuit causa affinitatis ) *nusquam detegatur, renovato consensu* etc. Tandem si matrimonium fuerit nullum propter incestum reticitum in precibus aut post missas preces et ante dispensationis executionem perpetratum, tunc exigit insuper ut utrique putato coniugi eleemosyna in pauperes distribuenda iniungatur. — Quaestio est inter Theologos an explicita et mutua consensus renovatio, et certioratio partis de prioris consensus nullitate exigantur de iure naturae ; an vero sufficiat si, ablato impedimento, coniuges perseverent in priori consensu, quamvis unus vel etiam uterque de matrimonii nullitate nunquam certioratus fuisset. Dubium gravissimum hoc est in theoria ; sed in praxi, quum Ecclesia, toties quoties huiusmodi clausulae ad actum deduci nequeant, sine ipsis dispensationem ( quam dicunt *in radice* ) concedere soleat, dicendum est quod non sint de iure naturae, saltem quando eas exigendo maiora mala sequerentur ; bene enim contingere potest quod in casu necessitatis licitum evadat id, quod extra talem casum non satis probabile aut etiam evidenter illicitum esset. Cf. Sanchez ( II. xxxvi. 8 ) et S. Lig. ( 1114 ). — Alia quaestio est, utrum dictae clausulae, prout in consuetis Poenitentiariae rescriptis prostant, intelligendae sint tamquam conditiones omnino adimplendae pro valido ? Respondendum est affirmative si absque gravi periculo applicari possint, si nempe coniuges sincero amore adhuc se diligant, unde de divortio timendum non sit ( quod non facile a parte foeminae timeri debet ) ; et si ( in casu affinitatis ) subsit modus certiorandi partem absque revelatione delicti. Theologi varios modos indicant, nempe 1° *Quando nupsi non habui verum consensum*,

*nunc praestare volo; vis et tu praestare?* 2° *Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum.* Hi duo modi admittuntur a S. Lig. (n. 1117). Practice tamen difficultates interdum non deerunt; si enim mulier dicat se non consensisse, vir forsan aut id tamquam ludicrum habebit, aut dicere poterit: Ergone fictus fuit amor quem mihi tot annis ostendisti? Si dicat: Angor scrupulis etc., vir causam rescire volet, aut uxoris dicteria spernet. Alii dicunt sufficere si dicatur: *Si nullum fuisset nostrum matrimonium, nonne hic et nunc me iterum accipere intendis* (N. B. intendis, non vero intenderes)? Aut: *Pro mea consolatione volo de novo contrahere; eia contrahamus.* Aut: *Si mihi non nupsisses nonne nunc nuberes?* Aliqui denique censent esse satis si copula affectu maritali inter ipsos habeatur. Sed in his modis ubinam est certioratio de invaliditate prioris matrimonii? Insuper in penultimo ubinam est actualis renovatio consensus? Ultimus autem, nempe copula affectu maritali habita, (inspecto clausularum sensu) nonne ad nihil reducitur? — Sed quid si solum hic ultimus modus aut alii modi (qui videntur insufficientes) adhiberi possent? Tunc non dispensatio consueta sed *in radice* peti deberet. Attamen si dispensatio consueta petita fuisset et redditio debiti coniugalis evitari nequiret, credendum esset quod Ecclesia clausularum applicationem (quae tunc essent in destructionem) non exigat, et quod proinde, etiam parte non certiorata et mutuo consensu non explicite sed solum implicite renovato, dispensatio valeat. Ita cum pluribus aliis sensit S. Lig. (n. 1117) inquiens: « In hoc casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare « praefatam conditionem, providendo meliori modo quo potest « bono animarum, quum talis conditio tunc sit moraliter im- « possibilis executionis ». — 7° Sedulo notandum quod in tribus casibus (qui in praxi sunt communiores) non est necessarium recurrere Romam; quandoquidem Episcopi habere solent facultatem (subdelegabilem) revalidandi matrimonia nulliter contracta I° propter incestum reticitum in precibus (ut supra), iniuncta poenitentia salutari, et insuper (si dispensatio obtenta fuisset a Dataria in forma communi pro gradu 1° aut 2°) praescripta eleemosyna iuxta vires taxanda. Cf. *Monit. Eccl.* (II. III. 85); II° propter impedimentum occultum criminis, dummodo, machinatio contra vitam coniugis defuncti locum non habuerit; III° propter impedimentum occultum affinitatis ex copula illicita (etiam in primo gradu), dummodo non agatur de copula habita cum matre sponsae ante huius nativitatem (propter pe-

riculum ne sponsa sit eius filia). Attamen in quovis casu exigitur secreta renovatio consensus. In secundo et tertio casu imponenda est confessio mensilis per tempus dispensantis arbitrio statuendum. In tertio casu exigitur insuper remotio occasionis, atque ut pars certioretur de nullitate prioris consensus, sed caute (ut supra). Additur tamen: « Quatenus haec cer- « tioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato con- « sensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas », nempe ut supra. Exigitur semper ut in singulis dispensationibus expressa mentio fiat specialis apostolicae delegationis. — Notari potest demum quod pro casibus II° et III° facultas dispensandi reperitur etiam inter facultates quas S. Poenitentiaria simplicibus Confessariis interdum concedit.

957. Si impedimentum sit publicum, tunc dispensatio ope Curiae Episcopalis a Dataria vel Poenitentiaria (pro foro externo) petitur.

Executio dispensationis committi solet Ordinario, et renovatio consensus coram Parocho et testibus (sive publice sive privatim) necessaria est. Attamen confessio sacramentalis pro impedimento publico in rescriptis exigi non solet.

Notandum quod si impedimentum sit natura sua publicum sed de facto occultum (prout interdum contingit in gradibus remotioribus); tunc Poenitentiaria hodie ut plurimum concedere solet facultatem revalidandi huiusmodi matrimonia non ope Confessarii et renovatione consensus secreta absque Parocho; sed ope Parochi ipsius, qui (in hoc casu) putatorum coniugum Sacramentalem confessionem prius audire, eosque (quatenus opus sit) a censuris absolvere, atque ab impedimento dispensare prolemque legitimam declarare, et postea eorum consensum cum duobus testibus confidentibus (sine benedictione nuptiali; Scavini III. 826) recipere debet. Denique Parochus in libro Matrimoniorum secretorum Litteras Apostolicas, et executae dispensationis nec non matrimonii rite celebrati fidem, ponere debet.

### *De nonnullis aliis quae a Parocho circa Matrimonium adverti debent.*

958. Curet solertissime Parochus ne matrimonia mere civilia ineantur. S. Poenitentiaria (Encycl. 12 Aug. 1882) Episcopos sic alloquitur. « Cum satius sit mala praevertere quam emen- « dare, erit sedulitatis tuae efficere ne e montibus tuis curis

« concreditorum excidat Magni Sacramenti vis et dignitas, ube-
« res gratiae fructus qui ex eo consequuntur, teterrimum fa-
« cinus eorum qui illud secus atque Ecclesia praescribit inire
« pertentant, quique quamdiu in eodem insordescunt ab Eccle-
« siae Sacramentis tamquam indigni arceantur necesse est. Quae
« omnia recte proposita et per sacros Oratores et Parochos op-
« portune inculcata, magnam vim habebunt ad animos praeser-
« tim mulierum ab huiusmodi scelere deterrendos. — Mandabis
« denique Parochis, ut ubi Matrimonium aliquod peragi resci-
« verint, statim se certiores fieri studeant, utrum in eodem
« contrahendo Ecclesiae leges servandae sint: et, si secus timea-
« tur, penes sponsos ac praesertim puellas, quae ut plurimum
« recte de Religione sentiunt, etiam per interpositas personas,
« agant ne nuptiis consentiant, nisi eaedem ante civiles ritus
« coram Ecclesia christiano more celebrandae sint, reiectis qui-
« buscumque promissionibus (N. B.), quae non raro fallaces
« esse solent ». — Non desunt viri qui obtemperaturi sunt, sed aliquantisper a Parocho rogari volunt; benevole itaque ro-gentur. Alii timent expensas sive pro fide status liberi, sive pro eleemosyna Missae, sive multo magis si aliqua dispensatio peti deberet Parochus dicat omnia gratis illos esse obtenturos. Alii respectum humanum reformidant, et tunc matrimonium celebre-tur privatim, aut etiam in casu extremo et de licentia Episcopi per procuratorem vel epistolam; dummodo postea publicetur matrimonium rite fuisse celebratum.

959. Quoad eos qui civiliter duntaxat coniuncti sunt, quo-modo se gerere debeat Parochus, et quibus in casibus matri-monium civile per dispensationem *in radice* sanari possit, con-stat ex dictis *De Occasionariis* (n. 138. Edit. III).

Attamen civilis quoque matrimonii celebrationem post ec-clesiasticum (non vero antea) esse procurandam, iam dixi (n. 798 et 875). Diversitas quae intercedit inter impedimenta ca-nonica et civilia huic binae celebrationi obstare potest; et de hoc vide dicta *De Occasionariis* (n. 118) et in hac Praxi (n. 941).

960. Quoad visitationes quas adamantes matrimonii conclu-sioni praemittere solent, Parochus neque nimis rigidus neque omnino indifferens esse debet; si enim res (attentis circumstan-tiis) nimis in longum procedant, maxime vero si notorii lapsus intercesserint, curare tenetur (quantum potest) ut matrimo-nium cito concludatur. Caeterum vide dicta *De Occasionariis* (n. 229-245). Notandum speciatim, procurandam esse separa-tionem, sponsalibus iam contractis, si forte iuvenes in eadem

familia conviverent, v. g., si famulus heri filiam ducturus esset.

961. Valde expediret ut sponsi ante matrimonii celebrationem confessionem generalem tempestive peragerent; idque speciatim si aliqua cognatione ligarentur, ut adsit tempus petendi dispensationis revalidationem si forte incestum commisissent.

962. Quoad confessionem sponsorum, qui eo ipso mane sunt matrimonium contracturi, notanda sunt sequentia. 1° Si sponsus de peccatis carnalibus cum sponsa commissis se accuset, expedire potest ut Confessarius ab ipso licentiam petat utendi tali notitia pro confessione sponsae, si forte ista huiusmodi peccata non esset accusatura; quam tamen licentiam nullo modo acceptabit si non omnino libenter ei concedatur. Quamvis hanc licentiam non petiverit vel non obtinuerit, si sponsa de dictis peccatis verba non faciat, poterit nihilominus Confessarius illam interrogare utrum cum sponso contra sextum deliquerit, quandoquidem, ut ait S. Lig. (VI. 631), « in sponsis « commune est prolabi in tactus inhonestos vel saltem in pra- « vas cogitationes ». Si sponsa dicat se nihil huiusmodi commisisse, non erit insistendum (propter sigillum), sed supponendum erit apud alium talia peccata accusasse, quamvis forte dixisset, se v. g. ab una vel altera hebdomada non fuisse confessam. Sed quid si peccata ea ipsa nocte commissa fuissent, vel quovis modo Confessarius reticentiam sacrilegam intervenire animadvertat? S. Lig. (l. c.) dicit quod confessarius « eo « casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occul- « tandam negationem absolutionis ». Alii e contra, cum Lugo (De Poen. XXII. 22), Gury (II. 619) etc., dicunt absolutionem sub conditione concedi posse; idque mihi quoque probabile videtur, maxime si poenitens aliquod aliud peccatum mortale confessa fuisset, quia contingere potest quod ipsa ex ignorantia credat sufficere si in posterum apud alium confessarium illa peccata accuset, atque interim excusari a tali confessione propter timorem non obtinendi absolutionem, qua in tali circumstantia adeo indiget. — 2° Ex quovis capite Confessarius dubitet de sponsorum dispositione, curare quidem debebit ut melius disponantur; sed, remanente dubio, debebit nihilominus eos sub conditione absolvere (*cf. De Recidivis n.* 167); imo si poenitens haberet aliquod peccatum, quod, si de eo in particulari recogitaret, evitare non proponeret, curandum esset ut ad illud non reflectat, atque dolorem et propositum in genere concipiat, iuxta explicationem datam *De Recidivis* n. 114. — 3° Confessarius, etiam interrogatus, valde caute procedat in instruendis

novis sponsis circa coniugum obligationes. Ad summum verbis generalibus dicat, in matrimonio licere ea quae ad prolis propagationem diriguntur, et in his uxorem obedire debere marito; interdici vero turpitudines quae ad prolem propagandam non deservirent, et in his uxorem marito obedire non debere, quandoquidem Dei maledictio incurreretur; si circa aliquid dubia superveniant, confessarium esse interrogandum; denique bonum esse consilium ut in vigiliis, solemnitatibus, et quando ad SS. Communionem accedere debent, casti maneant.

963. Parochus (seu confessarius) interrogatus a persona iam coniugata circa hunc vel illum casum particularem qui ad usum matrimonii spectet, breviori et modestiori modo possibili respondebit iuxta doctrinas iam supra traditas (n. 323-347). — Si casus impotentiae ei exponatur, recolere poterit dicta (n. 805-813). Quoad usum matrimonii, recolendum quod ius petendi debitum impeditur tum a voto castitatis (a quo dispensatio prius petita non fuerit), tum ex incestu, si forte stante coniugio perpetratus fuerit, iuxta dicta (n. 334. XVI. et XVIII). Hic addo quod in facultatibus Poenitentiariae, quae ut plurimum Episcopis et aliquando Confessariis dantur, adest quoque facultas dispensandi in his casibus (semper ac agatur de matrimonio iam contracto) ad solum effectum petendi debitum, remota (quoad incestum) occasione peccandi, et imposita poenitentia gravi cum confessione mensili per tempus benevisum.

964. Notandum quod, donec matrimonium consummatum non fuerit, possibile est obtinere solutionem eiusdem (quae dicitur dispensatio a matrimonio rato): et haec hodie non raro conceditur si duo concurrant, nempe 1° certitudo quod consummatio locum non habuerit; 2° existentia motivorum magni momenti, quae solutionem suadeant. Haec motiva reducuntur ad ineluctabilem animi aversionem; et a fortiori si de validitate prioris matrimonii esset dubitandum, aut si postea matrimonium civile cum alia persona contractum fuerit.

965. Denique Parochus totis viribus impediat quominus coniugati velint (etiam per iudicis sententiam) tori et mensae separationem obtinere. A divortii causa ineunda illos deterreat, damna exinde tum proli tum propriae conscientiae oritura ostendens.

Sed de officio Parochi circa Sacramenta iam satis.

## § X.

*Quomodo se gerere debeat Parochus ad discordias sopiendas et pacem inter inimicos componendam?*

966. *A*) Donec discordia occulta manet, Parochus caute procedat, neque facile offensorem advocet; ne forte suspicetur partem offensam rem ei detulisse, et sic animi magis magisque exacerbentur. Mulieres speciatim recurrere solent ad Parochum cum mille querimoniis. Parochus non facile credat; ordinarie enim exaggerant, et saepe ipsae et non alii in culpa sunt. Illas ad patientiam, maxime vero ad occasionem non dandam adhortetur; et fere in quovis casu, donec res notoria non evaserit, a personali interventu abstineat.

*B*) In casibus notoriis, gravioribus satisque extraordinariis, Parochus accurrere debet, si adsit spes fructus; quod addo, quia, si de iurgiis foeminarum res sit, practice ex Parochi interventu nihil boni obtineri solet. *Non est ira super iram mulieris.*

*C*) Caute procedendum est etiam quando discordia ab aliqua prava consuetudine ortum habuit; ut puta, inter iuvenem et genitores puellae ab eo seductae. Curabit quidem Parochus ut discordiae excessus evitentur; sed cavebit ne pax ita firmetur, ut pristina consuetudo renovetur.

*D*) Paces sequenti modo componuntur. Discordiae notitia habita, Parochus illico, nullaque interiecta mora (maxime si magni excessus intra breve tempus reformidandi sint), advocare debet litigantes (aut ad ipsos se conferre); eosque audire, sed separatim. Bene quidem erit si Parochus verum rei statum cognoscat; sed, quamvis animadverterit quis rationem habeat, ab hoc iudicio suo proferendo (nisi forte agatur de re evidentissima) se non solum cum litigantibus sed etiam cum aliis omnino abstineat, nec litigantes de mendaciis redarguat; secus enim periculum adesset ne contra illum ipsum ira exscandescere incipiant Parochus itaque ad modum non iudicis sed patris procedat, totusque in eo sit ut pericula et damna tum corporalia tum spiritualia quorum discordia ferax est, partibus ostendat, illasque ad pacem inducat. Uno verbo Parochus palam faciat non eo animo se ingerere ut facta praecedentia iudicet aut puniat; bene vero ut malas consequentias, quae in posterum ex discordia accidere possent, praeveniat et impediat. — Si tamen ageretur de viduis aut pupillis inique oppressis, aut

de parochianis offensis a personis exteris ; tunc eorum partes apertius tueri posset. Interdum expedit ut per tertiam personam reconciliationem procuret. Si pars laesa in reparatione exigenda (quae reapse ei debeatur) firma remaneat, Parochus curabit ut offensor illam praestet. Si reparatio pacifice obtineri nequeat, et tribunalia adiri velint: tunc Parochus (nisi agatur de dictis viduis et pupillis qui recurrere cogantur) ad rem huiusmodi favendam ne verbum quidem dicat. Tandem, si partes ad pacem coram Parocho firmandam se induxerint, non est permittendum ut de iniuriis praeteritis verba faciant (ne discordia renovetur), sed exigendum est dumtaxat ut super omnia lapidem (ut vulgo dicitur) ponant; et in posterum in christiana pace et charitate conversentur.

## § XI.

*Quomodo se gerere debeat Parochus quoad pauperes?*

967. *A*) « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor » (Ps. X. 14). Haec verba Parochi speciatim sibi ipsis applicent; ad hoc enim ex officio tenentur. Concil. Trid. (XXIII. 1) aperte dicit: « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, qui« bus animarum cura commissa est, ... pauperum aliarumque « miserabilium personarum curam paternam gerere etc. ».

*B*) Quamvis Parochus tenue beneficium haberet, nihilominus eleemosynam, saltem pauperibus ostiatim mendicantibus, facere deberet, si id exigeretur ut bonum exemplum praebeat et avaritiae notam declinet; quid enim si parochiani (etsi miseri operarii vel agricolae) eleemosynam facerent, et Parochus non? Ille itaque omnino servare debet documentum Tobiae (IV. 8) dicentis: « Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum « tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam « exiguum libenter impertiri stude ». Considerandum esset quoque an Parochus habeat bona propria patrimonialia. Dicunt: Haec spectant ad familiam: relinqui debent nepotibus: tangi nequeunt. Sed sermo huiusmodi totaliter probari non potest.

*C*) Si autem Parochus beneficium pingue haberet, tunc strictius teneretur; quum ea, quae remanent post honestam sustentationem et expensas cultus, sint pauperum patrimonium, et non solum ex charitate sed etiam ex religione in eorum levamen erogari debeant. Certe mortaliter peccaret qui huiusmodi bona ad consanguineos sive ditandos sive alendos otio-

sos, vel ad luxum impenderet. Imo in ipsis expensis caeteroquin laudabilibus moderatio adhibenda est; maxime si in Paroecia multi pauperes adessent; quid enim si Parochus totus esset in ornando sumptuose Ecclesiam ne dicam domum parochialem), dum interim, propter extraordinariam annonae caritatem, pauperes innumeri fame pereunt?

*D*) Eleemosyna fieri debet veris pauperibus, qui in vera necessitate versentur, neque laborando sibi subvenire possint; non vero (speciatim loquendo de eleemosynis momentosis, et maxime repetitis) pauperibus fictis aut voluntariis, qui aliena pecunia proprium otium et vitia fovere satagunt. Cum istis tamen Parochus lites hac de re non instituat, sed prima vice aliquid (v. g. unam libellam) eis tribuat; et, si redeant, blando modo se excuset et eleemosynam diminuat; sic enim post unam vel alteram vicem redire cessabunt. — Ab eleemosynis fixo modo promittendis regulariter se abstineat; ex una parte enim qui hoc anno sunt vere indigentes, sequentibus annis possunt non esse tales, multaeque exurgere possunt circumstantiae, quae suadeant non esse continuandum; et ex alia cessatio subventionis fixae nimiis molestiis et difficultatibus subiici solet.

*E*) Parochus proinde curabit ut probe dignoscat quinam sint veri suae parocciae pauperes. Macies in vultu, squallor in vestibus, miseria in domestica supellectili, impotentia laborandi, numerosa proles, magna infortunia, infirmitas, senectus, viduitas, maxime vero accuratae informationes, veram paupertatem indicabunt; et cavendum semper ne haec sit voluntaria propter otium et vitia. Non permittat ut in confessionali petatur eleemosyna ab iis personis, quae facile alibi illam petere possent. Solis recurrentium narrationibus, imo et lacrymis (maxime si agatur de illis mulieribus, quae, distracto sermone in aliis rebus, statim tranquille loquuntur) Parochus non facile credat. Attamen in casu repraesentato urgenti, rei verisimilitudinem consideret, recurrentem examinet, responsionum cohaerentiam notet, et (nisi fictionem detegat) pro ea vice subventionem aliquam praebeat; expedire enim potest ut eleemosyna prodigatur potius quam magnae angustiae non succurratur. Paupertas gradus habet; sed Parochus reminiscatur, extremum gradum solere esse in iis, qui eleemosynam petere suasque angustias aliis patefacere verecundantur.

*F*) Subsistente etiam vera et non voluntaria paupertate, distinctio fieri debet inter pauperes honestos et scandalosos. Exceptis pauperibus ostiatim mendicantibus (quibus tamen non

semper expedit ut Parochus eleemosynam tribuat) et exceptis quoque casibus extraordinariis (v. g., infirmitatis), Parochus abstinebit a subveniendis personis scandalosis (quales maxime esse solent mulieres malam vitam ducentes); huiusmodi enim subventiones ex una parte malas consuetudines abrumpere non solent, et ex alia sunt in causa cur boni pauperes (maxime si ipsis nihil aut multo minus detur) animo deiiciantur, multasque querimonias moveant et dicant melius esse malam vitam ducere. Parochus itaque, ut suae eleemosynae sint publicum et magnum incitamentum ad vitae honestatem, de regula ordinaria bonos praeferre debet malis. Caveat tamen ne personam cum familia confundat: interdum enim in familia pessima aliquis individuus optimus et subventione dignissimus adesse potest. Mulieres quoque ad bonam frugem reversae misericordiam merentur. Ipsae tamen, frequentando Ecclesiam atque Sacramenta, et conversionem fingendo, decipere solent Parochos. Cavendum est itaque; neque verbis sed factis credendum; et, si de conversione nunc incunda ageretur, proponenda essent media (v. g., confugiendi ad locum tutum, non adeundi loca periculosa, non recipiendi viros in domo propria, laborandi, et actus religiosos exercendi). Si haec media acceptentur libenter; tunc quoque erit casus aliquod subsidium praebendi. Continuatio tamen a mediorum ipsorum executione pendebit.

Personae magis piae et virtuosae ab aliis, quae ordinariam vitae honestatem praeseferunt, distingui deberent; sed in praxi, si agatur de mulieribus devotis, maxime si Ecclesiam parochialem frequentent, haec distinctio magnis inconvenientibus, nempe invidiae, persecutionibus, suspectibus et calumniis aditum aperiret; unde ad minus valde caute hac in re procedendum esset.

Caveant etiam Parochi ne pauperes, quos sibi contrarios fuisse noverint, ab eleemosynis, ad quamdam vindictam faciendam, excludant.

(*i*) In eleemosynis elargiendis debitus modus servari debet. Optima est eleemosyna, sed non fiat ultra vires; non leviter enim peccaret Parochus qui in hunc finem aere alieno adeo se gravaret, ut tandem aliquando creditores insoluti remanere cogantur; ad charitatem enim exercendam iustitiam laedere non licet. — Nonnullae cautelae quoque haberi debent. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua;* et certe quoad pauperes occultos (*vergognosi*) eleemosyna secreto peragi et secreta servari debet. — Quoad mulieres (maxime iuvenes) magna prudentia adhibenda est: puellae, v. g., eleemosynam petenti

(si de re frequenti res sit) dicatur ut mittat matrem; aut saltem Parochus eius domum non adeat, solus cum sola non commoretur etc. — Si eleemosyna detur, v. g., ut lectus (ne masculi cum foeminis dormiant) provideatur, tunc non pecunia sed lectus detur. Idem dic de calceis, si v. g., genitores dicant se non posse mittere filios ad doctrinam christianam quia calceos non habent. Denique eleemosyna non mussitando et increpando, sed libenter et benevole dari debet.

*H*) Si forte in paroecia consuetudo adsit ut pauperes quoque quotannis aliquid (ad modum primitiae) solvant, solutionem exigat; sed facile eleemosynam iisdem retribuat. Quoad iura parochialia occasione Baptismi vel funeris, vide dicta (n. 796).

*I*) Ex eleemosyna Parochus occasionem arripiat (si opus sit) inculcandi et exigendi, ut filii ad Catechismum mittantur, ut filiae custodiantur etc.

*K*) Quoad dotes vel eleemosynas distribuendas ex iustitia iuxta tabulas fundationis, vide dicta (n. 511. VI). Si Parochus ex aliena commissione aliquam eleemosynam singulis Paroeciae suae pauperibus distribuendam haberet, tunc neminem, qui expresse aut verosimiliter illam exoptet (et exclusus querimonias moveret), excludere deberet.

*L*) Quando Parochus eleemosynam concedere nequit, petentem non dure et aspere a se repellat, sed displicentiam ostendat, blandis modis procedat, et (si possit) illum aliis commendet.

Quoad testimonium paupertatis (*certificato di povertà*) vide dicta (n. 715).

*M*) Parochus non solum eleemosynis, quantum poterit; sed etiam aliis modis auxilio erit pauperibus. Curabit, v. g., ut miserae puellae aliquam dotem obtineant: ut infirmi in hospitali, et orphani in orphanotrophiis recipiantur etc. Aliquando matrimonium esse posset optimum medium ut aliqua misera puella aut vidua a magnis angustiis eripiatur; sed Parochus caveat ne in re huiusmodi (ad modum eorum qui matrimonia conciliant) se immisceat.

*N*) Vigilabit ne puellae grandiores eleemosynae quaerendae causa ad personas periculosas divertant, vel in gyrum se conferant; maxime vero ne puellae, quae sine matre et sine ulla custodia remanserunt, in periculo versentur.

*O*) Denique Parochus pauperes aeque ac divites tamquam filios consideret, nec sit acceptator personarum; imo maiores curas pauperibus prodigat; libentius illos alloquatur; et, spe-

ciatim in concionibus, adhortetur ut Divinam Providentiam non blasphement, laboribus (non vero peccatis) victum sibi comparent, a vitiis abstineant, et propriam paupertatem brevi tempore duraturam cum Christo paupere coelestiumque divitiarum intuitu patienter tolerent.

## § XII.

*Quomodo se gerere debeat Parochus circa divites?*

*A*) In concionibus de magnis periculis spiritualibus, quae in divitiis reperiuntur; de bono exemplo praebendo; de religione et honestate a propriis famulis et subditis exigenda; de operibus subministrandis (cum debita mercede) artificibus; maxime vero de eleemosyna pauperibus (iis speciatim qui illam petere verecundantur) elargienda, sermonem habebit; ita tamen ut eos non arguat neque incuset, quasi coram populo eos tamquam avaros aut iniustos traduceret.

*B*) Curabit ut cum iisdem bene procedat. Cavebit ne illos offendat. Civilitatis obsequia eis praestabit. Attamen, ut alibi dicebam, eorum familiaritatem evitabit.

## § XIII.

*Quomodo se gerere debeat Parochus circa correctiones, et speciatim circa scandala e medio tollenda?*

968. Circa correctiones vide dicta (n. 522). Circa scandala distinguendum est inter scandala occulta et manifesta.

*A*) Quoad occulta, valde difficile est quod Parochus (praeter orationem) ad quidquam specialiter (nisi forte sit requisitus) teneatur. Scit, v. g., non esse fidendum quoad morum honestatem de tali medico, de tali hero, de tali paedagogo, de tali socio vel socia, de tali persona quae in domum introducitur, de tali officina, de tali schola, de tali confessario etc.; sed, donec res sunt occultae, poterit quidem esse necessarium ut interrogatus respondeat: *informationes cape ab aliis;* et etiam ut aliquid dicat de cautelis generatim adhibendis, quandoquidem hodie de nemine fidendum est; maxime vero ut sub aliquo praetextu ovem suam a lupo avertat; non vero ut (maxime sponte) secretas quas ipse habet notitias (nisi forte personae valde prudenti) manifestet, aut suspectus positive inge-

rat; secus querelis innumeris se exponeret, plurimisque personis et familiis se invisum redderet, et sic mala maiora (et quidem saepissime sine ullo fructu) provocaret. — Si tamen in occulto aliquod magnum malum, v. g., efformatio impiae sectae (in paroecia bona), machinaretur; tunc Parochus de impedimento apponendo meliori modo possibili cogitare deberet.

*B*) Quoad scandala manifesta, si dentur a multis, illa corrigere debebit in concione, et non facile tenebitur ad aliud. Exemplum habes si in Paroecia plurimi blasphement; turpiter loquantur; vel die veneris et sabbati carnem manducent; vel diebus festis laborent; vel contra fidem et religionem loquantur; vel choreas ducant; vel serotinas conversationes foveant; vel libros prohibitos aut folia impia legant; vel obscoena cantent; vel extra Ecclesiam maneant dum concio habetur etc. Idem dic si in Paroecia foeminarum immodestia et procacitas valde communis esset, etc. Si tamen ageretur de magna offensione publici pudoris (prout contingere potest in balneis, quae corpore nudo fiant in locis frequentatis), tunc per recursum ad publicas auctoritates facile et efficax remedium haberi posset; et eo casu Parochus sive per se, sive (quod forte melius erit) per personas laicas, ad ipsum teneretur. — Inter scandala publica enumeratae sunt etiam choreae et serotinae conversationes (quibus addi debent ludus alearum, larvae, frequentia theatri et cauponae); quamvis enim qui res huiusmodi tolerant aut promovent de peccato forte incusari nequeant; nec omnes qui ad res huiusmodi concurrunt culpis inquinentur; tamen certum est quod peccata plurima exinde profluunt; et proinde Parochi (ut in Ecclesia semper servatum est) satagere debent ut oves propriae huiusmodi pericula serio animadvertant atque evitent, et multo magis ut patresfamilias in propriis domibus haec non admittant.

*C*) Si scandala manifesta dentur a paucis; tunc est iterum distinguendum. Aliquando scandalum datur a paucis simulque extenditur ad paucos. Exemplum habes si intra aliquam domum statuae vel imagines obscoenae expositae retinerentur. Tunc privata admonitione, subsistente spe fructus, utendum esset. — Interdum vero scandalum datur quidem a paucis, sed extenditur ad multos; et tunc concione utendum erit ut Parochiani praemuniantur, idque cum debita prudentia et discretione ne scandala maiora provocentur. An autem praeter concionem, adhiberi debeant quoque privatae admonitiones erga eos qui scandali causa sunt, decisio pendet a circumstantiis. Sic, v.

g., inutiles essent correctiones quoad sectarum vel haereticorum emissarios, et (ordinarie) quoad divites, aliasque personas sive valde superbas sive Parocho infensas. E contra utilis censeri debebit admonitio si res sit de personis sincere catholicis, quae verisimiliter Parochi verba non sint aspernaturae. Idem dic de mulieribus quae malae vitae se dare incoeperint. Sed quid si iam a longo tempore malam vitam ducant? Tunc in admonitionibus vix spes aliqua collocari poterit. — Sed habebitne Parochus veram obligationem procurandi ut illae a respectivis domibus vel fundis eiiciantur et sic a Paroecia abeant? Ad hoc non tenentur Parochi 1° Si non de meretricio, sed de simplici concubinatu ageretur; tunc enim scandalum veri nominis (seu ruina spiritualis) in vicinia non esset multum; 2° Si propter nimiam casuum multitudinem aut alias circumstantias finis intentus obtineri non posset; 3° Si Parochus nimis odiosum se reddere deberet, aut si quovis modo mala maiora provocarentur; 4° Si media extraordinaria adhibenda essent, ad quae Parochi timoratae conscientiae obligatos se esse non censent (Vide dicta pag. 401); 5° Si Episcopus, nullam in hac expulsione utilitatem perspicicus (eo quod meretrix ab una Paroecia ejecta migrabit ad aliam in qua forte maiori scandalo erit . diceret non oportere ut Parochus de huiusmodi expulsione sit sollicitus; quamvis enim Parocho magis oves propriae quam alienae cordi esse debeant, tamen acquiescere potest iudicio Episcopi; quandoquidem Episcopi sunt illi veri pastores, quibus dictum fuit: « Attendite vobis et universo gregi ».

## § XIV.

### *Quomodo se gerere debeat Parochus quoad Vicarium, seu (ut nos dicimus) Capellanum?*

969. A. « Ad Parochum spectat, si populo suo nequit sufficere, diligenter consulere, ne populus detrimenti aliquid capiat. « Episcopus autem cogere Parochum debet, ne huic muneri desit, et ne tot Sacerdotes accire praetermittat, quot pro administrandis Sacramentis, aliisque Parochiae suae muneribus obeundis necessario requiruntur. Id apertissime decernit Trid. « Synodus: *Episcopi etiam* (habet eadem Synodus Sess. XXI. « IV), *tamquam Apostolicae Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis « Parochialibus vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis « Sacramentis ministrandis, et cultui Divino peragendo, cogant*

« *Rectores, vel alios ad quos de iure pertinet, sibi tot Sacer-*
« *dotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta*
« *exhibenda et cultum Divinum celebrandum.* Ea verba, *vel a-*
« *lios ad quos pertinet*, Parochianos indicant, qui suppeditare
« debent necessaria iis qui Sacramentis administrandis occupan-
« tur, cum solus Parochus id praestare nequit, et reipsa tenuem
« ex Beneficio proventum desumit. Id statuit S. C. C. (16 Apr.
« 1639) : *Supposita numerositate populi et tenuitate reddituum*
« *Prioratus, cui adnexa est cura animarum, cogendum esse*
« *ipsum Priorem sibi adiungere pro administrandis Sacramen-*
« *tis et cultui Divino peragendo, Sacerdotem; eique submini-*
« *stranda esse per populum ad vitam sustentandam necessa-*
« *ria* ». Ita Benedictus XIV (Instit. XCIV. 7) ; qui postea notat non valere excusationem eorum Parochorum qui dicunt se non habere media praebendi alimenta et stipem Vicario, dum interim consanguineos alunt, et forsan pro iisdem capitalia accumulant.

*B*). In Vicario eligendo Parochus valde caute procedat; non solum enim considerare debet an corporis viribus polleat; sed etiam, imo praecipue, utrum quoad mores de ipso plene fidendum sit; nec facile Sacerdotem iuvenem (etsi sanctum) eligat, si in parochiali domo foeminae iuvenes adsint. Vae Parochis qui in necessitate versantur Vicarios perversos aut tolerandi aut dimittendi! Perpendendum est quoque utrum, considerata indole tum Parochi tum Vicarii, sperari possit quod iugiter bene procedere valeant.

*C*). Parochus poterit quidem, inconsulto Episcopo, adsciscere sibi Sacerdotem qui illum adiuvet ad breve tempus et in aliqua circumstantia extraordinaria; sed, si agatur de Vicario stabili, approbatio Ordinarii exigitur; nec sufficeret si ad confessiones vel etiam ad praedicationem esset approbatus. Id decisum fuit, ut videre est apud Vecchiotti (I. § 86).

*D*). Qui omnia facit per Capellanum non satisfacit; munia enim maioris momenti sunt omnino personalia. Quoad praedicationem, vide n. 748. — Quoad assistentiam moribundorum, vide n. 784. — Attamen non sunt inquietandi illi Parochi, qui tempore nocturno ad infirmos accedere non solent et tunc ad eosdem Vicarium mittunt; nisi personaliter requirantur, aut agatur de casu difficili qui personalem Parochi interventum exposcat. Cf. Ferrari. (*v. Parochus Art. II n.* 20). — Quoad Sacramentum Poenitentiae sanis administrandum, vide n. 761. D. E. F. — Quoad Catechismum pueris tradendum, vide n. 736.

*E*). Parochus Vicarium suum nimis non oneret; et, maxime in casibus extraordinariis, vigilias ad lectum moribundorum aliosque labores cum ipso dividat. — Caveat solertissime a quadam invidia, quae valde facile suboritur, si forte Parochiani illum laudent, vel eum cum praeferentia advocent, vel ad eius confessionale maiori numero accedant. Quid si Parochus ex zelothypia accurrere vellet ipse, quando Parochiani non illum sed Vicarium desiderant; aut si semper in eo esset ut illum censuraret? — Parochus sincero amore Vicarium suum diligat, illumque tamquam socium laboris in vinea Domini, et tamquam brachium suum dextrum consideret; et, si in domo parochiali habitet, quoad victum et alia omnia (maxime vero si infirmetur) tamquam fratrem illum habeat. — Honore debito illum privatim et publice prosequatur, nec permittat ut quisquam minus reverenter erga eundem se gerat. Quid de Parochis qui a Vicario servitia, quae Sacerdotali dignitati nullo modo conveniunt, exigunt, illoque tamquam vili famulo utuntur? — Optimum factu est si Parochus deambulando, vel optimates visitando, vel ad infirmos se conferendo, Vicarium suum (nisi aliquid obstet) secum habeat. — Identidem illum laudet, ut animum sumat. Leves defectus dissimulet, toleret, aut humanissime corrigat. Vigilet tamen (maxime in primis annis), et si forte aliquid grave deprehendat, de seria correctione cogitet, et interdum de dimissione; quae nihilominus ad casum extremum reservari debet, ne incidat in Syllam qui vult vitare Carybdim: multo magis quia frequentes mutationes nedum admirationi sed etiam scandalo Paroeciae esse solent; et tam Parochi quam Vicarii famae ut plurimum praeiudicant. Cavendum speciatim ne Vicarius otiosus remaneat, aut Parochianorum domos non vocatus frequentet. Parochus libros opportunos ei tradat, conferentias modo theologicas, modo liturgicas, modo asceticas cum ipso habeat, quin tamen illum tamquam discipulum tractet. — Denique (quod supremi momenti est) bonum exemplum ei praebeat.

## § XV.

*De nonnullis rebus valde laudabilibus, quae a Parochis vero zelo praeditis cum magno fructu adhiberi solent.*

970. *A*). Diebus festis advocare populum non solum mane ad Missam Parochialem, sed etiam post meridiem ad benedictio-

nem SS.mi Sacramenti; secus enim iuvenes in ludis et genialibus conversationibus totum diem festum insumerent.

*B*). Ultimis diebus bacchanalium piis functionibus populum detinere.

*C*). Ruri Confessarii extraordinarii commoditatem aliquibus vicibus in singulis annis (v. g., occasione maiorum solemnitatum) populo suppeditare; non solum ad procurandam maiorem frequentiam Sacramentorum, sed etiam ut sic provideatur iis miseris qui prae verecundia nunquam se inducunt ut apud Parochum aliosque Sacerdotes consuetos, a quibus nimis cognoscuntur, peccata magis probrosa confiteantur.

*D*). Praebere viris commoditatem confessionem faciendi in Sacristia aliove loco convenienti; speciatim in maioribus solemnitatibus, maxime vero tempore paschali in civitatibus.

*E*). Frequentiam Sacramentorum studiosissime procurare; hoc enim est medium principalissimum sanctificandi Paroeciam. Haec frequentia procurari debet non solum quoad foeminas, sed etiam quoad viros, qui quo indigentiores eo morosiores hac in re esse solent. In hunc finem valde expedit ut festa maiora Dominica praecedenti annuntientur, eaque occasione viri speciatim ad Sacramenta recipienda impellantur.

*F*). In singulis Paroeciis quaedam festa solemniori pompa celebrari solent; at vero curandum ut festa huiusmodi non in magna dissipatione consistant sed in magna devotione: ad quod maxime confert si ad Communionem generalem populus invitetur.

*G*). Nihil dico de Missionibus saltem singulis decenniis, et de Exercitiis spiritualibus saltem singulis trienniis populo procurandis. Missionarii idonei veroque zelo praediti advocentur, iisque vitia dominantia manifestentur; et tempus opportunum (ut populus concurrere possit) eligatur. Parochus autem fructum Missionis custodire atque adaugere satagat.

*H*). Procurare (quantum fieri potest) ut familiae bonae, quae praeclarum bonorum operum exemplum praebent, a Paroecia non discedant; periculum enim est ne, novis familiis advenientibus, non solum bona exempla cessent, sed etiam scandala magnam ruinam inferentia subintrent. Non raro paucarum libellarum subventio satis est ut bona familia non discedat. De huiusmodi familiis Parochus se esse valde contentum ostendat, easque (v. g., occasione status animarum) laudet, atque ad prosequendum in bono, toto animo confortet.

*I*). Si in Paroecia adsint Sacerdotes vel Clerici, curet Parochus ut eos sibi devinciat, et conferentias instituat.

*K*). Bibliothecam catholicam (vulgo *circulantem*) instituere; qua boni libri distribuuntur ut legantur et lecti restituantur.

*L*). Pietatem fovere, sed veram et solidam (Vide dicta n. 685. X).

*M*). Comitatus catholicos instituere, v. g., ut bibliotheca catholica sustineatur, infirmis subventiones praebeantur, SS.mum Viaticum honorifico comitatu semper condecoretur etc.

*N*). Piam unionem Patrum et Matrumfamilias instituere; quibus convocatis saltem bis vel ter in anno de propriis obligationibus sermo habeatur.

*O*). Specialissimam iuventutis curam habere. De solida et perfecta instructione pueris suppeditanda, et de ratione cum ipsis instituenda ut pateat non solum an didicerint, sed etiam an operibus vitae christianae propriis se assuefecerint; de his, inquam, iam egi supra (n. 731-744). Sed, postquam pueri ad primam Communionem fuerint admissi, non sunt deserendi; bene vero curandum ut in aliquo sodalitio tamquam in arca salutis, in bono perseverent et a mundi periculis iugiter praeserventur. Quoad adolescentulos deservire poterit, v. g., sodalitium sub invocatione S. Aloysii; et quoad puellas sodalitium filiarum Mariae, vel SS. Cordis Iesu etc. Attamen sedulo notandum quod sodalitia parum vel nihil proderunt, si in celebranda aliqua annua festivitate solum consistant. Ut vere prosint, oportet ut, ex ipsius sodalitii instituto, singulis mensibus iuvenes ad Sacramenta accedant simulque coadunentur ut sermonem sibi ipsis accomodatum audiant. Dies designatus pro puellis in oppidis et civitatibus poterit esse ferialis; sed adolescentuli solum die festo coadunari poterunt. Quoad istos; si Parochus sive per se sive per alium singulis diebus festis, et maxime horis vespertinis (quae solent esse periculosiores), in ludis et exercitiis gymnasticis, non sine brevi sermone nonnullisque precibus et canticis spiritualibus, illos detinere posset; et multo magis si identidem aliquam merendam eis procuraret; hoc esset medium efficacissimum (ut patet ex Oratoriis Salesianis) ut plurimi efficaciter praeserventur. Iuvant etiam praemia, munuscula, deambulationes etc.

Adveniente tempore conscriptionis militaris, si forte iuvenes antequam discedant invisant Parochum, ipse sacrum numisma et monita salutaria illis dabit; et praecipue 1° Ut pravos socios (qui in militia adeo abundant et a quibus quam maxime tentabuntur) evitent, et cum bonis (qui erunt quidem pauci sed non deerunt) conversentur; 2° Ut otium declinent: et

quando ab exercitiis militaribus vacant, legant, scribant, obiecta poliant etc.; et hoc modo ab iis, qui pravos sermones facere vellent, se liberent. 3° Ut horis deambulationi destinatis identidem ad aliquam Ecclesiam vel Religiosorum conventum clam se conferant, ibique Confessionem peragant. — Valde expediret si Parochus de hoc puncto tam necessario ad populum sermonem haberet. Heu! quot iuvenes, qui prius boni erant, expleto servitio militari, non solum corruptissimi quoad mores, sed etiam amissa prorsus fide et religione, domum redeunt, et Paroeciae magnam ruinam inferunt.

*P*). Quoad foeminas (in quibus hodie fere solis, maxime in nostris civitatibus, collocari potest spes habendi auxilium ut Religio penitus non collabatur) multum obtinebit Parochus, si sodalitium, ut supra, instituat; sed ut hoc ipsum sodalitium in flore servetur, et verum, copiosum atque perseverantem fructum facillime producat, necesse est ut aliquae virgines, singulari Dei amore et salutis animarum zelo flagrantes, iugem et diligentissimam puellarum custodiam habeant. In hunc finem hodie fere ubique ad vitam revocatum est Institutum *Ursolinarum*, praecise sub forma qua olim a S. Angela Merici fundatum fuit (quatenus nempe hae Virgines non in monasteriis sed in domo propria vitam ducant), magnasque a Sede Apostolica approbationes et laudes habuit. De hoc Instituto nuperrime Pius IX (11 Iul. 1861) in decreto Urbis et Orbis dixit: « Sancta Angela Merici... Sacrarum Virginum sodalitium sub « patrocinio et nomine S. Ursulae... instituit, cuius curae de« mandavit, ut adolescentulas tam divites quam pauperes fidei « rudimenta doceret, ad recte casteque vivendum informaret, « illisque eas, quae propriae mulierum sunt, exercitationes « traderet. Uberes ex hoc Instituto Angela ad Ecclesiae bonum « et Societatis retulit fructus, eique Deus Omnipotens ita gra« tiae suae dona copiose largitus est, ut ubique terrarum dif« funderetur, suaeque famulae morti proximae pandere digna« retur illud perenne futurum ». Parochus itaque virginitatis excellentiam populo et maxime puellis ostendat; sic enim certo certius virginalem vitam plures electurae erunt. Ipsae quovis terreno affectu solutae, Caelestisque Sponsi dumtaxat amore aestuantes, toto animo non solum in propriis familiis Religionem custodire curabunt, sed etiam in vicinia puellarum curam suscipient. Illas diebus festis a periculis avertent, secumque ducent ad Ecclesiam, ad Sacramenta, nec non ad honestas recreationes. Vigilabunt super iisdem, et, si quae minus bene pro-

pendere videantur, erga ipsas sollicitudinem adaugebunt, nec facile erit quod aliqua se separet atque ad malum declinet. Sic fervor servabitur, perseverantia et magna unio obtinebitur; et Parochus singularem pietatem, spectabilemque morum honestatem in sua Paroecia florescere conspiciet *.

## § XVI.

### *Quomodo se gerere debeat Parochus erga Parochos conterminos aliosque Sacerdotes.*

971. Imprimis servanda est concordia. Cavendum est itaque ab invidia, et ne propter festa aliasque sacras functiones (populi concursum sibi invicem auferendo) contentiones exurgant. Cavendum solertissime a critica, a qualibet murmuratione et litigiis. Alienos defectus, imo et offensas receptas, dissimulare patienterque tolerare oportet. Speciatim quoad Sacerdotes parochianos benevole procedere necessarium est, non solum quia Parochus eorum ope saepe saepius indigere potest, sed praecipue quia huiusce concordiae defectus magis notatur, maiusque scandalum producit. — Ad concordiam servandam mutuamque benevolentiam fovendam, maxime deservit si unusquisque requisitus, occasione festorum, officiorum etc., propriam operam, quantum potest pro viribus et sine proprii gregis detrimento, aliis praestet. Deserviunt etiam moderatae confabulationes, maxime vero conferentiae circa theologiam moralem et pastoralem. — Singularitates etsi optimae non nisi prudenter adhibeantur; imo, si quae consuetudo, quae ab aliis servatur, non videretur esse servanda, caute et consulto Episcopo procedendum esset, si ex innovatione discordia non levis pertimescenda foret; saepe enim minus malum tolerare oportet ne peius sequatur. — In rebus tamen valde substantialibus, alienis erroribus alienaeque socordiae aut perversitati nemo se uniformare debet; neque ex respectu humano perversis principiis, murmurationibus, scandalis, aliisque rebus omnino intolerandis quisquam plausum facere, aut participare poterit. — Prandia (si quae sint de consuetudine) serventur: attamen, invitatis Pa-

* Regula ab ipsa S. Angela conscripta, et multa alia quae *Ursolinarum* Institutum respiciunt, sunt in libro (mea cura impresso), cui titulus: *Manuale delle Vergini*; in quo adsunt quoque meditationes et exercitia pietatis earundem Virginum propria. Typogr. Novelli. L. 1, 10.

rochis, alii quoque Sacerdotes eiusdem congregationis invitentur: foeminae non assideant: et magna cautela habeatur ne sobrietatis limites excedantur, aut sive murmurationibus sive inconditis clamoribus scandalum ullum saecularibus praebeatur.

Aliqua dicenda supersunt circa concurrentes et nuperos Parochos; idque paullo infra praestabitur.

## PUNCTUM XII.

### DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS AUT PRO-SYNODALIBUS.

972. I. Examinatores synodales (nempe electi in Synodo) durant usque ad novam Synodum. Prosynodales (qui de consensu Capituli eligi debent ab Episcopo ex delegatione S. Sedis) durant ad annum (nisi ante finem anni Synodus celebretur).

II. Iurare debent, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Sufficit si occasione primi examinis hoc iuramentum emittant, dummodo (pro-synodales) illud renovent singulis annis, si forte confirmentur.

III. Pro concursibus ad Ecclesias parochiales debent esse ad minus tres.

IV. In his non solum de scientia sed etiam de aliis qualitatibus, iuxta dicta (n. 702. XXII) iudicare tenentur.

Hae quatuor praescriptiones adeo exiguntur, ut, si aliqua deficeret, concursus esset invalidus. Consuetudines in contrarium corruptelae essent, nihilque (saltem Sacra C. C. non consulta) valerent. Cf. Bullam *in Conferendis* Pii V., et Scavini (III. 693), nec non *Monitore Eccl.* (III. 1. pag. 103).

V. Constituendum est tempus, intra quod concurrentes responsa (quae sermone latino exarari debent), et Evangelii explicationem (lingua vulgari evolvendam) conscribant. Explicatio Concilii vel Catechismi oretenus fieri debet. Nemo extraneus ingredi potest ubi sunt concurrentes, neque quisquam eorum exire, antequam sua scripta consignaverit. Responsio ad casus et explicatio Evangelii subscribi debet non solum a concurrentibus, sed etiam a Cancellario, ab Examinatoribus, et ab Ordinario. Ita ex Bulla Benedicti XIV *Cum illud;* sed hae praescriptiones ad concursus validitatem non pertinent. Cf. *Acta S. Sedis* (Vol. VII. pag. 350).

VI. Si Examinatores aliquid occasione concursus sive ante sive post acciperent, simoniaci essent. Ita Trid. (XXIV. 18). Vide supra (506. VII).

VII. Secretum servare debent; non enim possunt huic vel illi concurrenti indicare (ne in confuso quidem) materiam circa quam examen versabitur. Caveant etiam ne postea de concurrentium erroribus vel exitu infelici quidquam dicant.

VIII. Iam alibi (n. 702. XXII) dixi quod non de maiori vel minori idoneitate, sed solum de sufficientia iudicare tenentur. In hoc iudicio rectitudinem servare debent sub gravi; unde si idoneum excluderent, vel ineptum approbarent, mortaliter delinquerent.

IX. In quo consistat iudicium istud, patet ex Tridentino (l. c.) dicente: « Renuntientur quotcumque ab his (examinatori-« bus) idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, pru-« dentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam « opportunis, ex hisque Episcopus eum eligat, quem caeteris « magis idoneum iudicaverit ». Sed quisnam iudicari poterit idoneus aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus etc.? Quoad *aetatem* (per se loquendo) sufficit si concurrens habeat aetatem canonicam, si nempe 25 annum attigerit (Trid. XXIV. XII). — Quod *mores* (qui, ut ait Lugo De Iust. XXXV. 2. sumuntur a statu et consueto modo operandi, non vero ab uno vel altero actu ex fragilitate commisso) ordinarie sufficit si concurrens circa illos bona fama gaudeat, quatenus (ut dicit Palao XIII. IV. V. 4) nec in iudicio condemnatus fuerit, nec apud graves et probos viros existimationem amiserit. S. Th. explicans illud Pauli *Oportet Episcopum sine crimine esse*, dicit: « Non vult dicere Apostolus quod qui mortaliter peccat « non possit eligi, sed quod non sit infamis. Quasi dicat quod « ille, qui est in peccato notorio et famoso estque infamis de « facto propter enormitatem et gravitatem criminis, iste talis « est prorsus indignus ut eligatur ». Et Th. Hurtado (qui de Examinatoribus synodalibus ex professo tractavit) n. 437 scripsit: « Si peccatum mortale sit occultum, *etiam si sciatur ab « aliquo Examinatore*, etsi faciat malum virum coram Deo, « tamen non facit malum ministrum Ecclesiae, si per alias « qualitates potest esse utilis ». Dixi *ordinarie*; si enim ageretur de concubinatu, aut de peccatis commissis cum multis personis; et, uno verbo, si, attentis circumstantiis extraordinariae fragilitatis, vel malitiae, vel impudentiae, vel levitatis etc., magnum scandalum reformidari deberet; tunc subiectus huiusmodi, quamvis hucusque bona fama gauderet, reprobandus esset; quid enim refert si infamia non adsit hodie, si adfutura sit cras? — Quoad *doctrinam*, Hurtado (n. 461) optimam dat

regulam, inquiens: « Ille dicitur illiteratus (*nempe carens doctrina sufficienti*) ad Parochialem, qui nescit ea quae sufficiunt ad populum edocendum ea quae credere et observare debet, eique Sacramenta ministranda ». Sacramentum, cuius administratio maiorem scientiam requirit, est Poenitentia; sed S. Lig. (VI. 627) dicit, « satis esse si confessarius intelligat quae frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare ». Concurrentes itaque examinandi sunt circa casus practicos, eos scilicet qui (attentis etiam Paroeciae circumstantiis) facile aut non difficiliter occurrere possunt, v. g. de furto; de compensatione; de restitutione; de sexto praecepto; de sanctificatione festorum; de ieiunio et abstinentia a carnibus; de muneribus Parochi propriis; de illis impedimentis matrimonii quae facilius occurrere possunt, et de modo dispensationes impetrandi et exequendi; de debito coniugali; de obligationibus statuum particularium et maxime genitorum; de recidivis et occasionariis; de sigillo etc. Si concurrentes in his male respondeant, approbari nequeunt; si vero circa casus metaphysicos et abstrusissimos, qui difficillime in praxi unquam occurrent, examinati fuerint et male responderint; non ob id tamquam scientia necessaria destituti reprobari possunt; multo magis si ex studiis in scholis cum laude peractis, vel ex probatione data in aliis concursibus, vel eo quod officio Parochi vel Vicarii bene functi fuerint, de eorum instructione sufficienti satis superque constaret. — Quoad *prudentiam*, difficile est quod subiectus (alioquin sufficienti scientia et probitate praeditus) reiici debeat propter huius dotis defectum, nisi forte ex una parte ageretur de Paroecia alicuius oppidi, aut tali quae propter amplitudinem aut alias circumstantias magnam prudentiam exigeret; et ex alia concurrens praepropere, fanatice, et sine reflexione procedere soleret. — Quoad *alias res ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunas*, videndum an Paroecia aliquam specialem praerogativam in Pastore exigat; et ex hoc capite, v. g., concurrens avarus aut aere alieno gravatus excludi deberet si pauperes abundarent. Idem dic si concurrens esset male firmae salutis, debilis, delicatus, aut piger, et Paroecia esset ampla et multum laborem magnamque operositatem exigeret etc. (Si concursus unicus pro pluribus paroeciis deserviret, considerandum esset an talis vel talis concurrens pro qualibet, an vero solum pro aliqua approbari possit). Nihil dico de defectibus naturalibus, si forte, v. g., quis propter surditatem confessionibus excipiendis, aut propter balbutiem praedicationi esset omnino ineptus;

aut si quis identidem in amentiam incideret. Interdum considerari debet etiam concurrentis indoles, v. g., nimia iracundia et facilitas litigandi cum omnibus, tenacitas proprii iudicii etiam contra Superiores, etc.

X. Regulae recensitae servandae sunt ordinarie; etenim propter magnam Ministrorum penuriam, vel difficultatem inveniendi subiectum qui illam Paroeciam acceptare velit, utique indulgentius procedi poterit: necessitas enim non habet legem. Cf. S. Lig. (VI. 628) et Lugo (De Iust. XXXV. 5). Hoc tamen intellige nisi expediat ut Paroecia Pastore destituatur potius quam talem Parochum habeat. — Hodie considerari debet etiam an subiectus *placitum regium* obtenturus sit: si enim de hoc esset desperandum, quomodo talis electio ad vacantis Ecclesiae gubernationem opportuna esset? — Si concurrens annum 39 nondum praeteriisset, et sic versaretur in periculo subeundi servitium militare, huic rei aliquod pondus dari deberet. Cf. *Monit. Eccl.* (I. pag. 77).

XI. Praecipuae occasiones, quae ad falsum iudicium pertrahere possunt, sunt 1° Studium alicui favendi propter aliquem humanum respectum, vel motivum Paroeciae extraneum (vide dicta n. 702. XXII. 3). 2° Impatientia, si forte concurrens prolixius vel charactere non facile intelligibili scripserit. 3° Si concurrens in responsis latinis grammaticae errores miscuerit. Non de magistro grammaticae sed de parocho eligendo agitur. 4° Si casuum resolutio optima fuerit; facillimum est enim quod concurrentis scientia ita illudat, ut defectus zeli, operositatis, prudentiae, probitatis etc. nihil vel parum considerentur. Idem dic si aliqua alia dos praeclara (v. g., zelus) in concurrente praefulgeret, dum interim graves defectus (v. g., imprudentia, avaritia etc.) eum ad illam paroeciam regendam ineptum redderent. Servitia Ecclesiae praestita (v. g., in officio Vicarii) magnam considerationem merentur; sed videndum an bene an vero male praestita fuerint.

XII. Iudicium efformatum Episcopo denuntiari debet. Modus aptior est ut examinatores viva voce inter se conveniant, iuxta stylum Romanae Curiae (ut dicit Palao XIII. III. II. § 4. n. 6). Si id non placeat, tunc unusquisque examinator unico lapillo (sive albo pro concurrente approbato, sive nigro pro reiecto) suam sententiam exprimat. Alicubi mos est ut examinatores non unico, sed pluribus, v. g., novem, lapillis, id peragant. Sic qui obtinet saltem quinque lapillos albos ab uno examinatore, ab ipso approbatur, et, si quatuor dumtaxat obtineat,

reprobatur. Hoc modo bene contingere potest quod concurrens reprobatus a tribus examinatoribus ( qui simul 12 lapillos albos et 15 nigros dederunt ), nihilominus apud Episcopum approbatus resultet, eo quod quartus examinator 7 lapillos albos et 2 nigros ei dederit; sic enim 19 albos, et 17 nigros haberemus. Sed approbatio huiusmodi poteritne esse valida? Approbatio potestne pendere ab uno examinatore contra tres?

Si vota essent paria, Episcopus *tunc* ( praesentibus examinatoribus ) suum votum superaddere posset. Idem dic si vota essent singularia; si nempe ( ut explicat Palao XIII. III. II. § 4. n. 6 ) examinatores essent tres, et unus approbaret, secundus reprobaret, tertius abstineret.

XIII. Nihil vetat quominus Examinatores dare possint consilium etiam circa magis idoneum, si Episcopus id postulet; sed iudicium huiusmodi, uti patet, difficilius est.

973. Quaeritur an Examinator, qui ex secreto commisso novit concurrentem deliquisse cum muliere, possit huiusmodi notitia contra illum uti? R. Si persona, quae consilium petiit et secretum examinatori commisit, credatur esse indifferens circa usum secreti contra Sacerdotem concurrentem ( eo quod nempe sollicita sit de secreto servando quoad se, non vero quoad eundem Sacerdotem ), tunc nihil vetat quominus talis usus liceat. Idem dic si dicta persona ( quod rarissime continget ) teneretur denuntiare Episcopo Sacerdotem delinquentem, eo quod circumstantiae essent tales ut Parocciae ruina et magna catastrophe reformidari deberet ( et nihilominus credendum esset quod Episcopus nihil sciat ); tunc enim ad secretum suum custodiendum ius non haberet. Exceptis his duobus casibus, Examinator dicta notitia uti non posset; secus enim veram et gravem iniuriam inferret personae quae eius fidei secretum commisit. Quando enim quis ius habet occultandi rem aliquam, ne ex manifestatione infamia aut aliud damnum sive sibi sive aliis personis dilectis obveniat, ius habet etiam ( antequam alteri rem ipsam revelet ) exigendi promissionem secreti, ut scilicet nulla infamia nullumque damnum cuiquam obveniat. Non oportet autem ut haec promissio fuerit explicita, sed sufficit si ex circumstantiis personae dantis et requirentis consilium pateat quod eadem promissio requisita et data implicite fuerit. Cf. Ballerini ( I. n. 470 ) et Scavini ( II. 690 ).

## PUNCTUM XIII.

### DE CONCURRENTIBUS, ET NUPERIS PAROCHIS

974. Quaer. I. Quinam defectus Paroeciae collationem invalidam reddant ipso facto?

R. 1. Si forma a Concilio Trid. quoad concursum praescripta servata non fuerit; quandoquidem Pius V. ( Const. *In conferendis* ) dixit: « Provisiones praeter et contra formam Concilii « Trid. ( praesertim in examine per concursum faciendo ) prae- « scriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas ac « nullius roboris vel momenti fore, nullumque provisis ius aut « titulum etiam coloratum possidendi praebere ». Id tamen intellige de sola forma extrinseca; non vero si examinatores aut Episcopus in ferendo iudicio non recte se gesserint; quo casu collatio poterit quidem per appellationem irritari, sed ipso facto irrita non erit, ut ex Const. cit., et ex Bulla *Cum Illud* Benedicti XIV disertissime patet.

II. Si simonia realis utrinque consummata intercesserit. Plures quaestiones huc spectantes evolutae fuerunt supra ( n. 506 ).

III. Si beneficium per vim et metum obtentum fuerit; intellige si concurrens huius coactionis auctor aut complex fuerit. Equidem de regula ordinaria metus non irritat actus ipso facto, sed solum reddit eos rescindibiles ad nutum metum passi; sed, quando agitur de donatione, eam ipso facto invalidam reddit. Collatio autem beneficii ( quamvis concursus praecesserit ) est vera donatio seu gratia; idque patet ex ipsis verbis Bullarum, quibus Pontifex paroecias confert; dicunt enim: « Spe- « cialem gratia facere volentes ». Hinc scripsit Palao ( XIII. III. I. 8 ): « Esse debet quaecumque beneficii provisio libera, idest « absque ulla coactione; alias nulla erit ( *Cap.* 2. *De his quae* « *vi metusque causa fiunt* ); et ratio est manifesta; nam bene- « ficii provisio est quaedam liberalis donatio, quae cum coa- « ctione stare nullo modo potest ».

IV. Si fraus intercesserit. Ratio est eadem. Vide dicta ( n. 501). Intellige tamen si fraus fuerit substantialis; si nempe qui non idoneus aut minus idoneus est, ope fraudis idoneus aut magis idoneus appareat. Hoc autem praesumi non deberet si ex una parte subiectus esset certe idoneus, et ex alia tota fraus casuum resolutionem respexisset. Posita enim idoneitate ( etiam quoad scientiam ), iudicium de sufficientia, ab examinatoribus datum, esset rectum non obstante fraude. Haec itaque vitiare

potuisset tantummodo iudicium Episcopi circa maiorem idoneitatem; sed hoc difficile est. Episcopi enim in efformando hoc iudicio ut plurimum in aliorum requisitorum supereminentia, et maxime in speciali aptitudine ad illam Paroeciam regendam, non vero in tantillo gradu maiori vel minori scientiae Theologiae moralis fundantur. Dixi: *posita idoneitate etiam quoad scientiam;* si enim concurrens ignoraret ea quae necessario scire debet; si nempe, rite interrogatus circa res practicas, respondere nescivisset, nisi ab examinatoribus ante examen, vel a sociis actu examinis, vel ex libris aut scriptis occulte secum allatis, responsa expiscasset; tunc certe fraus substantialis intercessisset, et Paroeciae collatio invalida fuisset. Idem dic si pravis moribus imbutus, falsa bonorum morum testimonia sibi procurasset, et sic Examinatores et Episcopum graviter decepisset.

Quaedam fraudis species contingeret etiam in procurando ut personae magnae auctoritatis apud Episcopum intercedant, si alioquin subiectus intercessionem huiusmodi nullo modo mereretur; quandoquidem, ut dicit Lugo (De Iust. XXXV. 103), intercessio est approbatio tacita et testimonium de merito, atque efficere potest ut Episcopus sine ullo alio examine fidem praestet et Paroeciam conferat.

975. Quaer. II. Quid si Paroecia daretur Sacerdoti excommunicato, suspenso, aut irregulari, aut tali qui ab Episcopo magis idoneus, vel ab Examinatoribus idoneus iudicari non potuisset?

R. Non loquor de casu notorio, qui non est practicus; et, si daretur, collatio esset saltem illicita propter subiecti infamiam seu manifestam indignitatem. Loquendo itaque de casu occulto, quoad excommunicatum multi dicunt collationem esse invalidam, tum quia beneficium datur propter officium, quod ab excommunicato praestari licite nequit; tum quia Innoc. III. sancivit, beneficia excommunicatis conferri non posse, *quia cum excommunicatis communicare non debet collator.* Sed hae rationes infirmae videntur; si enim valeret prima, tunc etiam peccatum mortale beneficiorum parochialium collationem invalidam redderet; donec enim quis in peccato mortali versatur nec Missam celebrare nec Sacramenta ministrare licite potest. Dices: poterit poenitere et sic se disponere quando vult. Ita est; sed quoad excommunicationem nonne est idem? Nonne potest a contumacia cessare et absolutionem obtinere quando vult? Secunda ratio autem valet solum quoad excommunicatos vitandos, non vero quoad toleratos post Concilium Constantiense. Hinc

plures magni nominis TT., inter quos d' Annibali (I. 328), censent collationem in favorem excommunicati factam esse validam. Caeterum in Bullis Pontificiis, quibus Paroeciae conferuntur, adest absolutio *ad effectum* quoad omnes censuras, quae absolutio saltem pro casu in quo Sacerdos in bona fide versetur valere debet. S. Lig. (VII. 182). — Quoad suspensum, pari modo sustineri potest collationem esse validam, quia ex una parte nullam habemus legem quae hanc provisionem ipso facto irritet: et ex alia suspensus potest poenitere, et sic (absolutionem obtinendo) licite sua munia exercere, quando vult. — Quoad irregularem specialis adest difficultas, quia non pendet ab eius voluntate, sed solum a libera Summi Pontificis gratia, ut ab irregularitate solvatur, et sic officium exercere possit. Quid insuper si irregularitas esset talis a quo dispensatio obtineri nequiret? Nihilominus S. Lig. (VII. 343) de sententia validitatem collationis admittente dicit: *videtur satis probabilis.* — Quoad illum qui ab Episcopo magis idoneus iudicari non poterat, provisio erit quidem irritabilis (interveniente appellatione), sed ipso facto irrita non erit; idque patet manifeste ex Bullis *In conferendis* et *Cum illud.* — De illo denique, qui quamvis non sit irregularis, tamen ab Examinatoribus idoneus iudicari non poterat, Lugo (De Iust. XXXV. 9) scripsit, quod electio non est irrita, sed irritanda. Reapse Trid. (VII. 11) dicit: « Beneficia. ..., praesertim curam animarum habentia, personis di« gnis et habilibus.... conferantur; aliter autem facta collatio si« ve provisio omnino irritetur ». Non dicit irrita est, sed irritetur.

976. Quaer. III. An concurrens qui, probe noscens se esse minus dignum, Episcopum rogaverit ut Paroeciam ei conferret, illamque reapse obtinuerit, teneatur ad compensanda damna digniori praetermisso?

R. Quod haec obligatio non adsit, probabiliter sustineri potest. Ratio est quia (ut dixi supra n. 475) concursus non iam indicitur ad modum pacti inter Ecclesiam et concurrentes (sicut fit in palaestris), ita ut Beneficium ex iustitia magis idoneo dari debeat: secus enim Pontifex in Bulla collationis dicere nequiret: *specialem gratiam facere volentes;* sed indicitur ad simplicem modum invitationis, ut scilicet concurrentes propria requisita praesentent, et examini se exponant, eo fine ut Paroecia meliori modo possibili provideri possit; unde concursus est in favorem non concurrentium (saltem directe) sed Ecclesiae. Haec sententia, quamvis non sit communis, tamen ab Aucto-

ribus primi subsellii sustinetur ( Cf. S. Lig. IV. 109 et D' Annibali III. 44 ). Iuxta ipsam , sicut Episcopus si digniorem praetermittat non tenetur ad restitutionem erga ipsum , idem dicendum est de iis qui simplici prece vel consilio ad hoc illum induxerint. Conclusionem istam tenet etiam Lugo ( l. c. 96 ), qui ( nescio qua cohaerentia ) Episcopum damnat et concurrentem ( qui illum sollicitavit ) absolvit. Adde quod in praxi de hac minori idoneitate vix unquam constare poterit ; nonne enim, qui credit se esse minus dignum, errare potest, quatenus alter habeat defectus soli Episcopo notos , propter quos iure tamquam minus dignus ab eo iudicatus fuerit ?

977. Quaer. IV. An concurrens , qui obtinuerit Parocciam fraudibus aliisve malis artibus , quibus seclusis digniori data fuisset, teneatur compensare damna ipsi digniori praetermisso ?

R. Supposito quod hae fraudes et malae artes ad Beneficii consecutionem indebitam vere influxerint efficaciter , ut casus supponit ; tunc ( ut supra dicebam ) collatio ipsa invalida fuisset ; unde vel beneficium resignandum , vel sanatoria petenda esset. Sed quoad compensationem damnorum erga magis dignum praetermissum , videndum imprimis an haec damna vere subsistant ; saepe enim praetermissio huiusmodi non damnum sed fortuna est, quatenus post breve tempus Beneficium pinguius obtinetur. Supposito autem vero damno , videndum an fraudes et malae artes adhibitae fuerint directe contra digniorem praetermissum , v. g., calumniando illum apud Episcopum ; et tunc certe damnorum reparatio facienda esset. Si vero fraudes propria merita dumtaxat respexissent, exponendo requisita falsa aut scientiam fictam , ita ut proinde hae malae artes directe Ecclesiam et indirecte competitorem pro obiecto habuerint ; tunc quoad istum haberemus causam damni *occasionalem* dumtaxat ( sicut in iis qui fictis defectibus militarem conscriptionem effugiunt , vel ficta paupertate eleemosynam expilant ) ; et sic componenda quidem esset res ista cum Ecclesia , sed onus compensandi competitorem non superesset. Vide supra ( n. 420. VI ).

Quaer. V. Quaenam alia notanda sint circa concurrentes et nuperos Parochos ?

*A* ) Concurrentes rectam intentionem habere debent ; non enim ad pingues redditus habendos, neque ad augendam propriam dignitatem aut commodiorem vitam ducendam ; bene vero ad laborandum in vinea Domini pro gloria Dei et salute animarum , atque ad distribuendum superfluum in usus pios usque ad assem , ad Paroeciam concurrere possunt.

*B*) Nuperus animarum Pastor sibi firmiter suadeat, in ipsum Paroeciam suam primitus ingredientem universorum fidelium oculos intorqueri, multumque propterea interesse, ut ii de proprio Pastore non modicam illico existimationem concipiant. Hinc primam concionem accuratissime elucubrabit. In ipsa suas obligationes exponat: spondeat se, non obstante quocumque suo incommodo, eis esse, adiuvante Deo, satisfacturum: dicat, proprium pondus quantumlibet grave suorum ovium docilitate non parum allevatum iri: de parochianorum obligationibus dein verba faciat, ex quarum executione aeternam eorum salutem pendere ostendat: universorum precibus se commendet, seque vicissim pro iis Deum exoraturum polliceatur: denique se se una cum fidelibus suis Deo Omnipotenti, Sanctae Deiparae Virgini, Paroeciae Patrono, Sanctisque coeli universis commendet. — Sed parum iuvarent verba, si facta dictis non responderent; quare, si semper, tunc maxime oportet ut Parochus gravem, modestum, pium, comem benignumque se exhibeat, et sic ab initio existimationem, venerationem amoremque omnium sibi conciliet.

*C*) In primis a suo solemni ingressu diebus urbanitatis legibus, erga optimates (si adsint) aliosque in auctoritate constitutos, satisfaciat.

*D*) Item magna sollicitudine parochiale archivium examinet; et, si forte aliquid desit, inquisitiones faciat, atque ut omnia ad suas manus perveniant solerter procuret. In Archivio adesse debent 1° Inventarium; 2° Liber Mortuorum; 3° Liber Matrimoniorum; 4° Liber Confirmatorum; 5° Status animarum. Si in Paroecia adsit fons baptismalis, tunc aderit quoque 6° Liber Baptizatorum. Si Paroecia ius primitiae habeat, aderit 7° Liber primitiae. Ut plurimum memoriae, libri antiqui, Indulgentiarum Brevia etc. reperiuntur; nec non instrumenta et documenta, quae iura Ecclesiae respiciunt; et haec omnia recolligi, examinari et perdiligenter asservari debent. Vide dicta (n. 688 I. VIII).

*E*) Statum animarum quamprimum conficiat, eaque occasione personaliter se ad singulas domos conferat; ut sic suis oculis cognoscere incipiat quomodo res se habeant. Caeterum, exceptis personis probatissimis et valde prudentibus, non facile credat relationibus sibi factis; et valde pedetentim procedat antequam circa hos vel illos parochianos favorabilem aut sinistram opinionem concipiat; et multo magis antequam ad aliquam externam determinationem procedat.

*F*) Quatenus antecessor bene se gesserit, nuperus Parochus illum laudet; sed de eius defectibus taceat.

*G*) Quidquid sit de antecessoris agendi ratione, nuperus Parochus sua munera substantialia accurate adimpleat; sed ab aliis innovationibus (maxime in principio) tum quoad spiritualia tum quoad temporalia se abstineat. Antecessoris vestigiis adhaerere studeat; et, si quos leves abusus inveniat, non praepropere, neque zelo inconsulto, sed pedetentim, prudenter et opportune eos corrigere satagat. Si aliquae innovationes viderentur utiles, animos praedisponat, bonoque semini terram prius paret.

*H*) In principio plus de misericordia quam de iustitia Dei loquatur, et tam in concionibus quam in confessionali non rigidum sed benignum se ostendat, ut animae magis indigentes ab ipso non abhorreant, sed confidenter ad illum accedant.

## PUNCTUM XIV.

### DE VICARIIS SEU CAPELLANIS

978. Vicariorum munera magna ex parte sunt ea ipsa quae ad Parochos spectant. Attamen notanda sunt aliqua eorundem propria.

*A*) Vicarii libenter proprium officium suscipiant et expleant; quo magis enim laboriosum, eo magis meritorium est. Magna utilitas ex hoc officio profluit; aliud enim est addiscere in scholis, et aliud in actu practico versari; et exercitium practicum, sub directione Parochi maiorem scientiam et experientiam habentis, theoriae lacunis bene supplet, et efficit ut iuvenis Sacerdos errores declinet magnamque promptitudinem in casibus occurrentibus acquirat; unde, si postea ad Paroeciam regendam eligatur, non erunt ab eo timendi illi errores, in quos alii inexperti (quamvis forte doctiores) inciderent. — Episcopi et Examinatores synodales officio Vicarii prius bene expleto maximum pondus dare debent.

*B*) Vicarius Parochum suum sincere diligat. Hinc eius defectus occultet, bonasque qualitates laudet. Eius agendi rationem nunquam apud alios reprehendat; et si Parochianus aliquis de Parocho obmurmuret, acriter illum corrigat. De stipendio, de victu, de rebus familiaribus, aut de aliqua offensa recepta, coram aliis lamenta non moveat; sed Parocho ipsi ea declaret quae tolerare non potest. Non propriam sed Parochi sui laudem

quaerat, eiusque partes semper (quantum potest) tueatur; et solertissime caveat ne cum Parochi inimicis familiaritatem ineat, eorumque agendi rationem approbet.

*C* Vicarius praeter officia sibi commissa nihil faciat quin prius Parochi sui licentiam obtinuerit, neque ad ullam mutationem procedat sine eius consensu libenter concesso. Humilitas, propriī iudicii atque voluntatis abnegatio, et obedientia perfecta, sunt virtutes Vicariis quam maxime necessariae.

*D* Vicarius sit secreti tenax, neque de rebus, quas Parochus confidenter ei patefecit, quidquam cum familiaribus aut extraneis dicat. Ea etiam quae domi accidunt secreta servet.

*E* De statu infirmorum Parochum certiorem reddat; eique significet quidquid acciderit vel didicerit quod Paroeciae regimini deservire possit.

*F* Rebus familiaribus et domesticae oeconomiae non se ingerat. Cum famulis suum gradum servet, sed eos despicatui non habeat. Et si forte in domo parochiali foeminae iuvenes adsint, firmissimus sit in nulla familiaritate cum ipsis ineunda. Eas poenitentes stabiles habere declinet; earumque spiritualem directionem non acceptet, nisi necessitas aliud suadeat; quo casu cautissime procedat, et extra confessionale in dandis consiliis spiritualibus cum ipsis (remotis arbitris) non immoretur.

## ARTICULUS II.

### DE PERSONIS SAECULARIBUS

### PUNCTUM I.

#### DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS

979. I. Parentes debent amare filios; idque quamvis deformes, claudi, caeci etc.; imo et quamvis perversi essent. Vinculum charitatis ex nulla causa abrumpi potest cum nemine, et a fortiori si res sit de filiis. — Huius amoris signa (seclusa causa manifeste iusta) ostendi debent aequaliter; differentiae enim, quae fiant inter filium et filium, gravissimorum malorum feraces esse solent.

II. Debent abstinere a quovis malo filiis desiderando vel inferendo. Excipe nisi ex ipso amore quo eos prosequuntur, et propter maius eorum bonum, aut aliam rationabilem causam, malum aliquod eis exoptent aut faciant, prout in iustis puni-

tionibus accidit. Vide dicta (n. 191). Caeterum peccant certe parentes si ex ira aut vindicta filiorum culpas aliis manifestent, vel si improperia et imprecationes (maxime si ex corde) contra illos evomant.

III. Debent eisdem providere quoad corpus, idque multipliciter, nempe

*A*) Matres cavere debent a periculis abortus; cuius mariti quoque interdum (v. g., uxores male tractando) causa esse possunt. Vide n. 186 et 334. XV.

*B*) Matres suorum infantium magnam curam habere tenentur, et certe peccant si longe a domo nimis morentur dum interim infans (cum periculo herniam aut aliud malum contrahendi) plorat et lacte vel alia materna cura indiget; item si retineant puerum lactantem in proprio lecto sine repagulo, et proinde cum periculo somnum capiendi illumque suffocandi. Aliqua obligatio alendi pueros proprio lacte (iuxta communem TT. sententiam: cf. Bened. XIV. De Syn. XI. VII) omnino admitti debet; secus enim vis naturae infertur. Lac maternum pluribus de causis est aptior puero, qui (si intelligeret) non iam nutricem sed matrem suam vellet; et matres, quae lactare recusant, puerperio diuturniori magisque laborioso subiiciuntur. Vide etiam Scavini (I, 692 et IV. 34), Gury (372) etc. Nihilominus causae iustae (inter quas nobilium consuetudo a nonnullis recensetur; sed non video cur consuetudo aut nobilitas contra legem naturalem valere possit) excusare valent. Imo genitores interdum veram obligationem habere possunt tradendi pueros nutricibus; idque accidit si mater iterum gravida evaserit (iamque sit in quarto mense) et puerulus adhuc lacte indigeat; et idem dic si mater lactis penuria laboret, vel si lactatio eius sanitati graviter noceat. Si autem puer nutrici tradatur, videndum cui tradatur (et speciatim ne nutrix sit luc infecta vel gravida); imo et postea vigilandum; si enim puer infirmaretur aut macilentior reperiretur, perpendendum esset ne forte ex nutricis incuria vel lactis defectu id accidat.

*C*) Genitores alimenta filiis suppeditare tenentur; quo nomine veniunt victus, vestitus, habitatio, et (si infirmarentur) medicina. Omnia (ut cavetur etiam lege civili Art. 143) proprio statui conformia esse debent. — Propter filii perversitatem ab alimentorum subministratione genitores non dispensantur. Haec obligatio cessat si filii alimentis non indigeant, aut modo proprio statui convenienti ea sibi procurare possint, si velint. Si filius suam portionem iam habuisset illamque dissipasset,

genitorum obligatio quoad congruam illius sustentationem valde diminueretur: sed, si essent divites et filius sibi providere nequiret, adhuc ad aliquid erga illum tenerentur.

Alimenta non solum filio, sed etiam eius uxori (quatenus ambo indigeant) iuxta facultates praestari debent. Si filius illam indotatam et contra patris voluntatem duxisset; non idcirco pater dives ut ipsi fame pereant, aut nimis miseram vitam ducant, sinere posset. Sanchez (De Matr. IV. xxvi. 21) et S. Lig. (III. 336). — Si filia nobilis contra patris voluntatem plebeio nupsisset, poterit quidem pater ad tempus suam indignationem ostendere; sed tandem ei veniam concedere et aliquam subventionem (ut nimis diuturna egestate non langueat) assignare debebit.

Denique filiis quoque naturalibus, imo et spuriis (quatenus egeant) alimenta (saltem stricte necessaria) suppeditanda sunt. Hi ad brefotrophium mitti solent; sed, quoad filios naturales, si parentes, legitimis nuptiis initis, absque infamia (eo quod, v. g., de casu notorio agatur) et quin ulla discordia aut aliud magnum incommodum provocetur, illos recognoscere atque ad se revocare possent, ad hoc (maxime si de divitibus agatur) tenerentur: matrimonio enim contracto, coram Ecclesia legitimi evadunt, et proinde tamquam legitimi tractari debent. Salmant. (De IV. praec. n. 36), Scav. (I. 541).

*D*) Genitores curare tenentur ut filii artem aut professionem addiscant, qua victum sibi comparent. Observetur ad qualem artem vel professionem ipsi magis inclinent. Velle autem ut filii non divites, loco artis, ad litteras incumbant, quamvis nec idoneitatem nec propensionem erga easdem habeant, magnus error et magna filiorum ipsorum ruina est. Foeminae quoque laboribus domesticis aut artibus quae ipsis conveniunt, quibusque sibi panem comparare valeant, (si sint pauperes) attendere debent; neque permittendum ut plus aequo litteris, musicae, aliisque ineptiis se applicent.

*E*) Si filius Matrimonium contrahere velit, parentes se opponere nequeunt, sed ad summum congruas reflexiones facere possunt, si forte uxorem filiosque obventuros alendi media non adsint. Maiorem oppositionem facere possent quoad personam, si esset indigna aut malus exitus timeretur; et de hoc vide dicta (n. 176). Caeterum cogere filium vel filiam ad ducendam personam invisam aut aetatem longe maiorem habentem, quia divitiis abundat, pessima res est. Denique parentes quam maxime vigilare debent, ne filiae se implicent cum iis qui sine ulla bona

voluntate et forsan cum perversa intentione ad illas divertunt.

Quamvis ex Codice Italico (Art. 147) filiis et filiabus nulla detur actio apud iudicem ad habendam dotem aliamve assignationem occasione matrimonii aut professionis religiosae etc., tamen in conscientia male se gererent parentes, qui dotem convenientem iuxta patriae morem filiae absque ulla rationabili causa denegarent; idque non solum si filia esset in periculo incontinentiae, ut dicit D'Annibali (II. 624), sed etiam tali periculo secluso. Si enim ex receptis moribus filiae nubere nequeunt absque dote; quomodo genitores poterunt in conscientia easdem, dotem denegando, a nuptiis impedire? Idem dic si filia titulo professionis religiosae dotem exposceret. Dixi *sine rationabili causa*; si enim filia indigno nubere vellet, tunc pater dotem (non vero alimenta stricte necessaria, si iisdem indigeat) denegare posset. Sanchez (IV. xxvi. 19).

*F*) Ut autem parentes muneribus hucusque recensitis satisfaciant, tenentur (si oporteat) ad laborandum, debitamque oeconomiam faciendam, nihil dissipando.

*G*) Denique parentes veram obligationem habent relinquendi filiis convenientem haereditatem, inspecto proprio statu, et inspectis quoque filiorum necessitatibus eorumque numero. Lex civilis apud nos statuit ut pater disponere possit de fructibus prout vult (saltem brevi manu), atque etiam de medietate patrimonii sive per actus inter vivos sive per testamentum; non vero de alia medietate, quae pro filiis (aequaliter inter ipsos dividenda) reservari debet. At vero conscientia interdum exigere potest ut patrimonium integrum filiis relinquatur, imo et adaugeatur, si nempe patrimonium sit tenue, filii vero multi et valde indigentes. E contra conscientia ipsa interdum permittere potest ut filiis (alioquin iam satis provisis) quota minor praedicta medietate (maxime ad statuendam operam piam) relinquatur, vel magis detur masculis et minus foeminis, vel inter unum et alterum filium, iustis de causis (v. g., iuxta maiorem vel minorem indigentiam) differentia fiat. Ita reapse lex civilis apud nos intelligitur etiam a personis timoratae conscientiae; unde non sunt inquietandi neque patres qui sic de suis bonis disponunt, neque filii qui sic ea accipiunt (intellige semper nisi iudicis sententia interveniat). Ita sentiunt etiam Theologi magni nominis, v. g., D'Annibali (II. 625), Gury (I. 827), Gousset (794), Lugo (XXIII. 147) et S. Lig. (III. 740). Vide dicta n. 511. IV; ubi etiam egi de haereditate quoad filios naturales et spurios.

IV. Parentes providere debent filiis quoad animam; nempe

*A*) Neonatos quamprimum (ad minus intra triduum) baptizare.

*B*) Instructionem religiosam filiis (statim ac lumen rationis habere incipiunt) diligenter suppeditare, incipiendo a rebus magis necessariis circa fidem, legemque Dei et Ecclesiae, nec non circa orationem aliaque media salutis. In hunc finem ad Paroeciam pro Catechismo eos mittere debent; neque facile est quod instructioni a se ipsis vel ab aliis traditae (quae ut plurimum est imperfecta, nisi etiam ad solas formulas reducatur) acquiescere possint. Vae genitoribus qui toti sunt in instruendis filiis in artibus, litteris, urbanitate, solertia etc.; atque interim vix ultimas partes christianae instructioni relinquunt!

*C*) Bonis moribus atque actibus et observantiis christianis filios assuefacere. Iam inde a septimo anno exigere debent ut Missam diebus festis audiant, a carnibus diebus vetitis abstineant, et saltem semel in anno ad confessionem accedant. Nihil dico de quotidianis precibus: de Sacramento Confirmationis; et de SS.ma Eucharistia suo tempore suscipienda.

*D*) Caveant genitores ne scandalum aliquod filiis (v. g., libere loquendo aut retinendo eos iam grandiusculos in proprio lecto: vide dicta n. 239. II.) praebeant. Patres saepe saepius scandalo sunt filiis propter blasphemias et irreligiositatem; matres vero propter vanitatem, excandescentias, murmurationes etc. Quid dicam de illis qui coram filiis despectui habent Religionem, et teterrimis coloribus Dei ministros repraesentant? Quid de illis qui filios aut filias ad peccandum positive inducunt? Quid de illis qui cogunt filios ad eligendum statum eorum vocationi contrarium, et sic laqueum damnationis eis iniiciunt?

*E*) Genitores satagere debent ne filii in periculis versentur. Pericula maiora sunt impiae sectae; pravi socii; mali libri; impiae ephemerides; scholae et officinae periculosae; repraesentationes theatricae sive impiae sive obscoenae; geniales conversationes; famulatus apud personas periculosas; otium; nimia libertas; famuli pulchri quoad filias, et famulae pulchrae quoad filios; conversatio filiae cum amasio, remotis arbitris aut matre dormiente. Nihil dico si filii cum filiabus in eodem lecto dormirent. Si autem filii ex necessitate in aliquo periculo (propter scholam vel officinam etc.) versari cogerentur, tunc genitores eos praemunire deberent.

*F*) Genitores tenentur corrigere filios, vigilando iam inde a tenera aetate circa illorum defectus pravasque inclinationes,

eosque iugo obedientiae (velint, nolint) subiicere. Eorundem vivacitatem iocosque innocentes (nisi sint excessivi) tolerent; sed mendacia, inobedientiam, filiarum vanitatem, immodestiam, procacitatem, et uno verbo peccata et vitia, tolerare non debent. Quando bene agunt, laudentur etiam coram aliis; at vero, quando male se gerunt, corrigantur, sed non coram extraneis. — Si admonitio non sufficiat, puniantur, et quidem severius si male factum mendaciter denegent; si vero peccatum fateantur veniamque petant, facile absque punitione pro ea vice dimittantur. — Poterit quidem correctio et punitio etiam cum iusta ira peragi, ut vividior sit maioremque impressionem faciat; sed cavendum ne ira mentis oculos ita excaecet, ut ad excessivas, scandalosas, inconsultas et forte etiam omnino iniustas correctiones et punitiones impellat. Quippe correctiones et punitiones debent esse 1° *iustae*, considerando prius an filii vere deliquerint; 2° *moderatae*, iuxta maiorem vel minorem gravitatem peccati, nec non iuxta filii aetatem, complexionem, indolem etc. 3° *non scandalosae*, nempe sine blasphemiis, imprecationibus etc. 4° *prudentes*, nempe in circumstantiis opportunis, et cavendo ne maiora mala provocaturae sint; quid enim si filii masculi iam adulti verberari vellent? — Imo, si non subsistat spes fructus et si secus maiora mala provocarentur, expedire potest ut parentes interdum taceant omnino. — Quid si misera mater cogeretur etiam suppeditare cibos vetitos filio impio die veneris et sabbati; aut aliis modis filiorum peccatis materialiter cooperari? Vide dicta (n. 525. Quaer. V).

*G*) Obligatio vigilantiae et correctionis non semper est in eodem gradu; quatenus, quando filii iam aetatem habent qua sibi ipsis prospicere possunt, valde imminuitur; tunc enim ex una parte, si filii non recte se gerant, non est supponendum quod ex ignorantia vel inadvertentia id eveniat; et ex alia crescente aetate imminuitur docilitas, et parentes erga filios adultos verbera et alia media valde efficacia adhibere nequeunt. Nihilominus parentes, maxime erga filias dum adhuc nubiles sunt, facere debent quidquid possunt, quamvis iam superadultae sint, ut timorem Dei servent atque a periculis avertantur.

## PUNCTUM II.

### DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES

980. De his egi supra in explicatione quarti praecepti Decalogi (n. 168-176). Vide dicta n. 364 (*Tertius casus*), et nn.

378. 487, pro casibus in quibus filiifamilias ex bonis domesticis aliquid clam acceperint. — Vide etiam quae dixi *de Occasionariis* (n. 265 et 274) circa filios, qui sive domi sive in scholis versentur in periculo; an scilicet rem parentibus patefacere tunc teneantur?

## PUNCTUM III.

### DE OBLIGATIONIBUS CONIUGUM

981. Hae sunt 1° Fidelitas adeo integra, ut ne occasio quidem concipiendi rationabilem zelotypiam praebeatur. 2° Redditio debiti matrimonialis, de quo vide dicta (n. 323-347). 3° Cohabitatio, iuxta dicta (n. 337). Electio domicilii ad maritum spectat. 4° Alimentorum subministratio. Maritus debet praebere uxori victum, vestitum etc. iuxta conditionem. Teneretur quoque uxor haec prestare marito, si egeret et ipsa posset. 5° Reciprocus amor, sed absque irrationabili zelotypia. 6° Sedula cura evitandi sive in factis sive in verbis quamlibet iniuriam et quidquid rationabiliter displicere possit Sed quid si alteruter in his plus vel minus deficeret? R. De regula ordinaria, si defectus proveniat ab uxore, maritus potest et debet illam corrigere. Nunquid et verberare? In casu extremo, cum moderatione, et dummodo id deserviat in bonum, affirmandum est; sed agitur de re plena periculi, uti patet; et certe, si uxor esset nobilis, verberationes magna mala provocarent, et adhiberi nequirent. — Si autem defectus proveniret a marito, tunc uxor potius preces et benevolas reflexiones, quam veras correctiones adhibere posset. — Dixi *de regula ordinaria*; si enim fructus non speraretur et maiora mala timerentur, tunc patientia (et obedientia, quantum sine Dei offensa fieri poterit) adhibenda esset. — Quoad uxores qui, inscio vel contradicente marito, aliquid accipiunt de rebus domesticis, vide dicta (n. 364. *Tertius casus*). — An uxor abstinere possit a Missa et a religiosa educatione filiorum, propter impii mariti prohibitiones, declaravi supra (n. 252 et 524 in fin.). — Quoad cooperationem peccatis mariti, vide dicta (n. 257). — Demum, si de adulteriis aut saevitiis prorsus intolerabilibus ageretur, divortium poterit evadere licitum; sed practice ut plurimum quam maxime dissuadendum. Recole quae dixi (n. 339).

## PUNCTUM IV.

### DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM

982. *A*) Domini ex iustitia debent 1° Non gravare famulos laboribus ultra pactum expressum vel implicitum, iuxta discretionem quae a bonis dominis adhibetur ; 2° Congrua alimenta eis praebere ; 3° Iustam mercedem (inspecta loci consuetudine et particularibus circumstantiis) eis, non interiecta mora, tribuere (Vide dicta n. 349. Cas. II). Quid si famulus conductus ad annum, veramque habens obligationem non discedendi ante finem anni, absque ulla legitima causa discederet ? R. Videndum imprimis an servitium sit semper uniforme et semper eodem pretio dignum, an vero aliquibus mensibus magis valeat et aliis minus, prout accidit ruri, ubi opera famulorum plus tempore hestivo quam hyemali valet. Sub hac distinctione determinanda est quota, quae dari debuisset famulo si ex legitima causa discessisset. Quum autem iniuste discesserit, mihi videtur quod dominus duobus modis procedere possit. Primus est si famulo praedictam quotam tribuat, simulque reparationem damnorum (si adsint) exigat. Secundus est si famulo tribuat dumtaxat illud stipendium, quod iustum fuisset si absque obligatione remanendi toto anno (seu cum facultate discedendi pro libito) servitium suscepisset. Imo credo quod stipendium huiusmodi adhuc imminui possit ; quia illud non fuit deductum in pactum, et famulus contractum, qui revera initus fuit, inique fregit. Res itaque pro bono et aequo, arbitrio viri prudentis componi debebit. Cf. Scavini (I. 557).

*B*) Domini tenentur etiam (propter obligationem bene regendi familiam) exigere ut famuli leges Dei et Ecclesiae servent ; circa ipsos vigilare, eosque corrigere, et in casu extremo (si nempe gravia scandala familiae praebeant) etiam expellere. De hero praebente occasionem furandi famulo ad eiusdem fidelitatis experimentum faciendum, vide dicta (n. 234).

*C*) Quamvis magna differentia adsit inter filios et famulos, nihilominus domini famulos suos diligere, eorum tolerabiles defectus patienter ferre, et benevolam (maxime si aegrotent) eorundem curam habere tenentur. Recolendum semper quod bonus dominus bonum servum facit.

## PUNCTUM V.

### DE OBLIGATIONIBUS FAMULORUM

983. *A*) Imprimis tenentur ex iustitia propriam operam et obedientiam praestare, iuxta pactum expressum aut implicitum; adeoque se habiles servare; unde peccant qui propter pigritiam, aut vitia cauponae, ludus, ebrietatis etc., suis muneribus deficiunt, vel a domo absunt quando domi adesse deberent. Ex pacto implicito tenentur etiam defendere dominum, et quamdam generalem domus custodiam habere, maxime contra fures familiae extraneos, iuxta dicta (n. 429). — Hinc peccant famuli, si, dum aliquid eis praecipitur, murmurent, moras trahant, negligenter et male opus peragant; et speciatim si illud nullo modo praestent, maxime vero si dicant se fecisse et nihil fecerint, nihilque facturi sint; aut si perfracte respondeant: nolo facere.

*B*) Tenentur fidelitatem servare, nihilque (ne ad gulae quidem satisfaciendum) surripere. Quoad furta famulorum vide dicta (nn. 278. - 364 *Tertius casus.* - 369 IV. - 484). Quoad ius ad compensationem, vide n. 349. *Cas. II.*

*C*) Tenentur heros suos sincere diligere, eorum defectus patienter tolerare, et reverentiam eisdem exhibere. Hinc peccant famuli si illis mala imprecentur; si eos contumeliis afficiant, vel derideant; si res domesticas (quae occultari debeant) aliis manifestent; si de iisdem obmurmurent, vel eorum detractores libenter audiant; si correctiones despiciant, et superbe respondeant; denique si domino non patefaciant ea, quae forte noverint magnum detrimentum afferre posse (saltem si absque gravi incommodo illum certiorem utiliter facere valeant).

*D*) Tenentur servitium deserere, si illud in gravem animae propriae ruinam redundare deberet. Vide *de Occasionariis* (n. 268). Attamen, quando non agitur de rebus intrinsece malis, ratio famulatus (et speciatim si alia incommoda gravia superaddantur) efficere potest ut liceant ea, quae secus illicita forent. Vide n. 156 quoad labores in diebus festis; n. 524 q. IV. II. quoad Missam; n. 525. q. IV. 8. quoad abstinentiam a carnibus diebus vetitis; n. 538. V. quoad ieiunium; denique nn. 256-259 et 525. q. V. quoad cooperationem peccatis dominorum.

## PUNCTUM VI.

### DE OFFICIO IUDICUM

984. *A*) Index tenetur omnimodam iustitiam in sententiis servare; et in dubio, si agatur de causa criminali, reo favebit; si vero de civili, stabit pro possessore; et, si possessio quoque esset dubia, stabit pro habente rationes validiores; si demum rationes essent hinc inde aequales, tunc stare posset pro libito, nisi ageretur de causa pia, aut viduae, aut pupilli, aut dotis, aut matrimonii, tunc enim (ex iure canonico) huiusmodi causis favere deberet. Posset etiam (iisdem causis seclusis) sententiam ferre pro rei divisione, maxime si dubium non esset iuris sed facti.

*B*) Iudex tenetur scientiam tanto officio parem habere; item adhibere sagacitatem tum ut circumstantias omnes (a quarum diligenti et patienti investigatione sententiae rectitudo ut plurimum pendet) cognoscere possit (non enim semper prima fronte apparent), tum ut fallacias (quae in causidicorum ore abundare solent) a veris rationibus discernat. Si causa sit difficilis et intricata, ad speciale studium et examen magis accuratum tenetur. — Imprimis autem integritatem incorruptibilem, quae nec amori nec odio nec intercessionibus nec precibus nec muneribus cedat, habere debet.

*C*) Iudex qui in officio suo deficiat, contra iustitiam non solum legalem sed etiam commutativam peccat, et proinde ad restitutionem seu damnorum reparationem (nisi alii principalius obligati satisfaciant) tenetur. Intellige si cum culpa theologica inique se gesserit; secus enim teneretur dumtaxat malas consequentias impedire, quatenus posset absque infamia aut alio gravi incommodo, v. g., curando occulte ut pars laesa ad appellationem recurrat.

*D*) Quoad iudices, qui ad modum sive pretii sive muneris pro sententia ferenda sive iusta sive iniusta aliquid accipiunt a partibus, sufficere possunt dicta (n. 502-505). Addo tamen quod, si iudex pro sententia iusta vere pacisceretur et pretium acceptaret, ad restitutionem teneretur, idque quamvis apertis verbis sententiam iniustam comminatus non fuisset; dum enim huiusmodi pactum iniret, tacite significaret quod, si non iniretur, sententia iniusta reformidari deberet.

De his omnibus vide Gury (II. 1-4).

985. Quid si iudex versaretur in casu applicandi leges civiles

quoad bona Ecclesiae usurpata; vel contra immunitatem ecclesiasticam sive localem sive personalem; vel etiam in materia matrimonii, cogendo, v. g., foeminam rite coniugatam ad deserendum proprium coniugem, vel ad subeundam poenam adulterii eo quod dormierit cum illo, atque ad cohabitandum cum alio quocum civiles nuptias contraxerit?

R. Oportet imprimis ut iudex Ecclesiam consulat, a qua licentias circa aliquos casus obtinebit. Poterit etiam, si tempus facultatem petendi non suppetat, licentia praesumpta uti, si vere praesumi possit. Dixi *si vere praesumi possit;* si enim ipsa licentiae concessio scandalum praeberet, et multo magis si ageretur de legibus non ecclesiasticis sed divinis (ut in dicto casu matrimonii), tunc nulla licentia praesumi posset. Cf. Scavini (IV. 560 not. in fin.).

## PUNCTUM VII.

### DE IURATIS

986. Iurati dare debent votum non circa ius sed circa factum, secundum quod credunt aut non credunt accusatum esse reum. Si forte scirent, rem non iuxta allegata et probata sed aliter se habere, non possent (sicut forte iudex) stare allegatis et probatis, bene vero iuxta conscientiam iudicare deberent. — Vi iuramenti emissi, attentionem et summam rectitudinem servare tenentur; secus mortaliter peccarent, atque ad damnorum reparationem obligarentur, sicut iudices. — Hinc patet quam male se gerant ii qui, nullam attentionem adhibentes, votum in accusati favorem semper praestant. Porro iuramentum emittitur sequenti modo: « Giuro in faccia a Dio e in faccia agli uomini di « esaminare colla più scrupolosa attenzione le accuse fatte a N. « N., di non tradire i diritti dell' accusato, nè quelli della socie- « tà che lo accusa; di non comunicare con chicchessia relativa- « mente alle dette accuse sino dopo alla dichiarazione; di non « dare ascolto nè all' odio, nè ad altro malvagio sentimento, « nè al timore, nè all' affetto; di decidere solamente allo stato « dell' accusa e delle fatte difese secondo la mia coscienza ed « il mio intimo convincimento, colla imparzialità e colla fermez- « za che si convengono ad un uomo probo e libero » Cod. di proc. pen. Art. 487. — Si Iuratus circa accusati reitatem aut innocentiam dubius maneret, tunc schedulam sine ullo voto dare posset: quae in accusati favorem esset. Art. 504.

987. Si ageretur de iudicio contra Sacerdotem, possetne Iuratus, non obstante lege immunitatis ecclesiasticae, intervenire?

R. Aliqui dicunt quod lex ista prorsus evanesceret casu quo Iuratus posset dicto Sacerdoti prodesse, et hac intentione ad tribunal se conferret; multo magis quia ab interventu absque magno incommodo (mulcta enim est a Fr. 300 ad Fr. 1000) abstinere nequit. Sed haec opinio non est admittenda: iudicare enim personas ecclesiasticas (etiam favorabiliter) sine licentia Ecclesiae non licet. Quamvis autem opus sit ut Ecclesia hodie praedictam licentiam ordinarie concedat, ex hoc non sequitur quod etiam sine licentia intervenire liceat. Lex enim de petenda licentia est adhuc in aedificationem; non solum ad removendum scandalum, sed etiam ut Episcopus congrua consilia et opportunas instructiones dare possit. Si tamen casus ita ex improviso accideret ut Episcopus consuli nequiret; tunc licentia praesumpta sufficeret; idque quamvis iuratus suo voto nihil prodesse posset.

## PUNCTUM VIII.

### DE ADVOCATIS ET PROCURATORIBUS

988. *A*) Isti peccant si iudices corrumpant aut falsos testes adhibeant; porro haec absolute nunquam licent.

*B*) In causis criminalibus possunt reum defendere, quamvis de illius culpabilitate certi essent. Quoad mendacia ad reum defendendum, vide dicta (n. 523. q. VII).

*C*) Si causa civilis esset certe iniusta (aliud enim est de dubie iusta), tunc (sive in initio sive in progressu litis iniustitia detegatur) neque illam defendere, neque compositionem (quae solum in re dubia liceret) cum damno alterius partis innocentis procurare possunt. Si huiusmodi causam defenderent, tenerentur parti contrariae damna resarcire; idque tamquam agentes sive principales sive secundarii secundum quod actor sit in bona vel in mala fide. Tenerentur etiam compensare damna actori ipsi, si illum ex ignorantia in bona fide constitutum de causae iniustitia et de lite certe perdenda non admonuissent.

*D*) Advocati et Procuratores tenentur diligenter et solerter suscepta negotia expedire, idque ex iustitia. Hac in re culpa intervenire potest si, loco studendi, praeparandi documenta, adeundi tribunalia etc., deambulent, ludant, conversationibus

indulgeant, vel de aliis rebus se occupent, dum interim clientibus damna obveniunt. Culpa aderit etiam si nimias (quas expedire convenienter nequeant) lites acceptent, maxime si ob id causa aliqua momentosa detrimentum passura sit.

*E*) Fidelitas integra erga clientes servari debet. Hinc peccant qui causas male tractant, ut parti contrariae faveant. Item qui litem inceptam deserunt, et postea adversarium defendunt.

*F*) Denique iniustitia adesset, si advocatus vel procurator in compensationem sui laboris pretium excessivum exigeret. Hoc, si non sit lege taxatum, prudentum iudicio, habita ratione negotii, peritiae advocati, et receptae consuetudinis, determinari debet. (Quoad pauperes, et corpora moralia, quae pauperum curam habeant, adest patrocinium gratuitum; de quo vide Scavini I. 527. not. 3). Codex poenalis (Art. 309. 314) severe animadvertit contra illos causidicos, qui pactum fecerunt de habenda parte obiecti quod sub lite est (ne scilicet clientis miseria abutantur, et per fas et nefas litem defendant); aut a clientibus carpunt pecuniam aut aliquid aliud, dicendo se tantundem dedisse aut promisisse iudicibus aut aliis publicis officialibus ad eorum favorem obtinendum.

*G*) De advocatis, qui causas circa bona ecclesiastica usurpata tractant, vide dicta (n. 509 *h*).

## PUNCTUM IX.

### DE MEDICIS

989. *A*) Medici (si sint conducti) toties quoties advocentur, quacumque hora sive die sive nocte, et non obstantibus magnis incommodis propter intemperiem, longum iter etc., accurrere debent, et quidem prompte, nisi forte certe sciant quod aliqua dilatio noxia non erit; neque differentiam inter divites et pauperes facere possunt. Tempore pestis propriam operam praestare debent, non obstante periculo vitae. Medici autem non conducti ex iustitia debent accurrere solum ad illos quorum curam acceptaverint; et, quando nullam iustitiae obligationem susceperint, gravia incommoda vel pericula subire non tenentur. Ballerini (II. 34).

*B*) Attentio, diligentia et assiduitas debet esse casibus proportionata. Agitur, v. g., de morbo cuius species non bene dignoscitur, aut qui facile complicari potest? Tunc indagines speciales necessariae erunt, ne forte remedia inutilia aut noxia

praescribantur. Agitur de morbo valde difficili? Tunc studio vel maiori ponderatione opus erit, et aliquando curandum ut medicus magis peritus aegrotum invisat et consilium suppeditet.

*C*) Quando certum est aliquam medicinam vel aliquam curandi methodum infirmis profuturam esse, tenentur illam adhibere, omissis medicinis et curationibus dubiis et incertis. Si pharmaca certa desint, tunc probabiliora minus probabilibus praeferenda sunt. Medicinae quae possunt prodesse et obesse (nempe sanitatem afferre et mortem accelerare) non sunt praescribendae, nisi forte quando innocuae deficiant et de morbo lethali agatur. Quoad foeminas gravidas, vide dicta (n. 188).

*D*) Medicus non potest se opponere si aegrotus eiusve familia alium medicum consulere velit; attamen nequiret approbare medicinam indicatam a medico consulto, si illum errasse clare cognosceret. Si electio medici consulendi medico curanti committatur, hic non potest medico magis perito amicum vel consanguineum, vel munera praebentem praeferre.

*E*) Lucri causa visitationes inutiles multiplicare, aut de industria morbum ipsum protrahere vel novos morbos provocare; pharmaca superflua praescribere ad favendum pharmacopolis amicis; consultus inutiles proponere ad favendum alicui medico amico; testari falso de infirmitate, ut aliquis ab officio impune eximatur, vel pensionem obtineat (cf. Cod. poen. art. 360); honorarium excessivum exigere; aut (si medicus sit conductus) illos qui munera non praebent negligere: hae sunt iniustitiae magnae: utinam rarae! Nihil dico de iis qui pharmaca suppeditant ad abortiendum vel ad procurandam sterilitatem.

*F*) Libidinis causa inspectiones non necessarias fieri non posse, per se patet.

*G*) Medici (et idem dic de pharmacopolis et obstetricibus) ad rigorosum secretum circa casus infamantes tenentur. (Cf. Cod. poen. Art. 587).

*H*) Denique medicus (si viri catholici partes adimplere velit), sive per se, sive per familiam, sive per Parochum, admonere debet aegrotum de Sacramentis tempestive suscipiendis toties quoties mortis aut amissionis sensuum grave periculum immineat. — Requisitus autem circa dispensationem a ieiunio aliisve legibus ecclesiasticis, conscientiose procedere debet.

# SECTIO III.

## DE SCIENTIA PROXIMA, NEMPE DE IIS, QUAE CIRCA SACRAMENTI POENITENTIAE ADMINISTRATIONEM A CONFESSARIIS OMNIBUS SCIRI DEBENT.

### CAPUT I.

#### DE ESSENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

990. Hodie communiter docent quod non sola absolutio, sed etiam actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio (scilicet voluntas satisfaciendi), tamquam vera materia, sint de essentia in hoc Sacramento; et doctrina ista certe traditur a Catechismo Romano dicente: « Neque hi actus quasi « materia a S. Synodo appellantur, quia verae materiae ratio- « nem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, « quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo et Chri- « sma in Confirmatione ». At vero Scotus censuit, essentiam huius Sacramenti in sola absolutione reponi debere; illud tamen esse informe, nempe gratiam non conferre, nisi contritio (ad removendum obicem, nempe affectum peccati) praecesserit; sicut Baptismum, susceptum ab adulto in peccato mortali et absque ulla contritione, validum esset, sed informe et sine infusione gratiae; quae tamen, remoto obice (scilicet, remoto impedimento per poenitentiam postea subsecutam), vi Sacramenti subiectum iustificaret. Quoad confessionem Scotus docebat, illam exigi non tamquam proprie dictam Sacramenti partem, sed tamquam requisitum, quatenus ex divina institutione absolutio non arbitrarie sed ad modum iudicii et praevia confessione (si haec fieri possit) dari debeat. Similiter satisfactio, iuxta Scotum, iudicii quidem sed non Sacramenti partem constituit, quatenus iudex, antequam a culpis absolvat et sic Sacramentum conferat, ad satisfactionem ligare debet, quam poenitens acceptare et exequi tenetur.

Hanc Scoti doctrinam aliqui graviori censura afficiunt, illamque appellant erroneam, temerariam et plus quam temerariam. Ego quoque olim existimavi, nullam probabilitatem habere posse, et omnino esse reliciendam. Sed de doctrina ista cum respectu loquuntur Perrone (De Poenit. 226), D'Annibali (III. 181. 2) etc., illamque vivide tuentur Van Rooy (in novissimo opusculo, cui titulus *Tractatio practica, seu systema Scoti ad praxim applicatum*) et Ballerini (II. 414. et 447. q.

7. not. *a*), qui eo usque procedit ut dubitet an sententia communis solidam probabilitatem habeat. Ecclesia certe Scoti doctrinam nunquam damnavit; imo Concilium Tridentinum sedula cura illam intactam reliquit, inquiens: « Sunt autem quasi ma-« teria (*ergo non materia stricte dicta*) huius Sacramenti ipsius « poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. « Qui, quatenus in poenitente ad integritatem (*ergo non ad es-« sentiam*) Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum « remissionem, requiruntur, hac ratione (*non vero quia sint « essentiales ad valorem*) Poenitentiae partes dicuntur ». Verba huiusmodi scotisticae doctrinae positive favere videntur. Certe Scoto favent Theologi gravissimi, inter quos citantur S. Bonaventura, Vega, Maior, Canus, et Maldonatus, qui dixit, hanc esse sententiam *veriorem*. S. Thomas adducitur tamquam antesignanus contra Scotum (unde schola thomistica hoc etiam in puncto scotisticae contraria est). Attamen S. Th. (suppl. IX. 1), tractans quaestionem *Utrum confessio possit esse informis*, affirmative respondet, et dicit: « Confessio potest esse « etiam in eo qui non est contritus....., et quamvis tunc non « percipiat absolutionis fructum (*nempe gratiam*), tamen, re-« cedente fictione, percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sa-« cramentis est. Unde *non tenetur iterare confessionem qui « fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confi-« teri* ». Dicunt quod S. Thomas hic loquitur de casu communiter admisso poenitentis obliti bona fide alicuius peccati, de quo ne implicite quidem doleat, dum dolet de aliis ex motivo particulari; sed hoc esse non potest, quia S. Doctor (ut ex iis, quae sibi obiicit, patet) loquitur de eo qui, dum confitetur, *non habet cor ori conforme, quia corde peccatum tenet* QUOD ORE DAMNAT. Alii dicunt quod S. Thomas supponit quod poenitens non teneatur iterare confessionem, quia redeat ad eundem Confessarium; at vero id etiam stare nequit, quandoquidem, iuxta S. Doctorem, tota ratio cur poenitens fictus non tenetur iterare confessionem, est quia ille nihilominus peccata sua iam pandidit Sacerdoti, et clavibus Ecclesiae se subiecit, et sic satisfecit substantiae confessionis, quamvis non satisfecerit confessionis fini. Sic itaque etiam S. Thomas (non tamen eius schola) admittebat cum Scotistis, Sacramentum Poenitentiae sine contritione esse quidem informe sed validum.

Iuxta hanc Scotistarum sententiam, melius intelligitur 1° Quomodo confessio sacrilega sit sacramentalis; eccur enim esse deberet Sacramentalis, si, deficiente (et quidem mala fide) do-

lore essentiali, sacramentum nullo modo adesse posset? Melius intelligitur 2° Cur absolutio possit et debeat dari moribundis sensibus destitutis *. Dicunt quod moribundus motu digiti, contorsione oculorum, anxia respiratione etc. semper dabit aliquam tenuem probabilitatem quod talibus signis intendat confessionem facere. Sed quid si in manifesto delirio versetur? Quid si nec digitos nec oculos moveat nec anxie respiret? Argute dicit Ballerini (506. not. *b*), praedictam probabilitatem vere adeo tenuem esse posse, ut facile e manibus imo et oculis elabatur. Denique melius intelligitur cur Christifideles confessionem facientes intelligant quidem suscipere sed non efficere Sacramentum, neque se agere ut Christi ministros ullo modo existiment.

Caeterum, quamvis actus poenitentis (iuxta scholam scotisticam) non sint de essentia pro valore Sacramenti; tamen (iuxta omnes) exiguntur saltem tamquam dispositiones; quatenus nempe contritio semper exigitur ut Sacramentum ipsum gratiam conferat; exigitur quoque confessio, saltem ex praecepto divino, et quando peragi potest; et idem dic de satisfactione.

## CAPUT II.

### DE ACTIBUS POENITENTIS

## ARTICULUS I.

### DE CONTRITIONE

991. Finis poenitentiae est inire aut confirmare pacem cum Deo, quem peccata mortalia inimicum, et venialia aliquantisper aversum nobis reddiderunt. In hunc finem oportet imprimis ut homo peccata sua detestetur, atque ad congruam satisfactionem Deo offenso praebendam sit paratus. Oportet etiam, ex praecepto divino (ut dixi), ut peccata ipsa Dei Ministro accuset. Sic apparet cur actus poenitentis tres esse debeant, nempe contritio, confessio et satisfactio; quibus ille peccata sua expiare et offensam Deo factam resarcire, cum spe veniae, intendit. Vide Lugo (De Poen. II. et III).

* His in punctis praxis Ecclesiae stat cum Scotistis. Quando autem agitur de confessione facta sine contritione, stat cum schola thomistica, et docet talem confessionem esse iterandam. Nec mirum. Ecclesia enim respicit semper quid sit melius: patet autem quod in quibusdam casibus melius est stare cum una, et in aliis cum alia opinione.

992. Contritio definitur a Tridentino : « Animi dolor ac de-« testatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de « caetero ».

993. De proposito acturus infra, et nunc agens de dolore ac detestatione, dico quod communior Theologorum sententia docet, substantiam contritionis reponi debere in detestatione, quae caeteroquin a dolore (seu a quadam animi tristitia) separari non poterit. Detestatio autem confundenda non est cum quadam simplici displicentia, quae efficiat ut peccata sub uno respectu displiceant, et sub alio adhuc placeant: unde homo in substantia adhuc approbet se male fecisse. Vera detestatio adest, quando poenitens peccata commissa ita abominatur, ut intra se dicat : *Vellem ea non commisisse* : quatenus, si illa non potest destruere de facto (quod est impossibile), saltem illa destruat desiderio.

994. Theologi passim docent quod dolor debet esse 1° internus ; 2° verus ; 3° supernaturalis ; 4° summus ; 5° universalis. Quae omnia breviter explico.

995. Internus erit, si poenitens non labiis dumtaxat seu apparentiâ externâ, sed ex corde (nempe ex voluntatis determinatione) peccata sua detestetur. Notandum quod plurimi poenitentes in hoc deficiunt, et credunt sufficere si formulam contritionis legant aut recitent.

996. Erit verus, si de facto subsistat cum omnibus suis debitis necessariis ; nec sufficeret si poenitens bona fide crederet se habere sufficientem dolorem, si reapse illum non haberet. Item non sufficeret si poenitens desideraret se habere verum dolorem, aut doleret quod non doleat. Si tamen poenitens non haberet affectum ad ullam culpam, facillimum esset quod ex mero scrupulo crederet se non habere verum dolorem ; falso reputans quod dolor debeat esse in sensu, dum sufficit ut sit in voluntate, ut Catechismus Rom. aperte declarat.

997. Debet esse supernaturalis : idque dupliciter, nempe ratione *principii* (quatenus non solis naturae viribus sed auxilio divinae gratiae elici debet), et ratione *motivi* (quatenus oportet ut ex motivis lumine fidei cognitis procedat). At vero, si de facto eliciatur ex motivis supernaturalibus, auxilium gratiae divinae nunquam deerit, ut fuse demonstrat Suarez (De Poenit. III. VII) ; unde in praxi poenitentes adhortandi erunt quidem ut precibus Dei auxilium implorent, quo adiuti vere poeniteant ; sed, poenitentia subsecuta, certi esse poterunt, quod, si fuit supernaturalis ratione motivi, etiam ratione prin-

cipii supernaturalis fuit, idque quamvis forte divinum auxilium precibus non imploraverint; nec audiendus est Caietanus, qui contra sensit.

998. Motiva supernaturalia, quae ad actum verae poenitentiae eliciendum deserviunt, sunt speciatim sequentia, nempe quia peccatum 1° offendit Deum infinite bonum, qui nos amat, nos secum desiderat, nobisque faciem suam divinam ostendere vult (et sic peccatum laedit charitatem); 2° offendit Deum infinite beneficum atque misericordem (et sic laedit gratitudinem); 3° offendit Deum infinite sanctum et excelsum omnique veneratione dignum (et sic laedit religionem); 4° offendit Deum supremum Legislatorem et Dominum (et sic laedit obedientiam et iustitiam cum magna Dei ipsius iniuria); 5° reddit nobis Deum inimicum, meretur gehennam nosque privat beatitudine aeterna, si sit mortale; 6° meretur purgatorium, si sit veniale; 7° meretur ut Deus vindex etiam in hoc mundo nos puniat; 8° deturpat animam aut etiam alias speciales turpitudines habet. — Oportet tamen semper ut huiusmodi motiva ad ordinem supernaturalem vere spectent. Id autem dupliciter evenit; nempe 1° Si sint supernaturalia *in se*, considerando, v. g., Deum ut auctorem gratiae, redemptionis et beatitudinis supernaturalis; vel considerando peccatum sive quatenus nos gratia, fructu redemptionis, et beatitudine privat; sive quatenus animam ad imaginem Dei factam atque ad statum supernaturalem elevatam foedat; sive quatenus se opponit virtutibus quibus aeternam beatitudinem assequi possemus. 2° Si sint supernaturalia *quoad modum* ea cognoscendi; considerando quidem, v. g., Deum ut auctorem naturae, providum, sapientissimum, optimum, legislatorem, punitorem etc.; sed non solo lumine rationis, prout faceret homo paganus; bene vero etiam lumine fidei, prout facere solent christiani: quo fidei lumine utique sciunt Deum esse creatorem coeli et terrae, suamque legem dedisse, et praevaricationes sive in inferno, sive in purgatorio, sive etiam in hoc mundo, punire. Dixi *prout facere solent Christiani:* non enim timendum est ne Christifideles potius lumine rationis (et quia sic doceat Plato, Socrates, Cicero) quam lumine fidei, in huiusmodi motivis considerandis, ducantur.

999. Motivum primo loco recensitum, nempe peccatum detestari (intellige plus quam omne aliud malum, ut infra declarabitur) non propter utilitatem nostram et quia Deus illud puniturus est, sed quia offendit Deum bonitatem infinitam et omni amore dignum. *contritionem perfectam* constituit, quae

( ut omnes norunt ) peccatorem statim iustificat. Ratio est quia actus huiusmodi virtualiter implicat ut homo amet Deum super omnia, illumque omnibus aliis rebus praeferat, eo quod dignissimus sit in se ipso ut omnibus rebus praeferatur. Huiusmodi autem amor cum Dei inimicitia stare non potest, quum scriptum sit : « Ego diligentes me diligo », et « Charitas operit mul« titudinem peccatorum ». Equidem tutius esset si poenitens actum charitatis formaliter emitteret, dicendo : *Quia Deus est bonitas infinita et omni amore dignus, illum amo, et omnibus aliis rebus praefero ; et proinde peccata mea, quibus illum offendi, super omnia alia mala detestor.* Sed si etiam dicat dumtaxat: *Detestor peccata mea super omnia alia mala, quia offendi Deum infinite bonum et omni amore dignum;* id sufficeret; si enim poenitens ex motivo amoris movetur, iam virtualiter amat. Cf. Suarez ( De Poen. IV. II ). Notant TT. quod, ut contritio perfecta remissionem peccatorum extra Sacramentum obtineat, oportet ut votum recipiendi Sacramentum ipsum ( si fieri possit ) contineat. At vero hoc votum in contritione perfecta semper implicite continetur; qui enim detestatur peccata super omnia, non potest habere voluntatem peccandi et transgrediendi praeceptum Dei de confessione facienda.

1000. Quaestio est utrum motiva secundo, tertio et quarto loco recensita ( quibus homo dolet quia offendit Deum beneficum, misericordem, sanctum, excelsum, supremum legislatorem ac dominum ) sufficiant ad efformandum talem contritionis actum, qui statim et extra Sacramentum peccatorem iustificet? R. Motivum bonitatis Dei eiusque amoris erga nos est proprium charitatis ; ex hoc enim quod Deus sit bonus, nos amet, nos desideret etc., ad eum amandum impellimur. Sed alia motiva supra recensita sunt propria gratitudinis, religionis, obedientiae etc. Attamen contingere potest quod haec ipsa motiva ( maxime beneficentia et misericordia Dei ) amorem excitent, si v. g., ex consideratione beneficentiae et misericordiae Dei, quis transeat ad considerandum amorem Dei ipsius erga nos, aut eius infinitam bonitatem; et sic, loco gratitudinis, amoris actum eliciat, transeundo ab amore beneficii ad amorem benefactoris. Quatenus ita esset, iam haberemus charitatem, quae poterit quoque esse perfecta, et sic peccatorum remissionem statim impetrare. Si autem homo ad amorem non transeat, sed poeniteat solum considerando ingratitudinem, irreverentiam, inobedientiam, et iniuriam Deo irrogatam; tunc TT. non conveniunt. Aliqui dicunt quod, quando homo dolet de offensa Dei, semper

ipso facto iustificatur, quamvis haec offensa consideraretur solum sub ratione ingratitudinis, irreverentiae etc., neque amorem veri nominis includeret; sed communiter haec sententia reiicitur; scriptum est enim: « Qui non diligit, manet in morte ». Vide Lugo ( V. 2-15 ). — Caeterum motiva huiusmodi certe sufficiunt ad constituendum optimum actum *contritionis imperfectae* seu *attritionis* ( quae, ut hodie pro certo habetur ad iustificationem in Sacramento obtinendam satis est *); undenam enim peccator culparum suarum turpitudinem melius cognoscet, quam considerando ingratitudinem, contemptum, vilipendium, rebellionem et iniuriam Deo ipsi irrogatam?

1001. Quod autem consideratio turpitudinis peccati, nec non metus gehennae aliarumque poenarum, ad attritionem vere sufficiant, patet ex Trid. ( XIV. IV ) dicente: « Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex « turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poe- « narum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi « excludat, cum spe veniae; declarat ( S. Synodus )... donum « Dei esse et Spiritus Sancti impulsum... Et, quamvis sine Sacra- « mento Poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccato- « rem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poeni- « tentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi « Ninivitae ad Ionae praedicationem plenam terroribus poeniten- « tiam egerunt et misericordiam a Domino impetrarunt ». Ut tamen attritio huiusmodi valeat, oportet ut poenitens intra se non dicat: si non adesset gehenna, si non adessent poenae, si peccatum istud talem vel talem specialem turpitudinem non haberet, tunc non dolerem et peccarem sicut prius. Dispositio huiusmodi peccatum esset, et proinde nullo modo valere posset; unde TT. dicunt, sufficere quidem timorem servilem, sed non serviliter servilem.

1002. Quoad dolorem conceptum ex turpitudine peccati commissi, Lugo ( V. 142 ) credit, istam sufficere solum si habeat relationem ad Deum, v. g., propter ingratitudinem, iniuriam etc. contra Deum ipsum; non vero si peccatum consideretur ut turpe propter alias rationes, v. g., quia deturpet animam, vel specialem foeditatem habeat, prout contingit in peccatis carnalibus, iuxta illud: « Homo cum in honore esset non intellexit,

* Dices: Quomodo sufficientia attritionis componi potest cum verbis praecitatis: « Qui non diligit manet in morte »? R. Quia Sacramentum infundit charitatem habitualem: unde TT. dicunt quod poenitens virtute Sacramenti fit ex attrito contritus.

« iumentis insipientibus comparatus est et similis factus est il-« lis ». Sed Suarez censet, sufficere si peccati turpitudo etiam sine relatione ad Deum consideretur, dummodo lumine fidei cognoscatur; dummodo nempe talis turpitudo in intellectum poenitentis ex fidei influxu impressionem faciat. Et haec doctrina practice teneri potest. Ratio est non solum quia Tridentinum de hac relatione ad Deum nihil dicit, sed praecipue quia in Catechismis, qui passim adhibentur, de circumstantia ista nihil invenitur; nec supponi potest quod Ecclesia permittat ut populus christianus circa rem practice necessariam non instruatur, maxime quoad Sacramentum cuius usus adeo frequens et tanti momenti est. Lugo dicit, relationem ad Deum exigi ut peccator ad Deum ipsum convertatur; at vero haec conversio in aliis poenitentis actibus, et maxime in spe et petitione veniae, reperitur; nonne enim fideles ad confessionem accedunt ut cum Deo reconcilientur?

1003. Quoad dolorem conceptum ex metu poenarum, certissimum est, metum purgatorii (si res sit de venialibus aut mortalibus alias confessis) sufficere. Aliqui dubia movent circa metum malorum temporalium, v. g., pestis, terraemotus etc., quamvis lumine fidei dignoscantur ut a Deo vindice inflicta vel infligenda. Sed dubia huiusmodi nullum solidum fundamentum habent, et sunt contra communissimam sententiam Theologorum, qui doctrinam de huius metus sufficientia tradunt absolute nulloque iniecto dubio, vel dicunt esse probabilissimam, aut moraliter certam et tutam in praxi; imo plures docent non solum esse certissimam, sed catholicam et de fide, quatenus Trid., agens de attritione, utitur verbo generali *poenarum* et adducit exemplum Ninivitarum, qui ad Ionae praedicationem (clamantis: Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur) plenam terroribus poenitentiam egerunt. Dubia paucorum Theologorum nulla probabili ratione fulcita certitudinem huius doctrinae infringere non possunt, atque ad inanes scrupulos amandanda sunt. Vide Ballerini (n. 452. *a*). Dixi *quamvis lumine fidei dignoscantur*, si enim peccator doleret solum propter infamiam, vel infirmitatem, ex suis peccatis subsecutas, vel propter carcerem, mulctam etc., utique dolor huiusmodi (tamquam undequaque naturalis) deservire non posset, nisi (ut TT. notant passim) peccator ipse huiusmodi infortunia acciperet lumine fidei tamquam a Deo sibi inflicta; fides enim docet quod propter peccata veniunt adversa.

1004. Quaeritur utrum in attritione aliquod divini amoris ini-

tium. seu (ut aiunt) amor initialis exigatur? R. Si per amorem initialem intelligatur ille amor, quem TT. appellant *concupiscentiae*, quo scilicet poenitens convertitur ad Deum tamquam ad fontem salutis, et in hunc finem illum amplius offendere non vult, tunc affirmandum; idque satis declaravit Trid. dicens quod attritio debet esse *cum spe veniae*, et quod peccatores, dum ad Deum convertuntur, *illum tamquam omnis iustitiae* (nempe iustificationis) *fontem diligere incipiunt* (Sess. VI. vi). Si vero intelligatur ille amor qui dicitur *benevolentiae*, seu charitatis, quo Deus amatur propter suas infinitas perfectiones; amatur (inquam) super omnia; tunc negandum; talis enim amor quamvis forte non fervens sed remissus esset) contritionem perfectam constitueret, quae certo certius non exigitur; unde Patres Concilii Tridentini, post praedicta verba *diligere incipiunt*, noluerunt ut adderetur *per actum charitatis*, prout nonnulli voluissent. Vide S. Lig. (VI. n. 440-442).

1005. Dolor debet insuper esse SUMMUS. Sed hoc in puncto sedulo adverti debet quod summus esse potest primo *appretiative*; idque duobus modis, nempe *modo negativo* et *modo positivo*. Summus appretiative modo negativo contingit quando poenitens non habet actum voluntatis quo paratus sit peccatum committere, si secus tale vel tale incommodum, damnum, aut cruciatum subire cogeretur. Absentia huiusmodi voluntatis semper exigitur; qui enim vellet peccare ad aliquod malum declinandum, iam actu peccaret; unde Christus Dominus dicebat: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me di-« gnus ».

1006. Summus appretiative modo positivo contingit, si poeniteas, consideraus quod peccatum est summum malum, illud super omnia alia mala positive detestetur. Hoc certe exigitur in contritione perfecta; scriptum est enim (Deut. IV): « Cum « quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen ex « toto corde tuo quaesieris eum »; et solum quaestio esse potest an oporteat ut haec detestatio talis sit explicite, an vero ipsum motivum infinitae Dei bonitatis, quo poenitens inducitur ad peccatum detestandum, virtualiter id quoque includat ut detestatio sit super omnia. Sententia negativa (quam contra Suarez tuetur Lugo) mihi magis arridet; ex eo enim quod quis amet Deum quia est infinite bonus, non sequitur quod sit dispositus ad eum amandum quantum haec ipsa infinita bonitas mereretur; sicut ex eo quod aliquis amicum propter eius bonitatem diligat, non sequitur quod sit paratus ad tale vel tale

sacrificium pro ipso subeundum, quamvis illius bonitas id quoque mereretur. Hinc in praxi omnino consulendum est, ut qui actum perfectae charitatis aut contritionis elicere volunt, considerent Deum esse omnibus aliis rebus in quocumque eventu praeferendum (non ea mente quod talis praeferentia sit utilis et necessaria ad declinandas poenas aeternas, sed quia Deus propter suam infinitam bonitatem dignissimus est ut omnibus rebus praeferatur), atque ita se determinent, et proinde Dei offensam explicite super omne malum detestentur. Non tamen oportet ut mala particularia considerent; imo id non expedit; unde male se gerunt illi confessarii qui dicunt: Essesne tu paratus pro Deo in frusta conscindi, excorticari, comburi, coniici in infernum? Porro ex una parte mala huiusmodi sic in particulari considerata humanam imbecillitatem nimis terrent, maximamque tentationem (quae forte ipsas animas perfectissimas haesitare faceret) efformant; et ex alia non debemus tentare Deum, ut extra necessitatem det gratiam, quam dato eventu certe suppeditaret; est enim adiutor in opportunitatibus. (Concionatores quoque id sedulo prae oculis habeant).

1007. Loquendo autem de attritione, non videtur necessarium ut detestatio peccati concipiatur *modo positivo* super omnia. Vera enim et sufficientissima attritio concipi potest detestando peccata propter poenas (etiam temporales huius mundi); unde exigi nequit ut poenitens detestetur peccata super omnia; tunc enim non propter poenas sed super poenas illa detestari deberet. Hinc Suarez (V. 1) dixit: « Contritio simpliciter detestatur peccatum super omne detestabile: attritio vero non « semper, vel nunquam perfecte »; et proinde, enumerans attritionis dotes (XX. II), dixit quidem debere esse veram, supernaturalem, et universalem; sed non dixit debere esse summam.

1008. Dolor dicitur summus etiam alio sensu, nempe *intensive*, quatenus nempe voluntas, peccatum detestans, id faciat maxima vi, aut cor maximae afflictioni et compunctioni sensibili subiiciatur, unde poenitens gemitus emittat, lacrymas effundat etc. Optandum ut dolor talis esset; sic enim contritio certior, et satisfactio abundantior foret; sed omnes fatentur, hoc non esse necessarium.

1009. Denique dolor debet esse UNIVERSALIS. Loquendo de peccatis mortalibus, TT. distinguunt inter universalitatem necessariam non solum pro valore sed etiam pro effectu Sacramenti (ut nempe peccator iustificationem obtineat), et universalitatem quae pro solo valore exigitur.

Quoad Sacramenti effectum, dolor extendi debet positive ad omnia peccata commissa et non adhuc remissa; unde si quis doleret de peccatis quae in mente habet, sed neque formaliter neque virtualiter doleret de alio peccato oblito, iustificationem obtinere nequiret, quia peccatum oblitum nullo modo fuisset retractatum et sic gratiae obicem opponeret, quum unum peccatum mortale sine alio remitti nequeat. Dixi *formaliter aut virtualiter*: si enim poenitentis dolor fuerit ex motivo universali et positive summus, tunc etiam peccatum oblitum sub tali dolore virtualiter comprehenderetur; qui enim propter offensam Dei aut reatum poenae aeternae peccata, quae in mente habet, detestatur super omnia mala, iam virtute talis motivi cum tanta abominatione considerati, dolet etiam de peccato oblito, in quo eadem offensa et idem reatus reperitur. Idem dic si dolor, ex motivo universali elicitus, non fuerit positive summus, dummodo poenitens ad peccatum oblitum affectum non habeat; tunc enim, ad illud virtualiter retractandum, praedicta abominationis intensitas necessaria non esset.

1010. Loquendo autem de solo Sacramenti valore, iuxta doctrinam Scoti, sicut Sacramentum valeret sine ullo dolore, ita a fortiori cum dolore non universali semper validum esset. Sed hic distinguendum est. Defectus universalitatis contingere potest mala fide et bona fide. Si primum, Ecclesiae praxis non recipit doctrinam Scoti; unde, si poenitens mala fide retineat affectum alicuius peccati et sic cum formali sacrilegio confessionem faciat, adigitur non solum ad confitendum sacrilegium, sed etiam ad repetendam confessionem: talisque est instructio quae passim populo christiano datur. Si vero defectus universalitatis bona fide contigerit, tunc doctrina Scoti non solum a Scotistis sed etiam a fere omnibus aliis Theologis admittitur; unde in tali casu poenitens confitendi quidem peccatum (sive accusatum sive oblitum) ad quod dolor extensus non fuit, obligationem remanet; non vero repetendi confessionem aliarum culparum quae cum vera detestatione accusatae fuerunt. Ita sentiunt etiam Suarez (XX. IV) et Lugo (XIV. VI. 89).

1011. Dices: in praxi casus huiusmodi quando contingit? R. Non solum quando quis doleat de peccato accusato, et de alio (ad quod dolor nullo modo extendatur) oblitus sit; sed etiam quando poenitens, plura mortalia habens, ea omnia confiteatur, sed bona fide de aliquo peccato mortali nec dolorem nec propositum verum concipiat (ut dicit Suarez l. c.), quamvis dolorem et propositum de aliis habeat. Id autem certe con-

tingere potest si dolor ex motivo particulari elicitus fuerit; sed nihil vetat quominus hoc accidat etiam si motivum fuisset universale: nonne enim quis potest, v. g., propter offensam Dei vel timorem inferni abstinere se a multis peccatis, quamvis adhuc non se vicerit quoad aliquam culpam, quam caeteroquin detestari et deserere vellet? Si hoc contingere potest dum homo aperte deprehendit, quoad illam non vicisse semetipsum, quanto magis accidere poterit si bona fide credat se omnia detestari, confundendo desiderium doloris et propositi cum dolore et proposito ipso? Nonne hic est casus valde practicus multorum habituatorum et recidivorum? Vide etiam Lugo (l. c. n. 75): et nota quod haec doctrina valde deservire poterit confessariis ad regulam sumendam quoad confessiones generales indicendas vel non indicendas.

1012. Quid de universalitate doloris quoad venialia? Non solum quoad Sacramenti valorem sed etiam quoad illius fructum non exigi ut dolor sit universalis, iam demonstravi *De Recidivis* n. 194. Attamen tunc quoque internus, verus, et supernaturalis certe esse debet.

Nunc dicendum est aliquid de nonnullis quaestiunculis, quae circa dolorem a TT. adhuc proponuntur.

1013. Quaer. 1° An ad verum dolorem concipiendum aliqua temporis diuturnitas exigatur? R. Verus dolor etiam in minimo temporis momento, absolute loquendo, elici potest; sed nimia festinatio periculosa est: sic enim de facili erit adeo levis et superficialis; ut, deficiente substantia, ad umbram reducatur.

1014. Quaer. 2° Quid de recogitatione singulorum peccatorum ad concipiendum dolorem circa singula? R. Haec recogitatio non est necessaria; et interdum erit damnosa, interdum vero valde utilis. Poterit esse damnosa, si, attenta peccati materia et poenitentis fragilitate, periculum adsit ne ipse potius quam peccatum detestetur ei iterum adhaereat. Secluso autem casu isto, erit valde utilis; sic enim proposita firmiora concipi solent.

1015. Quaer. 3° An dolor debeat praecedere non solum absolutionem, sed etiam confessionem? S. Ligorius id affirmaverat in primis editionibus, et in opere cui titulus *Homo Apostolicus*, tum quia dolor debet esse sensibilis fitque talis confessione; tum quia confessio debet esse dolorosa; unde deducebat quod si poenitens, dolore non praemisso, confessionem fecisset, deberet postea, dolore concepto, subiungere; *de peccatis narratis me accuso*. Sed postea S. Doctor mutavit sententiam, et

( n. 445 ) dixit sufficere si dolor post confessionem ( dummodo ante absolutionem ) eliciatur. Ratio est quia dolor non solum confessione sed etiam aliis signis sensibilis evadere potest ( nonne enim sensibilis evadit, dum poenitens, confessione facta, dicit se esse contritum aut contritionis formulam ex corde recitat? ); neque probari potest quod confessio praecise debeat esse vero dolore informata; sed sufficit si fiat non ad modum simplicis narrationis bene vero cum intentione subiiciendi peccata clavibus Ecclesiae. Aliunde Rituale dicit: « Audita confessione... « ( Confessarius ) ad dolorem et contritionem efficacibus verbis « adducere conabitur ( poenitentem ) »: nec dicit quod a poenitente, ad contritionem sic adducto, repetitio confessionis sine sufficienti dolore prius peractae exigi debeat. Haec est sententia communissima, quam tenent Suarez et Lugo, qui ( XIV. 13 ) dicit, contrariam opinionem esse singularem, et habere contra se non solum Theologos omnes, sed etiam universalem confessariorum praxim; unde Ballerini ( n. 447 ) rectissime censet, eandem opinionem non esse probabilem, atque ad inanes scrupulos esse amandandam.

1016. Quaer. 4° Quid de dolore, qui longo tempore ante confessionem elicitus fuerit? R. Si dicas cum Scotistis, dolorem non esse partem Sacramenti, sed simplicem dispositionem ad retractandum peccatum, quod gratiae divinae obicem opponebat, consequenter dicere debes sufficere dolorem etiam a longo tempore elicitum, dummodo postea neque explicite neque implicite retractatus fuerit; atque ita sentiunt reapse plures Auctores, apud Tamburini ( I n. 5 ) et S. Lig. ( n. 446 ), qui pro hac doctrina citat etiam Suarez, sed non accurate. — Si vero dicas cum Thomistis, dolorem esse veram Sacramenti partem, tunc consequenter dicere debebis, esse necessarium ut inter illum et absolutionem unio moralis intercedat; sufficere tamen unionem moralem latam, quia agitur de Sacramento instituto ad modum iudicii, cuius actus distantiam admittunt. Sed haec distantia quousque protendi poterit? Ad unum diem: respondent communiter; et S. Ligorius probat etiam sententiam illorum qui illam extendunt ad aliquot dies, dummodo dolor in renovatione intentionis, oratione, recollectione etc. virtualiter perseveret. Sententia exigens hanc unionem moralem est conformis usui Ecclesiae, et proinde in praxi servari debet. Si tamen dolor elicitus fuerit ex intentione confessionis, videtur satis uniri, quamvis longiori tempore praecesserit, sicut contingit etiam quoad satisfactionem sacramentalem.

1017. Quaer. 5° An pro confessione deservire possit dolor, qui, dum elicitus fuit, ad Sacramentum non dirigebatur? R. Hic casus accideret si quis, concionem audiens aut conscientiae examen faciens, culparum suarum dolorem conciperet, et postea, concepta voluntate Sacramentum Poenitentiae recipiendi, confessionem faceret, quin doloris actum renovaret. In systemate Scoti, Sacramentum censeri deberet validum et efficax, ut per se patet. Sed hoc in puncto etiam Lugo (XIII. IV) aliique plures scholae thomisticae TT. idem sentiunt. Imo Suarez quoque (XX. IV) in substantia iisdem adstipulatur: dicit enim satis esse si poenitens actu confessionis det signum doloris praecedentis. Ratio est quia abhorret omnino a sensu Ecclesiae quod dolor eliciatur a poenitente tamquam a Christi ministro et operante nomine Christi; quo solo casu opus esset ut materia et forma adhiberentur cum intentione perficiendi Sacramentum; unde satis est si Sacerdos bonam poenitentis dispositionem acceptet, illamque ad Sacramenti materiam efformandam (si vera materia dici debeat) elevet et veluti consecret, sicut in aliis quoque Sacramentis Minister materiam ad esse sacramentale elevat. Quae cum ita sint, contraria opinio tamquam non solide probabilis merito haberi potest. Vide Ballerini (n. 447 q. 7. not. *a*).

1018. Quaer 6° An qui, confessione facta et absolutione obtenta, peccati obliti reminiscitur illudque statim accusat, novum contritionis actum elicere debeat, ut novam absolutionem obtineat? R. Si dolor elicitus fuerit ex motivo universali (prout ordinarie contingit), neque, attenta qualitate peccati (v. g. magni odii, pravi amoris etc.), verendum sit ne poenitens nihilominus illi adhuc adhaereat: tunc novus contritionis actus necessarius non erit. Haec doctrina non solum est communis sed communissima, ut patet ex longissima Theologorum serie, quos adducit Ballerini (edit. IV. n. 448. not. *a*). Ratio est quia vix apparet quo ex capite dubitari possit. Revera 1° subsistit dolor, qui (iuxta hypothesim) etiam ad peccatum oblitum extenditur; 2° adest unio moralis inter illum et absolutionem, quum a brevissimo tempore elicitus fuerit; 3° totum dubium reducitur ad hoc quod, dum fuit elicitus, ad secundam absolutionem non dirigebatur; sed dubium istud nihil valet, tum quia probabilissime nequidem oportebat ut ad primam dirigeretur (ut supra vidimus); tum quia poenitens revera illum dirigebat ad habendam absolutionem peccatorum omnium, et sic etiam (implicite) ad habendam hanc secundam absolu-

tionem : tum denique quia nullum est inconveniens si eadem materia pluribus Sacramentis deserviat, sicut in praxi nonnunquam contingit ut unica satisfactio imponatur, quae valeat pro confessione praesenti et etiam pro antecedenti, commutando aliam datam et non peractam ; ut notat Viva ( Curs. Theol. III. q. 3. art. 3. n. 8 ).

1019. Aliqui obiiciunt quod in materia Sacramentorum standum est omnino a parte tuta : et in medium adducunt prop. I. damn. ab Innoc. XI., quae dicebat : « Non est illicitum in « Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valo- « re Sacramenti, relicta tutiore ; nisi id vetet lex, aut conventio, « aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia pro- « babili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordi- « nis Sacerdotalis, aut Episcopalis ». Sed haec obiectio nullam vim habet. Ratio est 1° quia in casu nostro non agitur de sola probabilitate, sed de certitudine ; 2° quia non est necesse ut quodcumque dubium leve, et quodlibet modicissimum periculum irritandi Sacramentum, attendatur, ut notat Sanchez ( Dec. I. IX. 35 ) ; 3° quia praedicti TT. non solum de valido sed de licito agunt ; et doctrina quae habet pro se communissimum suffragium Theologorum, etiam primi subsellii, non potest esse damnata, nec comprehendi in aliqua propositione damnata, speciatim si, non solum ante sed etiam post damnationem, a TT. sustineatur, maxime vero si ipsi interpretes propositionum damnatarum in hoc conveniant, prout accidit in casu nostro, dicente Viva ( l. c. ) : « Peccata oblita, quae immediate post « absolutionem revelantur, non indigent novo dolore, ut iterum « absolutio super iis conferatur ». 4° Notari potest demum quod plures Theologi probatissimi ( ut videre est apud Sanchez l. c. 32 ) docent quod Christifideles, si accedant ad Sacramenta cum dispositionibus probabilibus, non peccant, quum sic sufficientem reverentiam Sacramentis exhibeant ; unde deducunt quod obligatio in ministris tuto procedendi non oritur a reverentia Sacramenti, sed a damno quod Christifidelibus obveniret ; et respicit partem quae a ministris ipsis, non vero partem quae a suscipientibus ponitur. — Doctrinam istam non esse confundendam cum propositione damnata, censent plures ( cf. S. Lig. I. 51 ; Viva Curs. Theol. III. m. 9 ; Gury II. 437. et Ballerini n. 447. q. 7. not. *a* ) ; haec enim propositio cum errore intolerabili in conclusione admittebat, usum materiae dubiae esse illicitum dumtaxat in Baptismo et Ordine Sacerdotali aut Episcopali ; doctrina praedicta e contra dicit id vetari etiam in aliis Sacra-

mentis, et solum contendit quod hoc vetitum respiciat partem ponendam a ministro, non vero illam quae a suscipiente ponitur, ut modo dicebam. — Quamvis itaque admitteretur esse solum probabile quod valida sit absolutio peccati obliti absque renovatione doloris, adhuc talis absolutio, iuxta plures, (non obstante propositione damnata) liceret; quia dubium respiceret dolorem, qui non a ministro sed a suscipiente ponitur. Quanto magis ergo eadem absolutio licebit, quum valida sit non solum probabiliter, sed probabilissime et moraliter certe?

1020. Quod dictum est de casu isto, ad casus similes applicari debet; nempe 1° Si poenitens post absolutionem accuset materiam dubiam, et confessarius ei imponat ut peccata mox accusata novae absolutioni subiiciat; 2° Si moribundus unum vel alterum peccatum dumtaxat accusare potuerit; et, absolutione accepta, mox peccata reliqua confiteatur. — Non desunt TT., qui doctrinam istam applicant etiam ad casum poenitentis se reconciliantis, qui scilicet post ultimam confessionem nihil commisit et proinde accusat dumtaxat peccata in antecedentibus confessionibus accusata; sed, propter defectum unionis moralis, hoc est contra praxim Ecclesiae et proinde non admittendum.

## ARTICULUS II.

### DE PROPOSITO

Circa propositum, quod est voluntas non peccandi de caetero, sequentes quaestiones fieri possunt.

1021. Quaer. I. An sufficiat ut voluntas abstinendi a peccatis *diversis ab accusatis* sit habitualis (videlicet ut poenitens voluntatem ea committendi vel nunquam conceperit, vel in aliis confessionibus deposuerit); an vero exigatur ut sit actualis, ut nempe poenitens actu positivo non solum peccata commissa (qua de re non est dubium) sed etiam alia possibilia excludat?

R. Suppono imprimis quod circa peccata commissa (sive confessa sive etiam oblita) sufficiens detestatio locum habuerit; et dico quod poenitens certe deberet positive excludere etiam peccata diversa a commissis, si forte de iisdem cogitaret; sed, praescindendo ab hoc casu, Theologi non conveniunt. Suarez, aliique plurimi, agentes de proposito, nullo modo indicant quod etiam ad peccata non commissa extendi debeat. — Lugo, S. Lig., Navarrus, Mazzotta, Tamburini, Croix aliique pauci, dicunt, ad haec etiam extendi debere positive; attamen Croix (n. 898)

et Lugo (XIV. 88) dubitanter loquuntur. — D' Annibali, Del Vecchio, Dicastillo, Hurtado, Aversa etc. docent aperte, id non esse necessarium. Hanc ultimam sententiam credo esse veram. Cur enim aderit necessitas positive excludendi peccata, quae iam habitualiter sunt exclusa? Nunquid peccata, ad quae poenitens nullum affectum unquam habuit, vel, si habuit, illum in praecedentibus confessionibus deposuit, obicem gratiae opponere poterunt? Aliunde fundamenta contrariae sententiae non sunt solida. Dicunt: « Quicumque totam legem servaverit, « offendat autem in uno, factus est omnium reus ». Ita plane; sed hoc valeret pro illo qui ad aliquod peccatum affectum haberet: quod non accidit in hypothesi nostra. — Recurrunt ad Tridentinum, quod ait: « Contritio est animi dolor et dete- « statio de peccato commisso cum proposito non peccandi de « caetero »; et, agens de attritione, dicit, oportere ut « vo- « luntatem peccandi excludat ». Sed quaenam ratio cogit ut verba ista de peccatis nunquam commissis positive excludendis intelligantur? Nunquid necesse erit excludere id quod iam est exclusum? Verbum *de caetero* nonne accipi poterit pro *de novo?* S. Gregorius dicebat: « Poenitentia est anteacta peccata de- « flere, et deflenda *iterum* non committere ». Qui peccata commissa non vult amplius committere nullamque habet voluntatem alia peccata committendi, nonne sufficienter habet propositum non peccandi de caetero? — Adducunt textum Exechielis (XVIII. 21): « Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus pec- « catis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta « mea, ... vita vivet, et non morietur ». Sed haec verba *custodierit omnia praecepta mea* non iam referuntur ad propositum, bene vero significant quod ad vitam aeternam assequendam non sufficit poenitentia, sed exigitur ut post poenitentiam praecepta divina de facto observentur. — Adducunt denique textum D. Thomae (III. LXXXVII ad 1) dicentis: « Poenitentia « de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat absti- « nere ab omnibus et singulis ». Sed hic textus non est ad rem; loquitur enim ibi S. Doctor de differentia inter propositum peccatorum mortalium et venialium, et dicit quod, si agatur de mortalibus, exigitur propositum abstinendi ab omnibus (affectus enim ad aliquod mortale obicem gratiae opponeret); sed, si agatur de venialibus, non oportet ut propositum ad omnia extendatur. Quid hoc cum casu nostro, in quo poenitens ad nullum peccatum habet affectum? Idem dic de Laymann, qui pariter in contrarium citatur.

Quum itaque doctrina de positiva extensione propositi ad peccata non commissa solido fundamento destituatur, credo quod, postquam poenitens dixerit se poenitere de peccatis commissis et proponere ea amplius non committere, Confessarius acquiescere possit, nec teneatur admonere illum ut etiam ad peccata non commissa propositum extendat; idque maxime si dolor fuerit positive summus et ex motivo universali conceptus, in quo omnes conveniunt.

1022. Quaer. II° An propositum abstinendi a peccatis commissis debeat esse explicitum?

R. Haec quaestio ad praxim parum deservit. Poenitentes enim propositum explicitum semper emittere solent. Dicam nihilominus non unam esse hoc in puncto Theologorum sententiam. Plurimi dicunt quod propositum iam semper est implicitum in dolore, et quod proinde non oportet ut explicite eliciatur. Haec doctrina sic absolute enuntiata probari nequit; si enim res ita se haberet, cecur Concilium Tridentinum addidisset illa verba: *cum proposito non peccandi de caetero?* In praxi facillime contingit quod poenitens, postquam peccata sua in globo detestatus fuerit, cogitet de vita futura, et, reflectens ad aliquam culpam valde allicientem, haesitet; atque ita (nisi proponat) iam in eo sit ut dolorem retractet. Imo mihi non est clarum quod voluntas peccandi in posterum cum dolore peccati praeteriti simul esse nequeat; non enim agitur de re eadem sub quovis respectu, quum peccatum futurum allicere possit multo facilius quam praeteritum. Nonne facile contingit quod homo, peccati futuri delectatione allectus, non se resolvat ad totaliter abstinendum, et eodem tempore, considerans offensam Dei et malum animae suae, dicat intra se: *Nollem in hoc vitium deflexisse; nollem tot enormitates commisisse; et etiam in posterum me emendare volo, sed non statim, sed paulatim etc.?* Dispositio huiusmodi possibilissima, nec rara, mihi videtur. Quid igitur concludendum? Dicerem. Si poenitens cogitet de vita futura (intra se dicens: quid faciam in posterum?) tunc propositum explicitum semper exigitur. Praescindendo ab hoc casu, subdistinguendum est: Si dolor fuerit positive summus, tunc propositum implicitum deesse nequibit; secus vero si summus non fuerit, speciatim si de peccatis magnae adhaerentiae agatur et dolor in confuso et sine speciali eorundem peccatorum consideratione elicitus fuerit.

1023. Quaer. III° Toties quoties adest propositum, adestne etiam dolor? R. Non semper; interdum enim propositum etiam

in impoenitente dari potest. Nonne enim qui homicidium commisit firmissime proponere potest se neminem in posterum esse occisurum, et nihilominus gaudere de homicidio commisso? Idem dic de eo qui propter infirmitatem, senectutem etc. proponat non amplius indulgere libidini, et nihilominus de peccatis prius commissis complacentiam habeat. Hinc Leo X damnavit Lutherum dicentem quod ad iustificationem obtinendam sufficit propositum, et dolor non exigitur. — Aliquando tamen dolor potest esse implicitus in proposito; idque contingit quando quis non propter aliquod humanum motivum, sed propter offensam Dei, aliudve supernaturale motivum, propositum facit; quod tunc odium et detestationem peccati implicite includeret, essetque propositum veri poenitentis, et proinde, sine alio dolore explicito, sufficeret. Ita Lugo (XIV. 56).

1024. Quaer. IV° Si propositum explicite eliciatur, quales dotes habere debet? R. Debet esse 1° universale; 2° firmum; 3° efficax.

Quoad *universalitatem* distinguendum est inter peccata venialia et mortalia. Si agatur de venialibus (quae etiam cum ordinario auxilio gratiae evitari nequeunt totaliter), non exigitur ut propositum sit universale (iuxta dicta *de Recidivis* n. 194); bene vero id exigitur si agatur de mortalibus. Attamen non oportet ut propositum circa singula reflexe concipiatur; imo id ne expediret quidem si poenitens non valde compunctus haberet peccatum aliquod, cui habitualiter multum adhaereret; unde periculum adesset ne, ad illud reflectens, a proposito concipiendo retraheretur, ut notant Segneri (Conf. istr. XII), Sporer (n. 89), Laymann, Mazzotta etc. Sufficit itaque quod poenitens « concipiat *generale* propositum nunquam iterum pec- « candi mortaliter », ut dicit Suarez (XXXII. n. 2), et quod ab hoc proposito sic in genere facto nullum peccatum positive excludat.

Quoad propositi *firmitatem*, non oportet ut poenitens consideret difficultates, quae in posterum occurrere poterunt (imo saepe id non expedit); neque ut talem in se ipso experiatur animi vigorem, ut firmiter sibi persuasum habeat se illas omnes esse superaturum. Quid ergo exigitur? Exigitur solum ut praedicta generalis voluntas non peccandi nullum casum positive excludat, neque titubans sit (si enim poenitens non se resolvit, iam non proponit).

Quid si poenitens praevideat se in posterum esse relapsurum? Habebitne tunc propositum firmum? R. Haec praevisio

contingere potest pluribus modis. Si poenitens cogitet de circumstantia alliciente vel quomodolibet valde impellente, et dicat intra se: *Pro tali casu paratus sum ad peccandum;* tunc certe propositum corrueret et poenitens iam actu peccaret. Si vero intra se diceret: *Vellem ut huiusmodi circumstantiae non acciderent: illas declinare volo, si potero; et, si non potero, me Deo commendabo, alia media adhibebo, pro viribus resistere conabor; sed, propter magnam fragilitatem meam, praeteritam experientiam, et huiusmodi circumstantiarum multitudinem, valde timeo, imo praevideo, me esse lapsurum: attamen vellem mori prius;* si, inquam, poenitens, hoc modo dispositus esset, iam, non obstante tali praevisione, propositum firmum haberet. Ratio est quia homo sic affectus vere non vult peccare, et praevisio lapsus futuri afficit intellectum, sed non voluntatem; aliunde unusquisque potest quidem disponere de actibus suis praesentibus prout vult; sed non aeque de futuris, propter naturam ipsam voluntatis humanae, quae necessario mutabilis est. — Praevisio lapsus futuri multo facilius non infirmabit propositum, si non ex consideratione alicuius circumstantiae impellentis (quae consideratio magnam tentationem hic et nunc efformare potest): sed ex mera experientia mutabilitatis et inconstantiae propriae aliisve de causis, proveniat. Nonne S. Petrus propositum non peccandi habere poterat, quamvis de sua Christi negatione, ex ipsa Christi prophetia, certissimus esse debuerit?

Pro praxi notandum est insuper quod habituati in blasphemiis haesitare videntur a proposito concipiendo, et dicunt: *Pater, impossibile est quod aliqua blasphemia e lingua non elabatur.* Isti edoceri debent, sufficere propositum abstinendi a blasphemiis advertenter prolatis; et quoad alias, quae sine advertentia proferuntur, sufficere propositum quamdam moralem vigilantiam et congrua media adhibendi. Sic se consolantur, et sine difficultate proponunt.

Denique quoad propositi *efficaciam*, exigitur ut poenitens paratus sit adhibere media necessaria ad non relabendum. Intellige tamen 1° si media ista ei proponantur, aut quomodolibet de iis cogitet; 2° si agatur de mediis vere obligatoriis, quale esset fuga occasionis proximae voluntariae; multa media enim sunt solum de consilio, neque verum est quod poenitens teneatur obedire Confessario in omnibus, ut ostendit Suarez (XX. IV. in fin.). Vide dicta *De Occasionariis* (n. 34).

## ARTICULUS III.

### DE CONFESSIONE

1025. In confessione quaedam accusanda sunt necessario, ita tamen ut iustis de causis reticeri possint. Si omnia necessario accusanda reapse accusentur, tunc confessio dicitur *integra materialiter;* et si iusta de causa aliquid reticeatur, tunc dicitur *integra formaliter*. Quaedam autem pro libito accusari et reticeri possunt. Hinc de integritate materiali, de integritate formali, et de materia libera agendum est.

### PUNCTUM I.

#### DE INTEGRITATE MATERIALI SEU DE ACCUSANDIS NECESSARIO NISI IUSTA CAUSA EXCUSET

1026. Quaenam necessario accusari debent? R. Peccata mortalia, post baptismum commissa et nunquam valide confessa, iuxta proprium numerum, speciem et circumstantias explicatu necessarias. Sed haec sunt declaranda.

1027. *Peccata;* intellige 1° si sint formalia; ea enim quae absque cognitione malitiae (prout saepe contingit in peccatis pueritiae), aut sine advertentia ad culpam (prout interdum contingere potest in blasphemiis), commissa fuerunt, accusare non tenemur; nisi sint voluntaria in causa, v. g., in negligentia emendationis; de qua tamen dicit Ballerini (I. n. 300 not. *a*), « difficulter decerni posse quando gravis sit reatus negligentiae « in iis, qui causam utique retractant et conatum aliquem adhi« bent, qui tamen non semper sit intensus ». Intellige 2° accusari debere non solum malitiam internam, sed etiam (si locum habuerit) actum externum; secus enim peccata verbi, operis, et omissionis a peccatis simplicis cogitationis non distinguerentur. Verum est quod malitia in actu interno proprie consistit; sed perpetuus et universalis Ecclesiae sensus est ut peccata externe consummata ab aliis distinguantur; et hac in re non a phylosophia sed a sensu et praxi Ecclesiae regulae sumi debent. Qui itaque calumniam intulit, aut aliquem percussit, aut ieiunium omisit, non bene se accusaret dicendo: *intra me statui calumniam inferre*, aut *percutere*, aut *ieiunium omittere*. —

Quid de effectu secuto? Lugo (XVI. IX) censet, hunc non esse accusandum: sed ego dicerem, hic quoque sumendam esse

regulam a praxi Ecclesiae, quae est ut peccata accusentur prout denominari solent. Si quis, v. g., inflicto vulnere lethali, confessionem faceret antequam sequatur mors, utique satis esset si diceret: *Vulnus ex intentione occidendi inflixi;* sed si, morte iam secuta, confiteretur, dicere deberet: *Homicidium commisi.* Idem dic de muliere quae in se ipsa abortum procuraverit; siquidem, effectu non secuto, dicere potest: *abortum attentavi;* sed, effectu secuto, debet dicere: *abortum commisi.* Qui vero in alia persona abortum procuravit, sufficit si dicat: *abortum procuravi*, quin distinguat an effectus secutus fuerit nec ne; ex hac enim circumstantia (quoad illum) denominatio non mutatur; et idem dic de eo qui ex desiderio pollutionis in somno secuturae intemperanter coenaverit: sufficit enim si dicat: *intemperanter coenavi ut pollutio sequeretur;* nec oportet ut explicet an pollutio de facto secuta fuerit necne.

1028. *Mortalia;* siquidem, ut omnes norunt, peccata venialia sunt materia confessionis sufficiens quidem, sed non necessaria. Et hic quoque notandum quod peccatum debet esse mortale formaliter; interdum enim ex conscientia erronea peccatum est grave in materia levi, et viceversa est leve in materia gravi.

1029. *Post Baptismum commissa, et nunquam valide confessa.* Invalida peccati confessio practice contingit 1° Si confessarius propter somnum vel surditatem intelligere nequiverit; 2° Si propter complicitatem, reservationem, cessationem facultatis, et quomodolibet propter defectum iurisdictionis, directe absolvere nequiverit; 3° Si confessio sacrilega fuerit. Notandum quod post unam confessionem sacrilegam, poenitentes interdum bona fide faciunt alias confessiones legitimas, quamvis ex ignorantia vel inadvertentia illud sacrilegium nunquam accusent; quo casu confessionem quidem sacrilegam, sed non alias repetere debent. — Caeterum si confessio non fuerit sacrilega, non erit necessario repetenda, quamvis vero dolore et proposito circa aliquod ex peccatis accusatis destituta fuerit, prout accidere potest in multis recidivis, habituatis et occasionariis, qui velleitatem cum voluntate vera facile confundunt. Ratio est quia 1° dicta confessio informis quidem fuit, sed probabiliter valida; 2° practice defectus doloris, si animadvertatur, solet esse non certus sed dubius; 3° haec dubia nimis frequenter accidunt, et, si tunc semper repeti deberent confessiones, id quid nimis onerosum nimiisque scrupulis expositum esset. Si tamen defectus esset certus, tunc Thomistae dicunt quod peccata sine dolore accusata (non tamen alia) iterum accusari deberent.

(cf. Suarez XX. IV. versus finem). Et in quovis casu poenitens, ope Sacramenti aut saltem contritionis perfectae, sibi consulere deberet; ne, certus de peccatis commissis et graviter dubius de remissione, suam aeternam salutem in grave discrimen ponat.

1030. Quaestio magni momenti est, an peccata dubia (nempe dubie commissa, aut dubie mortalia, aut dubie confessa) necessario accusari debeant?

R. Videndum imprimis an dubium examine diligenti solvi possit. Non raro deserviunt coniecturae et praesumptiones desumptae ex communiter contingentibus. Si enim, v. g., poenitens esset timoratae conscientiae, supponi non posset quod peccatum mortale (ad quod plena advertentia exigitur plenusque consensus) vere commiserit, simulque de illo commisso aut non accusato certus non sit. Si forte huiusmodi poenitens vere peccasset mortaliter, memoria peccati commissi et non adhuc accusati vivida remansisset, et nullum dubium locum haberet. Idem dic si ageretur de peccato antiquo et commisso quando poenitens timoratam conscientiam non habebat, dummodo confessionem generalem apud Sacerdotem peritum et zelantem iam perfecerit, et maxime si pluries. A fortiori deponi deberet dubium, si poenitens scrupulosus esset.

Sed quid si rationabile et grave dubium vere subsistat, nec deponi possit? Aderitne tunc obligatio illud accusandi?

R. Mira est hoc in puncto Theologorum dissensio, et pene dixerim quot capita tot sententiae.

Si peccatum fuerit certe commissum et dubie confessum, sententia communior est, non esse denuo accusandum si dubium sit positivum, si nempe coniecturae probabiles (quamvis non convincentes) rationem praebeant opinandi iam fuisse accusatum; secus vero si dubium sit negativum, si nempe, deficiente ratione sic opinandi, adsit solum ratio graviter dubitandi, prout contingere potest in persona conscientiae non timoratae, quae nullo modo reminiscatur utrum tale vel tale peccatum ante an vero post ultimam confessionem commiserit, et maxime si coniecturae adsint quidem, sed solum pro parte quod post confessionem peccatum ipsum commissum fuerit. — E contra S. Lig. cum aliis nonnullis docet, huiusmodi distinctionem non esse faciendam, et peccatum certe commissum esse denuo accusandum, quamvis probabiliter iam accusatum fuerit.

Si autem agatur de peccato dubie commisso, sententia communior distinguit ut supra, et dicit nullam remanere obliga-

tionem si ratio probabilis stet pro parte peccati non commissi: secus vero si ratio probabilis sit solum pro parte peccati commissi. Alii credunt hanc distinctionem non esse faciendam, et Scavini (III. 441) dicit huiusmodi peccatum nunquam esse accusandum; Roncaglia e contra censet semper esse accusandum.

Denique si agatur de peccato certe commisso et dubie mortali, sententia communior distinguit ut supra, respiciendo an probabiliter opinari possit peccatum non fuisse mortale. Alii vero distinctionem reiiciunt, et Scavini (l. c.) docet nunquam confessionis obligationem superesse; D'Annibali e contra (cum S. Thoma) censet peccatum semper accusari debere.

Quid igitur concludendum? Ego censeo quod in tribus casibus recensitis, nempe peccati sive dubie confessi, sive dubie commissi, sive dubie mortalis, confessionis obligatio subsistat. Credo de hac lege satis constare: Ecclesia enim populum Christianum docet, semperque docuit huiusmodi obligationem reapse adesse. Talis profecto est instructio quae in dioecesanis catechismis passim reperitur, et Catechismus Romanus dicit: « Ea enim confessio esse *debet*, quae nos tales Sacerdoti ape« riat, quales nos ipsos novimus; certaque pro certis, ac du« bia pro dubiis demonstret » Lugo (XVI. 63-67) scripsit: « Theologi docent, peccata mortalia dubia esse necessario con« fitenda, sive dubium sit de substantia actionis, an fuerit fa« cta, sive an fuerit mortalis, sive an fuerit iam illud pecca« tum in confessione dictum.... Potissimum fundamentum huius « doctrinae desumendum est ex usu et praxi totius Ecclesiae, « cuius initium non agnoscitur ». Verum est quod hic Auctor distinctionem admittit inter dubium positivum et negativum, et docet obligationem adesse solum si dubium sit negativum; sed in Ecclesiae instructione distinctio ista nullo modo reperitur; imo in hypothesi peccati certe commissi, et ope Sacramenti dubie remissi, habemus duo decreta S. R. Inquisitionis, quae urgent etiam pro casu dubii positivi. De valore Baptismi, quod quidam Carolus Ferdinandus ab haereticis receperat dubitabatur positive (supplex libellus dicebat: *propter nonnullos errores in eius Baptismo detectos*), et quaesitum fuit utrum non solum esset rebaptizandus, sed etiam deberet accusare sacramentaliter peccata post dictum Baptismum commissa, quamvis probabiliter iam remissa fuerint in secundo Baptismate? S. Congregatio (die 14 Iunii 1715) respondit: « Carolum Ferdi« nandum esse rebaptizandum sub conditione, et, collato Ba« ptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis

« sub conditione absolvatur ». Et novissime ( 17 Dec. 1868 ) ad quaesitum : An debeat... confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra ( *nempe quoad peccata non solum post sed etiam ante secundum Baptismum commissa* )? Eadem S. C. respondit : « Affirmative ad utram- « que partem ; et dandum esse Decretum latum 14 Iunii 1715 ». — Ratio intrinseca autem, cur peccata dubia accusari debeant, est quia ex una parte indigemus, ut non solum peccata certa sed etiam peccata dubia ( quodcumque demum sit hoc dubium ) nobis remittantur ( secus enim gravi damnationis aeternae periculo exponeremur ) : et ex alia Christus vult ut modus remissionem obtinendi sit ope absolutionis a suis ministris concedendae.

1031. An peccatum accusatum ut dubium, si postea certum reperiatur, iterum accusari debeat? R. Hodie communiter affirmant ; sed sententia negativa, quam cum Lugo ( XVI. 77 ) multi tenent, mihi probabilissima videtur ; illud enim peccatum iam fuit absolutum vi clavium non indirecte sed directe ; unde non est cur nova absolutio necessaria sit. Patet a simili de absolutione recepta ab excommunicatione dubie contracta, vel de dispensatione ab irregularitate dubia aut voto dubio ; quamvis enim haec postea certa reperirentur, non ideo nova absolutio aut nova dispensatio exigeretur. Demum validissime confirmatur ex communissima sententia Theologorum, qui ( ut infra videbimus ) docent, quod qui confessus est de decem peccatis *circiter*, si postea reperiat fuisse undecim, non tenetur in nova confessione id explicare. Nonne enim tunc de duobus vel tribus peccatis dubiis confessus fuerat?

1032. An peccatum accusatum certe quidem, sed ita ut de talis accusationis invaliditate dubitandum sit, iterum accusari debeat? R. supponendo semper quod dubium non sit insulsum sed grave, et quod praesumptionibus vinci nequeat ; distinguendum est. Si dubium respiciat iurisdictionem Confessarii vel serio dubitandum sit an ille intellexerit ; tunc ( cohaerenter supradictis ) peccatum denuo accusari debet. Si autem dubium respiciat dolorem et propositum ipsius poenitentis, tunc amplecti potest sententia, quae passim apud Auctores neotericos reperitur ; quod scilicet non adsit obligatio illius peccati confessionem repetendi. Ratio est quia dubia huiusmodi ( speciatim in recidivis, habituatis et occasionariis, quorum infinitus est numerus ) sunt nimis frequentia : unde Confessarii semper in eo esse deberent ut confessionum repetitionem exigerent, quod

contra communem praxim est, et profecto onus intolerabile tam poenitentibus quam Confessariis afferret, ut n. 1029 dicebam.

1033. *Iuxta proprium numerum.* Quomodo peccata numero distinguantur, iam explicavi supra (n. 41-50). — Caeterum peccatorum numerus accusari debet eo modo quo moraliter fieri potest, post examen diligens quidem sed non valde onerosum. Si numerus certus cognosci nequeat, dicatur numerus verisimilis, addendo verbum *circiter* (v. g., quinque, decem, viginti circiter); et, si ne id quidem possibile sit (quod contingere solet quando numerus est valde magnus), tunc dicatur an singulis mensibus, an singulis hebdomadis, an singulis diebus, et an paucis an vero multis vicibus in die, in hebdomada etc., peccatum commissum fuerit. Particula *circiter* habet maiorem vel minorem latitudinem, iuxta proportionem numeri expressi; sic, v. g., quinque circiter usque ad sex; decem circiter usque ad duodecim; viginti circiter usque ad viginti tres extendi poterit.

Sed quid si postea numerus certus reperiatur? R. Si comprehendatur in particula *circiter*, communissime dicunt, nullam superesse obligationem; si autem non comprehendatur, tunc accusari debet excessus, non vero defectus (accusato enim numero maiori, minor quoque accusatus fuit).

1034. *Iuxta propriam speciem.* Intellige speciem infimam; unde non sufficit dicere, v. g., turpiter egi cum foemina; sed explicare oportet num de solis tactibus, an vero de copula res sit. Quomodo peccata distinguantur specie, declaravi supra (n. 31 et seqq.); sed notandum quod aliquae species infimae minutiores a rudibus distingui non solent, et confessariorum praxis est ut circa easdem (quae ad iudicium sacramentale efformandum parum deserviunt) ab interrogationibus facile abstineant; secus enim ut plurimum confessiones nimis implicatae redderentur, poenitentes confunderentur, taedio afficerentur, et forsan de confessario ipso (quasi nimis scrupulosus aut curiosus esset) admirarentur (cf. supra dicta n. 40). Casus accidit speciatim quoad peccata cordis et oris; poenitentes enim communissime credunt sufficere si species principales accusent, explicando in peccatis cordis an de cogitatione turpi, an vero de odio proximi, vel de iudiciis temerariis; et in peccatis oris an de sermonibus turpibus, an vero de blasphemiis, imprecationibus, murmurationibus, calumniis, contumeliis etc., res sit. Hinc credunt satis esse si dicant v. g.: *cogitationes turpes in mente habui*, quin inter delectationem morosam, complacentiam peccati commissi,

nec non desiderium aut propositum peccati committendi ( nisi forte circumstantia aliqua valde extraordinaria locum habeat, v. g., si desiderassent peccare cum persona religiosa ) ullam distinctionem faciant. Similiter dicunt: *sermones turpes feci*, quin inter simplicem narrationem obscoenam, iactantiam, et provocationem ad malum distinguant ; nisi forte pueros adhuc innocentes in malitiam coniecerint, vel circumstantia ( ut mox dicebam ) valde extraordinaria intercesserit. Idem dic de copula habita imperfecte seu onanistice, ut puella gravida non remaneat, tunc enim onanismum a copula perfecta distinguendum non esse censent. Quoad imprecationes distinguunt quidem an fuerint contra parentes vel filios aut personam sacram ; non vero an aliquod malum temporale, aut potius mortem, vel infernum imprecati fuerint.

1034. *Iuncta circumstantias explicatu necessarias.* Hinc accusandae sunt

1.° Circumstantiae accidentales, quae ex conscientia erronea aliisve de causis reddunt peccatum ex veniali mortale aut viceversa.

2.° Circumstantiae accidentales quae mutant speciem, nempe aliam malitiam specie diversam superaddunt. Oportet tamen ut haec malitia cognita fuerit. Notandum quod fere nemo cognoscit malitiam incestus in casu affinitatis ex copula illicita vel publicae honestatis ex sponsalibus. Oportet insuper ut haec malitia fuerit mortalis, ut puta, si odium grave contra patrem, matrem, filium, coniugem, aut fratrem haberetur ; tunc enim praeter charitatem pietas quoque laederetur graviter ; dum e contra si odium grave propinquos remotiores in linea transversa respiceret, peccatum esset quidem grave contra charitatem sed leve contra pietatem. Lugo ( XVI. 303-308 ). Oportet denique ut dicta malitia speciem mutans non solum sit mortalis in se, verum etiam ut tamquam mortalis a poenitente apprehensa fuerit. Plurimi rudes, dum rem habent cum coniugata, cognoscunt quidem se mortaliter peccare eo quod habeant rem cum foemina non propria, sed credunt quod circumstantia coniugii in foemina illa, si malitiam superaddat, haec sit levis et parum attendenda. Idem dic de incestibus ab iisdem commissis cum consanguineis vel affinibus in gradibus paullo remotioribus; credunt enim specialem malitiam tunc non esse mortalem. Accidere etiam potest quod quis talem vel talem circumstantiam, quae speciem mutat, bene cognoscat ; sed actu peccati ad illam ( maxime si agatur de peccato solius cogitationis momentaneae )

nullo modo reflectat. In his casibus circumstantiae huiusmodi, quamvis speciem mutantes, non essent necessario accusandae.

3.° Accusandae sunt circumstantiae de quibus confessarius interrogat, quamvis nec speciem mutarent, nec peccatum ex veniali mortale redderent. Constat ex propositione damnata quae dicebat: « Non tenemur confessario interroganti fateri alicuius « peccati consuetudinem ». Potest enim confessarius, et saepe debet, poenitentes interrogare de quibusdam circumstantiis ob plures rationes, v. g., ad cognoscendum an peccatum sit reservatum, ad iustam poenitentiam assignandam, ad remedia congrua praescribenda etc. Si tamen satis constaret quod ex curiositate vel mero scrupulo ille interrogaret (exquirendo, v. g., an poenitens tale vel tale peccatum valde probrosum in antecessum commiserit), tunc obligatio respondendi non adesset; imo Suarez (XXII. x) docet, quod poenitens, absque mendacii reatu, rotunde denegare posset.

1035. Quid de circumstantiis mere aggravantibus, confessario non interrogante? Circumstantiae leviter aut modo non extraordinario aggravantes certe non sunt accusandae. Quoad alias quoque, quae valde extraordinariae sint et valde mutent iudicium confessarii (ut puta, si agricola non solum consueta furta contra dominum suum commisisset, sed etiam mille scutata alicui surripuisset), hodie communiter dicunt non adesse obligationem illas explicandi. At vero doctrina huiusmodi est certe contra Catechismum Romanum, et contra praxim poenitentium, qui, circumstantias adeo enormes reticendo, cum conscientia tranquilla nunquam remanerent. Non desunt Theologi, etiam primi subsellii, qui dicunt, v. g., peccatum carnale commissum a Religioso vel Sacerdote non differre specie ab illo, quod ab eo, qui simplici castitatis voto tenetur, commissum fuerit; incestum cum propria sorore non differre specie ab aliis; incestum cum filia propria specie non differre ab incestu, qui cum privigna aut nuru aut filia concubinae vel fornicariae propriae commissus fuerit; neque desunt qui censent incestus esse omnes eiusdem speciei, adeo ut peccatum commissum cum filia aut matre propria ab aliis specie non differat. Et idem dicunt de iniuriis, quae sive parentibus, sive fratribus sive aliis coniunctis infligantur. Vide Tamburini (Decr. VII. iv) aliosque citatos a S. Ligorio (n. 470) et Lugo (XVI. 312. 143). Sed, supposita probabilitate huiusmodi sententiarum, dicendum esset quod, si circumstantiae istae non mutant speciem, certe sunt adeo aggravantes ut in confessione explicari debeant. Lu-

go (n. 120) dicit quod Confessarius tenetur de huiusmodi circumstantiis adeo enormibus interrogare, et quod, eo interrogante, poenitens veritatem patefacere debet. Sed quid si confessarius ex inadvertentia aut alio motivo non interrogaret? Nunquid tunc poenitens quietus remanere poterit? Non credo.

1036. Quoad circumstantiam scandali (quae est valde practica) vide dicta (n. 48, 50 et 246). Quaeri potest, an qui induxit alium ad secum peccandum explicare debeat se fuisse primum, an vero sufficiat si dicat: *tale vel tale peccatum cum alio commisi?* Lugo (n. 142) censet huiusmodi circumstantiam non esse explicandam, quia peccatum scandali est in utroque, quatenus ambo ad mutuam spiritualem ruinam concurrunt, quamvis culpa maior adsit certe a parte sollicitantis. Sed forsan vera ratio est, quia iuxta sensum communem scandalum non consideratur ut grave, nisi aliquis adhuc innocens scandalizetur, aut nisi persona a malo valde abhorrens atque adeo valde reluctans ad peccatum inducatur, iuxta dicta n. 243. Quidquid sit de hoc, in praxi certe non expedit (saltem ordinarie) de hac circumstantia interrogare: propter periculum ne poenitens mendaciter se fuisse primum statim deneget, quod facillimum est.

1037. Suarez (XXII. IX) docet quod peccatum dubie confessum accusari potest absolute, quin huiusmodi confessionis dubiae mentio fiat. Lugo (XVI. 46) subdit quod, si etiam certe confessum fuerit, accusari potest absolute quin de confessione iam facta quidquam dicatur. Imo addit quod poenitens, ad minuendum ruborem, potest dicere se velle facere confessionem generalem, et sic miscere peccatum post ultimam confessionem commissum cum antiquis, ut confessarius credat quod de peccato olim confesso et iam alias accusato agatur. Id dicunt etiam alii Theologi, v. g., Sanchez (Dec. I. x. 71), Diana (III. 192), Gury (Cas. conse. II. 434) etc.; sed huiusmodi doctrinis ego acquiescere non valeo; haec enim sunt contra praxim Christifidelium, et magnam confusionem in confessionibus inducerent (dando materiam liberam pro necessaria et necessariam pro libera), nec obtineretur finis qui a Christo Domino intentus fuit in exigenda accusatione peccatorum non confusa sed distincta, ut scilicet Confessarii iustum iudicium ferre et aequitatem in poenis iniungendis servare possint. Adde quod Confessarius non solum est iudex sed etiam medicus; et sic peccatum praesens distingui debet ab antiquo: illud enim et non istud medela indiget. Equidem, si agatur de pecca-

to iam alias dubie vel certe accusato, quod nihilominus in praesenti confessione absolute accusetur, simplicitati et bonae fidei poenitentis indulgendum erit, sed res in se ipsa, quasi bene peracta fuerit, approbari non poterit. Circa autem confessionem generalem, non equidem peccata post ultimam confessionem commissa distinguere oportebit ab aliis, si praeteritae confessiones invalidae fuerint, aut si poenitens uniformiter vixerit iamque declaraverit quantum temporis ab ultima confessione praeterierit; sed, seclusis his casibus, peccata mortalia non adhuc confessa ab aliis distingui debent. A fortiori damnandus esset poenitens, qui (ut confessarius credat quod de peccato antiquo agatur) illum positive deciperet: et, facta confessione nonnullorum venialium, diceret: *Me accuso etiam de tali peccato quod anno praeterito infeliciter patravi*; vel: *Accuso me de omnibus culpis in tota mea vita commissis, praesertim de tali peccato turpi.* Et in hoc adversarii quoque conveniunt; quia tunc (ut aiunt) peccatum recens vere commissum non accusaretur, bene vero antiquum falso supponeretur. Sed haec ratio non convincit, quandoquidem circumstantia temporis est accidentalis, et prorsus inverisimile est quod poenitens, si forte ex errore accusasset peccatum tamquam nudius tertius commissum dum revera illud commisit heri, invalide illud accusaverit, et proinde errore detecto in alia confessione explicare debeat quod non eo die sed sequenti illud commisit. Adde quod, si haec ratio subsisteret, valere deberet etiam pro casu peccati quod accusetur ut recens dum revera antiquum est, unde tunc quoque confessio invalida esse deberet; idque adversarii non admittunt et sic in contradictionem incidunt. Vera ratio itaque desumenda est semper ex eo, quod Confessarius iudicium aequum facere nequiret, et praxis Ecclesiae est ut peccata non adhuc accusata cum aliis non confundantur.

1038. Quaeritur utrum poenitens in dignitate constitutus statum suum occultare possit, an vero debeat dignitatem ipsam Confessario declarare? R. Dignitatem suam patefacere non tenetur, imo (saltem sine peccato gravi) potest fingere se esse alium, occultando dignitatem aut quomodibet personam suam; confessarius enim habet quidem ius cognoscendi culpam sed non personam; et quamvis Titium pro Caio accipiat, id nihil obstat, quia intendit absolvere praesentem; sicut in Baptismo nihil obstaret, si Ministro dictum fuisset, infantem esse filium Petri dum revera filius Pauli foret. Interdum tamen ex digni-

tate vel statu poenitentis causari possunt in peccato ipso differentiae specificae, v. g., gravis scandali, sacrilegii, et transgressionis proprii officii (ut puta, si Parochus peccasset cum Parochiana); quibus in casibus circumstantias huiusmodi poenitens patefacere deberet, ut per se patet. — Theologi notant quod si herus peccasset cum ancilla, haec circumstantia (confessario non interrogante) reticeri posset, quia speciem (saltem graviter) non mutat. Et idem dicunt de Confessario, qui cum propria poenitente peccasset, nisi sacrilegus Sacramenti abusus intercessisset.

1039. Quid de poenitentibus, qui peccata venialia uni et mortalia alteri confessario confitentur? R. Videndum quo modo id accidat. Si poenitens haberet mortalia simulque venialia, et sola venialia accusaret, certe contra confessionis integritatem delinqueret; si vero accusaret mortalia apud unum et postea venialia apud alterum: vel si quando habet sola venialia, uteretur uno, et quando habet mortalia uteretur alio confessario, tunc confessionis integritas nullum detrimentum pateretur, et (supposita dispositione) absolutiones validae essent. Ad iudicandum autem an hic modus agendi quavis culpa levi vel imperfectione careat, perpendendae sunt circumstantiae. Lugo (XVI. 58).

1040. Quaeritur, an confessio distincta iuxta species et numerum peccatorum, toties quoties sat facile fieri possit, semper exigatur? Affirmative, excepto casu in quo Confessarius de peccatis a poenitente commissis sufficientem notitiam iam haberet, de iisque hic et nunc recordaretur; tunc enim dicere sufficeret: *De peccatis iam tibi notis me accuso.*

Quid si poenitens sive bene sive male confessionem iam fecerit, sed absolutionem validam adhuc non obtinuerit? Debetne (ut illam recipiat) confessionem repetere? R. Affirmative certe si ad alium confessarium divertat. Si vero redeat ad eundem, affirmative pariter pro casu in quo ille ne in confuso quidem memoriam habeat de conscientia eius, adeo ut, quoad absolutionem, aut satisfactionem vindicativam et medicinalem, sufficiens iudicium efformare nequeat. Pro casu autem, in quo Confessarius memoriam retineat ad hoc iudicium sufficiens efformandum, tunc confessionis aut confessionum repetitio necessaria non erit, quamvis eadem memoria in confuso dumtaxat retineatur. Id certe verum est si idem iudicium perseveret, ut puta, si absolutio experimenti aut remedii causa dilata fuerit; aut si confessio per partes diversis diebus (prout aliquando contingit in confessionibus generalibus) fuerit peracta; aut

si poenitens habuerit aliquod peccatum reservatum (quidquid dicat Lugo) et confessarius debuerit prius facultatem obtinere. Ratio est quia onus nimis grave poenitentibus et Confessariis imponeretur, si confessiones durante eodem iudicio essent repetendae toties quoties Confessarius, actu absolutionis aut impositionis poenitentiae, non claram sed confusam dumtaxat confessionis factae memoriam habeat. Sed quid si iudicium iam fuerit absolutum, ut puta, si poenitens aliquod peccatum sacrilege reticuerit, et postea apud suum consuetum confessarium (qui confusam confessionum praeteritarum memoriam retinet) peccatum reticitum accuset, et deinde dicat: *De aliis peccatis iam alias apud te confessis iterum me accuso?* Haec quaestio difficilis est. Suarez (XXII. VI) censet, confessiones esse iterandas, quia invalidae fuerunt et pro casibus huiusmodi nullum grave incommodum ex repetitione creatur. Lugo e contra (XVI. 643) opinatur non esse iterandas, quia fuerunt sacramentales.

Quidquid sit de hoc, notari potest quod confessio interdum potest esse partim distincta et partim confusa; idque contingit in confessionibus generalibus quoad illos qui vitam uniformem iam a multis annis duxerunt (ut n. 1037 dicebam); isti enim accusare possunt distincte quoad numerum species et circumstantias peccata in postremo anno commissa, et postea subiungere: *Haec est vita mea, quam, v. g., a decem, aut viginti annis uniformiter duxi.* Caeterum in confessionibus ordinariis acceptari nequiret confessio dicentis: *Pater, hoc anno peccavi sicut in praecedentibus;* nec valeret si confessarius confusam notitiam confessionis praecedentis haberet; id enim esset contra usum et praxim Ecclesiae, et confessionibus sic in confuso factis ianuam aperiret.

1041. Si poenitens, accusando aliquod peccatum, alicuius circumstantiae speciem mutantis oblitus fuerit, poteritne tunc solam circumstantiam patefacere, quin peccatum iam accusatum denuo accuset?

R. Ut plurimum impossibile erit, sine nova peccati accusatione, circumstantiam in sua specie infima explicare, et tunc oportebit omnino peccatum denuo accusare. Dixisti, v. g.; *rem habui cum muliere*, et ex oblivione tacuisti quod violentiam ei intuleris. Si postea diceres: *iniustitiam commisi*, aut *cuidam personae vim intuli*, speciem infimam iniustitiae aut violentiae non explicares; et sic omnino dicere cogereris: *per vim rem habui cum muliere.* Idem dic si persona sacra fornicationem commiserit: si enim fornicationem accusans sacrile-

gium reticuisset, non satisfaceret dicendo: *sacrilegium commisi*, sic enim sacrilegii species infima non explicaretur. Aliud exemplum esset si quis se accusasset de odio, aut de contumelia, aut de percussione, non explicando se id fecisse contra patrem; non enim sufficeret si postea diceret: *contra patrem meum graviter deliqui*. Interdum tamen circumstantia sine nova peccati accusatione in sua specie infima explicari potest; et tunc non est necesse ut peccatum ipsum denuo accusetur. Exemplum dant in eo qui sub gravi voverit aut iuraverit abstinere ab ebrietate; si enim ebrietatem accusans violationem voti aut iuramenti ex oblivione reticuisset, postea dicere posset: *violavi votum* aut *iuramentum in re gravi*, quandoquidem huiusmodi violationes ex diversis rebus, quae sub iuramento aut voto (simplici) comprehenduntur, speciem non sumunt. Aliud exemplum valde practicum dari potest in scandalo *indirecto*, quod a diversis peccatis, a quibus causatum fuit, non specificatur: unde, accusatis his peccatis in se ipsis, sufficit si postea accusetur scandalum (cum suis circumstantiis mutantibus speciem, si adsint, ut puta, si pater filiis aut Parochus parochianis scandalum dederit), quin oporteat ut explicetur quaenam fuerint peccata ex quibus scandalum derivavit. Idque verum esset non solum si ex oblivione, sed etiam si advertenter in accusatione peccatorum circumstantia scandali (postea in genere et summatim in eadem confessione declaranda) omissa fuisset.

Notat Lugo (XVI. 661) quod si quis, ex fine inducendi foeminam ad peccatum ope pecuniae, furtum commisisset, et cum ea reapse peccasset, accusato furto et fornicatione, id satis esset, quamvis de illa intentione in furto habita nihil dixisset; accusata enim fornicatione, intentio praevia et media adhibita subintelliguntur; unde furtum accusari quidem debet, sed solum ut furtum, non vero ut medium ad fornicationem directum.

1042. Quid si quis circa circumstantiam non necessario explicandam mentitus fuerit? R. Hic casus multipliciter accidere potest. Do exempla.

I. Vicarius peccavit cum sorore Parochi, et, confessionem faciens apud Parochum ipsum, mendaciter tales immiscet loci, temporis et qualitatis complicis circumstantias, ut Parochus suspicari nequeat quod de eius sorore agatur. Dicit, v. g.: *Quum essem in domo Pauli amici mei, quaedam foemina casu supervenit; cum illa solus remansi, et in fornicationem misere lapsus sum.* Lugo (XVI. 53) sentire videtur, hanc con-

fessionem esse invalidam, quia non peccatum commissum sed aliud chimericum accusaretur. Sed potius dicendum quod poenitens iam fassus est se esse reum fornicationis (et haec est substantia); quod autem fornicatio acciderit hic aut illic, heri aut nudiustertius, cum Rosa aut cum Antonia, hae sunt circumstantiae accidentales atque inutiles; et confessarii absolvunt a peccato absolute, non vero sub conditione quod talis vel talis, sive loci sive temporis sive nominis personae, circumstantia sit vera: secus enim (ut supra dicebam) si etiam bona fide aliqua circumstantia falsa irrepsisset, confessio invalida esset, quod repugnat. Dicerem itaque, huiusmodi mendacia confessionem invalidam non reddere, et proinde peccatum denuo confitendi obligationem non remanere.

II. Titius furatus est quinquaginta, et commisit simplicem fornicationem. In confessione autem dicit: *Furatus sum centum, et rem habui cum femina Deo dicata, aut consanguinea, aut coniugata.* Ita se accusans male se gerit: sed, si crederet hanc confessionem fieri posse absque peccato, saltem gravi (v. g., ex simplicitate), dicerem, confessionem esse validam, quia plus dixit, et plus continet minus. Idque maxime verum esse debet, si circumstantia falsa ad tegendam personam complicis Confessario curiose interroganti exposita fuisset. Cf. Suarez (XXII. x).

III. Caius furatus est scutata centum, et in confessione dicit illa fuisse nonaginta dumtaxat. Si dixisset: *magnam pecuniae summam furatus sum*, bene confessus fuisset: tunc enim confessarius nullo modo decipitur, et absolvit directe a furto commisso, quidquid sit de praecisa summae ablatae quantitate. Sed in casu exposito Caius decipit in materia gravi confessarium, quandoquidem decem scutata (quae in confessione occultantur) sunt materia gravis. Si Caius ex oblivione et bona fide sic dixisset, confessio quidem valida fuisset, sed absolutio ad illa decem scutata directe extendi non potuisset. Aliqui dubium movent, an tunc (ad reparandum errorem) sufficiat accusare furtum decem scutatorum; an vero oporteat explicare quod simul cum ipsis alia nonaginta ablata fuerunt, de quibus confessio iam facta fuit. Ratio dubitandi est quia secus duo furta (unum 90, et aliud 10 scutatorum) accusarentur, dum non subsistunt, et furtum 100 scutatorum vere commissum nunquam accusaretur. Sed hoc videtur sophisma; dum enim poenitens bona fide accusavit furtum nonaginta scutatorum, delictum suum in substantia fassus est (aliud esset si furatus fuisset centum et dixisset: *furatus sum decem*), et solum irrepsit

error accidentalis; ad quem reparandum non videtur adigendus, ut (cum rubore forsan non exiguo) accuset iterum id, quod iam in substantia accusavit; et parum refert, si secundus Confessarius credat quod de furto separato agatur, et ignoret quod de parte furti maioris iam accusati res sit.

IV. Livius, qui cum sorore peccavit, dixit: *peccavi cum consanguinea*, et Confessario de gradu interroganti respondit: *peccavi cum prima consobrina*. In hoc casu Livius Confessarium decepit graviter, unde confessionem repetere tenetur. — Sed quid si peccasset cum secunda consobrina, et dixisset se peccasse cum tertia? Tunc deceptio fuisset levis, et proinde ad confessionem repetendam non teneretur.

## APPENDIX

### *De examine conscientiae.*

1043. Qui de specie et numero peccatorum bene recordantur, ad examen conscientiae non tenentur; et idem dic de iis qui solum venialia habeant. Ad examen igitur tenentur ii dumtaxat, qui (nisi illud faciant) periculum grave subeunt, ne materiam necessariam ex oblivione reticeant. Porro qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media; idque sub gravi, quandoquidem confessionis integritas sub gravi obligat. In praxi tamen vix unquam accidit ut confessio ex defectu examinis sit sacrilega et ex hoc capite repetenda, ut (n. 506) notat Ballerini.

1044. Examen debet esse necessitati proportionatum, et oportet ut diligenter peragatur; unde Trid. (XIV. v) dicit: « Post diligentem sui discussionem ». Attamen negligentia levis, aut saltem ut levis apprehensa (quamvis propter illam aliquod peccatum mortale omissum fuisset), levem culpam constitueret.

1045. Ad examen valde onerosum, molestum et taediosum (quamvis ad omnia rite accusanda necessarium videretur) non datur obligatio; secus enim hoc Sacramentum nimis grave et odiosum redderetur. Exigitur quidem ut examen sit diligens, sed non plus quam humanum et discretum. Hinc meretrices aliique magni peccatores, si longi temporis confessionem facere debeant, speciatim circa culparum numerum, non subtiliter se examinare tenentur. Idem dic de iis, qui, propter memoriae debilitatem, vel mentis confusionem, aliasve causas, valde difficiliter se melius examinare possent. In his casibus non est

bona regula, dicere: si hic poenitens cogitaret adhuc de suis peccatis, aliquod aliud peccatum inveniret, vel peccatorum numerum melius computare posset. Lugo (XVI. 590 594).

1046. Ad examen bene peragendum (quoad illos qui longi temporis confessionem facere debent et plura diversarum specierum mortalia commiserunt), modus aptior est si praecepta Dei et Ecclesiae atque obligationes proprii status percurrantur. Aliqui suggerunt ut etiam vitia capitalia considerentur; sed haec consideratio vix quidquam praeter confusionem et repetitiones producere solet. — Quoad illos autem, qui a brevi tempore sunt confessi, aut una vel altera dumtaxat peccatorum specie labi solent, sufficit si circa haec peccata consueta se examinent, aut considerent summatim quaenam contra Deum, proximum, et se ipsos commiserint.

## PUNCTUM II.

### DE INTEGRITATE FORMALI, SEU DE CONFESSIONE PLUS VEL MINUS DIMIDIATA, QUAE IUSTIS DE CAUSIS INTERDUM LICET.

1047. I. Prima causa est impotentia physica. Patet ex Rituali circa moribundos.

II. Excusat quoque impotentia moralis, seu difficultas gravis. Patet ex praxi Ecclesiae, et doctrina communissima Theologorum. Non tamen excusaret sola erubescentia, quamvis gravissima esset.

III. Excusaretur quoque poenitens, si cogeretur uti medio extraordinario, nempe tali, de quo adhibendo nunquam recognita fuerit obligatio inconcussa (v. g., interprete); idque verum esset quamvis illud medium absque gravi incommodo adhibere posset.

IV. Ut integritas formalis liceat, oportet ut poenitens aut dicta impotentia laboret perpetuo, aut habeat necessitatem confessionem peragendi, ea impotentia seu difficultate durante, nec possit alium confessarium adire, apud quem sine eadem difficultate integre confiteri valeat.

V. Curandum ut quanto minus fieri possit integritas materialis detrimentum patiatur.

VI. Poenitens, qui in confessione, iusta de causa, aliquod peccatum vel aliquam circumstantiam *per se* accusandam reticuerit, debet postea (si causa cesset) in sequenti confessione

defectum reparare. Patet ex prop. XI. ab Alex. VII. damnata, quae dicebat: « Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob « instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in « sequenti confessione exprimere ».

1048. Ex his principiis sequentes conclusiones practicae deducuntur.

I. Infirmus seu moribundus excusatur ab integritate materiali 1° Si mors imminere videatur; 2° Si propter examen aut confessionem nimis defatigaretur, nec facile per intervalla confessionem peragere posset; 3° Si Viaticum iam fuisset ei delatum et populus admiraretur si confessio tunc nimis in longum protraheretur; 4° Si confessarius confessionem integram audire nollet, v. g., tempore pestis (vide dicta n. 762. S); 5° Si moribundus deseri nequiret ab assistentibus, qui confessionem audituri essent (tunc sufficit si de aliqua levi culpa, v. g., de impatientia et de aliis peccatis in genere se accuset); 6° Denique si esset loquela impeditus (quo casu sufficit, si aliquo gestu se peccatorem accuset et compunctionem ostendat). Vide etiam dicta (l. c. N).

II. Instante naufragio vel imminente praelio, et quovis alio casu in quo nec tempus nec modus suppetat confessionem secretam peragendi, sufficit si, presente sacerdote, venia et absolutio petatur.

III. Ignarus idiomatis interprete uti non tenetur. S. C. C. 28 Febr. 1633. Attamen si eo uti vellet, non esset prohibendus, sed interpres de sigillo admoneri deberet. S. C. De propaganda Fide 19 Iul. 1838.

IV. Labili memoria laborans, peccata in examine reperta scribere non tenetur. S. Lig. (471). Nec valet ratio, quod qui tenetur ad finem tenetur ad media; ut enim supra dicebam, hoc intelligi debet dumtaxat de illis mediis quorum usus semper ut absolute praescriptus habitus fuit.

V. Correptus apoplexi in lingua, quamvis facillime scribere posset, ad confessionem per nutus, non vero in scriptis peragendam teneretur. Idem dic de balbutiente, qui teneretur confiteri, prouti posset, verbis; non vero aliter, quamvis balbuties esset talis ac tanta, ut integritas materialis magnum detrimentum pateretur. Ratio est ut supra.

VI. Surdus-mutus debet confiteri per nutus; et postquam scribere didicerit non ideo scriptura uti tenetur. Ratio est semper eadem. Adde quod si surdus-mutus teneretur uti scriptura, deberet quoque Confessarius illum interrogare in scriptis, si

forte non satis se explicaret et nutus non sufficerent; quandoquidem integritas confessionis non solum poenitentem sed etiam Confessarium obligat. Sed confessarius ad hoc non tenetur. Ergo ne poenitens quidem. Ita sentiunt multi, et Gury (503. q. 7) dicit, hanc esse sententiam communiorem.

VII. Causa excusans habetur etiam si poenitens ex una parte non possit immorari tantum quantum exigeretur ad integrandam confessionem, et ex alia absolutione statim indigeat. Practice hic casus accidit speciatim quando detegitur necessitas faciendi confessionem generalem, et poenitens hic et nunc illam facere nequit, v. g., quia debet domum redire, aut verecundatur immorari tamdiu in confessionali.

Idem dic si (dum poenitens absolutione indiget) Confessarius nequeat immorari quantum opus esset; maxime si vocaretur pro moribundo. Quid si indigeret se cito expedire, quia magnus concursus adest et multi poenitentes expectant? Innoc. XI. damnavit sequentem propositionem : « Licet sacra« mentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione « magni concursus poenitentium, qualis, v. g., potest contin« gere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae ». Attamen haec damnatio cum mica salis intelligi debet; respicit enim casum in quo Confessarius propter dictum concursum *passim* dimidiet confessiones, audiendo dumtaxat unum vel alterum peccatum et illico dando absolutionem. Talis profecto est sensus propositionis damnatae, ut videre est apud Sporer (n. 466). Si autem, dum magna poenitentium affluentia adest, occurreret aliquis confessione generali et longa indigens, bene posset Confessarius imponere ei ut alia vice redeat, simulque eum absolvere, si tunc absolutione indigeat, ut dixi; idque a fortiori admittendum esset, si poenitens absque gravi nota immorari nequiret, aut si alii poenitentes expectantes fremere et clamorem facere inciperent. Vide P. Segneri (Conf. istr. II), Roncaglia (XIX. III. 3), S. Lig. (n. 485) et Viva (prop. cit.).

VIII. Alia causa est, si Sacerdos confessionem faciens aliquod suum peccatum vel peccati circumstantiam absque fractione sigilli accusare nequiret.

IX. Si poenitens, habens peccata reservata, nequiret hic et nunc accedere ad Superiorem et indigeret absolvi ab inferiore, posset non reservata accusare et reticere reservata (apud Superiorem postea accusanda). S. Lig. 265. q. 2.

X. Si poenitens cum solido fundamento praevideret quod occasione accusationis talis vel talis culpae ruiturus esset in

peccatum ipse, aut confessarius, posset illam reticere. Casus esset si puella cogeretur confiteri apud Sacerdotem valde fragilem qui illam tentasset, et inter alia peccata haberet etiam accusanda plurima desideria, quibus consensit, rem habendi cum illo.

XI. Theologi addunt alios casus, v. g., si iure formidari deberet ne confessarius fracturus esset sigillum; aut quomodolibet usurus notitia in confessione habita cum gravi damno aut molestia poenitentis.

XII. Quid si poenitens peccatum vel circumstantiam peccati accusare nequiret, quin Confessarius in cognitionem complicis deveniat?

R. Theologi docent imprimis, adesse obligationem inquirendi alium confessarium, cui complex sit ignotus, si sat facile inveniri possit. Si autem sit impossibile vel difficile vel incommodum illum invenire, tunc plures docent peccatum reticeri non solum posse sed debere, quia complex ius habet ne apud Sacerdotem qui illum cognoscit famam amittat. Alii vero communius cum Suarez (XXXIV), Lugo (XVI. VII) et S. Lig. (489) docent, peccatum esse accusandum. Sed sententiae istae non satis distinguunt; et ego sic dicendum esse existimo.

Si agatur de casibus, in quibus complici non intersit si etiam talis vel talis Sacerdos eius peccatum cognoscat, aut id quidem aegre ferat, sed non modo extraordinario; tunc practice non est imponenda obligatio quaerendi confessarium cui complex sit ignotus, et peccatum integre accusari debet. Hoc patet a communi poenitentium praxi; uxores enim de onanismo vel sodomia perpetrata cum marito; fratres de peccatis carnalibus commissis cum propriis fratribus et sororibus; cognatae, ancillae, adamantes, et socii de peccatis commissis cum cognatis, heris, adamantibus, et sociis; matresfamilias de furtis perpetratis cum marito et filiis; collegiales, religiosi, moniales de peccatis perpetratis cum aliis collegialibus, religiosis, monialibus etc. se accusant; nec credunt debere esse sollicitos de quaerendo confessario cui complex sit ignotus, aut posse (et multo minus debere) huiusmodi peccata in confessione occultare. Persuasio adeo generalis in re tam practica a mero errore provenire nequit. Adde quod, si complices ius haberent ne eorum peccata apud Parochos vel Sacerdotes, a quibus dignoscuntur, in confessione accusarentur; tunc etiam hi Parochi vel Sacerdotes delinquerent, faciendo interrogationes ex quibus complices cognoscere possent. Sed interrogationes istae fiunt, qua re ni-

hil frequentius. Nunquid et hoc mero errori tribuendum erit? Aliunde, si semel huiusmodi doctrina poneretur (quae, si ad huiusmodi casus extendatur, certe improbabilis et falsa est), confessionibus dimidiatis ianua latissima aperiretur, idque maxime ubi Christifideles, propter penuriam Sacerdotum et aliarum Ecclesiarum distantiam, apud illos dumtaxat, qui illorum familias bene cognoscunt, confiteri possunt. Quid dicam de primis Ecclesiae saeculis, quando apud solum Parochum confessio fieri poterat?

Si autem agatur de casibus, in quibus complex propter criminis enormitatem aliasve specialissimas circumstantias modo extraordinario aegre ferat quod talis vel talis confessarius eius crimen resciat (prout facile contingeret si de incestu inter patrem et filiam, vel de peccato commisso cum Sacerdote confessarii amico res esset); tunc certe aliqua obligatio communiter recognoscitur declinandi dictum confessarium et alium quaerendi. Intellige dummodo absque gravi incommodo sic fieri valeat. Incommodum istud subsisteret si casus esset frequens et poenitens haberet suum stabilem confessarium, quem proinde derelinquere cogeretur; 2° Si ei grave esset conscientiam suam alteri aperire; 3° Si consilio et auxilio sui ordinarii confessarii, aut utcumque sacerdotis cui complex cognitus sit, indigeret; 4° Si ad alium confessarium absque admiratione et dicteriis vel quolibet alio notabili incommodo divertere nequiret; 5° Si suum accessum ad alium confessarium proprio confessario stabili (diffidentiam et suspectus concepturo) occultare non posset. 6° Si non adesset tempus quaerendi alium confessarium, et poenitens gravi de causa absolutionem statim desideraret, prout contingere potest non solum in periculo mortis, sed etiam vergente ad finem quindena paschali, aut occurrente aliqua indulgentia extraordinaria, aut urgente (ex quovis capite) necessitate communicandi, aut si poenitens in statu peccati mortalis constitutus adhuc sine absolutione remanere cogeretur tempore notabili. Aliqui dicunt uno vel altero die; sed ex circumstantiis hoc dimetiri debet.

Supposita autem huiusmodi difficultate quaerendi alium confessarium, poteritne poenitens dictum peccatum vel circumstantiam reticere? R. Quamvis loquamur de casu, in quo complex aegre quam maxime hanc manifestationem laturus sit, debebit nihilominus poenitens peccatum integre accusare si agatur de consuetudine (et proinde non de una sed de pluribus confessionibus) et multo magis si poenitens in periculo mortis ver-

saretur ; quisnam enim, secus agendo ( et peccata adeo enormia non accusando ), quietus remaneret ? Si vero peccatum fortuito casu commissum fuerit ; et, tacendo illud in confessione praesenti, accusari possit in sequenti ; tunc opinio illorum, qui dicunt id esse licitum, adoptari poterit ; quandoquidem Suarez ( XXXIV. n. 11 ) dicit : « Non possumus negare quin opinio « illa probabilis sit, cum habeat auctores graves et rationes « probabiles » ; idque speciatim si persona complex non seductrix sed seducta fuerit ; maxime vero si per vim aut quasi per vim ceciderit. Passim dicunt, taceri quidem posse circumstantiam sed accusandum esse peccatum ; ut nempe integritas confessionis salvetur quantum fieri potest. At vero practice id difficile erit ; confessarius enim pro integritate confessionis et pro remediis assignandis statim interrogabit de circumstantiis, et sic poenitens in tricis versabitur, ut notat Lugo ( XVI. 528 ). Peccatum itaque poterit reticeri omnino ; multo magis, quia secus poenitens deberet bis idem peccatum accusare.

Caeterum si poenitens potest et tenetur ( ut plurimum ) accusare peccatum quamvis confessarius in cognitionem complicis deveniat : tamen discretionem habere debet, ne ad omnes loci confessarios rem deferat, aut confessionem repetat apud diversum confessarium quando peccatum iam absolutum fuit, aut de ea re ( complice id valde aegre ferente ) se accuset quamvis a parte sua nihil aut leviter deliquerit.

## PUNCTUM III.

### DE MATERIA LIBERA ET MERE SUFFICIENTI

1049. Peccata venialia, et peccata quaelibet alias rite confessa sunt materia libera et mere sufficiens. Item circumstantiae non enormiter aggravantes pro libito possunt accusari et reticeri.

Peccata alias confessa, si iterum accusentur solum in genere, suntne materia sufficiens ? De hoc vide dicta *De Recidivis* n. 200.

Peccatum dubium estne materia sufficiens ? De hoc etiam vide dicta *De Recidivis* n. 197.

De peccatis ex inadvertentia commissis, vide dicta *De Recidivis* n. 105.

Merae imperfectiones, nempe omissio exercitii alicuius virtutis aut operis boni, quod sub solo consilio cadat, certe non sunt materia sufficiens. Quoad omissionem orationis mane et vespere, vide quae dixi supra n. 77.

## PUNCTUM IV.

### DE NONNULLIS ALIIS ADVERTENDIS CIRCA CONFESSIONEM

1050. 1.° Expedit ut sermones de aliis rebus, sive prorsus extraneis, sive etiam spiritualibus sed ad confessionem non pertinentibus, non immisceantur. Si quid huiusmodi dicere oporteat vel expediat, dicatur antea vel postea. In ipsa accusatione peccatorum expedit ut circumstantiae inutiles reticeantur.

2.° Peccata turpia accusari quidem debent, sed modo (quantum fieri potest) modestiori.

3.° Quid de excusationibus? R. Illicitae sunt certe si sint falsae. Non tamen confessionem sacrilegam reddunt, nisi eo tendant ut Confessarius graviter decipiatur. — Si autem sint verae, tunc sine peccato adhiberi poterunt, ut notat Navarrus (VI. 6). Imo interdum poenitens teneretur se excusare, si nempe id necessarium esset ut Confessarius non credat esse mortale quod fuit veniale; et Catechismus Rom. absolute dicit quod circumstantiae, quae peccatum *valde minuunt*, sunt declarandae. Caeterum excusationes levis momenti studiose accumulare non convenit: id enim esset contra confessionis humilitatem, et ipsam contritionem in periculum coniiceret. Adde quod poenitentes saepe saepius ad has inanes excusationes adducendas, defectus et peccata aliorum in medium adducere solent.

## ARTICULUS IV.

### DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI QUATENUS A POENITENTE ACCEPTARI ET ADIMPLERI DEBET

1051. I. Poenitens tenetur acceptare satisfactionem seu poenitentiam a confessario impositam, si velit in ea confessione absolvi; aut si absolutionem iam obtinuerit; aut si, urgente praecepto Sacramentum recipiendi, alium confessarium adire nequeat. Poterit tamen semper rogare confessarium ut aliam poenitentiam minus gravem aut magis commodam ei imponat. Praescindendo ab his casibus, poterit etiam poenitentiam (intellige si gravior ei videatur) recusare, et inabsolutus discedere.

II. Poenitentia considerari potest ut praeceptum confessarii, et ut pars Sacramenti. Quatenus est praeceptum Confessarii, obligat sub gravi si sit in se gravis simulque data fuerit pro peccatis mortalibus alias non absolutis (nisi forte confessarius

expresse dixerit quod eius omissio culpa gravis non erit); obligat vero sub levi si sit in se levis, vel data fuerit pro venialibus aut pro mortalibus alias confessis. Quatenus autem est pars Sacramenti, eius omissio non reputatur gravis; quia de parte non substantiali sed integrali dumtaxat agitur. Suarez (XXXVIII. VII). Si agatur de poenitentia sub gravi adimplenda, peccatum mortale contingere potest non solum si totaliter, sed etiam si partialiter omittatur; si nempe pars aut circumstantia omissa gravitatem praeseferat; aut si, propter talem omissionem, poenitentia quae peragitur levis remanent. Exemplum habes in Psalmo *Miserere*, qui extensis brachiis recitari debeat. Haec circumstantia sub gravi servanda esset; non item si poenitentia fuisset de recitando rosario flexis genibus, vel ante talem vel talem imaginem. Gury (n. 534).

III. Poenitentia, si tempus non fuerit designatum, adimpleri debet quamprimum. Dilatio longa ex gravi negligentia est mortalis. Sed quando erit adeo longa ut peccatum mortale constituat? TT. variant inter hebdomadam et annum. Hoc itaque vix potest determinari; et in praxi considerandae sunt circumstantiae, et speciatim an poenitentia sit hic et nunc necessaria ad medelam poenitentis, vel an adsit periculum ne ex oblivione aut alia causa nunquam adimpleatur. — Si autem Confessarius poenitentiae adimplendae tempus designaverit, tunc eius praescriptioni standum erit. Ex fine autem huius praescriptionis arguendum erit, utrum talis vel talis dilatio ultra tempus assignatum, vel etiam sola huius temporis inobservantia (intellige si nulla legitima causa intercedat), culpam gravem constituat. Caeterum temporis vel diei designatio non apponitur ad finiendam obligationem; unde si forte poenitens tunc obligationi suae non satisfecisset deberet satisfacere postea. Suarez (l. c.).

IV. Quamvis expediat et magnopere inculcandum sit ut poenitentes adimpleant poenitentiam dum adhuc sunt in gratia (hoc enim exigitur ut ipso facto effectum producat, ut notat Catechismus Rom.); non tamen peccant si in peccatum iam lapsi illam exequantur. Quod enim adimplere poenitentiam in statu peccati vetitum sit, ex nulla lege patet. Si huiusmodi lex adesset, populo christiano (quum agatur de re adeo practica) annuntiata fuisset; quod nunquam factum fuit; et aliunde qui ex poenitentia debet quotidie per annum recitare Rosarium, nunquid, commisso peccato, debebit statim confiteri, ut Rosarium sine culpa recitare possit? Haec profecto inaudita sunt. Ratio autem est quia praeceptum Confessarii obligat qui-

dem ad opus implendum, sed non ad implendum illud in statu gratiae; neque obstat quod finis praecepti non totaliter obtineatur, quandoquidem finis praecepti non cadit sub praecepto. Dices: hic agitur de parte Sacramenti, quae invalida aut saltem inutilis redditur. Resp. Iuxta doctrinam Scoti, satisfactio non est pars Sacramenti; et, si etiam esset pars Sacramenti, dici potest quod posita in mortali erit quidem informis, sed valida, et, sublato obice, effectum suum productura erit. Hoc autem est sternere viam ut postea Sacramentum etiam quoad hanc partem effectum suum (scilicet remissionem poenarum purgatorii) producat; quod profecto malum esse nequit. Cf. Lugo (XXV. III). Attamen plures contra sentiunt. Cf. Diana (I. VI. 38).

V. Exigiturne ut opus iniunctum ex intentione poenitentiam adimplendi ponatur? Negat Lugo (l. c.); sed haec opinio, quae est contra sensum communem Christifidelium, irrationabilis prorsus mihi videtur. Reapse, ut opus quod peragitur possit esse satisfactio sacramentalis (quae scilicet ex opere operato et vi Sacramenti effectum suum producere apta sit), oportet omnino, ut ab aliis operibus similibus quidem sed cum Sacramento nihil commune habentibus distinguatur. At vero haec distinctio non obtinebitur nisi vi intentionis. Dicunt: intentio efformatur a Confessario, qui, v. g., assignans Rosarium pro poenitentia, intendit ut primum Rosarium, quod a poenitente recitabitur, valeat pro satisfactione. Sed si ita res se haberet, tunc Confessarius prohiberet ne aliquod Rosarium prius recitaretur ex sola devotione, v. g., in communi cum familia, aut ex regula confraternitatis, pro defunctis, pro benefactoribus etc., et vellet ut aliud Rosarium, si postea diceretur, pro poenitentia applicari non possit. Porro haec sunt omnino inverisimilia. Dicendum potius quod Confessarius arbitrio poenitentis relinquit ut determinet quando ex sola devotione et quando ad satisfaciendum oneri poenitentiae iniunctae tale vel tale opus positurus sit. Nec est simile quod satisfit praecepto Missae die festo, quamvis intentio adimplendi praeceptum non habeatur; tunc enim non agitur de re elevanda per intentionem ad vim sacramentalem; atque insuper sequeretur quod poenitentia valeret, quamvis poenitens explicite efformasset intentionem non satisfaciendi; quae conclusio a pluribus quoque ex adversariis (cf. Gury Cas. II. 520) negatur. Mecum sentiunt TT. non pauci, ut videre est apud Croix (VI. II. 1286).

VI. Poenitentia adimplenda est iuxta mentem Confessarii. Hinc 1° Adimpleri debet personaliter, ut patet ex prop. damn.

ab Alex. VII, quae dicebat : « Poenitens propria auctoritate « substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam « adimpleat ». Excipe nisi Confessarius aliud expresse declaraverit (ut patet ex Catech. Romano) ; aut nisi agatur de eleemosyna quae etiam manu alterius (v. g. famuli) dari potest. 2° Adimpleri debet ordinarie per opus liberum, non vero per opus quod sub alia obligatione cadat. Confessarius, v. g., imposuit ieiunium vel auditionem Missae. Tunc poenitens non satisfaceret ieiunando vel Missam audiendo quando sive per legem Ecclesiae, sive ex voto, sive propter aliam poenitentiam sacramentalem ad haec teneretur. Excipe hic quoque nisi Confessarius aliud expresse declarasset, aut nisi ex rationabili eius mentis interpretatione intelligi debeat, quod opus ex alio capite debitum sufficiat. Confessarius, v. g., imposuit quotidianam Missae auditionem, aut confessionem mensilem : tunc diebus festis non oportet ut duae Missae audiantur ; et mense, in quo Pascha incidit, non est opus ut poenitens bis ad confessionem accedat. Sed quid si poenitens ad ieiunium in singulis sabbatis vel ad confessionem mensilem ex voto vel alia obligatione teneretur, et pro poenitentia ad idem ieiunium praecise per longum temporis tractum, vel ad eandem confessionem mensilem obligatus fuisset ? R. Debuisset de circumstantia ista confessarium admonere ; sed, hoc non facto, intentio Confessarii fuisse videtur, quod nec ieiunio vel confessione dicta satisfaciat, nec ad ieiunandum bis in hebdomada vel confitendum bis in mense tenearur ; unde casus iste aequiparandus esse videtur casui in quo poenitentia imposita non fuisset ; quo contingente, ut paullo infra dicturus sum, nova poenitentia in sequenti confessione peti debet.

3° Preces pro poenitentia impositae recitari possunt etiam dum auditur Missa de praecepto, aut (si agatur de psalmis, rosario, litaniis etc.) etiam alternatim cum aliis sive privatim, sive in Ecclesia. Gury (534. 4). — Si duae Missae audiendae essent, haec non simultanee sed diverso tempore audiri debent. Si Confessarius Missae auditionem et visitationem Ecclesiae imposuisset ; haec duo opera seorsim adimpleri deberent. Gury (Cas. 532). — Imposito *Pater noster* sic et simpliciter, non oportet ut simul *Ave* et *Gloria* recitentur ; et litaniae absque *Oremus* recitari possunt.

VII. Si confessio fuerit sacrilega aut invalida, tunc non adest obligatio adimplendi poenitentiam. Idem dic si poenitens

sine absolutione dimissus fuerit, nisi forte redire iussus interim poenitentiam adimplere acceptaverit.

VIII. Poenitentia commutari potest, sed non a poenitente ipso (qui nullam habet auctoritatem elevandi quidquam ad meritum sacramentale *); bene vero a Confessario; neque opus est ut confessio iteretur, quamvis alius adeatur confessarius; iudicium enim de poenitentia commutanda non solum ex peccatorum cognitione, sed etiam ex notitia poenitentiae prius impositae et consideratione motivorum quae a poenitente ipso adducuntur, recte efformari potest; commutando nempe illam in aliam aequivalentem aut magis salutarem. S. Lig. (529).

Commutatio valet quamvis longum tempus a confessione facta intercesserit. Attamen, quum ad iudicium sacramentale spectet, actu confessionis fieri debet: nisi forte ab eo ipso Confessario peragatur qui illam imposuit, quo casu Lugo (XXV. 112) censet quod etiam extra confessionem commutatio fieri valeat; quum enim dictus Confessarius sententiam sacramentalem iam tulerit, commutationis petitio sufficere videtur, ut denuo iudex constituatur et sententiam suam reformare possit, quin poenitens novum Sacramentum recipere intendat.

Si poenitentia propter peccata reservata a Superiore data fuisset, tunc poenitentem ad Superiorem ipsum pro commutatione accedere debere (quatenus solvi non possunt ab inferiore ea quae a Superiore ligata fuerunt; et reservatorum iudicium circa primam absolutionem et poenitentiam ad Superiorem spectat) sentit S. Lig. (529) contra alios: quorum etiam sententia probabilis mihi videtur (tunc enim poenitens onus reservationis satis sustinuit). Excipit ipse S. Doctor si causa urgeret et Superior adiri nequiret; tunc enim ad hanc commutationem faciendam Ecclesia iurisdictionem suppleret, prout omnino credendum est.

IX. Qui oblitus est qualis poenitentia ei fuerit imposita, tenetur (iuxta omnes) interrogare Confessarium, si facile possit, et praesumere debeat quod de illa reminiscatur, prout contingeret si adhuc ab eius pedibus non discesserit. Et idem dicendum est si, finita confessione et habita iam absolutione, poenitens adverteret quod Confessarius poenitentiam ei dare oblitus fuisset.

* Scavini (n. 320. not. 2) probabile putat quod, si confessio fuerit de solis venialibus, poenitens oblitus poenitentiae posset aliquam orationem pro libitu suo recitare, quae pro poenitentia valeret. Sed non video quo solido fundamento id dici possit.

Sed quid si poenitens non possit redire ad eundem Confessarium, aut praesumere nequeat quod de poenitentia iniuncta reminiscatur? R. Sententia hodie communior est quod ad nihil teneatur: quia ex una parte poenitentiae impositae executio evasisset impossibilis, et ex alia commutationis petitio sub obligatione cadere nequit; quandoquidem Sacramentum iam per solam acceptationem poenitentiae integrum evasit; et, si forte (ut alii volunt) integrum non evasisset, nova poenitentia illud integrare nequiret, aut saltem ad illud integrandum oporteret ut poenitens denuo peccata iam absoluta confiteretur, quod nimium incommodum esset. — Sed Bonacina (III. III. 9), citans S. Antoninum aliosque, docet commutationem esse petendam; idque verum mihi videtur, dummodo sat facile fieri possit. Ratio est quia non solum acceptatio sed etiam executio poenitentiae ad Sacramenti integritatem pertinet, quandoquidem (ex Christi institutione) qui Sacramentalem absolutionem obtinere vult aut iam obtinuit (tam iuxta Thomistas quam iuxta Scotistas) ad satisfactionem praestandam tenetur. Ex eo autem quod poenitens satisfactionis impositae oblitus fuerit, aut Confessarius ex inadvertentia illam non imposuerit, deduci nequit quod satisfactio ipsa impossibilis evaserit, quum nova poenitentia imponi possit; neque verum est quod poenitentia ista ad antecedens iudicium referri nequeat (ut patet ex aliis commutationibus). Ratio autem deducta ab incommodo, cui poenitens subiiceretur, excepto aliquo casu raro, nihil valet. Si confessio praecedens fuisset de solis venialibus, aut si poenitens redeat ad eundem confessarium, qui statum eius conscientiae iam cognoscat, aut si confessio sequens sit circiter ut praecedens; tunc quid incommodi adesse poterit? — Adde quod Christifideles, sive obliti fuerint poenitentiae impositae, sive illam propter aliquam circumstantiam quae supervenerit adimplere nequeant, credunt se debere novam poenitentiam in sequenti confessione petere. His omnibus consideratis, existimo, in praxi dandam esse decisionem pro obligatione, et Confessarios debere commutationem concedere, quando poenitentes in huiusmodi casibus illam petant neque incommodam confessionis repetitionem subire debeant. Idque speciatim si non omnino obliti fuerint, sed solum non reminiscantur an, v. g., rosarii recitatio an vero Missae auditio pro poenitentia imposita fuerit; maxime autem si ex propria negligentia et nimia procrastinatione oblivio acciderit.

# CAPUT III.

## DE MINISTRO

Agendum est de ministro ante confessionem, actu confessionis, et post confessionem.

## ARTICULUS I.

### DE MINISTRO ANTE CONFESSIONEM

### PUNCTUM I.

### DE IURISDICTIONE

1051. Omnes norunt quod ad Sacramentum Poenitentiae valide administrandum oportet ut Sacerdos debita facultate seu iurisdictione gaudeat. Haec habetur interdum ex officio, interdum ex dispositione iuris, interdum ex delegatione. Delegatio autem omnino specialis exigitur quoad moniales et quoad casus reservatos. Denique Confessarius relate ad complicem iurisdictione privatur. Haec omnia sunt explicanda.

### § I.

#### DE IURISDICTIONE QUAE PROVENIT EX OFFICIO

1052. I. Summus Pontifex statim post suam electionem universalissima et absoluta iurisdictione gaudet quoad Christianos omnes.

II. Iurisdictio Card. Poenitentiarii Maioris latissime patet; sed, vivente Pontifice, quibusdam limitationibus (v. g., quoad Cardinales, Episcopos, et Principes) subiicitur; ut videre est in Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV. — Idem dic de Legatis *a latere*, seu Nuntiis Apostolicis, sive in residentia sive in itinere sint (dummodo extra Urbem).

III. Episcopus (dummodo sit non solum electus sed etiam confirmatus, quamvis adhuc non fuerit consecratus; cf. Sporer n. 687) iurisdictione gaudet quoad omnes dioecesanos suos; sed non quoad peccata et censuras quae Romano Pontifici reservantur. Caeterum dioecesanos etiam extra Dioecesim absolvere potest. Idem dic de Vicario Capitulari, sede vacante.

IV. Vicarius Generalis Episcopi, eadem qua Episcopus ipse (cum quo unum tribunal efformat) iurisdictione potitur; idque etiam quoad reservata. Bertagna (II. 1).

V. Canonicus Poenitentiarius Cathedralis est quasi Parochus totius Dioecesis, ut ait Benedictus XIV (De Syn. III. IV. 3); et proinde ex officio suo (non vero ex delegatione Episcopi) confessiones Dioecesanorum tam intra quam extra Dioecesim valide excipit. Eius tamen facultas (sicut facultas Parochorum) ad casus Episcopo reservatos non extenditur. S. C. C. apud Bened. XIV. (l. c. V. VI. 8).

VI. Parochus post canonicam institutionem vi officii sui tam intra quam extra Parocciam et Dioecesim parochianos suos absolvere potest; semper tamen exceptis reservatis. Idem dic de Oeconomo; de Coadiutore cum iure successionis aut deputato ab Episcopo, de Succursalistis in Gallia; et de illis qui pro Capitulo vel Monasterio Parochi vices gerunt. Cf. Sporer (688) et Gury (555. q. 14).

Si tamen Parochus vehementem praeberet imperitiae suspicionem; tunc Episcopus, etiam extra visitationem et seclusis probationibus iudicialibus, illum ad examen vocare posset. Ita S. C. C. apud Lambertini (Notif. IX. 16).

VII. Praelati Ordinum Religiosorum pariter vi officii sui iurisdictione gaudent quoad suos subditos, sive professos, sive novitios, sive familiares; idque quamvis casu extra monasterium degerent (D' Annib. III. 304.). Excipe semper casus Romano Pontifici reservatos. Vide dicta (683).

VIII. Capellani hospitalium aliorumque locorum a Parochi iurisdictione exemptorum, regulariter, simul cum hoc officio, iurisdictionem ad audiendas confessiones accipiunt. Dixi *regulariter*; in praxi enim spectanda est consuetudo.

## § II.

### DE IURISDICTIONE QUAE PROVENIT EX DISPOSITIONE IURIS, CONSUETUDINE VEL PRIVILEGIO

1053. I. Quilibet Sacerdos (quamvis esset excommunicatus vitandus) valide absolvit constitutos in articulo seu periculo mortis. Idque probabiliter (ex Trid. XIV. v. quod loquitur absolute) praesente quoque approbato, et tam a peccatis quam a censuris quibuslibet. Vide dicta (n. 762 P), et D' Annibali

( III. 215 et I. 174 not. 34: 309 ). Attamen, praesente approbato qui commode acciri possit, confessionis auditio licita non esset.

II. Quemlibet Sacerdotem absolvere valide a solis venialibus dicunt plurimi ( cf. S. Lig. n. 543 ); sed hanc absolutionem esse saltem gravissime illicitam, constat ex Decreto Innocentii XI ( circa Communionem quotidianam ) die 12 Febr. 1679. Attamen esse licitam in casibus magnae necessitatis, etiam extra articulum mortis presse sumptum, v. g., si poenitens secus cogeretur per multos annos absque absolutione et in peccato mortali ( a quo saltem indirecte absolveretur ) remanere, dicunt TT. primi subsellii, inter quos Palao ( Tr. XXIII. Disp. unic. p. XV. § VII. n. 7 ). Dixi *saltem indirecte*, quandoquidem tempus valde diuturnum aequiparari potest periculo mortis, in quo directe quoque absolutio dari valet.

III. Sacerdotes Graeci ( si habeant licentiam celebrandi Missam ), absque ulla speciali facultate, non solum a venialibus sed etiam a mortalibus valide et licite absolvere possunt. Vericelli ( apud Gury 538 not. *b* ) censet, idem esse dicendum de Sacerdotibus Latinis apud Graecos peregrinantibus, dummodo illuc facultatem celebrandi Missam habeant. Sed haec illatio mihi legitima non videtur, nisi consuetudo superaddatur.

IV. Simplex Sacerdos excipere potest confessiones eorum, qui gaudent privilegio eligendi sibi Confessarium modo absoluto, et proinde etiam quamvis ab Episcopo loci non fuerit approbatus. Tales sunt Regulares peregrinantes, casu quo non habeant socium idoneum sui Ordinis. Excipe Capuccinos, et Regulares in Italia propter praesentes vicissitudines dispersos. Episcopi ( extra Dioecesim ) possunt quidem eligere sibi pro confessario Sacerdotem non approbatum in Dioecesibus per quas transeunt, sed oportet ut idem Sacerdos vel sit subditus, vel Parochus, vel approbatus ab Episcopo sui domicilii. Cf. S. Lig. ( n. 575 ), Gury ( II. 174. 4. not. *a* ) et Decret. S. Poenit. ( 18 Aprilis 1867 n. VII ) apud *Monitor. Eccl.* ( I. pag. 302 ).

V. Parochus, eo ipso quod beneficium parochiale obtinuit, ex consuetudine iam fere ubique recepta, potest in universa Dioecesi confessiones audire.

VI. Quamvis iurisdictio ordinaria per se ( nempe vi officii ) exerceri nequeat nisi in subditos, et quamvis Superior per se quoad subditos dumtaxat iurisdictionem delegare possit; nihilominus quotquot habent facultatem sive ordinariam sive delegatam audiendi confessiones in aliqua dioecesi, possunt non solum dioecesanos sed etiam extradioecesanos ( non tamen Regulares

debitam a propriis Praelatis licentiam non habentes) absolvere.

VII. Quoad Capellanos militum, passim dicunt quod in stationibus quidem et praesidiis episcopali delegatione indigent; sed dum sunt in itinere vel in castris, quoad propriam cohortem, iurisdictione ordinaria pollent. Sed haec non est regula tuta. Videndum an ordine hyerarchico sub proprio Capellano Maiori constituti sint ex indulto Apostolico, et sub quibus conditionibus. Deficiente tali constitutione, nihil in iure determinatur, et proinde a locorum Episcopis delegari debent, sive in stationibus sint sive in itinere sive in castris; et solum imminente praelio (propter mortis periculum) absolutionem sine speciali delegatione concedere possunt. Berengo (n. 41).

VIII. Interveniente errore communi cum titulo colorato, Ecclesia certe (intuitu boni communis et ne tot actus invalidi sint) iurisdictionem supplet, dummodo qui confessionem audit sit Sacerdos. Sed quid est titulus coloratus? Titulus est causa, ex qua provenit aut provenire censetur iurisdictio, v. g., officium Parochi vel delegatio specialis. Si Paroecia vel delegatio valide data fuerit, tunc titulus dicitur *verus*; si nullo modo data fuerit aut modo manifeste invalido (ut puta, si Paroecia sine institutione canonica, aut non servata forma Tridentini, obtenta fuisset) et nihilominus populus existimet iurisdictionem subsistere, tunc titulus dicitur *putativus* (qui cum simplici errore communi confunditur): denique si data quidem fuerit cum specie validitatis, sed de facto invalide, ob vitium occultum, tunc titulus dicitur *coloratus*; quod contingere potest, v. g. si Paroecia simoniace obtenta fuisset, aut si Episcopus ipse simoniace Episcopalem sedem occupasset. Cf. D'Annibali (I. 77) et Gury (548 not. *a*). Stante itaque errore communi cum titulo colorato, absolutiones validae erunt; idque quamvis Confessarius imo et poenitens tituli invaliditatem cognosceret, quia iurisdictio, non singulorum sed publicae utilitatis causa suppletur. Sanchez de Matr. (III. XXII. 42), Lessius (II. XXIX. 65. et seqq.) et D'Annibali (l. c. not. 76).

IX. Interveniente errore communi sine titulo colorato, nempe cum solo titulo putativo; ut puta, si Sacerdos pergat confessiones audire, quamvis licentiae tempus (populo id nesciente) elapsum fuerit aut facultas revocata fuisset; tunc certum est quod Christifideles non sunt cogendi ad repetendas confessiones bona fide factas, ut patet ex responso C. C. 11 Dec. 1683 apud Lambertini (Notif. LXXXIV). An autem confessiones huiusmodi vere fuerint validae et non repetendae, quamvis bona fides

cessaverit, magna lis est inter Theologos et Canonistas. Sententia quae stat pro invaliditate responso praedicto (quod casum erroris communis supponere videtur) conformior est; dicit enim: « Si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate con-« fessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem ».

Quidquid sit de hoc, certum est 1° Quod Sacerdos, sciens se coloratum aut putativum dumtaxat titulum habere, confessiones excipiendo graviter peccat; 2° Quod titulus coloratus aut putativus certe non sufficeret si error esset privatus, si nempe publice notum esset quod talis Sacerdos Confessiones excipere nequit, et pauci dumtaxat id nescirent atque ex ignorantia apud illum confiterentur. Porro sufficit si Ecclesia bono publico consulat; neque expedit ut confessiones omnes bona fide factae apud Sacerdotes facultate carentes validae decernantur.

X. Quid in dubio circa iurisdictionem? R. Si dubium sit facti, ut puta, si Sacerdos dubitet an licentia ei data fuerit, vel an cessaverit; tunc Ecclesia iurisdictionem non supplet. Attamen gravi de causa poterit Sacerdos huiusmodi iurisdictione dubia uti, remanente in poenitente obligatione iterum confitendi peccata, de quibus dubitat an valide ea accusaverit. S. Lig. (571).

Si vero dubium sit iuris, si nempe probabile sit quod in tali vel tali casu iurisdictio subsistat (quod maxime accidit quoad casus dubie reservatos, aut dubie exceptos in Bullis pro Iubileis), tunc communissima sententia docet, Ecclesiam iurisdictionem supplere et absolutionem non solum validam sed etiam licitam esse; quandoquidem ex una parte Confessarii iuxta probabiles doctrinas Theologorum, quos prae manibus habent, se gerere solent, neque aliud ab ipsis moraliter exigi potest; et ex alia parte oportet omnino ut Ecclesia iurisdictionem suppleat si forte doctrinae ipsae verae non essent, ne tot absolutiones invalidae sint. Adde quod Ecclesia id scit et tacet, unde delegatio tacita iam intervenit. Cf. Lugo (XIX. 30), Sanchez (Dec. I. IX. 35), Gury (519 cum notis), et D' Annibali (I. 78 not. 82).

## § III.

### DE IURISDICTIONE DELEGATA

1054. I. Approbatio et iurisdictionis delegatio in communi loquendi modo confunduntur, sed non sunt unum et idem. Approbatio est iudicium Episcopi quo talis vel talis Sacerdos repu-

tatur idoneus ad audiendas confessiones; iurisdictionis delegatio autem est actus voluntatis, quo Episcopus vel alius Superior Sacerdoti effectivam subditorum suorum confessiones audiendi facultatem concedit. In praxi, quando Episcopus approbat, iurisdictionem quoque delegat, et haec est ratio propter quam haec duo confunduntur. Reapse tamen dari possunt casus in quibus sacerdos approbationem ab uno et iurisdictionem ab alio Superiore habeat: ut puta, quando Praelatus Regularis tribuit Religioso subdito, ut confiteri possit apud Sacerdotem saecularem ab Ordinario loci approbatum; quo casu hic Sacerdos approbationem quidem a proprio Episcopo, iurisdictionem vero a Praelato Regulari habet. Vide etiam Lugo (XXI. 4) et Bertagna (I. IV. § 4 v. *Moniales*).

II. Qui habent facultatem ordinariam (seu ex officio) audiendi confessiones, illam delegare possunt; sed quoad Parochos haec facultas in praxi nullius momenti est, tum quia non possunt delegare nisi quem Episcopus prius approbaverit, tum quia Episcopus simul cum approbatione iurisdictionem quoque dare solet.

Delegatio tam per se quam per alios perfici potest. Gury (539).

III. Regulariter nemo potest valide confessiones sive laicorum sive sacerdotum saecularium audire, nisi approbationem obtinuerit ab Episcopo Dioecesis, in qua eaedem confessiones audiuntur. Attamen circa navigantes notandum est quod Episcopus Nannetensis a C. S. Officii quaesivit: « An Sacerdotes « iter transmarinum suscepturi, facultate ab Ordinario loci, « unde naves solvunt, donari possint ad excipiendas fidelium « confessiones tempore navigationis? ». Responsum fuit 17 Mart. 1869 : « Posse Sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum, « unde naves solvunt, approbari ita ut itinere perdurante fide- « lium secum navigantium confessiones valide ac licite accipere « valeant, usque dum perveniant ad locum, ubi alius Superior « ecclesiasticus iurisdictione pollens constitutus sit. Cavendum « tamen ab ipsis Ordinariis, ne eiusmodi facultatem tribuant « Sacerdotibus qui idonei non fuerint recogniti ad tramites « Tridentini Sess. 23 de Ref. Cap. 15 ». Haec resolutio fuit approbata a Pio IX.

IV. Praesumptio quod Superior approbationem concessurus esset si rogaretur, aut quod ratas habiturus erit absolutiones, certe non sufficit; oportet enim ut licentia de facto subsistat antequam confessiones audiantur. Ad hanc licentiam constituen-

dam non sufficit ut Superior interne consenserit, sed oportet ut sui consensus sufficiens signum externum dederit. Hoc potest esse tacitum, implicitum et explicitum. *Tacitum* interveniret, si Superior sciret Sacerdotem confessiones absque facultate audire, et nihilominus taceret dum reclamare posset. *Implicitum*, si alicui committeret officium, quod sine facultate audiendi confessiones exerceri nequeat; ut puta, si Sacerdoti Sacram Missionem committeret. *Explicitum*, si confessionum audiendarum expressam licentiam, v. g., concessionis litteras (vulgo *pagellam*) subscribendo, concedat.

V. Pro praxi peti potest, num valide excipiantur confessiones, quamvis notitia pagellae subscriptae adhuc non pervenerit? R. Si agatur de delegatione, quae primitus obtineatur, oportet ut pagella subscripta et missa fuerit; et, quamvis opus non sit ut ad manus delegati pervenerit, oportet tamen ut delegatus ipse notitiam certam suae delegationis habuerit; unde Iurisperiti dicunt quod exercitium iurisdictionis non potest conferri ignoranti, et, quamdiu quis ignorat iurisdictionem se habere, non valet quod agit; Superior autem intendit quidem dare iurisdictionem, sed solum incipiendo a momento notitiae. — Si vero agatur de prorogatione (maxime consueta) iurisdictionis, tunc ad actuum validitatem exigitur quidem quod prorogatio data fuerit, sed non exigitur ut eiusdem notitia pervenerit; unde Canonistae dicunt quod ignorans habet exercitium iurisdictionis prorogatae. Vide Sanchez (De Matrim. III. xxxvi. 1. 8. 10).

VI. Iurisdictio est valide data, quamvis Sacerdos de facto non esset idoneus. Similiter esset valide denegata, quamvis irrationabiliter prorsus denegaretur. Superior tamen, uti patet, illicite procederet in utroque casu.

VII. Iurisdictio delegata expirat 1° expleto tempore designato, si data fuerit ad tempus, v. g., ad sex menses, ad annum etc. 2° Si Superior sive iuste sive iniuste licentiam revocet. Oportet tamen ut revocatio fuerit officialiter sive authentice intimata. Vide Sanchez (l. c. n. 9). 3° Per mortem Superioris qui licentiam concessit, vel eius cessationis ab officio. Attamen solum in duobus casibus. Primus est si illam concessisset pro casu particulari, nempe ad audiendam confessionem alicuius determinatae personae, et confessio adhuc incoepta non fuerit. Secundus est si illam concessisset quidem modo consueto, sed addita clausula *ad beneplacitum nostrum* vel simili. Porro, cessante vita Superioris, cessat quoque eius beneplacitum. Si

tamen mortis notitia adhuc evulgata non fuisset, delegatio, non quidem ex voluntate delegantis sed ex iure, perduraret, unde Canonistae dicunt, gesta per delegatum, post mortem delegantis communiter ignoratam, re integra valere. Cf. Sanchez (De Matr. III. xxii 59).

VIII. Quid si Sacerdos, dum magna audiendarum confessionum necessitas adest, facultatem sibi expirasse recordaretur; neque illam petendi tempus adesset? Gury (n. 554) dicit quod ab audiendis confessionibus omnino abstinere deberet; et certe regulariter casus sic resolvi debet. Sed quid si die Paschatis, dum ingens poenitentium turba ad Paroeciam advenit, Parochus esset infirmus, et duo vicarii, qui soli essent ad audiendas confessiones, reminiscerentur facultatem sibi expirasse? Pro casu adeo gravi dicerem, eos posse confessiones audire; illae enim (iuxta plurimos Theologos) validae essent propter errorem communem, aut saltem propter facultatem absolvendi directe a venialibus et indirecte a mortalibus; neque credi potest quod in facti specie absolutiones ex vetito Ecclesiae illicitae sint.

IX. Iurisdictio potest dari cum limitationibus non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas (v. g., solum pro masculis, vel solum pro infirmis), et quoad locum (v. g., solum in tali vel tali Ecclesia).

X. Iurisdictio data absolute non ideo censetur data pro casibus qui concedi non solent; et iam omnes norunt quod excipiuntur Moniales et casus reservati, pro quibus licentia specialis exigitur.

## § IV.

### DE DELEGATIONE SPECIALI PRO MONIALIBUS

1055. Loquendo de monialibus vota solemnia habentibus, oportet ut Confessarius fuerit pro iisdem specialiter approbatus ab Episcopo (licet essent exemptae a iurisdictione Episcopi); et quidem pro tali vel tali monasterio praecise (nisi forte quis pro omnibus monasteriis expresse approbatus fuisset). Vide Ferraris (v. *Approbatio* III. II). Si tamen aliqua monialis legitime extra monasterium peregrinaretur, apud quemlibet confessarium confiteri posset, quamvis habitum religiosum non deposuisset. S. C. Epp. Reg. (apud Scavini III. 393).

Quoad moniales exemptas, an possint absolvi a solis venia-

libus a Sacerdote non approbato; an Episcopus Sacerdotem pro iisdem approbatum suspendere possit; an pro iisdem vigeat reservatio episcopalis; denique an Pater Generalis vel Provincialis approbatione Episcopi indigeat; de his vide Lucidi (II. n. 227. 230. 237), D' Annibali (III. 258. 2) et Bertagna (I. iv. 4).

1056. Approbatio confessarii ordinarii est ad triennium (neque computatur tempus quo forte prius fuerit pro supplemento, vulgo *provisorius*). Exacto triennio, pro confirmatione exigitur indultum S. Sedis.

1057. Curandum ut Confessarii monialium aetatem habeant ad minus 40 annorum; neque Vicarii Generalis, aut Parochi, aut Canonici (maxime Poenitentiarii) munere fungantur. Vide Lucidi (II. 151. 155).

1058. Confessarius extraordinarius saltem bis in anno monialibus dandus est, et unaquaeque apud ipsum sin minus confessionem facere saltem se sistere debet. Si Episcopus id negligeret, moniales ad Card. Poenitentiarium recurrere possent; et, si essent Regularibus subiectae, tunc pro Extraordinario non misso (qui vel ex alio Ordine vel ex clero saeculari eligendus est) recurrere deberent ad Episcopum. Tempore Extraordinarii confessarius ordinarius nullius monialis aut foeminae in monasterio degentis confessionem excipere potest. Si monialis graviter aegrotans alium Sacerdotem desideret, Episcopus votis eius annuere debet: et, si Episcopus interpellari non posset, recolendum quod in periculo mortis quilibet Sacerdos de iure communi confessionem excipere valet. Si monialis non infirma extra tempus statutum extraordinarium postulet, huiusmodi postulationes nec temere exaudiri, nec sine causa reiici debent. Cf. Bullam *Pastoralis curae* Benedicti XIV.

1059. Moniales in Gallia, quamvis hodie vota solemnia non habeant, tamen veris monialibus ita aequiparantur, ut confessiones apud Confessarium specialiter non approbatum nihil valeant; Episcopi enim illuc quoque in ordinariis approbationis litteris dicere solent expresse: *exceptis monialibus*.

1060. Mulieribus sive in piis congregationibus, sive in conservatoriis, sive in orphanotrophiis, brephotrophiis etc. vitam degentibus, Confessarius ordinarius et extraordinarius deputari debet. S. C. Epp. Reg. (27 Sept. 1861), idque quamvis nullam clausuram habeant (uti sunt Sorores Caritatis hospitalibus inservientes) S. C. Epp. Reg. 12 Febr. 1839. — Attamen haec deputatio non efficit ut confessiones apud alium confessarium peractae invalidae sint, nisi Episcopus expresse id significasset,

ut recte notant Ballerini ( n. 567. q. 2. not. *a* ) et D' Annibali ( III. 262. not. 26 ). Si tamen firma esset consuetudo utendi dumtaxat Confessario quem Episcopus deputavit, alius Confessarius illicite se immisceret, idque multo magis si formalis adesset prohibitio, prout alicubi reapse adest. Vide Scavini ( III. 393. 7 ).

## § V.

### DE RESERVATIONE

1061. I. Reservatio est iurisdictionis restrictio quoad aliqua peccata, quatenus facultas ab iisdem absolvendi ( seclusa speciali licentia ) non conceditur, sed apud Superiorem reservantem remanet.

II. Casus reservatus potest esse cum censura et sine censura. Si sit cum censura et directe reservetur censura ipsa ( prout si tabella dicat : *Excommunicationes reservatae* ), tunc dicitur reservatus *ratione censurae*. Si vero sit absque censura, aut reservetur in se atque independenter a censura ( prout si tabella dicat : *Casus reservati, quibus adnectitur excommunicatio reservata* ), tunc dicitur reservatus *ratione sui*. Vide Bertagna ( De Cas. res. I. III ).

III. Ius reservandi competit 1° Summo Pontifici, eiusque reservatio dicitur *papalis;* 2° Episcopis, quorum reservatio dicitur *episcopalis*, quae non solum Confessarios delegatos sed etiam Parochos et Canonicum Poenitentiarium afficit ( ut supra dicebam ); 3° Praelatis regularibus iurisdictionem quasi episcopalem habentibus, quorum reservatio dicitur *regularis,* et afficit confessarios omnes sibi subiectos, non quatenus saecularium sed quatenus religiosorum confessiones audiant. Quoad novitios et familiares Religiosorum vide Bertagna ( I. IV. § 4. in fin. ). — Tridentinum ( XIV. VII ) dicit, Episcopos attendere debere non solum ut reservatio ad crimina atrociora et graviora restringatur; sed etiam ut, omnibus perpensis, sit in aedificationem non vero in destructionem. Cavendum speciatim ne reservatio sit excessiva, qualis esset si Confessariis propter casuum frequentiam nimis onerosa foret; aut si, temporibus et locis consideratis, ipsos Christifideles ( propter absolutionis obtinendae difficultatem ) a Sacramentis alienaret. Cf. Benedictum XIV ( De Syn. V. v. 4 ). In plurimis locis hodie blasphemia haereticalis, incestus, sodomia, et bestialitas sunt casus adeo fre-

quentes, ut illorum reservatio vere excessiva videatur. Bouix (De Episc. V. xxi. 3) censet, specialissimam moderationem hodie esse adhibendam, atque ad duos tresve ad summum casus reservationes episcopales esse restringendas. — Sed valebitne reservatio evidenter excessiva? Quoad Sacerdotes ab Episcopo delegatos *forsan* (*cf. n.* 843) valebit; Episcopus enim sicut nullam, sic restrictam iurisdictionem eis dare potest; neque ipsi iurisdictione non data ullo modo potiri poterunt. At vero quoad Parochos non est ita; ipsi enim iurisdictionem ipso iure habent, nec Episcopus potest valide illam adeo in compedes coniicere, ut passim ab audiendis confessionibus (quae est praecipua proprii officii pars) impeditos se inveniant. Excipe nisi Synodus dioecesana sat frequenter celebretur, et Parochi in ipsa reservatione consenserint. Cf. Bened. XIV (De Syn. V. iv. 3), et Lugo (XX. iii), qui docet idem dicendum esse de Regularibus, qui iurisdictionem a S. Sede habent, quamvis ab Episcopo approbari debeant; sed hoc non omnino verum mihi videtur, quia Regulares non ex officio (sicut Parochi) Sacramentum Poenitentiae administrare debent; unde Episcopus maiorem libertatem habet; et bene potest iudicare illos idoneos pro causis minoris momenti, simulque designare suo arbitrio causas graviores pro quibus illos idoneos non iudicet. — Caeterum in praxi tam quoad Regulares quam quoad Parochos iudicium de reservatione nimis excessiva est adeo periculosum, ut omnino licentia potius expostulari debeat.

IV. Reservatio, quum in gravamen poenitentium et confessariorum cedat, tamquam odiosa consideratur; et proinde in dubiis pro parte mitiori stari poterit: odia enim sunt restringenda. Hinc

V. Seclusa declaratione in contrarium, ut casus intelligatur reservatus, oportet ut peccatum sit

1° *Externe et interne subsistens et mortale.* Reservatur, v g., rapina. Reservatio non incurreretur neque ab eo qui rem levis momenti rapuisset, quamvis malitia de rapienda re magni valoris fuisset; neque ab eo qui rem pretiosam, credendo esse quid leve, surripuisset. Lata reservatione contra violatores particularis legis dioecesanae, reservatio non incurreretur si violatio accidisset in loco exempto vel in alia dioecesi, quamvis illuc quoque eadem lex eademque reservatio adesset. Ad frangendam enim legem localem, oportet ut quis sit subditus et in territorio.

2° *Completum materialiter et formaliter in suo genere.* Re-

servato, v. g., incestu, si quis peccasset cum extranea credens illam esse consanguineam, aut peccasset cum consanguinea sed sine seminis effusione intra vas naturale; non adesset reservatio, quia incestus non fuisset completus materialiter. Idem dic si quis peccasset cum consanguinea credens esse extraneam, aut credens non adesse differentiam in reatu sive cum consanguinea sive cum extranea peccatum committatur; tunc enim incestus fuisset quidem completus materialiter sed non formaliter. Plura alia exempla afferri possunt; v. g., reservato homicidio, reservatio non adesset si quis vulnus quidem mortale inflixisset, sed morte adhuc non secuta delictum suum confiteretur. Reservata sodomia, oportet ut fuerit propria et perfecta, nempe inter personas eiusdem sexus, et cum effusione seminis intra vas praeposterum; unde reservatur solum (nisi lex aliud statuat) sodomia quae inter masculum et masculum intervenerit. — Reservata bestialitate, oportet ut verus coitus locum habuerit; quod scilicet aut bellua mulieris, aut vir belluae vas penetraverit. Sed oportebitne ut istud fuerit vas naturale, nempe generationi inserviens? Ad constituendam bestialitatem id certe non exigitur, ut fatentur omnes. Attamen Bertagna (IV. III), supponens quod bestialitas in vase innaturali non sit perfecta, dicit reservari dumtaxat illam bestialitatem, quae in vase generationi inserviente exercita fuerit.

3° *Certe commissum*, idque non solum quoad substantiam, sed etiam tum quoad circumstantias forte requisitas, tum quoad advertentiam et deliberationem sufficientem ad grave peccatum constituendum. Si de his dubitetur (intellige: sufficienti examine facto), peccatum non erit reservatum; idque verum est, quamvis de censura reservata dubie contracta ageretur, ut dicit Lugo (XX. 22); unde adagium: In dubio facti non adest reservatio. Idem dic de dubio iuris; unde peccatum, ut reservationi subiaceat, debet esse insuper

4° *Certe reservatum* seu certe sub reservationis lege comprehensum; intellige tamen hic quoque, quod dubium, ut excuset a reservatione, debet esse prudens et vere rationabile; non enim propter solam ignorantiam aut errorem particularem reservatio cessat.

5° *Directe volitum*. Hinc reservata, v. g., prostitutione filiarum, non sufficeret si pater, non vigilando aut dissipando in vitiis quae pro earundem alimentis insumere deberet, ipsarum prostitutionem praevideret, sed non intenderet. Roncaglia, Bertagna etc. — Petes: Reservato peccato cum clausula *effectu*

*secuto*, vel reservato crimine quod ab effectu ipso nomen sortiatur (prout est homicidium), uno verbo, reservata culpa sub aliqua circumstantia verificanda: aderitne reservatio, si, dum effectus seu circumstantia verificabatur, poenitens interna poenitentia delictum suum iam detestatus fuerit? R. Si circumstantia ista soleat pendere a libera hominis voluntate; tunc, deficiente reatu (dum verificatur), existimo reservationem non adesse. Reservatur, v. g., furtum circa bona locorum piorum commissum ab administratoribus, si intra annum non restituant. Dicerem, reservationem non adesse si forte administrator restituere nequeat et ante finem anni delictum suum detestatus fuerit. Bertagna (*De casuum reservatione* I. II). Si vero circumstantia seu effectus ab hominis voluntate pendere non possit aut non soleat, ut in casu mortis propter vulnus lethale, aut abortus propter pharmacum propinatum; tunc credo perinde esse sive poenitens crimen suum detestatus fuerit sive non.

6° *Commissum post pubertatem*, nempe post annum XIV in masculis et XII in foeminis (Bertagna dicit, quod ex Cap. *Referente de delictis puerorum* annus XIV tam pro masculis quam pro foeminis attendi potest). Ratio est quia iura pueris indulgent, neque videtur expedire ut pueri ad Episcopum se conferre cogantur; atque ita sentiunt Gousset, Ferraris, Viva aliique cum Roncaglia, qui notat specialem rationem adesse quoad peccata carnalia (v. g., sodomiam, incestum et bestialitatem), si forte reserventur: pueri enim, ut plurimum, peccata ista seminis effusione consummare nequeunt.

7° *Commissum sine metu gravi*. Ita sentiunt Roncaglia (VII. I), Bertagna, aliique. Ratio est quia peccatum in lege reservationis expositum intelligitur commissum prout communiter committi solet; non vero ex gravi metu; pro quo casu non urget necessitas, ut ad remedium reservationis recurratur.

VI. Quid de peccato commisso cum ignorantia reservationis?

R. Loquendo imprimis de peccatis, non ratione censurae sed solum ratione sui, in Dioecesibus simpliciter reservatis, sententia longe communior, quam tenent Lugo (XX. II), Sanchez (De Matrim. IX. XXXII. 17. 18), Palao (II. I. XVII. 8), S. Lig. (Elench. I. quaest. reformator. n. 83), Croix (n. 1607) aliique multi, docet nullam ignorantiam a reservatione excusare; reservatio enim non est poena, quandoquidem non in vindictam delicti; bene vero ut causae graviores et difficiliores a iudicibus magis peritis pertractentur (quemadmodum relaxatio votorum maioris momenti Summo Pontifici reservatur), prout ex ipso

Tridentino (XIV. VII) sat clare eruitur. Equidem finis Ecclesiae est etiam ut fideles, propter difficultatem obtinendae absolutionis, a quibusdam enormioribus delictis committendis se abstineant; sed hic finis neque unicus est (ut ex modo dictis patet), neque cessat totaliter in ignorantibus; si enim a criminibus iam commissis eos cohibere (stante ignorantia) non potuerit, illos tamen (postquam de facto subierint incommodum adeundi Superiorem) a relapsu fortiter cohibere poterit. — Attamen sententiam contrariam tenent Salmanticenses (XVIII. IX. 13), qui dicunt: « Ab omni reservatione ignorantiam saltem inculpabilem « excusare..... Huic sententiae adhaeremus ». Hanc doctrinam tamquam probabilem tuentur Roncaglia (VII. II. q. 4), Diana (I. v. XXXIX), et Mazzotta (q. III. II), qui Graffium, De Ianuario pluresque alios antiquos citant. Novissime illam docent Gury (571) et Ballerini, probabilemque esse censet Bertagna (qui nostris diebus ex professo de reservatione tractavit). Viva (III. IX. 3) dixit esse speculative probabilem. Sporer (n. 735) et Gobat docuerunt esse practice quoque probabilem, sed solum pro prima vice (ne scilicet poenitens bona fide confessus cogatur repetere confessionem), et cum obligatione admonendi poenitentem. D'Annibali (206) dicit: « Quia probabilis est, « etiam multis ex his qui contra sentiunt, si quis ea uti velit, « necesse habet poenitentem de reservatione certiorem facere, « ut is deinceps, si iteraverit, ea teneatur ». Quid igitur concludendum? Mea opinio est quod doctrina quae statuit ignorantiam reservationis a reservatione ipsa excusare, quin limitatio de obligatione admonendi poenitentem apponatur, sustineri non possit; secus enim reservatio ad nihil reduceretur, quandoquidem in praxi solum (ut ita dicam) peccata Theologorum reservationi subiicerentur; quod iuxta sensum Ecclesiae esse nequit; nec credo quod aliquis Theologus id dicere intenderit. Si autem dicta limitatio ponatur, tunc ego quoque censeo, absolutionem esse validam. Ratio quae me convincit est quia Auctores citati magna apud confessarios et magistros per universum Orbem existimatione gaudent; unde fieri nequit quin absolutiones innumerae iuxta eorum doctrinam dentur; et sic omnino praesumi debet quod Ecclesia (si opus sit) iurisdictionem suppleat, ne tot actus invalidi sint. Certe non desunt Dioeceses in quibus expressa de hac re facta est declaratio; et in Dioecesi Taurinensi exemplum habes, teste Bertagna. Adderem tamen quod, si confessarius (speciatim ex ignorantia vel inadvertentia) poenitentem non admonuerit, id poenitenti ipsi qui bona fide

confessus fuit, minime noceat, prout notaverunt Busembaum, Praepositus et Diana (I. v. 40).

Silentio non est praetereundum quod, si agatur de casibus reservatis quidem ratione sui, sed non propter simplicem reservationem; bene vero propter legem ecclesiasticam, quae specialem prohibitionem et dein reservationem apposuerit, prout olim erat casus Clerici male promoti ad Ordines (cf. Suarez XIX. II); tunc Auctores adhuc maioris notae et vere primi subsellii, inter quos recensendi sunt Lugo (l. c.), Sanchez (l. c.), Palao (l. c.), Beati (XVIII. 25) etc., docuerunt reservationem tamquam veram poenam considerari debere, atque adeo ignorantiam excusare. Casus huiusmodi hodie vigentes indicantur infra n. XXII.

Si autem peccatum sit reservatum ratione censurae, communissime dicunt quod ignorantia censurae, sicut a censura ita etiam a reservatione excusat. S. Lig. (580). Sed quid si poenitens sciverit quidem adesse censuram, sed ignoraverit adesse reservationem? Aliqui dicunt: qui consentit in causam consentit etiam in effectum. Sed reapse reservatio non est effectus censurae, et potius ut poena priori poenae superaddita considerari potest; unde, si ignorantia reservationis probabiliter excusat a reservatione quando agitur de peccato simpliciter reservato; a fortiori excusare debet in casu isto, prout apud ipsum S. Lig. (l. c.) aliqui cum Pichler (IV. VII. 6) animadvertunt.

Notari potest denique (cum Salmant., Reuter, Bertagna etc.) quod oblivio et inadvertentia hoc in puncto ignorantiae aequiparantur.

VII. Reservatio afficit subditos (eos nempe qui saltem actu confessionis per domicilium vel quasi domicilium vere sint subditi), dicente Tridentino (XIV. VII): « Hoc idem (scilicet « reservare casus) Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi « liceat, pro illis tradita *in subditos*..... auctoritate ». Hinc reservatio episcopalis (supponendo nunc quod confessio fiat intra Dioecesim) extenditur quidem ad eos quoque Dioecesanos, qui, sive antequam subditi fierent, sive in loco exempto, sive extra Dioecesim, peccatum commiserint (S. Lig. 592); sed neque ad Regulares, neque ad Moniales exemptas (nisi forte in materia qua ipsae Episcopali iurisdictioni subiaceant) extendi potest. S. C. C. 16 Nov. 1720, et S. C. Epp. Reg. Sept. 1746. Si itaque Regularis de licentia sui Praelati apud Confessarium saecularem confiteatur, si forte haberet peccata in Dioecesi

reservata, posset absolvi ab eodem Confessario, quamvis eius iurisdictio ad non reservata limitata fuisset; quandoquidem haec limitatio subditos quidem, non vero extraneos (quorum cura ad Episcopum non spectat) respicit. — Quum tamen dictus Regularis reservationi propriae Religionis subiiciatur, si forte haberet peccatum in Religione reservatum, ab eodem Confessario absolvi non posset. Ratio est quia Confessarius ipse, quamvis approbationem pro audiendis confessionibus habeat ab Episcopo loci, tamen iurisdictionem ad absolvendum Regularem habet ab illius Praelato, qui, simplicem licentiam concedens, illam ad casus reservatos extendere non intendit. Cf. Gury (II. 173. not. *c*).

VIII. Sicut hodie Regularis non potest absolvi (et maxime a reservatis) a confessario saeculari (quamvis approbato a loci Episcopo) sine licentia proprii Praelati; ita antiquitus Dioecesani non poterant extra Dioecesim absolutionem obtinere, nisi prius legitimam facultatem obtinuissent eligendi sibi Confessarium; neque sufficiebat quod iste ab Episcopo loci approbatus fuisset. Ita Confessarius electus approbationem quidem ab Episcopo loci, sed iurisdictionem ab Episcopo poenitentis habebat. Haec iurisdictio extendebatur etiam ad peccata reservata; quum enim casus tunc frequentius occurrentes essent de longis peregrinationibus ad Loca Sancta, neque deessent qui pro suis negotiis longa itinera susciperent, non erat opportunum ut dioecesanae reservationes absolutionis consecutioni impedimentum opponerent. Lapsu temporis pedetentim fieri coepit facultas peregrinandi, atque extra Dioecesim eligendi Confessarium, sive pro non reservatis sive etiam pro reservatis, nulla licentia petita; et tandem de hoc disciplina universalis efformata fuit. — Attamen haec facultas duabus limitationibus semper subiecta fuit; nempe ut non possit obtineri absolutio a peccato reservato: 1° Si casus ille esset reservatus in utraque Dioecesi; tunc enim medicina reservationis commode et absque necessitate redeundi in patriam applicari poterat; 2° Si poenitens in fraudem reservationis * extra Dioecesim migrasset. Aliqui

* Fraus reservationis quando verificetur non una est Theologorum sententia. Mihi placet dicere cum Viva (IX. m. 4) quod haec fraus intervenit si poenitens « ad vitandum iudicium proprii pastoris (*nempe ad vitandam medicinam « salutarem reservationis*), atque adeo mala fide, vult confiteri extra pro- « priam Dioecesim ». Fraus itaque non adesset si quis ex motivo rationabili illuc se conferret; ut puta, quia illuc habeat suum consuetum confessarium,

cum S. Lig. (n. 590. 591. d. 8) addunt tertiam limitationem, nempe quoad casum excommunicationis episcopalis reservatae. Sed alii cum Gury (582) et Bertagna (II. 1.) exceptionem istam non admittunt; sicut enim reservatio peccati, ita etiam reservatio excommunicationis absolutioni impedimentum opponit; et si Episcopus peregrini consentit ut subditus (ne diu sine absolutione remaneat) absolvatur a peccato: ita praesumendum est quod consentiat ut absolvatur etiam ab excommunicatione. — Saeculo XVII, exortis quibusdam controversiis inter Episcopos et Regulares, Clemens X ad illas definiendas edidit Bullam *Superna*, et inter alia, dixit: « Posse Regularem Con-« fessorem in ea Dioecesi, in qua est approbatus, confluentes « ex alia Dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in « illa ubi idem confessor est approbatus, absolvere; nisi eosdem « poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Dioe-« cesim, pro absolutione obtinenda migrasse ». His verbis disciplina iam prius vigens cum suis limitationibus confirmata fuit simulque cautum ne hoc in puncto inter confessarios saeculares et Regulares ulla differentia fieret. Cf. Vindicias Alph. (V. XIV. V). Haec disciplina usque ad nostra tempora servatur; et nemo dubitat quin extradioecesani absolvi possint a quolibet simplici Confessario a reservatis in eorum patria, dummodo non migraverint in fraudem reservationis, et non agatur de casibus qui etiam in Dioecesi ubi confessionem faciunt reservati sint. — Solum quaestio est quisnam dicto simplici Confessario iurisdictionem tribuat ad absolvendum extradioecesanum a peccatis sive non reservatis sive reservatis? Recolendum, aliud esse approbationem, aliud vero iurisdictionem. Quoad approbationem, certum est quod exigitur approbatio Episcopi loci, ut patet ex Tridentino (XXIII. XV), et ex Bullis *Cum sicut* Innocentii XII, et *Apostolica* Benedicti XIV. Sed quoad iurisdictionem, aliqui censent hanc oriri ab Episcopo loci (D'Annibali II. 209); alii ab Episcopo poenitentis (Ballerini 573. q. 5 *b*); alii demum ab ipsis Summis Pontificibus, quatenus consuetudinem universalem, modo tacite, modo expresse et speciatim per Bullam *Superna* supra citatam, confirmarunt (Vindiciae Alph. V. XIV). Mea opinio est quod iurisdictio nunc proveniat ex consuetudine et voluntate Ecclesiae, ita tamen ut Eccle-

vel pro suis negotiis illuc se conferat, vel etiam quia hic et nunc absolutione indigeat neque facile ad Superiorem se conferre possit: et multo magis si casus in Dioecesi quoque ubi confessionem facit sit reservatus, et sic reservationis medelae aeque se subiiciat. Cf. Bertagna (l. c.).

sia communem Episcoporum voluntatem interpretetur, et rem hanc relinquat in eo statu praecise in quo esset si Episcopi formalem consensum et iurisdictionem darent; solumque id superaddat quod nullus Episcopus absolutionum validitatem impedire possit; secus ac opinatur Gury (n. 555).

IX. Quid si extradioecesanus veniat cum peccatis hic quidem sed non in patria sua reservatis? Poteritne absolvi a simplici Confessario? R. Hoc in puncto magna est dissensio (speciatim hodie) inter Theologos. Ballerini (n. 573) censet absolvi posse, quia huic confessario iurisdictio quoad extradioecesanum provenit non ab Episcopo loci sed ab Episcopo extradioecesani ipsius: prout esset in casu Regularis qui apud Sacerdotem saecularem confiteatur. Idem (quamvis alia ratione ductus) sentit quoque Bertagna. Alii multi opinantur e contra quod absolvi nequeat, et dicunt quod iurisdictio, etiam circa extradioecesanos, ab Ordinario loci provenit. Ego dicerem quod iurisdictio ab Episcopo poenitentis (seu ex voluntate Ecclesiae consensum Episcopi praecise imitantis, ut modo explicabam) proveniat; et quod proinde valeat absolutio a simplici confessario data; idque quamvis peccatum in Dioecesi ubi confessio fit (domicilio non contracto) commissum fuerit; Episcopi enim de subiiciendis suis subditis alienis reservationibus non curant. Sed, supponendo etiam quod iurisdictio detur ab Episcopo loci, non video cur Episcopus ipse sollicitus esse debeat de extendenda sua reservatione ad subditos alienos. Porro reservatio est solum pro subditis, ut patet ex Tridentino. Ita sentit Bertagna, nec mihi displicet. Contra hanc doctrinam multae fiunt obiectiones, quibus Ballerini (l. c.) respondet; et agit etiam (v. *Expendenda*) de quodam responso S. Poenitentiariae, quod in contrarium adducitur.

Dices: Quomodo confessarius scire potest an peccatum a poenitente accusatum sit necne in eius patria reservatum? R. Si confessio audiatur in Dioecesum confiniis, id communiter scitur. Caeterum poenitens interrogari debebit. Si ille nunquam admonitus fuerit de reservatione, credendum erit non esse reservatum, casu quo in patria sua similes confessiones fecerit: et in quovis casu recolenda est doctrina supra exposita circa ignorantiam reservationis, quae a reservatione ipsa probabiliter excusat.

Quid si extradioecesanus accusaret peccatum quod hic ratione censurae reservetur? R. Si poenitens non contraxerit censuram eo quod in patria sua non adsit, vel crimen sive in loco exem-

pto sive extra suam Dioecesim patraverit: tunc, ut per se patet, nulla reservatio adesse poterit. Si vero censuram contraxerit; tunc reservatio locum habebit secundum quod dicta censura erit vel non erit reservata in patria sua. Cf. S. Lig. (VII. 23).

X. Quid de vagis? Lessius et alii apud Mazzotta censent, eos reservationes episcopales non incurrere: et ego quoque sic sentio; reservatio enim est pro solis subditis. Idem dic de censuris dioecesanis. Incurrerent tamen reservationes papales, ut per se patet.

XI. Quid de reservatione pro articulo mortis?

*a*) Articulum et periculum mortis hac in re promiscue accipiuntur. Periculum istud adesse potest materialiter et formaliter. *Materialiter* adest quando quis periculoso morbo laborat, aut pugnam, vel iter praedonibus expositum, vel periculosam navigationem est aggressurus. Idem dic de muliere partui graviter periculoso proxima, et de illis qui infirmis peste affectis assistere debent. *Formaliter* adesset, v. g., si quis versaretur in periculo incidendi in amentiam vel cogeretur diu in loco ubi Sacerdotes non adsunt remanere. S. Lig. 561. et Lugo XX. 228.

*b*) In periculo mortis quilibet confessarius absolvere potest a casibus sive episcopalibus sive pontificiis *ratione sui* reservatis, idque etiam praesente superiore vel delegato. An autem, praesente Confessario, possit simplex Sacerdos moribundi confessionem audire, iam dixi (n. 762. *P*) confessionem bona fide factam esse semper validam: et nunc addo esse quoque licitam, si subsistat aliqua causa rationabilis, qualis esset quoque si infirmus nimis verecunderetur confiteri apud approbatum: quod etiam S. Lig. (n. 563) admittit. — Quando autem peccata sunt reservata ratione sui, onus comparendi apud Superiorem, si infirmus convaluerit, imponi non debet.

*c*) Constitutus in periculo mortis, si forte haberet censuras reservatas, absolvi poterit a quolibet Confessario (vel simplici Sacerdote, ut supra) si Superior reservans non sit praesens nec facillime accersiri valeat. Attamen tunc quaedam conditiones exiguntur. 1° Infirmus debet parti laesae (si quae sit) congrue satisfacere per quantum hic et nunc ei moraliter possibile est (intellige nisi satisfactio fuerit remissa aut reiecta). Notandum quod haec conditio non pro validitate absolutionis (supposita bona fide in poenitente), sed solum pro licito exigitur. Quae autem dicuntur de satisfactione partis laesae, dici debent quoque de aliis obligationibus, quibus iure naturae satis-

faciendum sit ( inter quas reparatio scandali, si opus fuerit, maxime recenseri debet). 2° Infirmus debet emittere promissionem se sistendi apud Superiorem si convaluerit, non ut denuo absolvatur, sed ut eius mandata humiliter suscipiat. Sed hoc in puncto quaedam sunt advertenda. Equidem plurimi Theologi et Canonistae dicunt, promissionem istam esse exigendam in quovis casu nullaque facta exceptione; at vero plures ( vide Sporer De Poen. n. 752 ) censent, hanc non esse regulam generalem, quandoquidem Rituale, agens de infirmo habente peccata vel censuras reservatas, dicit remanere obligationem se presentandi *si aliqua ratione* id sit necessarium. Nonne enim dicere debuisset aperte, talem obligationem adesse si de censuris agatur? Hinc Bertagna (II. III) cum aliis non paucis docet, quod haec obligatio ad casus occultos non extenditur; et neque ad illos, pro quibus iam habemus S. Poenitentiariae declarationes ( vide supra n. 899 ), ex quibus toti mundo manifestum est quaenam sint pro variis casibus Ecclesiae mandata; tunc enim sufficit si infirmus mandatis ipsis occasione suae confessionis satisfaciat. Attamen si in his declarationibus aliquid adesset, quod iure naturae stricte non exigeretur, et infirmus dispensationem obtinere posse speraret, non esset inquietandus, si circa illud diceret dumtaxat se esse paratum ad exequenda mandata Ecclesiae si convaluerit. Nec scandalum oriretur toties quoties publicum evaderet quod Ecclesiae mandatis se subiicere erat paratus. — Quoad excommunicationes Rom. Pontifici *simpliciter* reservatas, hodie multi dicunt, absolutionem dari posse in articulo mortis nulla imposita obligatione standi mandatis Ecclesiae, quia Bulla *Apostolicae Sedis* id memorat dumtaxat quoad excommunicationes, quae speciali modo reservantur; sed hoc ad minus cum mica salis intelligi debet; quoad censuras enim ( etsi simplici modo reservatas ) pro quibus adsunt supra citatae Ecclesiae declarationes, iufirmus aut illis se subiicere, aut commutationem ( prout supra dicebam ) petere deberet.

*d* ) Quid si, instante mortis periculo, infirmus haberet *censuras* reservatas, et adesset tempus scribendi ad Superiorem, vel in promptu esset confessarius facultate munitus aut ipse Superior reservans; possetne tunc simplex confessarius absolutionem a censuris concedere? R. Si adesset ipse Superior reservans et si infirmo imponendum esset onus se illi presentandi ( quod, iuxta dicta, non facile accidit ); tunc infirmum a Superiore ipso praesente absolutionem petere debere, communissime docent. Sed, praescindendo ab hoc casu, doctrina com-

munior docet, a quolibet confessario absolvi posse; quandoquidem in articulo mortis omnis cessat reservatio. Vide Bertagna (l. c.).

XII. Quaenam censurae et quinam casus Rom. Pontifici sive speciali modo sive simpliciter reserventur, iam explicavi supra (n. 880-882; 899 B. XVI; et 879. XIII). Censuras Episcopis iure ordinario reservatas exposui n. 883. Episcopos absolvere posse a censuris et casibus *occultis* Rom. Pontifici *simpliciter* reservatis, dixi n. 879. XI. — Quinam vero casus et quaenam censurae iure dioecesano Episcopis reserventur, unusquisque ex tabella propriae Dioecesis cognoscere poterit. Quod autem hac in re possunt Episcopi, possunt etiam eorum Vicarii Generales, quidquid dicant aliqui. Cf. D' Annibali (Comment. 223) et Bertagna (II. 1).

XIII. Loquendo de censuris Rom. Pontifici reservatis, quid de iis, qui extra mortis articulum, aliquo detinentur impedimento ne Romam se conferant? R. Pro impeditis et pro non impeditis praxis est ut scribatur ad S. Poenitentiariam vel recurratur ad habentes ipsius Poenitentiariae facultates, quae ab Episcopis quoad casus multos haberi solent (vide supra n. 899. B). Haec enimvero est via tutior, rebusque hoc modo compositis, nullum in posterum comparendi apud Pontificem onus remanet. Sed in rigore pro impeditis adire Romam personaliter, certissimum est quod, non obstante Tridentino dicente (XIV. VII) extra articulum mortis Sacerdotes nihil posse in casibus reservatis *, ipso iure (quamvis forte ageretur de censuris speciali modo reservatis) delegatur Episcopus; et, si ille quoque adiri nequiret, delegatur Confessarius quilibet; imo plures docent, hanc simplicis Confessarii delegationem ipso iure subsistere, quamvis Episcopus adiri posset; huiusque doctrinae fundamenta indicavi supra (n. 879 in fin.). Quod autem impediti non teneantur scribere ad S. Poenitentiariam, iam satis decisum fuit a C. S. Officii 8 Iul. 1866 (apud Scavini I. 830). Multi dicunt cum Lugo (XX. 221) quod si in loco adesset aliquis Confessarius qui habeat facultatem delegatam absolvendi a casibus papalibus, tunc impeditus adire Romam deberet eidem Confessario se praesentare, nec posset (stante etiam impossibilitate adeundi Episcopum) ab alio simplici confessario

* Quod itaque Sacerdotes extra articulum mortis nihil possint in casibus reservatis, id intelligendum est de regula ordinaria, non vero quoad illos qui impediuntur quominus ad Superiorem accedant. D' Annibali (I. 308. not. 22).

absolvi. Fundantur in Cap. *Quamvis* (LVIII) de Sent. Excom.; sed hoc caput in tali sensu intelligi nequit; imo e contra impeditos *quominus Romanum Pontificem possint adire* manifeste eximit ab obligatione adeundi tum *Sedem Apostolicam*, tum *eius delegatum*: et aliunde Cap. *Nuper* (XXIX) eod. tit. dicit absolute: « Si difficile sit ex aliqua iusta causa quod *ad ipsum* « *Excommunicatorem* absolvendus accedat, concedimus indul- « gendo ut *a suo absolvatur Episcopo vel proprio Sacerdote* ». Ita sentiunt etiam Roncaglia (De Cens. I. VI), Bertagna (II. IV). *Il Monit. Eccl.* (II. II. pag. 75) etc. — Sed quisnam dicendus erit ita impeditus ut ipso iure adsit facultas illum absolvendi? Doctrina communis haec habet. Si impedimentum sit perpetuum (quale censetur semper si duret ad quinquennium), tunc absolutio dari potest directe et absque onere adeundi Romam. Si sit diuturnum (quale censetur si duret saltem ad sex menses), tunc absolutio dari potest directe, sed remanente dicto onere. Si demum non sit diuturnum, tunc absolutio dari potest solum indirecte. Sed iam notavi (n. 879) quod distinctiones istae inveniuntur quidem apud Theologos, sed non in iure: ut patet etiam ex citato Cap. *Nuper*, quod indistincte dicit: « si difficile sit *ex aliqua iusta causa* etc. ». Aliunde si poenitens potest absolvi directe pro impedimento sex mensium, cur pro impedimento breviori non poterit absolvi directe; poterit autem indirecte? Dices: ut experiatur reservationis onus. At vero si in utroque casu (iuxta dictos Theologos) imponi debet obligatio adeundi Romam, nonne sic satis dictum onus experietur? Adde quod huiusmodi absolutio indirecta efficeret, ut poenitens peccatum illud (quod facile erit aliis longe enormius) reticere possit; idque contra praeceptum divinum de integritate materiali confessionis, et in praeiudicium poenitentis ipsius, qui ubi magis medela indiget sine medela remaneret. Eccur itaque his inconvenientibus sine ulla gravi (quam videam) ratione aditus aperiri debebit? Ego itaque dicerem quod gravi causa subsistente absolutio dari possit directe; simulque imponi debeat obligatio standi mandatis Ecclesiae, iuxta easdem regulas, quae cum infirmis servandae sunt, ut supra dicebam. Ita sentiunt plures, iique graves Theologi, inter quos Palao (XXIII. IV. § 3); unde haec opinio, inspecta auctoritate et pondere rationum probabilis est; et iam vidimus quod in opinionum probabilitate supplet Ecclesia.

XIV. Loquendo de reservatione episcopali, sententia communis docet, quod extra mortis periculum nullum impedimen-

tum sive temporaneum sive etiam perpetuum sufficit ut quis *directe* absolvi possit a casibus vel censuris Episcopo reservatis. Concedunt tamen ut urgente necessitate absolutio ( quamvis censura adesset ) detur *indirecte*. Ita Lugo ( XX. 225 ), Suarez ( XXXIX. III. 12 ), S. Lig. ( VII. 92), Viva ( IX. II. 9), Tamburini ( De Poen. VII. II ), D' Annibali ( III. 212 et I. 308 ), Potestas, Giribaldi etc. Aliqui tamen ( v. g. D' Annibali ) admittunt quod, si impedimentum sit vere perpetuum, absolutio dari possit directe, quandoquidem huiusmodi impedimentum periculo mortis aequiparatur. — Alii censent quod absolutio in casu impedimenti etiam temporanei directe concedi valeat ; quum in Cap. *Eos qui* ( XXII ) de Sent. Excom. dicatur : « Eos « qui a sententia canonis *vel hominis* ( cum ad illum, a quo « alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis « mortis articulum *aut aliud impedimentum legitimum* pro « absolutionis beneficio habere recursum ) ab alio absolvantur ». Sane ubi eadem est ratio ( ne scilicet propter dilationem poenitentiae periculum immineat animarum. Cap. Finali de Poen. et remiss. ), idem quoque ius adesse debet. Ita Sanchez ( Dec. II. XIII, 24 ), Palao ( XXIII. XV. § IV. 3 ), Roncaglia ( De Cens. I. VI. 5 ), Sporer ( n. 750 ), Diana ( I. V. Res. 18. 19 ) Gury ( 575 ), Ballerini ( ibi ), Bertagna ( II. IV ), Salmanticenses ( De Cens. II. IV. 46 ) * aliique. Ex his aliqui dicunt remanere onus se praesentandi Superiori quamvis de casu sine censura reservato ageretur ; alii vero ( ut Sanchez, Salmanticenses et Bertagna ) dicunt hoc onus imponendum esse solum pro casu in quo censura adsit et de iure imponi debeat. — Neque praetermittendum est quod Palao ( alios citans ) apertissime docet et sustinet, absolutionem dari posse directe, quamvis de impedimento accidentali ageretur, ut puta, si poenitens propter necessitatem communicandi aut celebrandi absolutione indigeret. Roncaglia autem, postquam dixerit circa reservationes pontificias, non obstare si forte poenitens delegatum adire posset, subiungit, reservationes episcopales pontificiis esse omnino aequiparandas. In tanta opinionum diversitate, pro praxi, quoad impeditos adire Episcopum, sequentem regulam suaderem. Si Episcopus sufficienter providerit, ut qui ad illum accedere nequeunt, habeant in promptu aliquem confessarium notorie delegatum, tunc ( non obstante praedicta Roncagliae opinione ) poenitentes admoneantur, ut ( saltem sequentibus vicibus, si forte recidant ) ad

* Qui tamen alibi ( nempe De Poen. XIII. 73 ) aliter loquuntur.

illum se conferant: talis enim videtur esse Episcoporum intentio, et persuasio generalis. Si vero Episcopus non providerit, aut casus ita urgeat ut ne ad delegatum quidem poenitens sat commode se conferre possit; tunc dicerem, sententiam benignam ad praxim applicari posse, atque adeo absolutionem directe concedi, imposito dumtaxat onere adeundi Superiorem (cessato impedimento) si de censura notorie contracta (prout supra dictum est) ageretur. Neque dicas, reservationis vigorem sic nimis enervari; ex una parte enim hoc conceditur solum pro casibus impotentiae, et ex alia hodie reservationes in praxi fere ubique quoad poenitentes quasi ad nihil reducuntur, quandoquidem nimis saepe totum reservationis onus non a poenitentibus, sed a confessariis (qui pro iis Superiorem adire coguntur) sustinetur.

XV. Episcopi providere debent ne reservatio, quae pro bono animarum instituta est, in earum perniciem vertatur. Provisiones magis opportunae ut plurimum erunt sequentes: 1° Circa peccata communiora (si forte in tabella recenseantur) omnibus confessariis facultas concedatur; 2° Vicarii foranei omnes, et forte etiam omnes Parochi plenam circa casus et censuras reservatas facultatem habeant; idque sit notorium; 3° Pro casibus urgentibus (v. g. pro novis sponsis, aut pro habentibus necessitatem hic et nunc communicandi aut celebrandi) reservatio cesset; gravi tamen denuntiata obligatione non expectandi ex industria tale tempus ad absolutionem carpendam; 4° Cesset pariter reservatio durante quindena paschali, et in praecipuis anni solemnitatibus et solemnioribus indulgentiis; 4° Valeat absolutio toties quoties poenitens bona fide confessionem fecit et absolutionem recepit; remanente solum culpa in Confessario si advertenter a peccato reservato, nulla iusta causa excusante, absolverit; 5° Si forte detur facultas absolvendi ab omnibus casibus, uno dumtaxat vel altero excepto, cavendum ne casus excepti sint tales, ut, consideratis circumstantiis, petitio ab iisdem absolvendi plus vel minus apertam sigilli violationem facile includat. Quod reapse provisiones huiusmodi expediant, et forte omnino necessariae sint, patet non solum ex sensu Theologorum, sed etiam ex praxi plurimarum Dioecesum, ut videre est apud Suarez (XXX. III. 12), Bertagna (II. v), Berengo (n. 105), Bouvier etc.

XVI. Si poenitens (v. g. miser Sacerdos) ex una parte incidisset in casum, pro quo nollet prae nimia verecundia ad Episcopum se praesentare, et nollet etiam ut Confessarius ab

eodem Episcopo ( v. g., quia de persona suspectum conciperet ) facultatem peteret ; tunc ad S. Poenitentiariam ( tacito nomine poenitentis ) scribere oporteret : et in petitione causa cur Episcopus non adeatur exponi deberet ; secus enim S. Poenitentiaria non facile annueret. Sed quid si antequam facultas obtineatur, poenitens a Communione facienda vel Missa celebranda abstinere non posset ? De hoc vide dicta ( n. 654. III ).

XVII. Quoad petitionem facultatis cavendum est imprimis ne violetur sigillum ; unde, si ageretur de casu circa quem publicae suspiciones adsint vel facile suborituraе sint ; aut si quomodolibet ex circumstantiis Episcopus suspicari posset quisnam fuerit delinquens ; tunc petere oporteret licentiam in genere absolvendi a casibus reservatis ; et, si Episcopus concessisset facultatem circa alia reservata, et casum, de quo loquimur et de quo opus esset, exciperet ; tunc, absque poenitentis licentia, Confessarius neque expresse neque implicite significare posset Superiori, casum exceptum esse sibi necessarium. Expedit etiam ut in petitione lapsuum numerus non exprimatur, neque ut petitio ad sola peccata iam commissa restringatur ; forte enim poenitens dictum numerum non bene expressit aut in novos lapsus incidere posset. Dicendum itaque : *Quidam poenitens petit ut possit absolvi a casibus reservatis ( vel a tali casu reservato ) pro una vice.* — Si forte poenitens in confidentiam licentiae obtinendae peccasset, vel relapsus fuisset : haec circumstantia non esset necessario exprimenda, nec licentiam iam obtentam invalidam redderet. Cf. Bertagna ( II. v ).

XVIII. Superior ( a quo licentia pro reservatis petitur ) cavere tenetur ne faciat interrogationes ex quibus periculum aliquod violationis sigilli suboriri possit. In concedendis licentiis ordinarie facilis esse debet ; idque speciatim si parum ( et non ut supra n. XVI ) providisset ; maxime vero si Confessarius testaretur, reservationem in eo casu ( nisi licentia concedatur ) ruinosam esse. Si Episcopus nihilominus licentiam denegaret, facile contra officium suum boni pastoris graviter delinqueret. Scripsit S. Th. ( Suppl. VIII. iv. ad 6 ) : « Peccaret autem... si non esset « facilis ad praebendam licentiam alteri confitendi ; quia multi « sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur, « quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis « solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, « multis laqueum damnationis iniiciunt, et per consequens si« bi ipsis ».

XIX. Confessarius non potest absolvere a reservatis cum in-

certitudine an Superior petitioni licentiae adhuc annuerit; quandoquidem periculo invalide absolvendi se exponeret. Excipe nisi casus urgeret. Tunc tamen confessionem alicuius peccati non reservati exigere deberet, ut sic saltem indirecte absolutio certe valeat.

XX. Facultas absolvendi a reservatis est semper late interpretanda, utpote favorabilis; unde in dubiis valet regula: *Favores sunt ampliandi.* Plures exceptionem ponunt pro casu de quo hic nos agimus, quando scilicet haec facultas non pro omnibus sed solum pro persona particulari obtenta fuerit. Sed alii censent, hanc exceptionem fieri non debere. Vide rationes apud Bertagna (II. v).

XXI. In generali facultate absolvendi a casibus papalibus non comprehenduntur (ut pluries dictum est) excomunicationes speciali modo reservatae. Item duo casus reservati sine censura, nempe 1° Calumnia de sollicitatione contra sacerdotem innocentem. 2° Acceptio munerum a Regularibus (iuxta dicta n. 899. XVI). Si autem concedatur etiam facultas quoad dictas excommunicationes speciali modo reservatas, non excipitur (prout olim) haeresis; bene vero excipitur excommunicatio propter absolutionem complicis; unde casus qui specialissima mentione indigent, hodie sunt tres; nempe excommunicatio propter absolutionem complicis, calumnia de sollicitatione, et dicta acceptio munerum. Cf. Bertagna (II. n. et v).

XXII. In generali facultate absolvendi a casibus episcopalibus intelliguntur non solum casus sed etiam censurae. Bertagna (II. v).

XXIII. Confessarius non potest uti pro se ipso facultate obtenta, ut nempe faciat absolvere seipsum; idque quamvis in petitione de industria dixisset: *Quidam poenitens petit ut possit absolvi a reservatis;* intentio enim Episcoporum est dandi Sacerdoti petenti facultatem absolvendi; non vero delegandi alteri facultatem obtentam, maxime ut se ipsum absolvere faciat. Excipe nisi expresse dictum fuerit: *Quidam poenitens petit ut possit sibi eligere pro libito suo confessarium, a quo absolvatur a reservatis.* Excipe etiam nisi petitio, ut supra, directa fuerit ad S. Poenitentiariam, et illa facultatem absolvendi non praecise Sacerdoti petenti sed cuilibet Confessario approbato ab Episcopo loci concedat. Vide Lugo (XX. 119).

XXIV. Si facultas petita et concessa fuerit simpliciter *pro peccato commisso*, ad peccata, quae post petitionem (quamvis forte ante concessionem) commissa fuerint, extendi nequiret.

Si vero petita fuerit in genere *pro tali casu*, tunc facultas valet etiam pro relapsibus quae post petitionem usque ad confessionem acciderint ; nec obstaret si facultas data fuisset a S. Poenitentiaria, quae apponere solet clausulam *super praemissis;* id enim in sensu petitionis, et quoad speciem non vero quoad numerum peccatorum, intelligi debet. Bertagna (II. v. in fin.) et Lugo (XX. 122-128).

Facultas peti et concedi solet cum clausula *pro hac vice.* Id significat quod usus facultatis non solum restringitur ad unicam absolutionem, quae dabitur dum poenitens primo redibit ; sed etiam quod parum differri poterit, si novi lapsus locum habituri sint. Forsan aliqua maior dilatio (non obstantibus relapsibus) tolerabilis erit, si Superior dixisset *pro una vice.* Si autem novi lapsus non adsint, tunc Lugo (l. c. n. 126) docet, facultatem etiam post annum vel biennium valere posse.

XXV. Si forte, dum poenitens venit cum reservatis, confessarius facultate iam sit munitus, expedire solet (ad maiorem incutiendum horrorem contra peccatum) ut illum admoneat, quatenus ad S. Sedem vel ad Episcopum se conferre deberet. Si autem facultate non sit munitus, expedire solet etiam, ut non statim ei suggerat remedium eundi ad talem vel talem confessarium facultatem habentem, aut illico se paratum demonstret ad petendam licentiam ; expedit enim ut poenitens onus quod sustinere deberet serio perspiciat atque consideret. Attamen illum non dimittat, quin prius remedium ei indicet. Saepe expedit ut Confessarius eligat medium petendi facultatem (imo interdum, inspectis circumstantiis, ad id ex charitate teneri posset) ; et tunc integram confessionem audiat ; quod utile esse solet tum ut cognoscat an poenitens sit absolutione dignus, tum ut ille securius redeat, tum denique ut pateat utrum de uno dumtaxat an vero de pluribus casibus reservatis agatur. — Si vero Confessarius ad Superiorem vel alium Confessarium poenitentem omnino remittere vellet ; tunc, audito primo peccato reservato, reliquum confessionis audire non deberet.

XXVI. Quid de eo qui ad S. Sedem, vel Episcopum, vel Delegatum se contulit ; sed confessionem non integram, aut nullam, aut sacrilegam fecerit ? R. Si poenitens eo fine se praesentaverit ad Superiorem vel delegatum, ut a reservatis absolveretur, plurimi docent reservationem auferri quamvis bona fide confessio invalida fuerit, aut aliquod aliud peccatum reservatum ex oblivione fuerit omissum ; durum enim esset quod pro hoc casu poenitens (qui laboris et difficultatis calicem iam bibit,

ut dicunt Salm. App. ad Bull. Cruciatae VI. 299) reservationis onus bis sustinere cogatur. Idem dic si res sit de censura reservata bona fide reticita; idque (nota) quamvis poenitens absque intentione recipiendi absolutionem a reservatis ad Superiorem vel Delegatum se contulisset. Ratio est quia unusquisque confessarius absolvit a censuris (sive accusatis sive ex oblivione reticitis) *per quantum potest et per quantum poenitens indiget*; quia censurae absolutioni peccatorum impedimentum (quoad licitum) apponunt. Haec omnia vera sunt quamvis de Iubilaeo ageretur; ad fruendum enim gratiis in Iubilaeo concessis non oportet ut de facto Iubilaeum lucretur, sed sufficit ut illud lucrandi sincera intentio adsit. Cf. Ballerini (n. 580. not. *a*). Multi (cum S. Lig. 598) censent peccatorum reservationem cessare, quamvis confessio facta apud Superiorem fuerit sacrilega, dummodo peccata ipsa reservata Superiori accusata fuerint; tunc enim non est cur poenitens ad illum redeat, quum iam ab eo ipso monita et poenitentiam receperit. Ballerini (l. c.) dicit, hic quoque non esse excipiendum tempus Iubilaei, dummodo poenitens habuerit intentionem faciendi postea aliam bonam confessionem et lucrandi Iubilaeum, quamvis de facto haec non praestiterit. — Plures denique censent reservationem peccatorum auferri, quamvis poenitens, reservatorum oblitus, apud Superiorem, sine ulla intentione absolutionem obtinendi a reservatis, confessionem fecerit; idque verum esse existimo si fuerit tempus Iubilaei, quia tunc Pontifex eos, qui Iubilaei lucrandi sinceram intentionem habent, et in hunc finem confessionem faciunt, ab omni reservatione liberat. Sed, praescindendo ab hoc casu, non video quo solido fundamento id dici possit. Nihilominus vide Lugo (XX. 85-116).

XXVII. Superior et delegatus regulariter non possunt, postquam audiverint peccata reservata, ab iis absolvere remittendo poenitentem ad inferiorem ut absolvatur ab aliis. Dixi *regulariter*; si enim ex una parte Superior, v. g., propter impossibilitatem immorandi, integram confessionem audire nequiret, et ex alia poenitens nollet idem peccatum confiteri duobus; tunc Superior a reservatis absolvere et pro aliis ad inferiorem poenitentem remittere posset, ut dicit Lugo (XX. 75-79); neque obstare prop. LIX ab Inn. XI damnatam docet Ballerini (580 *b*).

XXVIII. Qui debita facultate non munitus et extra casus permissos absolvit a reservatis peccat mortaliter; et, si ageretur de excommunicationibus *speciali modo* Sum. Pontif. reservatis,

incurreret ipso facto excommunicationem ipsi Summo Pontifici reservatam, attamen *simpliciter;* et ab hac excusaret ignorantia et metus, quum praesumptio requiratur. Vide supra ( n. 881. XVIII ).

## § VI.

### DE IURISDICTIONE SUBLATA QUOAD COMPLICEM

1062. Notissimum est quod cuilibet Confessario ablata est facultas absolvendi complicem, cum quo ipse peccatum turpe commiserit; idque sub poena tum nullitatis absolutionis, tum excommunicationis speciali imo specialissimo modo Pontifici reservatae.

Ad intelligendum recte quomodo hoc in puncto res praecise se habeant, expedit imprimis ut textus legis per extensum exponatur.

1063. Itaque Benedictus XIV in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* sic se expressit : « Magnopere cupientes a sacerdotalis « iudicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occa- « sionem, et Sacramentorum contemptum et Ecclesiae iniuriam « longe submovere, et tam exitiosa huiusmodi mala prorsus « eliminare, et, quantum in Domino possumus, animarum pe- « riculis occurrere, quas sacrilegi quidam Daemonis potius quam « Dei ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo ac no- « stro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes in « profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, ..... « accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplica- « tionibus ....., omnibus et singulis Sacerdotibus, ..... tametsi « alioquin ad confessiones excipiendas approbatis et quovis pri- « vilegio et indulto... suffultis..., interdicimus et prohibemus, « ne aliquis eorum *extra casum extremae necessitatis, nimirum « in ipsius mortis articulo* et deficiente tunc quoque alio Sa- « cerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sa- « cramentalem personae complicis *in peccato turpi atque inho- « nesto contra sextum decalogi praeceptum commisso* excipere « *audeat*, sublata propterea illi ipsi quacumque auctoritate et « iurisdictione ad qualemcumque personam *ab huiusmodi cul- « pa* absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam imper- « tierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a « Sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum « necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras

« adimere intendimus. Et nihilominus, si quis *confessarius* secus « facere *ausus fuerit*, maioris quoque excommunicationis poe- « nam, a qua absolvendi potestatem nobis solis nostrisque « successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat; de- « clarantes etiam, quod nec in vim cuiuscumque Iubilaei..... « confessionem dicti complicis huiusmodi quisnam valeat exci- « pere eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad « hunc effectum et in hoc casu nullus confessarius (utpote qui « in huiusmodi peccati et poenitentis genere iurisdictione, ut « praefertur, careat, et absolvendi facultate a nobis privatus « existat) habendus sit pro confessario legitimo et approbato ».

1064. Dein idem Pontifex in Bulla *Apostolici muneris* momentosam fecit sequentis tenoris declarationem :

« Cum nos subinde super ea dictae Constitutiônis parte, quae « mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse « acceperimus, quarum resolutiones privato cuiusque iudicio « relinquendam minime existimamus, ne lex incertis coniectu- « ris et opinionibus iactata in sensus a mente nostra alienos « forsan distrahatur, eiusque vigor paulatim langueat atque « enervetur;..... declaramus, eadem Constitutione singulis ut « supra Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in « mortis articulo personam in praedicto *turpi peccato* compli- « cem confitentem audire, atque ab huiusmodi quoque culpa « rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sa- « cerdote, qui confessarii munus obire possit; ita interdici « reipsa et prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, « ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste « alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit,..... possit nihilo- « minus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere ac ab- « solutionem impertiri. Porro, si casus urgentis qualitas et « concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eius- « modi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutae in « dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere sine « *gravi* aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat, tunc « alium Sacerdotem perinde haberi conserique posse, ac si re- « vera abesset atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu « non prohiberi socio *criminis* Sacerdoti absolutionem poeni- « tenti *ab eo quoque crimine* impertiri. Sciat autem complex « eiusmodi Sacerdos et serio animadvertat, fore se reipsa coram « Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedi- « ctam nostram Constitutionem inobedientiae, latisque in ea « poenis obnoxium, si praedictae infamiae ac scandali pericu-

« la sibi ultro confingat, ubi non sunt : imo intelligat teneri « se graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit, ante- « vertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat « ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque « *ullius* infamia vel scandalo audiendae.... Quod si idem Sacer- « dos (complex) aut quovis modo sese *nulla gravi necessitate* « *compulsus* ingesserit, aut ubi infamiae vel scandali pericu- « lum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, « ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere *de* « *industria* neglexerit, atque ita personae in dicto *crimine* « complicis, eoque in articulo ut praefertur constitutae Sacra- « mentalem confessionem excipere, *ab eoque crimine absolu-* « *tionem largiri*, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa « cogente, *praesumpserit* ; quamvis huiusmodi absolutio valida « futura sit.... (non intendimus autem pro formidando mortis « articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam « iurisdictionem auferre, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat*) : « nihilominus Sacerdos ipse violatae *ausu eiusmodi temerario* « legis poenas nequaquam effugiet ».

1065. Haec censura renovatur in Const. *Apostolicae Sedis*, quae excommunicatione speciali modo reservata plectit : « Ab- « solventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, « si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine « gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo, possit excipere « morientis confessionem ».

### QUAESTIO I.

*Quid sit peccatum complicitatis, de quo Benedictus XIV loquitur ?*

1066. Omnes conveniunt quod debet esse 1° in materia contra sextum, ut patet ex verbis Bullae ; 2° commissum ex mutuo consensu invicem manifestato ; complex enim definitur *socius in crimine* ; 3° mortale ex utraque parte ; Bulla enim *Apostolici muneris* loquitur semper de *crimine*, poenaeque gravissimae apponuntur ; 4° certum ex utraque parte ; secus enim libertas confessarii non adhuc esset ligata, ut dicunt Salmant. (Append. in Bull. Cruciatae VI. n. 245). Et haec omnia probantur a S. Lig. (VI. 554). Ex his principiis passim deducunt, complicitatem in sensu Bullae non adesse in osculo obeunter dato ; in tactu momentaneo partium honestarum ex ioco vel

levitate: item si Sacerdos manu vel brachio teneret mulierem, quamvis ipse delectationi venereae consentiret: item si foemina opprimeretur et ipsa *fortiter* reluctaret, quamvis in corde suo iam ab initio vel tandem aliquando (quin tamen huius consensus signum externum praebeat) consentiret; item si Sacerdos induxisset foeminam ad credendum nullum esse peccatum si turpiter ab ipso tangi se sineret, et ea reapse fateretur se in bona fide fuisse. Cf. Acta Append. IX. Comm. Bullae *Apostolicae Sedis* (pag. 350). Gury Cas. Conse. (621. 622). Scavini (III. 485). Salmant. (l. c.) De Varceno etc. Idem dicendum videtur si ipsa quidem peccasset, sed ex circumstantiis prorsus particularibus omnino credendum fuisset quod ipsa nihil omnino aut nihil mali (v. g., propter somnum, ebrietatem, amentiam vel manifestam stoliditatem) percipere potuisset.

Conveniunt pariter, non oportere ut persona complex fuerit foemina, aut in aetate puberi (non enim agitur de peccato reservato presse sumpto, pro quo forsan pubertas exigitur). Oportet tamen ut agatur de complice proprio, non alieno; unde si duo Sacerdotes haberent complices atque inter se convenissent ut alter alterius complicem audiret, nulla mentione de hoc foedere nefario cum complicibus facta, sub lege Benedictina propter huiusmodi complicum absolutionem non caderent. Cf. dictam Append. (pag. 338).

1067. Difficultas est utrum omnia prorsus peccata contra sextum, dummodo sint mortalia, sub hac lege cadant? Sententia communior affirmat; unde Scavini (III. 485) dicit confessarium non posse absolvere eum a quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere. Sed alii, inter quos Amort (De Poen. D. X). Gury (585), et D'Annibali (Commentar. n. 80), censent, simplex turpiloquium (adeoque et lenocinium) non includi. Pontifex enim loquitur de *commisso peccato turpi*. At vero, iuxta communem loquendi modum, qui solis verbis deliquit non dicitur commisisse peccatum turpe. Adde quod verba non semper constituunt *crimen*, quod tamen Pontifex exigit. Notat etiam D'Annibali, esse aphorismum iuridicum quod *lubricum linguae ad poenam trahendum non est*. Ego dicerem, standum esse verbis Bullae, quae de crimine, et praecise de commissa turpitudine veri nominis loquitur; sumus enim in poenalibus et leges non sunt fingendae. Attamen reiiciendum esse puto omnino dicterium illorum, qui, contra Theologos omnes, dicunt exigi copulam consummatam. Pontifex non loquitur de peccatis specialibus, v. g., de adulterio, de stupro, vel de

fornicatione (equidem tunc peccata huiusmodi deberent esse perfecta per copulam consummatam); sed loquitur in genere; et proinde sufficit si turpitudo gravis (quae, attenta dignitate sacerdotali, crimen semper includit) commissa fuerit.

Griffini stat cum illis qui docent, turpiloquium sub hac lege cadere; et nihilominus censet quod lenocinium, auxilium, consilium, vel mandatum circa peccatum turpe committendum non cum Sacerdote ipso, sed cum alia persona, complicitatem illam, de qua Pontifex loquitur, non constituat. (Cas. VI. Cas. X).

1068. Quid si peccatum commissum fuisset a muliere prorsus ignorante quod complex fuerit Sacerdos, eo quod ipsa credideriit peccare cum saeculari, v. g., quia Sacerdos in hunc finem laicalem vestem induerit vultumque suum cooperuerit? R. Formisanus censet, heic non adesse illam complicitatem de qua Bulla loquitur. Et reipsa huiusmodi casus a mente Pontificis nimis alienus esse videtur. Scribit D'Annibali (I. 174), legem quamcumque interpretatione restrictiva coercendam esse. « si « casus acciderit insuetus penitus, et a ratione legis sic alie- « nus, ut ei legem applicare videatur abs re, aut a voluntate « legislatoris remotum prorsus ».

1069. Quid si peccatum commissum fuisset in aetate puerili, et puella, postquam per annos plurimos illud sacrilege reticuerit, tandem (v. g. occasione missionis) illud accuset apud Missionarium, qui apertissime deprehendat, se esse illum ipsum, qui, dum adhuc puer erat, eiusdem peccati complex fuit? R. Omnes dicunt, in hoc casu absolutionem sub poena nullitatis et excommunicationis interdici; sed, si licet absque temeritate adoptare principium a Rev.mo Formisano enunciatum, dicerem huiusmodi decisionem adhuc ad trutinam esse revocandam. Benedictus XIV impulsus fuit a magnis inconvenientibus in Bulla expositis; quae facile quidem vigere possunt et ordinarie vigent in casibus consuetis, sed non in isto. Verum est quod leges non semper pendent presse a rationibus quae impulerunt legislatorem ad eas condendas (unde effatum: *ratio iuris non facit ius*); bene vero pendent a voluntate legislatoris; sed verum est etiam quod haec voluntas debet semper esse et praesumi fuisse rationabilis; unde, ut lex extendatur ad casus sub dictis rationibus non comprehensos, oportet ut vi alterius rationis sufficientis ad casus extraneos extendatur. Haec altera ratio solet esse uniformitas actuum ad evitandam confusionem, et ne immodicae libertati cum legis ipsius detrimento ianua pandatur.

At vero, ut notat Commentator Romanus ( Add. ad App. IX. pag. 42 bis ), pariformitas actuum refertur ad actiones extrinsecas, non vero ad casus occultos : neque exceptiones vere rationabiles nimiae libertati ianuam pandunt ; sed potius limites legis et libertatis opportune determinant ; ut patet ex legibus fere omnibus quae suas exceptiones habent ; neque profecto istae legibus detrimentum inferunt. Sed in casu nostro exceptio erit ne rationabilis : an vero e contra Legislator rationabiliter exigere poterit, ut pro isto quoque casu lex cum dicta poena gravissima urgeat? Sapientioribus, nisi prius iudicium Ecclesiae supervenerit, decisionem relinquo.

1070. Quid si persona complex a peccato complicitatis fuerit ab alio absoluta, et postea ad complicem pro confessione redeat? R. Si forte diceret se fecisse confessionem invalidam vel dubie validam ; aut peccatorum complicitatis sive numerum sive circumstantias necessario accusandas non accusasse ; tunc certe confessarius complex hanc novam confessionem, in qua peccatum complicitatis totaliter vel partialiter esset adhuc materia necessaria, excipere nequiret. Quoad peccatum accusatum ut dubium et postea inventum ut certum, forte resolutio deduci poterit ex dictis ( n. 1031 ). Praescindendo ab his casibus, confessiones huiusmodi validae sunt ( intellige semper supposita dispositione et nisi nova complicitatis peccata locum habuerint ) ; neque Episcopi in statutis dioecesanis illas invalidare possunt, ut patet ex pluribus S. C. C. responsis, apud Gury ( n. 587 ). — Attamen, seclusa legitima causa, persona complex abstinere debet a confessione facienda apud complicem : et hic procurare tenetur, ut huiusmodi poenitens apud alios confiteatur. Causa rationabilis vix unquam adesse poterit, si complicitas fuerit notoria. Caeterum pensandae erunt circumstantiae, ne periculum novum suboriatur et confessiones in novum damnationis laqueum convertantur ; nec de facili probari poterit sola ratio communiter adducta quod ex mutatione confessarii admiratio accideret. — Sed quid si poenitens peccata complicitatis iam apud alium accusata, in confessionibus, quas apud complicem postea peragit, iterum accuset? Aliqui ( inter quos Commentator Romanus pag. 330 ) dicunt, absolutionem tunc prorsus invalidam reddi ; sed alii communissime stant pro validitate : quamvis enim mens Pontificis esse potuerit quod complex ne in eo quidem casu absolvere possit complicem ab eo crimine *directe* (qua etiam de re non satis constat) ; tamen nihil obstat quominus absolutio circa peccata omnia vitae prae-

teritae (prout semper fieri solet), et proinde etiam circa peccata complicitatis, indirecte concedatur. Cf. S. Lig. (555), D' Annibali (Comment. n. 80), Comment. Patav. (n. 180), Ballerini (ad n. 587), Formisano etc. Expedit tamen ut Confessarius circa peccatum illud perpetuum silentium poenitenti imponat.

QUAESTIO II.

*Quid de confessario, qui personae complicis confessionem audiat quidem, sed eam non absolvat aut fingat absolvere?*

1071. Bulla dicit: « Interdicimus et prohibemus ne aliquis... « confessionem sacramentalem personae complicis... excipere « audeat ». Etiam itaque sola auditio confessionis personae complicis, quae a peccato complicitatis adhuc absoluta non fuerit, graviter interdicitur (intellige extra casus permissos qui infra declarabuntur).

Sed quid de censura, si confessarius non absolvat? Si nec absolvat nec fingat absolvere, tunc certe censuram non incurrit. Si vero fingat absolvere; tunc scienda sunt sequentia. S. Poenitentiaria (9 Iul. 1751), interrogata a S. Ligorio circa hoc punctum, respondit: « Non vitari excommunicationem per « fictionem absolutionis ». Huic responso S. Lig. (VI. 556) non acquievit, et censuit quod non iam fictio absolutionis, sed sola et vera absolutionis collatio censura plectatur; quandoquidem Benedictus XIV (Const. *Inter praeteritos* n. 59) expresse dicit et repetit, excommunicationem incurri ab illo, qui « con- « fessionem excipit poenitentis, *eumque absolvit* ». S. Ligorio subscripsit ipse Griffini (III. xvii), quamvis satis rigidus sit, et postea alii Theologi omnes uno ore idem dixerunt. Constitutio *Apostolicae Sedis*, censuram istam renovans, dicit excommunicatione plecti « *absolventes* complicem »; unde Commentatores deducunt, quod absolutio, non vero absolutionis simulatio aut fictio, censura mulctatur. Cf. D' Annibali (Comment. 80) et Commentatorem Romanum (pag. 309) dicentem: « Si qua « dubitatio ante nostram Constitutionem (*Apostolicae Sedis*) « exoriri hac de re potuit, nunc nullimode dubitandum est, ad « incurrendam excommunicationem hanc, omnino necessarium « esse ut confessarius complicem non ficte, non simulate, sed « reapse absolvat ». Causa finita videretur: sed Episcopus

Rodensis novissime S. Poenitentiariae exposuit dubium : « U-
« trum Confessarius, qui suum vel suam complicem in peccato
« turpi ad mentem Bullae *Apostolicae Sedis* simulaverat absol-
« visse, recitando, v. g., orationem quamdam, vel alia verba
« pronuntiando, aut etiam tacendo, ita ut videretur tamen per
« signa vel per manuum gestus revera poenitentem a peccatis
« relaxare, incurreret excommunicationem specialiter S. Pont.
« reservatam, de qua agitur in praefata Bulla? ». Et S. Poe-
nitentiaria (1 mart. 1878) respondit : « S. Poenitentiaria, ma-
« ture perpensis expositis dubiis, super iisdem pariter respon-
« det : Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato
« turpi non effugere excommunicationem reservatam in Bulla
« S. S. Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae* ». Quid igitur concludendum? Dico quod hoc in puncto neque cum S. Ligorio neque cum aliis Theologis omnibus stari potest. Equidem S. Poenitentiaria novas leges condere nequit : sed leges iam latas interpretari valet. Haec autem interpretatio est rectissima et haec sola teneri potest : si enim vera esset aut teneri posset interpretatio contraria, sequeretur quod lex (utique tanti momenti et quae legislatori adeo cordi est) in praxi ad nihil reduceretur ; quandoquidem unusquisque per simulationem aut fictionem absolutionis censuram nullo negotio declinare posset. Dicit autem ipse Griffini (l. c. XV), male sibi cohaerens, quod « omnis interpretatio abicienda est, quae legem frustratur » ; quisnam enim legislator habebit intentionem condendi legem, quae nihil valeat? Et hoc est principium inconcussum, quod in legibus omnibus, non solum mere dispositivis sed etiam poenalibus, urget. Neque in casu nostro verbis legis vis infertur : sicut enim instrumentum potest esse falsum, ita absolutio potest esse ficta ; unde nil mirum si Pontifex loquatur de absolutione ficta, multo magis quia (iuxta sententiam communem) de absolutione vera (propter ipsam invaliditatem adnexam) loqui non poterat. — Si tamen confessarius, non dando poenitentiam et voce bene intelligibili, loco formulae absolutionis, proferendo alia verba, satis superque significaret se non dare absolutionem, nulla fictio tunc adesset, quamvis forte poenitens a se ipso propter suam stupiditatem forte deciperetur. Et tunc censura locum non haberet. Idem dic si Sacerdos non esset Confessarius, sed Confessarium se fingeret ; Bulla enim non de Sacerdote simplici, sed de Confessario (cui iurisdictionem aufert) manifeste loquitur. Cf. Ciolli (n. 95).

1072. Denique certe censuram incurreret, quamvis non a

peccato complicitatis, sed solum ab aliis directe absolvere intenderet (intellige semper, seclusis casibus necessitatis, de quibus infra).

QUAESTIO III.

*Quid de absolutione personae complicis infirmae in mortis articulo?*

1073. *A*) Non esse interdictam absolutionem complicis sub conditionibus mox explicandis in articulo mortis, patet ex ipsis Bullis Benedicti XIV. Equidem articulus mortis tunc solum adesset quando infirmus iam iam est certissime intra brevissimum tempus moriturus; sed Theologi uno ore dicunt semperque dixerunt quod articulus mortis tam pro casibus reservatis quam pro absolutione complicis sumitur latiori sensu, nempe pro eo periculo in quo versatur infirmus, quando iuxta Ecclesiae praxim SS.mum Viaticum ei administrari potest. Si articulus mortis presse sumptus expectari deberet, Sacerdotes nimiis scrupulis et angustiis afficerentur, et innumeri fideles sine sacramentis morerentur.

*B*) Si ad audiendam confessionem complicis accurrere vel advocari possit alius Sacerdos; tunc complex sub poena excommunicationis non solum nequit se offerre, sed etiam positive (quatenus opus sit et possibile sit) debet prudenter et tempestive procurare ut alius personae complicis moribundae confessionem audiat. Sed hoc in puncto nonnullae reflexiones fieri debent. 1° Oportet ut secessio Confessarii complicis et introductio alterius absque *gravi* infamia (sive poenitentis sive confessarii) et absque scandalo fieri valeat. Excusaret quoque quaelibet necessitas gravis, dicente Bulla: *nulla gravi necessitate compulsus*. Casus infamiae esset, v. g., si pro moribunda vocaretur Parochus occulte complex, et ipse neque Vicarium neque alium absque magnis suspectibus et admirationibus substituendum haberet. Infamia tamen (saltem consueta) quam Sacerdos complex subiturus erit apud Sacerdotem substitutum, propter revelationem ab ipsa morientis confessione forte derivantem, certe non excusat; hoc enim est incommodum ipsi substitutioni a lege volitae intrinsecum. Dixi *saltem consueta;* si enim circumstantiae valde extraordinariae adessent (ut puta, si Parochus senis et optima fama gaudens cum intolerabili rubore cogeretur mittere ad infirmam proprium nepotem apud se vicarii officio fun-

gentem), adeo duram obligationem forte Pontifex ponere non voluit; sed de hoc sapientiores iudicent. Certe esse causam legitimam censent Theologi, si moriens certe aut verisimiliter ita repugnaret confessionem facere apud alium, ut versaretur in periculo sacrilege aliquid reticendi; Ecclesiae enim cordi est imprimis ne occasione suarum legum, et maxime istius, aliquis pereat. Hinc si persona moribunda praecise advocet confessarium complicem, hic non facile deberet recusare (maxime obstinate); sed potius se conferre ad illam, eamque rogare ut apud alium nihil reticendo) confessionem faciat. Ex responsionibus intelliget an opus sit ut confessionem audiat ipse, an vero bene fieri possit ut, absque periculo animae et absque suspicionibus, confessio fiat apud alium, qui (v. g. occasione seu praetextu visitationis aut benedictionis) ad eandem se conferat. Caeterum si confessarius complex non vocetur, aut si, duobus praesentibus Sacerdotibus (v. g., Parocho et Vicario quorum unus sit complex), dicta persona moribunda petiverit indifferenter unum vel alterum; tunc certe complex ipse non posset accurrere; imo, quamvis vocaretur personaliter, si non timeret spirituale morientis periculum, aliquo praetextu (v. g., occupationum) se eximere deberet. — Attamen ad se eximendum teneretur adhibere media non iam valde extraordinaria et remota (v. g. dimittendo Parochi vel Vicarii officium), sed solum communia et obvia, quae moraliter adhiberi solent dum quis aliquid hic et nunc evitare procurat. Ita Griffini Cas. XVI. — 2° Si Sacerdos simplex, scilicet ad confessiones audiendas non approbatus adesset, neque accedere renueret, et moribunda sat libenter illum acceptaret, ille confessario complici praeferri deberet. Id quoque patet ex Bulla *Apostolici muneris*. In hoc tamen casu suspiciones gravissimae facile conciperentur, si duo dumtaxat essent praesentes, nempe Sacerdos simplex, et Confessarius complex, speciatim si hic esset Parochus vel Vicarius, maxime vero si dictus Sacerdos simplex esset publice excommunicatus vel suspensus: quo ultimo casu Romanus Commentator (contra Griffini aliosque) censet, posse Confessarium complicem (etiam praeciso casu specialis necessitatis) accurrere, quia Bulla illum Sacerdoti quidem simplici, non vero suspenso vel excommunicato postponit. — 3° Si complex coepisset legitime confessionem audire, et postea (confessione non adhuc absoluta) periculum mortis cessaret vel alius Confessarius in promptu esset; tunc (contra Comment. Rom.) communius opinantur quod iurisdictio quoad validum et quoad licitum perduret: iudicium enim

iam est incoeptum, nec Bulla Benedicti XIV obligationem imponit illud interrumpendi; et in praxi vix possibile erit, absque gravi periculo infamiae, scandali et magnae turbationis poenitentis, huiusmodi substitutionem facere, confessione iam incoepta. Cf. Gury (Cas. consc. n. 631) et D'Annibali (Comment. n. 81). — Sed quid si absolutione iam data, poenitens (elapso periculo vel praesente alio Confessario) denuo confiteri vellet? In hoc casu non ageretur de iudicio finiendo, sed de novo iudicio instituendo; et proinde Sacerdos complex interrogare deberet poenitentem ne forte habeat aliquid accusandum circa peccata complicitatis. Si negative respondeat, poterit (saltem valide) confessionem audire. Si vero responderet affirmative; tunc, si periculum mortis elapsum fuisset, nec licite nec valide confessionem audire posset; si vero, perdurante mortis periculo, alius sacerdos praesens esset; tunc confessio erit semper valida; attamen graviter et sub censurae poena foret illicita, si poenitens ad confessionem faciendam apud illum alium sacerdotem disponi posset. Gury (Cas. consc. 633). — 4° Si Sacerdos complex illegitime confessionem complicis morientis audire coepisset; et, absolutione adhuc non data, excommunicationem reformidans, eum facti poeniteret; tunc, si fieri posset, deberet procurare ut moriens apud alium confessionem perageret ab eoque absolveretur. Si vero hoc iam amplius possibile non esset, tunc contra Griffini plures dicunt quod absolvendo excommunicationem non incurreret, quia absolutionis collatio obligatoria evasisset. Porro actus obligatorius excommunicatione plecti nequit; et iniquissimum esset ut quis puniri debeat eo quod muneri suo satisfaciat. Aliunde censura, quae ferri debet ad retrahendum a peccatis, in tali casu ad peccandum, nempe ad relinquendum moribundum sine absolutione (cum periculo gravissimo eius aeternae damnationis), impelleret. Cf. Gury (Cas. consc. n. 629). Obiicit Griffini (Cas. XIV) quod si doctrina ista vera esset, tunc Sacerdos censuram effugeret, sive eum poenituerit sive non; absolutio enim, postquam evaserit necessaria, iam semper ex hoc ipso evaderet obligatoria; et sic censura etiam in Sacerdote, quem male facti non poenituerit, locum habere nequiret. Estne ergo admittendum quod censura incurratur solum quando actu absolutionis adhuc possibile esset advocare alium Sacerdotem? Ex una parte obiectio Griffinii mihi validissima videtur, et ex alia Benedictus XIV. ad incurrendam censuram exigit absolutionem. Sapientioribus hoc etiam decidendum relinquo. — 5° Si adesset quidem alius

Sacerdos, sed ille quoque esset morientis complex, tunc de substitutione (uti patet) nulla obligatio adesset.

QUAESTIO IV.

*Quid de absolutione personae complicis pro casibus, qui, quamvis illa non sit infirma, nihilominus periculo mortis aequiparantur.*

1074. Omnes norunt quod periculum mortis adesse censetur etiam si quis navigationem valde periculosam esset suscepturus; aut versaretur captivus inter infideles cum nulla vel exigua spe habendi unquam Sacerdotem a quo absolvatur; aut esset in periculo incidendi in amentiam perpetuam; idemque dicunt de muliere iam iam instante partu difficili; et Suarez (apud Lugo XX. 228) generatim dicit, quod « in diuturno tempore « moraliter imminere potest periculum mortis ». Sed regula ista, quae (ut supra vidimus) certe valet pro casibus reservatis quamvis Tridentinum dixerit, Sacerdotes extra *articulum* mortis in iisdem casibus nihil posse), valebitne etiam pro absolutione complicis? Affirmant Salmanticenses (l. c. 261); viget enim semper eadem ratio, ne scilicet ea occasione aliquis pereat. Idem sentiunt Griffini (III. Reg. X), Commentator Rom. (App. IX. pag. 322. 335), Ballerini (n. 587. not. *a*) et D'Annibali (Comment. n. 81). Nisi itaque decretum in contrarium supervenerit, dicendum videtur quod in istis quoque circumstantiis, deficiente ut supra alio Sacerdote, complex non solum indirecte, sed etiam directe (prout faceret in articulo mortis presse sumpto) complicem absolvere possit.

Quoad casum tamen, in quo ratio absolvendi a sola temporis diuturnitate desumitur, specialis dubitatio oritur, si forte confessarius complex semper sit praesens, et tota difficultas in hoc consistat quod nullus alius Sacerdos unquam adfuturus sit (quod facile in locis Missionum apud infideles accidere posset). Debebitne tunc persona complex remanere sine absolutione toto vitae suae tempore, et expectare periculum mortis presse sumptum, ut tunc a Sacerdote complice absolvi possit? Ballerini et Commentator Romanus (ll. cc.) censent, casum huiusmodi esse extra terminos Bullae Benedicti XIV, quae (iuxta ipsos) intelligenda est de casibus ordinariis, in quibus poenitens habet copiam aliorum confessariorum ad quos recurrere possit. Adde periculum ne poenitens morte repentina corripiatur. Adde quod

antequam poenitens moriatur, confessarius ipse mori posset, quo casu (iuxta hypothesim) alius Sacerdos non superesset. Adde obligationem confitendi iure divino identidem etiam in vita. Adde similem obbligationem recipiendi Eucharistiam et praemittendi confessionem Communioni. Contingere potest etiam quod Sacramenta absque infamia vel scandalo relinqui nequeant. Ego tamen dicerem quod, si possibile sit petere dispensationem a S. Sede, haec peti debeat: idque speciatim si peccatorum occasio perduraret; non enim video sufficiens fundamentum ad credendum quod casus iste (supposita possibilitate petendi dispensationem, quae a S. Sede sub conditionibus et cautelis ei benevisis dari poterit) a terminis et sensu Bullae excludendus sit.

QUAESTIO V.

*Absolutio data complici extra periculum mortis quo sensu sit invalida?*

1075. Communis sententia docet, quod Confessario complici quaelibet adimitur iurisdictio, non solum circa peccatum complicitatis, sed etiam circa alia; ita ut, donec poenitens habet in conscientia peccatum illud, eo quod ab alio confessario absolutionem non obtinuerit, Confessarius complex neque directe neque indirecte absolutionem ei dare valide possit. Ita Griffini, S. Lig. aliique communissime. Fundantur in verbis Bullae dicentis: « Absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita « *omnino* sit..... cum in hoc casu nullus Confessarius (utpote « qui in huiusmodi peccati *et poenitentis genere* iurisdictione « careat.....) *habendus sit pro confessario legitimo et appro-* « *bato* ». — Attamen Salmanticenses (App. ad Bull. *Cruciatae* VI. n. 262. 287) apertissime docent, quod peccatum complicitatis ita aequiparari debet peccatis reservatis, ut absolutio non valeat quidem directe, valeat tamen indirecte si poenitens alia peccata accuset. Idem docet D'Annibali (Comment. n. 82) inquiens: « Utrum data (absolutio) irrita sit quoad omnia pec- « cata quae poenitens confessus est, quia Ben. XIV illam irri- « tam *omnino* esse voluit, an dumtaxat quoad peccatum turpe, « quia ademit Confessariis iurisdictionem tantum *quoad pecca-* « *tum huiusmodi*? Ego hoc magis puto, quia durum esset iterum « et tertio et perpetuo confitentem bona fide vacuum redire: « utcumque confessio possidet ». Ita hic Auctor (utique doctis-

simus), qui pro hac sententia citat etiam Pavone (Spicil. § 156). Reapse casus valde practicus est, ut persona complex per annos plurimos apud complicem confessionem peragat, et nunquam addiscat absolutiones esse invalidas; unde res non parum periculosa videtur quod absolutiones ne indirecte quidem valorem habeant; quare etiam videretur sufficere quod ex una parte adsit excommunicatio contra confessarium, et ex alia peccata complicitatis nunquam directe absolvantur, atque iterum accusanda remaneant, si poenitens tandem aliquando addiscat, nunquam legitime accusata fuisse. Caeterum Benedictus XIV dixit, iurisdictionem sublatam esse non absolute, bene vero quoad peccatum complicitatis, quandoquidem, ante verba supra citata, dixerat: « sublata propterea illi quacumque auctoritate et iu-« risdictione ad qualemcumque personam *ab huiusmodi culpa* « *absolvendam* ». Quid igitur concludendum? Dicerem, hanc sententiam esse probabilem; attamen in praxi (quum receptarum absolutionum valor dubius remaneat) obligationem confessiones ex integro repetendi remaneat. Vide dicta (n. 1030).

QUAESTIO VI.

*An extra periculum mortis dentur casus, in quibus poenitens, qui a peccato complicitatis nondum absolutus fuerit, a Confessario complice absolvi valide et licite possit?*

1076. Sententia communior negat absolute prorsus cum Griffini, qui (III. Reg. VII) dicit: « Videri alicui poterit non alie-« num a mente legislatoris ut epiikia opem aliquando ferat, ita « ut prudenter iudicetur, facultatem ad absolvendum non esse » sublatam, ob gravissima scilicet scandali, infamiae et mortis « (confessarii) pericula..... Veruntamen pro certa regula sta-« tuendum puto, epiikiam hanc nullo modo arcessendam esse « ad vim huius legis leniendam, adeo ut nunquam complex « Sacerdos absolutionem impertiri sibi licere arbitretur ». Ratio est quia Benedictus XIV solum et unicum articulum mortis excepit; postquam enim casum extremae necessitatis exceperit, statim explicavit quod pro hac necessitate extrema intelligi debet articulus mortis; quandoquidem dixit: « extra casum « extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo ».

At vero alii Theologi, pauci quidem numero sed gravissimi, praeter articulum mortis alios quoque casus admittunt, et censent modo quod Bullae Benedicti XIV sic interpretari pos-

sint et debeant, modo quod lex ipsa nonnullis epiikiis omnino subiicienda sit. Theologi isti credunt, quod exceptiones aliquae adeo admittendae sint, ut illas non admittere sit quid prorsus irrationabile ; Ecclesia autem in suis legibus irrationabilis esse nequit. Neque obstat quod Pontifex solum articulum mortis excepisse videatur ; praeterquam quod enim ( inspecto contextu ) alia interpretatio sustineri potest, etiam Concil. Trid. circa liceitatem absolvendi a reservatis solum articulum mortis excepit. et nihilominus alii quoque casus certo certius excipi debent. Horum Doctorum sententias hic breviter refero.

1077. D' Annibali ( Comment. 81 ) dicit : « Cessat excommu-« nicatio.... si ( confessarius ) absolvit in articulo vel periculo « mortis, *vel qua alia urgentissima causa* ». Salmanticenses ( l. c. n. 274 ) dicunt : « Tamquam certum supponimus quod, « deficiente fine huius sanctionis non tantum negative ( *quate-« nus pro eo casu lex sit inutilis, quod certe non sufficit* ), sed « etiam contrarie ( *quatenus nempe propter circumstantias « extraordinarias evaserit nimis dura, vel difficilis, vel omni-« no ruinosa* ), potest et debet Sacerdos excipere confessionem « complicis ».

1078. Veniendo autem ad particularia, en casus practici, in quibus ( iuxta Theologos benigniores ) absolutio dari valide et licite potest.

I. *Casus complicis absoluti inadvertenter, quamvis peccatum complicitatis accusaverit.* « Si ( confessarius ) neque in ac-« cessu neque in progressu complicem agnoscat, et alias poeni-« tens bona fide accedat, et alia peccata mortalia vel venialia, « praeter inhonesta cum confessario commissa, pro materia « apponat, erit valida absolutio ; et inhonesta peccata manebunt « indirecte remissa ». Ita Salmant. ( l. c. n. 296 ), qui citant Azedo. — Scavini ( III. 485 ) dicit : « Si complicem suum inad-« vertenter absolveret, valet absolutio, ex Alasia, Stuardi et « aliis ». — Commentator Rom. ( l. c. pag. 312 ) idem sentit, et credit hunc casum esse prorsus extra terminos Bullae, quia Pontifex loquitur de Confessario sacrilego, qui non iam inadvertenter, sed sciens et volens ausuque temerario complicem absolvit ; et huic non vero illi iurisdictionem aufert. Sic autem absolutio non solunt indirecte ( prout dicunt Salmanticenses ) sed etiam directe valida esset. — Idem sentiunt Del Vecchio ( I. 582 ), De Varceno ( VI. v ) et D' Annibali ( l. c. 82 ), qui ( contra Griffini Cas. VII aliosque plures ) censet, poenam nullitatis absolutionis ita stricte coniungi cum poena excommu-

nicationis, ut toties quoties haec non incurritur, ne illa quidem incurratur.

II. *Casus complicis, qui peccatum complicitatis bona fide reticuerit.* Absolutionem hoc in casu valere indirecte, (contra Griffini Cas. XI. aliosque multos) docent (ll. cc.) Pavone, Scavini, De Varceno et Del Vecchio; sensus enim Bullae est ut absolvatur poenitens qui peccatum complicitatis clavibus subiiciat: non vero qui illud nullo modo accuset; multo magis quia Bulla dicit: « Sublata iurisdictione ad qualemcumque per- « sonam *ab huiusmodi culpa absolvendam* ».

III. *Casus in quo Confessarius dubitet quidem sed non sit certus quod talis vel talis poenitens, qui de peccato cum Sacerdote commisso se accusat, sit illa eadem persona quae cum ipso peccavit.* In hoc casu, si ope aliquarum interrogationum Confessarius, caute et quin se prodat, dubium suum solvere possit, interrogationes easdem facere tenetur; sed, si nequeat interrogare aut si non obstantibus interrogationibus perseveret dubium, nihil vetat quominus confessionem integram audiat, et poenitentem valide et licite absolvat; lex enim exigit *ausum* et proinde non loquitur de casu isto. Ita contra Griffini (cas. IX) sentiunt Comment. Rom. (pag. 333), D'Annibali (n. 81), Gury (Cas. consc. n. 620), Ituriaga aliique. — Sed quid si dictas interrogationes facere quidem potuisset, sed non fecisset, et sic reapse complicem absolvisset? Peccasset certe. A censura illum excusant Comment. Rom. (pag. 314), Comment. Pat. (n. 179), Del Vecchio, aliique, cum ipso Griffini, qui (III. reg. XIV) inter ignorantiam crassam et affectatam nullam distinctionem facit. Lex enim (cf. Bull. *Apostolici muneris*) exigit temeritatem et praesumptionem, quae plenam advertentiam et voluntarium perfectum importat. Attamen contra praedictos observat D'Annibali (n. 81) quod hodie Const. *Apostolicae Sedis* de hac temeritate et praesumptione nihil habet; et alioquin haec Const. expresse monet, censuras robur habere *eo modo* quo in ipsa insertae sunt, *non secus ac si primum editae fuerint.* Haec ratio me convincit; et proinde censeo quod ignorantia ita vincibilis, ut vere crassa et supina dicenda sit, ab excommunicatione non excuset. Idem dic a fortiori de ignorantia affectata.

IV. *Casus, in quo Confessarius advertat quidem poenitentem esse suum complicem, sed simul credat quod (v. g., propter temporis lapsum) iam ab aliis fuerit absolutus.* Si confessarius iam de hoc sit mortaliter certus, et poenitens reapse peccatum complicitatis non accuset, res plana est; nisi forte

ratio specialis suadeat quod confessio propter periculum non sit excipienda. — Si vero de absolutione ab alio obtenta sit dubius, tunc debet interrogare poenitentem ; neque potest audire confessionem si ex responsionibus reperiat quod peccatum illud adhuc in conscientia habeat. — Si credens quod poenitens absolutionem iam obtinuerit eius confessionem audire coeperit, et praeter expectationem eiusdem peccati accusationem audiat ; tunc sub poenis a Bulla comminatis poenitentem ipsum ad alium confessarium mittere debet. — Denique si poenitens de peccato complicitatis verbum non fecerit, sed Confessarius advertat quod illud adhuc in conscientia habet ; tunc poterit quidem facile adesse culpa gravis propter auditionem confessionis, omissa monitione de peccato illo prius apud alium accusando iuxta dicta (Quaest. II) ; sed censura et invaliditas absolutionis locum non habebunt, quia Pontifex loquitur de casu in quo peccatum accusetur, ut supra (Cas. II) dicebam.

V. *Casus, in quo gravis infamia vel scandalum vel alia seria, gravis atque extraordinaria necessitas ad confessionem audiendam atque absolutionem dandam Confessarium impellat.* Salmanticenses (n. 262) ad quaestionem : « Num extra peri-« culum mortis possit Sacerdos complex valide et licite audire « confessionem poenitentis, si ex una parte urgeat necessitas « confitendi, et ex alia si ab alio confessario eius confessio ex-« ciperetur, sequeretur infamia vel scandalum ? » respondent : « Confessarium complicem posse in eo casu absolvere poeniten-« tem indirecte », et pro necessitate confitendi adducunt exemplum temporis paschalis. — Idem sentit Commentator Romanus (pag. 332) ; imo dicit absolutionem dari posse etiam directe (pag. 351). Ratio est quia id ex ipsa Bulla *Apostolici muneris* satis patet ; quum enim Benedictus XIV in priori Bulla dixisset, quod etiam in mortis articulo Confessarius complex confessionem audire nequit, praesente alio Sacerdote, quaestio suborta fuit an, non obstante infamia, scandalo aut quavis alia gravi necessitate, Confessarius ipse a confessione audienda abstinere deberet ; et Pontifex declaravit esse suam mentem, quod, in casu huius infamiae vel scandali vel cuiuslibet verae et gravis necessitatis, Confessarius complex possit valide et licite confessionem audire. Sic autem satis superque ostendit quod iurisdictionem intactam reliquit, non solum si id necessarium sit ad consulendum saluti aeternae poenitentis deficiente alio sacerdote, sed etiam si id exigatur ad evitandam infamiam aut alia incommoda gravia. Quod autem id dixerit solum pro arti-

culo mortis, hoc per accidens fuit; quia nempe quaestiones subortae talem casum respiciebant, et proinde de illo in Bulla sermo erat. — Obiicit Griffini: Poenitens potest sibi consulere ope contritionis, et sic accedendo ad Communionem quamlibet infamiam et quodlibet scandalum evitare. Sed notandum quod in praxi poenitentes (maxime quando huiusmodi enormia delicta in conscientia habent) non facile induci possunt ut sine absolutione ad Sacram Mensam accedant. Insuper Ballerini (n. 587) dicit: « Ecclesiae mentem et praxim nunquam hanc exti-« tisse, ut quandocumque iurisdictionem restringit... committe-« re per hoc voluerit, ut posthabita Christi lege de peccatorum « venia per Sacramentum poenitentiae quaerenda et obtinenda, « iustificationis gratiam solum per contritionem aut etiam solum « per indirectam criminum remissionem fideles consequerentur; « utcumque enim haec media ad gratiam reconciliationis cum « Deo, atque adeo ad aeternae salutis consecutionem sufficien-« tia.... sint; Ecclesia tamen oeconomiam a Christo praestitu-« tam, quantum in se est, negligi non permittit ».

Hinc Commentator Rom. (pag. 331 et seqq.) inter causas excusantes recenset quoque extraordinariam poenitentis verecundiam, propter quam manifestissimo et gravissimo periculo reticendi sacrilege peccata sua exponatur; prout contingeret si puella versaretur in necessitate vel apud complicem vel apud proprium fratrem confessionem faciendi.

1079. Quid si Confessarius cognosceret quidem complicem, sed iste illum non cognosceret? R. In hoc casu Confessarius (saltem ordinarie) absque ulla infamia complicem advenientem admonere, eumque ad alium remittere potest; et proinde haec causa non excusat. Comment. Rom. (pag. 323).

### QUAESTIO VII.

### *Quid de facultate, quae interdum obtinetur absolvendi complicem?*

1080. Facultas petitur a S. Poenitentiaria sub nomine ficto; dicendo, v. g., Titius Sacerdos petit facultatem (quam aliis vicibus nunquam petivit) absolvendi complicem. Causa est.... (explicetur causa propter quam persona complex ad alium Confessarium mitti nequit). Vide dicta (n. 923). Ipse Sacerdos

complex sic in tertia persona scribere, atque obtenta facultate uti potest. Saettler de Min. Poen. q. 8.

Episcopi ( nisi specialem habeant delegationem ) facultatem istam concedere nequeunt. Cf. Gury ( Cas. conse. n. 644 ).

QUAESTIO VIII.

*Quid de absolutione excommunicationis contractae a Confessario, qui complicem absolvit?*

1081. Hodie non solum ex decisionibus S. U. I. ( quae adducuntur a Gury Cas. cons. 646 ), sed etiam ex Const. *Apostolicae Sedis* apertissime patet quod Episcopi, nequidem ex cap. *Liceat*, ab hac censura absolvere possunt; nisi specialiter fuerint ad hoc delegati ( interdum enim Episcopi aut Missionarii hanc facultatem pro numero determinato casuum, v. g., pro sex casibus, obtinent ). Recurrendum est itaque ad S. Poenitentiariam, quae facultatem sub sequentibus conditionibus concedere solet. Dicit: « Dummodo agatur de casu occulto; remota « prius occasione amplius peccandi cum persona complice; « iniuncta gravi poenitentia salutari, quodque ab audiendis « complicum confessionibus, quantum citra grave scandalum « poterint, abstineant: et si ad ipsos accesserint, monitas de « nullitate praeteritarum absolutionum ad alium Confessarium « non complicem remittant. Quod si evenerit ut aliquis Con- « fessarius tres complices, vel unam tantum, sed tribus vicibus « absolverit, tunc ei iniungas ut officium Confessarii infra ter- « minum iudicio tuo, pensatis circumstantiis, definiendum, non « tamen ultra sex menses, omnino dimittat ».

Si autem casus urgeat, si nempe miser Confessarius indigeat absolvi hic et nunc, eo quod, v. g., absque infamia vel scandalo a Missa celebranda et Sacramentis administrandis abstinere nequeat, tunc ( saltem si ad Episcopum recurrere nequeat ) a quolibet Confessario absolutionem obtinere poterit; sed cum onere standi supradictis Ecclesiae mandatis. Vide supra ( n. 1061. XIII ) et Gury ( Cas. conse. n. 638 ).

Si demum dictus Confessarius ex una parte absolutionem obtinere nequiret, et ex alia versaretur in necessitate Missam celebrandi vel quomodocumque Ordinem Sacrum exercendi, non ideo irregularis evaderet, iuxta dicta ( n. 592 ).

## PUNCTUM II.

### DE OBLIGATIONE AUDIENDI CONFESSIONES

1082. Quoad Parochum de hac obligatione iam egi supra (n. 761. 762). Loquendo itaque de Sacerdote, qui ex officio hanc obligationem non habeat, sequentia statui debent.

I. Tenetur accurrere sub gravi si, deficientibus aliis, pro moribundo qui sacramentali absolutione indigeat advocetur; idque etiam tempore pestis (et proinde cum periculo vitae), si qui ex officio tenerentur (v. g., propter infirmitatem) accurrere nequirent. In huiusmodi enim casibus, quidquid sit de obligatione charitatis erga ipsos moribundos (eo quod plurimi rudes contritionis perfectae necessitatem aut saltem dotes ignorent) certum est quod, si Sacerdotes operam suam denegarent, magnum scandalum darent. S. Lig. (VI. 624) et cf. Lugo (XXII. 12. 13).

II. Si in loco magna sit Confessariorum penuria; ita ut multi Christifideles, confitendi commoditatem non invenientes, toto anno sine Sacramentis remanere cogantur, et forsan ipso tempore paschali ad illa accedere vix possint; tunc certe male se gerunt Sacerdotes, qui ut negotiis saecularibus (ne dicam venationi, ludo vel otio) indulgeant, ab audiendarum confessionum ministerio refugiunt. Male, inquam, se gerunt, non solum si ad illas audiendas iam sint approbati; sed etiam si, probe dignoscentes Episcopum eos fore libenter approbaturum, ad examen se non praeparent, quamvis sat commode se praeparare possent. S. Lig. (l. c. 625). Caeterum in praxi Sacerdotes, qui confessiones audire nolunt, nisi gravi et firmo Episcopi praecepto obstinate resistant, non facile, accusandi sunt de peccato mortali; quando enim peccatum mortale certe subsistat, propter multas circumstantias, raro et difficile determinari poterit.

## PUNCTUM III.

### DE SOLLICITUDINE, QUAM DEBET HABERE CONFESSARIUS, OFFICIUM SUUM (ADIUVANTE DEO) BENE EXERCENDI; ET QUOMODO OMNES AB IPSO EXCIPIENDI SINT LIBENTER.

1083. I. In negotiis omnibus bonus exitus ab hoc quam maxime pendet quod illa valde cordi sint. In hunc finem Confes-

sarius magna motiva ( supra recensita n. 1. 2 ), quibus ad exercendum officium suum recte et libenter impelli debet , saepe saepius in mente habeat. A ferventi desiderio procurandi observantiam Divinae legis, et omnimodam gloriam Dei, atque salutem animarum, unice moveatur ; neque ullum alium respectum vel finem in corde suo admittat.

II. Expedit ut, toties quoties ad sedem confessionalem se confert, ( quasi Angelus descendens ad Probaticam, in qua iacebat multitudo magna languentium , coecorum , claudorum et aridorum ) huiusmodi intentionem efformet ; illam postea identidem renovaturus. Valde convenit etiam ut notissima oratione *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam* (pro qua semel in die 100 dier. indulgentia adest) Deo se commendet. Cf. Scavini ( II. 163 ). Rituale dicit : « Priusquam ad « audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium « recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus « implorabit ». Si autem tempus non suppetat, ad minus mentem ad Deum elevet, et brevissima prece eius auxilium expostulet; quod adeo necessarium est ; multa enim sunt pericula non solum errandi cum spirituali poenitentium damno ; sed etiam animae propriae detrimentum subeundi.

III. Rituale dicit etiam : « Sacerdos ad audiendam confessio- « nem vocatus promptum facilemque se praebeat ».

*A* ) Requisitus itaque , nisi gravi impedimento detineatur, operam suam non deneget ; imo si ageretur de aliquo magno peccatore, aut de persona quae forsan nc in Paschate quidem ad Sacramenta accedere soleat, non obstante aliquo incommodo et sacrificio, facillime annuat. Hae sunt aves quae in volatu capi debent. Heu quam saepe accidit ut peccatores huiusmodi, una habita repulsa, plurimis annis et forsan tota vita in peccatis tabescant et de Sacramentis recipiendis amplius non cogitent ! Supposita autem absoluta confessionem audiendi impossibilitate, Confessarius displicentiam ostendat, et poenitentem roget ut alia vice ( conveniendo de die et hora ) redeat. Vae Confessariis, qui huiusmodi peccatoribus dicunt : *Ite ad vestrum Confessarium ; non habetis vestrum Parochum ? Cum illis , qui solum in Paschate veniunt, meum tempus perdere nolo etc.*

*B* ) Sunt qui personas nobiles libenter audiunt et pauperes despiciunt. Sunt qui cum personis devotis libentissime immorantur, et miseros peccatores quantum possunt declinant. Sunt qui suos quidem consuetos poenitentes audiunt sed alios audire nolunt ; aut saltem aliquos acceptant, et alios repellunt. Distin-

ctiones istae non sunt faciendae. Sumus animarum piscatores; retia tendimus, et pisces omnes, qui adveniunt, capere debemus. Repulsae sunt valde periculosae non solum in casu supradicto alicuius magni peccatoris, sed etiam in aliis. Qui ad te venit, hoc ipso ostendit suam confidentiam in te reposuisse, et forsan tibi accusabit peccata, quae apud ullum alium neque accusavit neque accusaturus est. Adde lamenta quae a personis reiectis fiunt: adde iudicia sinistra, murmurationes et zelotypias; maxime si, v. g., dum puellae retinentur et forsan quaeruntur, haec vel illa vetula acceptari nollet.

*C*) Aliqui poenitentes taedium et fastidium ingerunt. Oris graveolentia, v. g., vel surditate vel balbutie laborant; sunt ignorantes et stupidi, vel nimis loquaces, vel scrupulosi etc. Multi Confessarii hos declinant; sed valde male se gerunt. Idem dic si Sacerdos respueret poenitentem sive quia Confessarium extraordinarium adiverit, sive quia redeat postquam longo tempore alio Confessario usus fuerit.

*D*) Quid de illis mulierculis quae apud omnes Confessarios in gyrum se conferunt, et apud neminem stabiliuntur? Suntne respuendae? Negative. Poterit quidem expedire ut consilium de firmitate habenda apud unum Confessarium eis detur; sed recolendum quod inter alias infirmitates spirituales haec etiam instabilitas recenseri debet. Fundatur in ipsa indole levi et volubili; atque ordinarie remedium non admittit; si enim huiusmodi mulierculae a te reiicerentur, ad alios migrarent. Nunquid ab aliis quoque, nunquid ab omnibus reiici debent? Minime sane. Ad summum itaque Confessarius det eis praedictum consilium; sed illas non respuat. Consideret potius quod forsan magis indigent, et sic maiori cura adiuvandae sunt.

*E*) Quid de illis mulierculis; quae de Confessario loqui solent: et dicunt, v. g.: Meus Confessarius talem vel talem interrogationem mihi fecit, hoc et hoc mihi dixit etc.? R. Notandum quod mulieres plurimae, et speciatim devotulae, plus vel minus ita se gerunt. Nunquid ideo propter periculum istud devotulae omnes sunt respuendae? Imo, si omnibus loci Confessariis notum esset quod talis vel talis mulier dicto vitio laboraret, nunquid ideo ab omnibus reiicienda esset? Dicerem potius, caute cum omnibus et adhuc cautius cum quibusdam esse procedendum; vitio detecto, correctionem *indirecte nempe ad modum instructionis* fieri quidem posse atque interdum oportere; sed personam non esse reiiciendam, nisi forte ab illo ipso Confessario, de quo ex levitate vel malitia periculose locuta fuerit, si vere

de re momentosa ageretur. In repulsa autem semper utendum erit aliquo praetextu et cavendum ne motivum exprimatur ; secus enim huiusmodi levissimae mulieres dicteriis et querimoniis ea de re finem non imponerent ; cum illis de quibus suspicantur quod delationem fecerint, magnas lites facerent ; et Confessarium ipsum fastidiis multis torquerent.

*F*) Quid de illis poenitentibus qui veniunt, quamvis proprium Confessarium stabilem habeant ? R. Pro una vel altera vice, et uno verbo si non agatur de Confessarii mutatione, nulla difficultas in medium poni debet. Aditio Confessarii extraordinarii ab omnibus vitae spiritualis magistris consulitur. Si autem ageretur de stabili Confessarii mutatione. tunc inquirenda essent motiva. Si illa non essent iusta, de mutatione non facienda consilium dari deberet. Si tamen poenitens notabiliter reluctaret, tunc ordinarie non valde esset insistendum ; ex una parte enim agitur de solo consilio, et ex alia haec ipsa reluctantia non levem coniecturam suppeditaret quod confidentia imminuta fuerit. Adde quod interdum personae huiusmodi habent reapse necessitatem seu iustam causam mutandi Confessarium, quam tibi se esse significaturas sperant, quamvis hucusque illam tibi significare ausae non fuerint. Dixi *ordinarie ;* si enim, v. g., credendum esset quod, propter solam sympathiam erga te conceptam, muliercula suum bonum Confessarium descereret, tunc firmiter respuenda esset.

*G*) Quid si Confessarius deprehendat quod aliqua poenitens affectum erga seipsum conceperit ? R. Videndum imprimis de quo affectu res sit. Interdum est mere spiritualis, quatenus poenitens (quae proprio spirituali profectui serio attendit) amat illum qui animae suae bonum procurat ; et tunc non est cur de repulsa loquamur ; et solum adhibendae erunt cautelae (quae suo loco indicabuntur), ne affectus spiritualis in carnalem transeat. Idem dic si poenitens aliquibus quidem erga Confessarium subiiceretur tentationibus ; sed illis consentire non soleret. Attamen prudentia exigere potest ut poenitenti id manifestanti Confessarius suggerat ut alteri Sacerdoti prudenti rem totam exponat eiusque consilio stet. — Interdum e contra affectus ex levitate vanaque sympathia procedit aut etiam omnino carnalis est. Huius signa sunt speciatim si poenitens (personis fide dignis hoc referentibus) de pulchritudine Confessarii, aut de amore quo erga illum afficitur, loquatur ; si ab eo solo Communionem recipere velit ; si zelothypiam ostendat contra alias ; si eius imaginem petat ; si eius visitationes exoptet ; si munuscula vel

dulciaria ei praebeat; si (quin sit scrupulosa) singulis diebus ad illum pro confessione accedat multumque in confessionali immorari satagat: si semper eum videre nimisque frequenter cum eo esse procuret etc. In his casibus magna severitas necessaria est; et, saltem si sermo brevis et durus non sufficiat, huiusmodi periculosissimae mulierculae, sin minus claudendo eis in faciem confessionalis ostiolum, saltem aliquo praetextu arceri debent.

*H*) Quid si, nullo defectu subsistente a parte poenitentis, ipse Confessarius propter suam fragilitatem occasione illius (v. g. propter quorundam peccatorum carnalium accusationem) tentationibus subiiciatur? R. Tentationes huiusmodi ordinarie non repellendo poenitentem, sed aliis mediis vinci debent; secus enim, praeter quam quod repulsa huiusmodi poenitentem innoxiam (cui motivum significari nequiret) offenderet, et ipsum sigillum confessionis in discrimen coniicere posset; Confessarius, ut plurimum una reiecta poenitente, alias postea simili de causa (non sine augustia frequenti, dicteriis et detrimento suae existimationis) reiicere deberet.

*I*) Quid si existimes te non habere scientiam sufficientem ut talem vel talem personam recte iudices aut dirigas? R. Potest dari casus rarissimus in quo rogare poteris poenitentem ut se conferat ad alium Confessarium doctiorem, dummodo timendum non sit ne ille quoque similem difficultatem in medium afferat. Caeterum regulariter, saltem prima vice, confessionem audire debes: dum enim illa persona ad te venit, hoc ipso demonstrat quod prae caeteris opera tua indigere credit et confidentiam suam in te collocat, ut supra dicebam. Quisnam scit ne forte tibi revelatura sit aliquid, quod aliis revelare non audeat? Adde quod si esset bona regula recusandi audire confessionem propter huiusmodi motivum, tunc non solum a te sed etiam ab aliis servari posset; et sic personae quae confessione magis indigent difficile invenirent Sacerdotem eas auditurum, unde propter timorem novae repulsae a Sacramentis alienarentur. Audi itaque confessionem; et, si percipias te non posse conscientiae poenitentis, propter tuam ignorantiam, providere, dic ut redeat alia vice, dum interim, probatos Auctores aut (de eius licentia, si opus sit) aliquem virum prudentem consulendo, ad rectum consilium ei dandum te praepares. Et si ne hoc quidem modo ei satisfacere valeres, tunc intra ipsam confessionem (non vero extra, ne frangatur sigillum) illi imponere deberes ut alium Confessarium magis doctum adeat. Si annueret, et si hic et nunc abso-

lutione indigeret, illum absolvere posses. Si demum de mera directione spirituali ageretur, tunc consilium quidem ei dare posses de meliori Directore adeundo; at vero, si libentius opera tua uti vellet, nec intra nec extra confessionem illum respuere, sed potius te Deo commendare eumque meliori modo possibili dirigere deberes.

*K*) Quid dicam de illis Confessariis, qui mulieres libentissime audiunt, et, statim ac foeminam aliquam prope confessionale vident, ad illam (maxime si sit iuvenis) advolant; sed viros quantum possunt declinant? Apertissime patet quod pessime se gerunt. Nunquid viri animam non habent? Nunquid confessione magis non indigent quam foeminae? Nunquid non solent habere peccata graviora? Eccur itaque differentia ista? Sacerdotes huiusmodi palam faciunt quod (ad minus) laborem effugere satagunt, et a spiritu Christi, cui magni peccatores magis cordi sunt, longe aberrant. Dixi *ad minus*, interdum enim suspectum ingerere possent quod foeminae ipsis valde magis placeant, et quod ex sympathia confessiones audiant. Dedecus (ne dicam obbrobrium) magnum hoc est; et pessimas habet consequentias. Praeter scandalum, quod ex hac agendi ratione ingeritur, accidit ut viri, qui ordinarie magis indigent et raro Sacramentis reficiuntur, a Sacramentis ipsis magis magisque alienentur. Occasione Paschatis aut alicuius magnae solemnitatis vel indulgentiae summo mane coadunantur in choro vel sacristia: sed Sacerdotes non adsunt; dormiunt. Expectant ipsi et suspirant. Venit aliquis Sacerdos tandem. Occurrunt, petunt ut illos audiat. Respondet: non possum. Sumit stolam atque ad audiendas mulieres se confert. Venit alius Sacerdos, et idem facit. Ex tali agendi ratione quid expectandum, nisi ut viri quamlibet Sacramenta recipiendi voluntatem amittant et amplius non redeant? Equidem Ecclesiarum Rectores, sive statuendo ut hic vel ille Sacerdos viros audiat, sive (saltem quando viri turmatim accedere soleant) determinando horas, in quibus de more soli viri a Confessariis omnibus audiantur, huic rei providere deberent; sed quomodo providebunt, si Sacerdotes recusent? Provideant itaque Rectores, et Sacerdotes libenter obediant. Si autem Rectores obedientiam istam obtinere nequirent, tunc (quum agatur de re adeo momentosa) apud Episcopum reclamare deberent. Porro lex severa necessaria esset. Sed, quamvis Rectores nullo modo providerent, Sacerdotes ipsi facere deberent quidquid possunt, ut inconvenientia huiusmodi non accidant. Quando adsunt viri (et adesse solent summo mane, ut modo

dicebam), non est cogitandum de foeminis. Ipsae maiorem habere solent patientiam, facilius expectant; et si eo die sine confessione remaneant, hoc parum refert; alia die redibunt. Aliquando dum multi viri sunt in sacristia, aliqui sunt etiam ad confessionale, et tunc istr quoque ad sacristiam advocentur. Si autem iam sit in more positum quod talibus vel talibus diebus et horis Confessarii non sint in confessionalibus, bene vero in sacristiis ad audiendas virorum confessiones; ex tali more iam cognito tam viri quam mulieres regulam sumunt, et nullum omnino inconveniens oritur. Rogo atque rogo ut ista considerentur.

*L*) Si malum est poenitentes a se repellere, malum est etiam illos ad se advocare, idque maxime si de foeminis agatur. Pessime se gerunt illi stultissimi Confessarii, qui animadvertentes aliquam poenitentem tempore consueto non rediisse, inquirunt quid acciderit, per aliam poenitentem illam ut redeat invitant, querimonias movent, et, quasi thesaurum amisissent, pacem non habent. — Si tamen ageretur de aliquo magno peccatore qui a longo tempore non sit confessus, aut de infirmo, expedire solet ut, introducto sermone de confessione eoque paullisper disposito, Sacerdos ei dicat: *Eia age, confiteamur nunc.*

*M*) Caeterum regula ordinaria haec esse debet: *Neminem quaerere, neminem repellere.*

*N*) Curandum ut poenitentes non expectent. Horae sint fixae, et Confessarius sit promptus: idque speciatim si de viris agatur, ut modo dicebam, aut de personis quae necessitatem habeant se cito expediendi, prout speciatim esse solent matresfamilias et famulae; maxime vero si, confessione nunc non facta, difficile sit quod cito redeant. Christifideles ius habent ut Sacramenta ipsis ministrentur. Sacerdotes non sunt eorum domini sed ministri. Quamvis poenitentes essent infimae plebis, nihilominus Sacerdotes pro Christi amore promptissimum eis, quasi Principes essent, servitium praestent.

*O*) Non solum prompte sed patenter bono animo omnes excipiantur. Hoc valde deservit ut poenitentes (speciatim magni peccatores, maxime vero si prae verecundia non facile propria peccata accusent) libenter accedant, propriamque conscientiam plena sinceritate confidenter aperiant.

## ARTICULUS II.

### DE MINISTRO ACTU CONFESSIONIS

### PUNCTUM I.

#### PRINCIPIA GENERALIA

1084. Confessarius, dum officium suum exercet, tria respicere debet, nempe 1° bonum Sacramenti; 2° bonum poenitentis; 3° bonum publicum.

Respiciendo bonum Sacramenti, curabit 1° eius validitatem, quae non solum a prolatione formae, sed etiam a dispositione subiecti pendet; 2° eius integritatem tum quoad peccatorum accusationem, tum quoad satisfactionis impositionem; 3° eius administrationem legitimam, servando ritum ab Ecclesia praescriptum. Curabit 4° ut Sacramentum nullo modo dehonoretur; 5° ut nullo modo odiosum reddatur. Sic autem proprias partes Ministri Sacramenti et Iudicis adimplebit.

Respiciendo bonum poenitentis, 1° Illum adiuvabit ut peccata sua integre confiteatur; 2° Eum efficacibus verbis ad contritionem adducere conabitur; 3° Remedia salutaria ei assignabit; 4° Observabit an pro eius spirituali bono melius sit ut illum absolvat, an vero ut ei absolutionem differat; 5° et an illum instruere an vero in bona fide relinquere expediat. Porro sic suum patris, medici, et magistri officium adimplebit.

Respiciendo bonum publicum, cavebit, v. g., ne talis aut talis personae nimis frequens auditio, vel in quibusdam circumstantiis confessionis ipsius nimis in longum protractio, vel ipsa absolutionis concessio aut denegatio, aliquod scandalum aliudve publicum malum productura sit.

Quid in conflictu? Quid nempe si bonum poenitentis talem exposceret agendi rationem, quae plus vel minus in praeiudicium Sacramenti cederet; aut si bonum publicum aliquid exigeret, quod cum bono sive poenitentis sive Sacramenti non cohaereret? R. Subiectus omnino indispositus nunquam absolvi potest. Sed, praescindendo ab hoc casu, bonum poenitentis bono Sacramenti; et bonum publicum utrique praeferri debet.

Sed haec nimis generaliter dicta sunt. Veniamus ad particularia.

## PUNCTUM II.

### DE INTERROGATIONIBUS

### § I.

*De obligatione interrogandi.*

1085. Interrogationes saepe saepius necessariae sunt ad consulendum bono poenitentis; nempe 1° ad praebendum ei auxilium, ut, non obstante verecundia, peccata sua sincere confiteatur: 2° ad cognoscendum an illius infirmitates spirituales sint graves an vero leves: 3° ad cognoscendum quaenam remedia ei applicari debeant. Saepissime necessariae sunt etiam ad consulendum bono Sacramenti, nempe ad procurandam 1° eius validitatem, inquirendo speciatim an dispositiones requisitae adsint: 2° eius integritatem, interrogando poenitentem circa ea quae ex oblivione vel inadvertentia reticet. Quatenus interrogationes ad huiusmodi fines necessariae videantur, fieri debent sine dubio, nisi aliquid obstet. S. Th. (in IV. XIX) dixit: « Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confes- « sione, quasi medicus vulnus et iudex causam ». Et Rituale dicit: « Si poenitens numerum et species et circumstantias « peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sa- « cerdos prudenter interroget ».

1086. Dixi *nisi aliquid obstet*; interdum enim interrogationes, quamvis ad praedictos fines necessariae forent, periculum mali maioris (v. g., poenitentem in malitiam coniiciendo, scandalizando, offendendo, nimio taedio afficiendo * etc.) continere possunt; et tunc (prudentia id exigente) omitti debent. Interdum etiam, quamvis non debeant, tamen possunt omitti; idque contingit si propter interrogationes aliquod grave et extraordinarium incommodum Confessario obveniret. Incommoda levia et ordinaria certe non excusant; sed non est ita de gravibus et extraordinariis. Casus esset, v. g., tempore pestis; vel si

* Idem dic a fortiori si Confessarius sciret, poenitentem esse unam de illis levissimis foeminis, quae confessionem traducunt, nempe de confessione et de interrogationibus sibi a Confessario factis facile loquuntur. Cum huiusmodi personis, si forte interrogationes genericae non sufficerent, non ideo Confessarius ad particularia in genere luxuriae descendere deberet. Hinc scripsit S. Lig. (VI. 632) « Interrogationes in materia castitatis debent esse paucae et cautae, « ne (Confessarius) vel occasionem det investigandi, aut traducendi confessio- « nem, aut ignorantem doceat, aut offendat, aut se vel illum periculo exponat ».

Confessarius, propter stupiditatem aut surditatem poenitentis, facta una vel altera interrogatione nihil percipere potuisset; (S. Lig. *Praxis* n. 20); item si Confessarius ipse propter interrogationes aliquando gravibus tentationibus exponeretur. Si tamen nimis frequenter id accideret, non ideo posset (sicut pro casu raro) interrogationes omittere; sed deberet dimittere officium aut aliis mediis sibi consulere. Quid si Sacerdos propriae matris confessionem (v. g., urgente periculo mortis) audire cogeretur? Deberetne interrogationes facere etiam circa peccata probrosa? R. Sufferre ut propria mater rubori huiusmodi subiiciatur, maximum incommodum (cui natura nimis repugnat) mihi videtur. In tali casu dicerem quod filius monere posset matrem ut dicat solum peccata de quibus non verecundatur; alia vero, si quae sint, tranquilla conscientia reticeat, quandoquidem illa audire non vult. Sic, inquam, dicerem; sed quum haec quaestio nunquam ab Auctoribus (quod sciam) agitata fuerit; illam sapientioribus firmiter resolvendam relinquo.

1087. Sub qua culpa tenetur Confessarius interrogationes facere? R. Navarrus, Sporer aliique dicunt teneri sub gravi. Hoc tamen cum mica salis intelligi debet. Equidem si interrogationum defectus talis ac tantus esset, ut Confessarius neque statum poenitentis cognoscere, neque congrua remedia ei suppeditare valeret, multo magis si exinde ipse Sacramenti valor in discrimen coniiceretur: tunc certe culpa gravis adesset: si vero ex interrogationum defectu sola integritas confessionis detrimentum pateretur; non quatenus confessio mere generica acciperetur, sed quatenus aliquae interrogationes (v. g., circa numerum peccatorum, aut circa aliquam circumstantiam speciem mutantem, aut circa aliquas species infimas bona fide reticitas) omitterentur; tunc non credo quod culpa sit mortalis. Ita sentit etiam Gury (Cas. Conse. II. 667). Ex eo autem quod poenitens peccaret mortaliter, si mala fide aliquid huiusmodi reticeret, non sequitur quod Confessarius quoque, interrogationes omittendo, mortaliter peccet. Praeceptum divinum de accusandis omnibus culpis obligat quidem graviter; sed respicit poenitentes, quibus propter peccata commissa confessio ad poenam et fraenum quam maxime necessaria est. Confessarii autem tenentur quidem procurare ut confessiones eorundem sint integrae, sed haec obligatio in ipsis non ex peccatis a se commissis, sed ex alio capite provenit; estque minus rigorosa; secus enim, si esset peccatum mortale vel unam ex huiusmodi interrogationibus omittere, tunc officium Confessarii nimis one-

rosum nimisque periculosum et odiosum evaderet. Adde quod sola integritas Sacramenti, (praescindendo a dicta obligatione poenitentis propria) non obligat sub gravi, ut patet etiam ex casu satisfactionis levis, quae a poenitente non adimpleretur (vide dicta n. 1051), vel a Confessario non imponeretur. Lugo (XXV. 49).

## § II.

### *Regulae principales circa interrogationes.*

1088. Interrogationes debent esse

I. *Necessariae*, quatenus nempe exigantur ad fines supra recensitos (n. 1085). Hoc tamen non impedit quominus interrogationes non stricte necessariae fieri possint, dummodo sint *utiles*. Caeterum sedulo servanda est regula Ritualis dicentis: « Caveat (Sacerdos) ne inutilibus et curiosis interrogationibus « quemquam detineat ».

II. *Prudentes*; cavendum est scilicet ne aliqua interrogatio potius in malum quam in bonum redundet, ut supra (n. 1086) dicebam, et infra minutius explicabitur. Quid de illis, qui, ut intelligant an foemina se polluerit, dicunt: *Sensistine te madefactam?* R. Haec interrogatio, praeter quam quod indecens est et valde male sonat, est etiam imprudentissima; in multis foeminis enim hic effectus non accidit; idque quamvis in malitia sint et motibus carnalibus usque ad plenam satisfactionem subiiciantur. Curiositatem itaque multipliciter acuere posset. Adde quod facile est inutilis; ex una parte enim, si poenitens significaverit se tactus impudicos perpetrasse, iam subintelligitur quod actum ad suum naturalem finem perduxerit; et ex alia plures foeminae madefactionibus sive naturalibus sive morbosis, modo sine ullo et modo inchoato solum sensu venereo (ut notant Capellmann et Lecompte) facile subiiciuntur.

III. *Modestae*. Faciendae sunt nempe verbis modestioribus. Egregie scripsit Frassinetti (Diss. XI): « Quis piae aut saltem « sanae mentis Sacerdos inter sacra Ecclesiae septa, medius « inter altaria, super quae immolatur Agnus Dei, in adminis« stratione Sacramenti, quod est lavacrum eiusdem Sanguinis, « quis audeat et non horrescat vocabula adhibere lupanaribus « potius consona, praesertim alloquendo mulierculas, ut exqui« site exquirat omnium spurcitiarum genera? » Expressiones, quibus modeste interrogationes quaelibet fieri possunt, non de-

sunt. Sic, v. g., ad intelligendum an adfuerit sodomia. Sacerdos quoad personas eiusdem sexus dicere poterit : *Fecistine id tactibus, an vero modo peiori?* Et quoad personas diversi sexus ; *Peccastine etiam contra naturam?* Sed, si Confessarius in promptu non haberet nisi verba quae sacerdotali pudori non conveniant, tunc interrogationem omittere non solum posset, sed sub gravi deberet.

Circa modestiam et prudentiam interrogationum notandum insuper quod aliqua expressio potest adprobari in uno loco, et non in alio. Sic, v. g., S. Lig. (*Pratica* XXII. 18) dicit, foeminas non timoratas interrogari debere (inter alia) an, elevata tunica viros ad mala desideria provocaverint? Apud nos de tunicae elevatione interrogatio facienda non esset.

IV. *Tempestivae.* Ordinarie expedit permittere ut poenitens suam faciat confessionem, quin valde interpelletur: secus enim periculum esset non solum quod confundatur et aliqua peccata obliviscatur ; sed etiam quod, magna inquisitione territus, reliqua dicere non audeat. Dixi *valde ;* nonnullae enim interrogationes quae parum interrumpant ( v. g. circa numerum , dum poenitens aliquod peccatum mortale accusat ) fieri possunt ; imo expedire solet ut fiant, ne Confessarius, si forte confessio in longum procedat, obliviscatur, et ne poenitens taedio nimiove rubore afficiatur, eo quod circa peccata probrosa iterum sermonem instituere cogatur.

## § III.

### *De interrogationibus quae fiunt ad consulendum bono poenitentis.*

1089. Imprimis procurare debet Confessarius ut statum poenitentis sufficienter cognoscat, et praecipue bene animadvertat quaenam sint eius peccata mortalia (quae, uti patet, seria medela indigent). Saepe poenitentes rudes dicunt : *Pater , blasphemavi ; quamdam personam odio habeo ; habui cogitationes turpes ; feci iudicia temeraria ; filiis meis mortem improvisam et infernum imprecatus sum ; tali vel tali vigilia carnem manducavi , furta domestica commisi ; Missam die festo non audivi ; me tetigi* etc. Prima fronte multa peccata mortalia heic adesse videntur ; sed interdum contingere potest ( maxime in personis quae Sacramenta frequentant) quod nihil grave reapse adsit. Forsan enim poenitens non veras blasphemias protulit sed

verba inurbana (aut ita se gessit ut peccatum mortale, iuxta dicta n. 87. 88, non adfuerit). Forsan pro odio significare intendit quamdam aversionem contra personam maleficam, quin ullum malum ei exoptet aut charitatis obligationibus deficere intendat (vide dicta n. 194. v). Cogitationes turpes forsan involuntariae fuerunt. Iudicia temeraria forsan reapse temeraria non fuerunt, aut non mortalia, aut poenitens sine reflexione ea concepit (vide dicta n. 224). Imprecationes contra filios et alios, etsi fuerint de malis gravissimis, tamen facillime ore dumtaxat et non ex corde (nisi de offensione maxima recepta et de acerrimo odio agatur) aut sine reflexione ad culpam, prolatae fuerunt. Comestio carnis in vigilia forsan accidit, quia poenitens tunc quod vigilia fuerit in mente non habebat. Furta domestica forsan fuerunt ad emendas res necessarias. Missa forsan propter impossibilitatem audita non fuit. Tactus forsan fuerunt propter naturales necessitates et sine malitia ulla. — E contra aliquando verba poenitentis credere facerent, peccatum fuisse veniale dum reapse mortale fuit. Exempla. Vir dicit: *Cum foemina nugatus sum* (*ho scherzato*); *paullulum tritici furatus sum*; *propter vinum lactatus sum*. Puella dicit: *Feci ineptias cum socia*; *vanitatem habui*. Mulier dicit: *Non multum concordiam servo*. Sub his expressionibus foeditates, furta gravia, ebrietates, immodestiae scandalosae, et discordiae graves latere possunt.

Opportunae interrogationes itaque (intellige si vera detur in re gravi ambiguitas) fieri debebunt. In praxi tamen, speciatim quando agitur de solis sermonibus, aut cogitationibus, aut osculis, aut tactibus non obscoenis, maxime si de personis rudibus res sit, non solet esse facile distinguere an peccata fuerint mortalia an vero venialia; neque semper modestia et prudentia sinit ut poenitens interrogetur an cum periculo pollutionis haec perpetrata fuerint. Confessarius itaque angi non debet, et faciat solum illas interrogationes quae sat faciles videntur; idque maxime si poenitens alio Confessario stabili utatur, aut non sit habituatus, aut quomodolibet non oporteat ut eo in puncto cura specialis impendatur. Ut plurimum Confessarius dicere poterit: *Aderatne malitia magna? Credebasne te peccare graviter?*

1090. Interrogationes saepe saepius necessariae sunt etiam ut Confessarius dignoscat quaenam remedia applicare debeat; unde non raro necesse est ut de causis peccatorum inquirat: an scilicet poenitens sit habituatus, vel occasionem habeat sive voluntariam sive necessariam, sive domi sive extra domum etc.

Quid de interrogationibus adhibendis, et de modo quo se gerere debet Confessarius, ne poenitens ex verecundia aliquid reticeat?

1091. R. Sacrilega reticentia alicuius peccati propter verecundiam possibilis est in omnibus, ne iis quidem exceptis qui aut vitam valde devotam ducunt, aut propter gravissimorum peccatorum iam factam accusationem sincerissimi videntur. Interdum enim personae devotae (quamvis forte quotidie ad Communionem accedant), imo etiam Sacerdotes, Religiosi et Moniales, de aliquo peccato (ordinarie) contra sextum aut contra septimum Decalogi praeceptum, sive ab ultima confessione sive in antecessum commisso, adeo verecundantur, ut ad illud accusandum nunquam se inducant. Similiter magni peccatores interdum accusant quidem multa peccata gravissima, sed culpam vel circumstantiam aliquam, quae ipsis enormior videtur, nunquam patefaciunt; aut peccatorum numerum diminuunt; aut demum relapsus interdum accusant, et interdum accusare non audent.

Hinc principalissima regula est ut Confessarius fiduciam omnibus praebeat *, et caveat ne ipsemet sua agendi ratione huiusmodi reticentiae occasionem det. Id autem contingeret si (speciatim in initio vel utcumque non finita confessione) asperos modos (maxime quoad iuvenes et personas in dignitate constitutas) adhiberet; si admirationem, nauseam, taedium, horrorem, iram, aut festinationem ostenderet; si suspiria emitteret, vel signa crucis sibi faceret; si poenitentem obiurgaret (prout faciunt aliqui qui dicunt: v. g.; *es bestia*, *es damnatus* etc.); vel si ad singulas culpas confessionem interrumperet, correctionem faceret et obligationes (speciatim graviores) imponeret. Idem dic si poenitenti ostenderet, se aegre ferre quod ad Extraordinarium se conferat; aut si (maxime erga poenitentes admodum fragiles et timidos) modo absolutionem non concedendo, modo correctionem valde acrem faciendo, modo poeni-

* Aliqui suggerunt, ut in hunc finem Confessarius ante confessionem paullulum loquatur cum poenitente de rebus ad confessionem non pertinentibus (interrogando eum, v. g., cuiusnam Paroeciae sit, de eius familia etc.), ut nempe poenitens ipse tanta sermonis familiaritate allectus confidentius omnia pandat. Sed regulam istam ego non probo. Est contra praxim generalem Confessariorum, et ex hoc ipso admirationem inducit in poenitentibus, qui facile Confessarium pro viro levi aut curioso haberent. Adde quod regula huiusmodi conversationibus impertinentibus aditum aperit: et non raro (maxime quoad foeminas) efficit ut poenitens non iam confidentius omnia pandat, sed e contra magis verecundetur et sic graviora peccata reticeat.

tentias vel obligationes excessivas imponendo, nimiam severitatem adhiberet. Idem dic etiam si nimiam existimationem (quasi crederet impossibile quod mortaliter delinquere posset) poenitenti ostenderet; aut, audita culpa in se mortali, diceret, v. g.: *Sed hoc accidit in somno; tu non consensisti; hoc accidit per vim* etc.; aut se illum cognovisse patefaceret; aut nimiam familiaritatem cum eo (v. g., eius domum frequentando) contraheret; maxime vero si poenitens plenam sacramentalis secreti custodiam sibi repromittere non posset.

1092. Non semper sufficit quod Confessarius a danda poenitenti occasione reticendi peccata abstineat; sed interdum oportet ut illum adiuvet positive.

Primus casus esset si ex notitia sigillo sacramentali non subiecta sciret, peccatum fuisse commissum; tunc enim, si poenitens nihil accusaret, valde insistere posset ope interrogationum, ut accusatio peragatur. Prudentia tamen (maxime si propriis oculis poenitentem peccantem non viderit) necessaria erit; nec facile deberet dicere ei rotunde: *Eccur non accusas tale vel tale peccatum quod ego iam scio te commisisse?* Non facile, inquam; idque maxime si poenitens graviter offendi possit: interdum enim informationes possent esse falsae, et forsan poenitens formaliter non peccavit, aut peccatum apud alium Confessarium prius accusavit. Adde periculum ne poenitens ipse postea querimonias moveat apud illas personas, de quibus suspicetur quod rem Confessario detulerint.

1093. Secundus casus est si notitia ex alterius poenitentis confessione habeatur. In hac hypothesi licitae erunt dumtaxat illae interrogationes quae sine tali notitia factae fuissent, aut quae sine ulla fractione sigilli et sine ullo gravamine prioris poenitentis fieri valeant. Gravamen istud practice adesse censendum est, si de re occulta agatur, et poenitens ex interrogationibus suspicari possit quisnam rem illam Confessario patefecerit. — Excipe nisi prior poenitens plenam facultatem utendi dicta notitia ad huiusmodi effectum libenter concesserit; idque antequam secundus poenitens confessionem fecerit. Si enim Confessarius, audita confessione secundi poenitentis et notata peccati reticentia, a primo peteret in nova confessione licentiam praedictam; iam contra sigillum delinqueret; quandoquidem ex tali petitione peccatum ab alio non fuisse confessum argueretur.

1094. Tertius casus est, si Confessarius de sacrilega reticentia non sit certus, sed plus vel minus dubitet. Dubium istud oriri

potest ex aliquo speciali indicio, aut solum ex eo quod plerique poenitentes peccata reticeant. At vero ex quovis capite dubium proveniat, caveat Confessarius, ne huiusmodi timorem ostendendo poenitentem graviter offendat (prout facile accideret si poenitens esset Sacerdos); tunc enim ad unum evitandum periculum incurreret in aliud. Sed, praescindendo ab hoc periculo, ordinarie expedit (et, in casu indicii positivi et gravioris, oportet) ut Confessarius de hac reticentia timorem ostendat. Ut plurimum bene erit, si iam ab initio confessionis animum poenitenti addat, dicendo, v. g.: *Eia age, bonam confessionem facere volumus, nihil reticeas, dic omnia confidenter.* Nonnullis auditis, iterum animum addere poterit, dicendo, v. g.: *Haec sunt levia (aut minus gravia); dic graviora: nihil timeas; dic graviora.* Quammaxime iuvare solet si Confessarius dicat: *Eia, cia age, in hac confessione a quolibet scrupulo te libera, ut omnino contentus domum redeas.* Rituale dicit: « Humaniter suggerat ut omnia peccata sua rite et integre « confiteatur, remota stulta illa quorundam verecundia, qua « praepediti, suadente Diabolo, peccata confiteri non audent ». Et Catechismus Rom. subdit quod illis, qui huius defectus argumentum praebent, « hortando animos addere oportet, mo- « nendique sunt, nihil esse, quod vitia sua aperire vereantur; « nullique mirum videri debere, si intelligat homines peccare; « qui quidem communis est omnium morbus et in humanam « imbecillitatem proprie cadit ».

1095. Sed quoad sollicitudinem adhibendam adhuc maiorem, consilium sumi debet ex circumstantiis: et in primis a gradu periculi.

Periculum sacrilegae reticentiae interdum est leve vel levissimum; et tunc supradicta abunde sufficiunt. Interdum vero est grave vel notabile.

Grave esset si Confessarius iam sciret quod poenitens solet reticere peccata, eo quod, v. g., pluribus aliis vicibus illa reticuerit, aut solum interrogationibus adiutus illa patefecerit. Idem dic si, v. g., ex sociis quos frequentat, ex occasionibus in quibus versatur, aliisve momentosis coniecturis, graviter dubitandum sit quod talia vel talia peccata commiserit.

Notabile esset, si (seclusis gravibus indiciis positivis) ageretur de personis adultis, neque coniugatis, neque aetate provectis, neque perfectiori vitae studentibus, quae nullum (ne cogitationis quidem) peccatum contra sextum praeceptum accusent. In huiusmodi personis peccata carnalia, et speciatim pol-

lutiones, abundare solent; ita tamen ut magna differentia sit inter masculos et foeminas. Masculi fere omnes (exceptis quibusdam locis, ubi haec regula fallit) peccata ista committunt; et quidem ita ut cito (nempe ut plurimum ante pubertatem) incipiant, et vix unquam desinant. Multae foeminae e contra culpis istis parum subiiciuntur; et, loquendo etiam de illis quae ad venerem valde pronae sunt, plures solum post annum vigesimum aut vigesimum quintum vitium istud contrahunt; a quo tamen semel contracto ipsae quoque difficile liberantur. — Periculum sacrilegae reticentiae (seclusis, ut dixi, gravibus indiciis positivis) in his casibus appellavi notabile, non vero absolute grave; quia viri solent quidem fere omnes haec peccata committere, sed ex una parte solent etiam illa accusare, et ex alia non aequaliter sunt ita habituati ut in singulis confessionibus peccata ista accusanda habeant. Foeminae autem magis quidem verecundantur et facilius reticent, sed plurimae in has culpas cadere non solent, ut dixi.

His praemissis, sic dico: Si periculum sacrilegae reticentiae ex positivis indiciis sit vere grave, tunc Confessarius (si nihil obstet) aliquas speciales interrogationes ad illam praecavendam facere debet. Hinc C. S. O. interrogata quid sentiendum esset de ha: propositione: *Nunquam expedit interrogare de hac materia* (nempe de onanismo) *coniuges, etiamsi prudenter timeatur ne matrimonio abutantur*; die 21 Maii 1851 respondit: *Propositionem, prout iacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam.* Si vero, deficientibus indiciis positivis, periculum grave vere non sit; tunc interrogationes istas sub consilio quidem, non vero sub obligatione cadere posse credo; idque speciatim si poenitens nulla necessitate vel respectu humano coactus ad confessionem accesserit; et in loco abundantia adsit Confessariorum, unde poenitens illum, apud quem nihil vel minus verecundatur, libere eligere potuerit.

1096. Istae speciales interrogationes (quae modo sub consilio et modo sub obligatione cadunt) utique bonum effectum habere possunt. Scripsit S. August. (De ver. et fals. poen.): « Diligens « inquisitor.... sapienter et quasi astute interrogat a poenitente, « quod forsitan.... prae verecundia velit occultare ». Et D. Th. (IV. XIX) subiunxit: « Frequenter quae prae confusione poe- « nitens taceret, interrogatus revelat ».

1097. Ut autem maior sit spes bonum effectum obtinendi, quaedam regulae indicari solent.

Prima est ut Confessarius non ad modum dubii, sed sic et simpliciter (nos dicimus *a patto fatto*) procedat.

Secunda est ut Confessarius, ad minuendam verecundiam, modo Diabolum, modo fragilitatem, modo socios etc. culpet, dicendo, v. g.: *Diabolus hac vice te valde tentavit: fragilitas est magna; misere cecidisti etc.*: vel: *Hic socius proh quantum est pravus et malitiosus! Impudentiam habuit non solum faciendi tibi malos sermones sed etiam committendi tecum res peiores. Est ita, est ita.*

1098. Alia maximi momenti regula est ut magna differentia fiat inter personam, quae iam certe est in malitia (eo quod, v. g., iam sit coniugata), et aliam de qua dubitatur ne forte adhuc innocens sit. At vero, ad iudicium ferendum de malitia, magna cautio adhiberi debet, maxime cum pueris: nec fidendum si dicant aliquid (forte lectum in libro praeparationis ad confessionem) quod malitiam redoleat. Puer quidam dixit se die veneris commisisse peccatum carnis cum propria sorore in loco abscondito; et dicere intendebat se cum sorore carnem comedisse clam ne mater eos percuteret. Nec semper fidendum de aetate iam adulta, maxime quoad foeminas, ut supra dicebam. His praenotatis, si poenitens iam certe sit in malitia, interrogationes cum quadam libertate fieri possunt (cavendo tamen ne expressiones indecentes adhibeantur, et ne interrogationes ad malitiam maiorem et adhuc incognitam alliciant). Accusavit, v. g., poenitens in confessionibus praeteritis tactus impudicos, modo redit et de illis nihil dicit. Erat valde habituatus. Facile itaque verecundatur de confitendo relapsu; multi enim de continuis relapsibus confitendis quammaxime verecundantur. Confessarius ergo dicere poterit rotunde: *Fecistine tactus impudicos;* nec oportet ut interrogetur prius a longe circa cogitationes etc.; maxime si sit rudis; rudes enim, interrogati de cogitationibus, facile negative respondent quamvis non solum cogitationibus sed etiam factis deliquerint: unde (quando, ut dixi, sunt in malitia) melius est ut sine ulla mica salis circa facta interrogentur. Notandum est etiam quod cum poenitente, qui ex una parte valde fragilis et ex alia valde timidus sit, expedire solet, si, peracta exhortatione, admoneatur ut in casu recidivae citius ad confessionem, peccatum suum confidenter accusaturus, redeat; ita tamen ut, in confidentiam confessionis et veniae, Deum suum adeo misericordem liberius non offendat. Expedire potest etiam, si Confessarius ei redeunti illico dicat: *Hac vice valde male res se habuerunt: Diabolus*

*te valde tentavit, et in tuam consuetam culpam heu nimis recidisti! Est ita, est ita. Dic itaque commisistine illam quotidie?* — Non raro poenitentes verecundantur etiam de accusando numero peccatorum si magnus fuerit; et, si Confessarius simpliciter postulet quot vicibus peccatum commiserint, valde facile est quod mendaciter numerum diminuant, dicendo, v. g. (qui solitus est mos): *Duabus vel tribus vicibus.* Hinc melius esse solet quod numerus excessivus (habita tamen ratione possibilitatis iuxta diversa peccatorum genera) eis proponatur; dicendo v. g. (si de pollutione ageretur): *Hoc peccatum commisisti quotidie, nempe quinque aut sex vicibus aut eo amplius in singulis diebus. Est ita.*

Si poenitens, interrogatus utrum tale vel tale peccatum commiserit, negative respondeat, aliqui suggerunt, ut negatio pro affirmatione accipiatur, et suggestive dicatur: *Eia age, quot vicibus peccatum istud commisisti?* Sed haec interrogatio (quamvis habeat bonum effectum in aliquo casu raro) ut plurimum in vacuum recidit, eoque desinit ut poenitentem simul et Confessarium confundat; et, si saepe adhiberetur, Confessarius tamquam surdus haberetur. Dicerem itaque quod interrogatio ista, nedum sub obligatione non cadat, sed etiam non frequenter expediat.

1099. Hucusque dicta valent pro casu in quo poenitens iam certe sit in malitia. Si e contra Confessarius de hac malitia nullum indicium habeat; tunc interrogationes apertae et liberae (dicendo, v. g., *tetigistine te ipsum?*), quamvis aliquando iuvent, tamen sunt imprudentes et fieri nequeunt (non enim ad iuvandum uni damno afficiendi sunt centum); velatae autem et genericae ut plurimum frustraneae evadunt, nec periculo carent; unde veram obligationem in tali casu interrogandi vix unquam adesse credo, et reapse Rituale nihil dicit. Nihilominus (maxime quoad adolescentulos et puellas, in quibus verecundia facilius locum habet) erit bonum consilium si Confessarius interdum (et speciatim dum primis vicibus se praesentant) aliquam interrogationem a longe et modo generico faciat. Interrogationes a longe fiunt dicendo, v. g.: *Audistine sermones pravos? Fuistine cum aliquo socio malitioso? Habuistine cogitationes malas? Praebuistine consensum his cogitationibus?* Si poenitens responderet affirmative, tunc * subdendum esset:

* Excepto casu illorum qui ex quodam vitio semper affirmative respondent. Dignoscitur hoc vitium si interrogati de rebus sive oppositis sive prorsus inverisimilibus (v. g., an semel, an centies an millies deliquerint) semper re-

*Consensisti non solum mente sed etiam factis ; nonne est ita?* Si puella matrimonii aetatem iam haberet, dici posset : *Loquerisne cum iuvene ad finem matrimonii? Immorarisne sola cum solo ? Iuvenis interdum tibi dicit aliqua verba quae non decent : interdum aliquod osculum tibi dat ; interdum manus suo loco non tenet. Nonne est ita ?* — Interrogationes genericae fierent dicendo, v. g. : *Fecistine aliquam rem indecentem? Fecistine aliquam impertinentiam* vel *inverecunditatem* (it. *sgarberia, sfacciataggine*)? *Fecistine aliquem iocum, qui fieri non deceat? Fuistine parum modestus? Habuistine aliquam curiositatem? Fecistine aliquam rem turpem?* Si poenitens negative respondeat, aliqui suggerunt hic quoque supradictam interrogationem suggestivam, accipiendo negationem pro affirmatione et interrogando de numero. Utcumque, si poenitens respondeat affirmative, non illico Confessarius iudicium de malitia praecipitet; si enim interrogatio fuit generica, generica quoque erit responsio, dum poenitens forte pro indecentiis percussiones, et pro immodestiis irreverentias in Ecclesia (prout ordinarie accidit) intelligit. Reliquum itaque erit dumtaxat ut Confessarius ex responsione affirmativa occasionem sumat aliquam aliam interrogationem faciendi, dicendo, v. g. : *Quando sic fecisti adcratne aliquis? Viditne te aliquis ? Fecistine id clam? Ubi eras ? Quid sunt indecentiae seu immodestiae quas fecisti ? Suntne percussiones? Suntne furta? Explica itaque paullulum quid feceris?* Si poenitens taceat ; malum indicium erit ; et tunc Confessarius dicere poterit : *Intellexi ; et, si vis dicere verum, peccatum istud tu nunquam in confessione dixisti, illud tacuisti semper prae verecundia : nonne est ita? Quod illud nunc confessus sis, nonne es contentus? Quo ivisses, si hanc confessionem non fecisses? Nunc ergo dic: Qua aetate res huiusmodi facere coepisti? Quisnam te hanc malitiam docuit?* etc.

Denique si malitiae et peccati commissi indicium positivum, sive ex verbis poenitentis sive ex alio capite, iam subsistat, tunc Confessarius (quamvis certitudinem non habeat), verbis

spondeant affirmative. Cavendum est multo magis ab illis puellis, quae, ex curiositate malitiosa, cupiunt interrogari a Confessariis ut addiscant ea quae adhuc ignorant; et in hunc finem semper affirmative respondent. Sunt etiam aliae adhuc magis malitiosae, quae sive ex libidine, sive ut postea in conversationibus rideant de Confessario, non solum ad quaslibet interrogationes affirmative respondent, sed etiam ruborem fingunt, et enixe petunt ut interrogentur. Ab his scopulis interdum difficile est cavere: sed utile erit quod Confessarii iuniores sciant quousque malitia foeminea pertingere possit.

magis apertis uti potest, et interdum debet. S. Leonardus (*Direct. della Conf. gen.*) dicit: « Si aliqualis malitiae indicium « praebeat, ab ea (muliere) quaeratur, an seipsam illicite ob « meram delectationem (*ego dicerem:* ex malitia) tetigerit? »

Eadem regula servari debet circa coniugatos, qui de onanismo (hodie adeo communi) in confessione nihil dicunt. Si enim positiva indicia non praebeant, ad summum interrogari possunt in genere utrum circa matrimonium aliquem conscientiae remorsum habeant, ut dicit Instructio *pei novelli Confess.* (n. 119). Si autem ex indiciis positivis (eoquod, v. g., uno vel altero dumtaxat filio habito, a pluribus annis prole careant, et adhuc sint iuvenes, et speciatim si sint divites; quandoquidem in personis divitibus haec malitia magis abundare solet; maxime vero si mulier in partu vel lactatione nimis laboraverit) prudenter timendum sit ne matrimonii abusus vere subsistat, tunc interrogatio paullo apertior fieri poterit, dicendo, v. g.: *Habuistine in usu matrimonii malitiam ad non habendam prolem?* Ita, ni fallor, intelligendae sunt duae responsiones S. Poenitentiariae, quae prostant apud Gury (n. 928. 930), et sibi invicem contrariae videntur.

1100. Interdum poenitens satis significat se habere peccatum de quo verecundatur, sed quale sit dicere non audet. Tunc Confessarius dicere poterit: *Ego te interrogabo, solumque tibi reliquum erit ut affirmative vel negative respondeas. Quando interrogatio circa peccatum illud de quo verecundaris versabitur, cave ne deneges, sed affirma aut saltem tace; ego enim etiam ex solo silentio tuo satis intelligam.*

1101. Si ageretur de poenitente stabili, de quo dubium sit ne peccata reticeat, valde expedire solet ut confessionem generalem (vel annualem) faciat; ex praxi enim apertissime patet quod huiusmodi confessiones mirum in modum deserviunt, ut peccata omnia sincerissime accusentur, adiuvante Confessario, qui dicere poterit ut supra; nempe, v. g.: *Qua aetate in malitiam intrasti? Quaenam fuerunt primae res indecentes quas commisisti? etc.*

1102. Expedire non solet ut Confessarius, de dicta reticentia timens, sic et simpliciter in initio confessionis interroget poenitentem utrum in praeteritis confessionibus peccata ex verecundia reticuerit: facillime enim id statim negabit. Expedit potius ut ad praedictam confessionem sive generalem sive annualem (iuxta circumstantias) faciendam illum invitet. Si autem huiusmodi confessio iam aliis vicibus facta fuerit, vel quo-

modolibet poenitentem ad illam invitare non expediat ; tunc Confessarius audita confessione, dicere poterit : *Tu certe habes aliquem scrupulum circa vitam praeteritam. Eia age ; in hac confessione debes te quietare prorsus, et a scrupulis omnibus conscientiam tuam liberare. Nonne verum est quod aliquem scrupulum habes ?*

1103. Interdum personae piae, quae iam sincerissime plurima peccata accusaverunt, dicunt se habere aliquod aliud ad quod accusandum se inducere nequeunt. Animadvertendum est quod facile agi potest de re levi vel de mero et vero scrupulo. Confessarius itaque interrogare poterit poenitentem, an, dum rem illam fecit, crediderit se graviter peccare ; et, si respondeat negative, dicat, ut quietus maneat, nec esse necessarium ut quidquam accuset. Idem dic de illis qui in aetate valde puerili turpia commiserunt, si forte illa explicare verecundentur. Subiungat tamen Confessarius : *Liber es : si vis tacere, tace ; et si vis dicere, dic.*

## § IV.

### *De interrogationibus, quae fiunt ad consulendum bono Sacramenti.*

1104. Bonum Sacramenti in eius validitate et integritate consistit.

Validitas defectu materiae et dispositionis in discrimen coniici potest.

Quod interrogationes fieri debeant ad cognoscendum an adsit materia sufficiens, in praxi vix contingit, quandoquidem per accusationem peccatorum vitae praeteritae huic periculo consulitur. Vide etiam dicta *De Recidivis* (n. 195. et seqq.).

Necessitas interrogandi facilius contingere potest propter periculum ne desint dispositiones. Sed quaenam interrogationes ex hoc capite erunt faciendae ? R. Si Confessarius iam sit moraliter certus quod poenitens legitimum dolorem et propositum afferat, tunc nulla interrogatio necessaria erit ; secus si grave dubium poenitentiae fictae subsistat. Huiusmodi dubium ex duplici capite oriri potest, nempe vel *ex effectibus* vel *ex causis* poenitentiae fictae. Effectus sunt, nulla emendatio, nullus emendationis conatus, et nulla mediorum applicatio. Causae sunt ignorantia, inadvertentia, et magnus affectus seu magna adaesio ad aliquam culpam. Porro si effectus poenitentiae fictae non

conspiciantur, credendum erit poenitentiam esse veram. Et idem dic si nulla poenitentiae fictae causa conspiciatur. Theologi suggerunt communiter ut considerentur effectus, et iuxta hanc methodum poenitens esset interrogandus, an aliis vicibus de iisdem peccatis confessus fuerit, et an post confessiones aliquo modo se emendaverit, aut remedia praescripta adhibuerit. Suarez e contra suggerit potius ut considerentur causae, inquiens (XXXII. n): « Quoad displicentiam peccati (commissi) « facile potest sibi satisfacere Confessor; quia, si poenitens est « homo non valde rudis et apparet moratus, nullam diligentiam « in hoc tenetur Confessor adhibere ». Videndum itaque, iuxta Suarez, an homo sit valde rudis, ne scilicet ex ignorantia vel inadvertentia verum dolorem verumque propositum non conceperit. Videndum etiam an sit male habituatus, ne scilicet ex habitu pravo a vero dolore et proposito concipiendo impediatur. Attamen non quilibet habitus pravus huiusmodi impedimentum affert, sed ille dumtaxat qui afficit voluntatem, quatenus homo soleat esse fixus in voluntate peccandi (prout in magno odio, in magno amore, in casu restitutionis, et in respectu humano facile contingit). Vide *De Recidivis* (54. III). Iuxta hanc ultimam methodum (meo sensu meliorem et valde expeditiorem) interrogationes necessariae sunt solum in duobus casibus, nempe quando timendum sit ne poenitens sive ex magno affectu ad peccatum, sive ex ignorantia (ad quam reducitur inadvertentia) dolore et proposito requisito careat. In casu magni affectus ad peccatum, ordinarie congruas interrogationes facere debebit Confessarius, ut cognoscat an poenitens ad illud relinquendum vere paratus sit; et ordinarie ad illum disponendum valde laborare debebit. Si tamen ex una parte non magna esset spes fructus et ex alia urgeret necessitas absolutionem omnino concedendi, Confessarius, interrogationibus circa illud peccatum omissis, deberet potius procurare ut poenitens ad illud non reflectat et propositum in genere concipiat, iuxta dicta (n. 1024) et *De Recidivis* (n. 114). Pro casu autem solius ignorantiae vel inadvertentiae nulla in praxi adest difficultas, sufficit enim poenitentem interrogare: *an ex corde doleat et an proponat.* Suarez (l. c.) dixit: « Quando (Confessarius) non habet sufficientia signa do- « loris, potest et debet interrogare poenitentem, an ex animo « detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc « idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex con- « fessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi vel « relinquendi occasionem proximam peccandi, sed solum com-

« munis et generalis obligatio non peccandi de caetero ». Attamen in praxi ad minus tutius erit interrogare poenitentem non solum an doleat, sed etiam cur doleat; et non solum an proponat, sed etiam an sit paratus adhibere haec vel illa media ad non relabendum.

1105. Nunc dicendum est aliquid de interrogationibus directis ad providendum integritati confessionis; quatenus nempe verisimile sit quod poenitens non ex verecundia, sed solum ex ignorantia, oblivione, inadvertentia, vel negligentia, non satis se explicaverit. Itaque notanda sunt sequentia.

I. Si poenitens sola venialia accuset, aut in explicandis mortalibus, quoad numerum et circumstantias, accuratum se praebeat; neque rationabiliter timendum sit quod (inspecto tempore a quo non est confessus aliisque circumstantiis) aliquid ex oblivione reticeat; tunc certe nulla interrogatio exigitur.

II. Si e contra manifeste appareat aut positive et graviter timendum sit quod poenitens non sufficienter se accuset; tunc interrogationes (quae prudenter fieri possint) necessariae erunt. — Frassinetti (Diss. XI), citans Lugo, docet quod si ille diligenter prout potuit se examinaverit, et nihilominus bona fide non sufficienter se accuset, Confessarius non tenetur eum interrogare. Sed haec doctrina (sic absolute enuntiata) falsa est sine dubio. Est contra Rituale, et cedit in magnum praeiudicium integritatis materialis Sacramenti, quam Confessarius (utpote Sacramenti ipsius minister) procurare tenetur. Est etiam contra sententiam communissimam Theologorum; et certe Frassinetti perperam citat Lugo, qui (XXII. 18) apertissime dicit, « debere etiam Confessarium interrogare eum, qui diligenter se « examinavit, si peccatum oblitus illud praetermisit: quia, si « non esset interrogandus qui satisfecit obligationi examinandi « diligenter suam conscientiam, neque etiam esset interrogandus rusticus, qui multa omittit ob ruditatem et ignorantiam; « nam hic etiam diligenter se examinavit.....; et tamen omnes « fatentur, rusticum esse interrogandum ». In textu autem a Frassinetti adducto (XVI. 589) Lugo dicit dumtaxat, quod gradus diligentiae, ad quem tenetur Confessarius in interrogando, non est maior quam sit gradus diligentiae, ad quem tenetur poenitens in se examinando, quatenus ambo solum ad ordinariam et discretam, non vero ad extraordinariam et nimis onerosam diligentiam tenentur.

Per se loquendo itaque, nisi scilicet (iuxta dicta n. 1086) aliquid obstet, vere tenetur Confessarius, supposito defectu e-

tiam inculpabili poenitentis, illum interrogare. In praxi tamen non modica interrogationum parsimonia adhiberi potest, si quaedam advertentiae, quas hic suggero, prae oculis habeantur.

III. Interrogationes vel respiciunt ea quae poenitens non dicit, vel ea quae dicit. Magna differentia in praxi inter primum et secundum casum fieri debet: longe frequentius enim in secundo quam in primo obligatio interrogandi occurrit.

Loquendo itaque de munere interrogandi circa ea quae poenitens non dicit, obligatio subsisteret certe, si Confessarius aperte deprehenderet quod aliquod peccatum mortale non accusatur, aut si de hoc gravia indicia positiva haberet; v. g., si poenitens diceret se interrogationibus indigere quia examen facere non potuit aut quia valde obliviosus est; aut si Confessarius, considerans quod poenitens a longo tempore non est confessus et multa peccata fecit mentemque valde confusam habet, perspiciat esse omnino necessarium ut illum adiuvet. Ita docent Roncaglia, Palao etc. Sed praescindendo ab his casibus raris, vera obligatio poenitentem interrogandi circa peccata confessioni iam factae extranea, non adest; secus enim obligatio de re nimis indeterminata scrupulisque quam maxime obnoxia Confessariis imponeretur. Bene tamen esse poterit si aliquae interrogationes superaddantur, speciatim circa munera proprii poenitentis status. Sive autem ex obligatione sive ex consilio Confessarius interroget, caveat ne ridiculas, taediosas, offensivas, aut scandalosas interrogationes faciat; sed interroget solum de peccatis communibus et verisimilibus, considerando aetatem, conditionem, statum, officium, sexum, regionem, et mores poenitentis, nec non tempus a quo non est confessus, aliasque circumstantias. Quid enim si, v. g., nobilem matronam interrogares an se inebriaverit, an furta commiserit, an sodomitice a marito cognosci permiserit, an cum Sacerdote peccaverit *, an a Confessariis sollicitata fuerit etc.? Hinc D. Th. (IV. XIX) scripsit: « Interrogetur (poenitens) de peccatis quae « consueverunt in hominibus illius conditionis abundare ».

Haec tamen non impediunt quominus interrogationes circa casus raros fieri possint (attamen semper modo prudenti) in confessionibus generalibus aut multorum annorum, semper ac de re non omnino inverisimili agatur; imo etiam in confessio-

* Si positive timendum esset quod mulier cum Sacerdote peccaverit, interrogatio fieri deberet a longe, dicendo, v. g., an etiam circa aliquam personam sacram mala desideria habuerit?

nibus ordinariis si positiva adsint indicia quod poenitens sic quoque deliquerit. Denique semper bonum consilium erit, si, finita accusatione (maxime circa materias probrosiores), poenitens interrogetur, an aliquid amplius in conscientia ei remaneat, an vero sit perfecte quietus et tranquillus? Si neget, aut taceat, aut haesitet; tunc adhuc magis adiuvandus erit, curando ut intelligatur qua in specie conscientiae remorsum adhuc habeat (v. g., an circa peccata quae fecit secum ipso, an vero circa ea quae commisit cum aliis etc.); exinde enim ad alias interrogationes circa casus raros in ea specie contingentes procedi poterit: attamen semper modeste et prudenter, ut dixi. Si autem poenitens his interrogationibus semper negative respondeat; tunc magnum indicium habebitur quod agatur de scrupulo; et proinde Confessarius dicere poterit non esse necessarium ut res illa accusetur; ut supra (n. 1103) dicebam.

IV. Loquendo autem de peccatis, quae a poenitentibus aliquo modo accusantur, notandum imprimis quod ipsi aliquando accusant peccata, quae in se quidem essent mortalia, sed propter circumstantias (speciatim ignorantiae vel inadvertentiae vel defectus consensus) culpae gravis reatum minime induxerunt; prout in cogitationibus turpibus, blasphemiis, aliisque peccatis cordis et oris non raro accidit. Si Confessarius hoc animadvertat, quum tunc de materia necessaria minime agatur, ab interrogationibus abstinere poterit.

V. Quoad circumstantias quae speciem mutant, notari potest imprimis, heic quoque applicandam esse regulam supradictam de omittendis ordinarie interrogationibus circa casus raros, et speciatim si omnino inverisimile sit quod talis vel talis circumstantia in casu concreto locum habuerit. Non oportet etiam ut fiant interrogationes circa illas circumstantias, quae inutiliter prorsus exprimerentur. Confitetur, v. g., mulier quod longo tempore fuerit meretrix. Utique illa inutiliter prorsus exprimeret quod non solum fornicationes sed etiam adulteria commiserit (si tamen ipsa quoque coniugata fuisset, aut si peccasset etiam cum Sacerdote, aut cum proprio consanguineo, aut si sodomitice cognita fuisset, circumstantias istas explicare deberet. Idem dic si abortum procurasset). Similiter non oportet ut fiant interrogationes circa illas circumstantias, quae, quamvis mutent speciem, tamen communiter non percipiuntur, aut fere nihil aestimantur. Scripsit Roncaglia (V. III): « Non esse interro-« rogandos poenitentes iuxta subtilitates (theologicas), sed « secundum quod cognosci solent ab illo poenitentium genere ».

Ratio est quia, in tali hypothesi, illa malitia specialis (saltem ut gravis) non fuisset contracta, et proinde materiam confessionis necessariam non efformaret. Sic fideles communiter quidem percussionem Sacerdotis aut parentum, aut peccatum carnale cum huiusmodi personis (vel aliis stricta cognatione coniunctis) commissum, aut furtum rei sacrae etc. ab aliis percussionibus, aut peccatis carnalibus, aut furtis distinguunt; cognoscunt etiam circumstantiam scandali; sed plurimi rudes (ut alias notavi) videntur nihil aut parum aestimare ipsam circumstantiam adulterii (ut notat etiam S. Lig. Praxis, n 39), quam videntur apprehendere solum ut minuentem. Videtur etiam quod blasphemiam haereticalem distinguant ab aliis blasphemiis solum propter maiorem enormitatem in genere iniuriae contra Deum, non vero propter peccatum contra fidem * (de hac enim distinctione nullum omnino indicium dant). Hinc Pallavicinius eo usque processit, ut scripserit (II. IX. 2): « Con-« fessarios in universum excusari posse ab onere interrogandi « de circumstantiis etiam mutantibus speciem; nam aut poeni-« tens in peccando advertit ad malitiam specificam, et tunc « eam non interrogatus aperiet....; vel non advertit, ac proinde « peccatum nec contraxit, nec explicare tenetur. Quod si ali-« quando maior ad peccandum malitia, maiorque ad se exa-« minandum negligentia afferatur, non ob paucos hos eventus « probabiles imponi debet hoc onus Confessariis universaliter ». Attamen haec doctrina quoque sic absolute prolata non potest probari; in praxi enim saltem excipiendus est casus, in quo Confessarius sciat, quod poenitens solet committere peccatum formaliter cum tali vel tali circumstantia quae speciem mutat, et nihilominus circumstantiam ipsam nunquam accusat nisi interrogetur.

VI. Quoad species infimas certe debet Confessarius interrogare si poenitens, aequivoce et generice se accusando, illas non exprimat, ut puta, si diceret: *Turpia feci*, quin distinguat utrum secum ipso an vero cum aliis sic deliquerit. Notandum tamen quod aliquae species infimae subtiliores communiter percipi non solent. Exemplum habes non solum in cogitationibus inhonestis (quandoquidem inter gaudium, desiderium et delectationem morosam distinguere non solent, ut pluries notavi);

* Ad peccatum contra fidem advertunt quando, magna miseria aut alia calamitate pressi, dicunt: *Deus non est iustus*, aut quid simile. Porro propositiones huiusmodi non iam blasphemias, sed haereses appellant.

sed etiam in pluribus actibus incompletis, quos non distinguunt a consummatis ; unde personae solutae inter copulam onanisticam et consummatam differentiam facere non solent, et tactus impudicos aeque considerant sive ad pollutionem usque producti fuerint sive non. Hinc Caietanus aliique Theologi primi subsellii (apud Lugo XVI. 104) dicunt, obligationem confitendi species peccatorum intelligi debere de illis solum, quae communiter mediocriter doctis notae sunt ; non de aliis subtilioribus ; multo magis quia hae species subtiliores ad iudicium efformandum circa statum poenitentis parum vel nihil deserviunt. Adde quod, si Confessarius ad has subdistinctiones minutiores descendere teneretur, ut species infimae accusentur, interrogare deberet etiam de numero quoad easdem singulas ; et sic non solum confessiones nimis longae, et taediosae evaderent, sed etiam poenitentes (speciatim rudes) confunderentur, et de Confessario ipso tamquam scrupuloso aut sophistico admirarentur.

Quid de poenitentibus qui dicunt polluisse se ipsos, sed non dicunt quod eo actu personam aliquam in mente habuerint? S. Lig. (*Pratica XXII.* 25) dicit, interrogationem de hac re fieri debere ; sed hoc intelligendum est pro casu, in quo Confessarius iam sciat poenitentem esse ad id assuetum, secus enim obligationem istam ego non imponerem ; quandoquidem ex una parte poenitentes de hac circumstantia accusanda nunquam cogitare solent, unde bona fide illam reticent ; et ex alia periculum gravissimum adest ne ex tali interrogatione hanc malitiam (quam forsan non habent) in sequentibus pollutionibus habere incipiant.

VII. Denique non est opus ut poenitens (ratione solius integritatis materialis confessionis) interrogetur, si iam in quanam specie deliquerit iam sufficienter indicaverit. Oportebit vero interrogare si eius expressiones fuerint ambiguae. Variae pro variis locis expressiones adhibentur ; unde oportet ut Sacerdotes iuniores a provectioribus instructionem petant ; maxime vero si quis ad alia loca, ubi diversum idioma adhibetur, se contulerit. Loquendo de nostris locis, (N. B. ad instructionem Confessariorum neotericorum, ut statim intelligant atque inutilibus et forsan periculosis interrogationibus parcant) nonnulla exempla magis practica suppedito.

Vir dicit : *Peccatum commisi cum muliere ;* et viceversa mulier dicit : *Peccavi cum viro.* Hoc intelligendum est non de solis tactibus sed de copula. Idem dic de expressionibus : *Ivi ad mulierem ; dormivi cum muliere ; feci quidquid volui cum*

*muliere : oblectati sumus ; nos invicem satisfecimus ; confusi sumus ;* aut si mulier dicat : *Lapsa sum cum viro ; passa sum a viro seduci ; viro obsecuta sum ; vir fecit quidquid voluit ; incubavit ; in terram vel in clicem me stravit ; venit in lectum ; honori meo respectum non habuit* etc. — Si autem vir diceret, v. g. . *Peccavi cum muliere , sed ei nihil feci* , vel *ei nihil facere potui* , vel *ei respectum habui* , vel *me retraxi* , vel *illa se retraxit* , vel *non proprie perveni.....* , vel *solum supra vestes ;* tunc copula consummata non fuisset.

Vir dicit : *Tetigi mulierem.* Haec expressio indicat tactus obscoenos. Idem intelligi debet si mulier diceret : *Permisi ut tangerer ; vir ad me pertingit , sed solum manibus.* Si autem expressiones essent de iocis ( *scherzi* ), tunc non de tactibus in partibus pudendis. sed de aliis tactibus ( forte tamen liberioribus ) res esset. *Fui liber* ( *sgarbato* ) *cum muliere ; non tenui manus suo loco.* Expressiones istae sunt ambiguae.

Pollutio in corpore proprio procurata indicari solet sequentibus verbis : *Feci turpia a me ipso ; me corrupi ; me madefeci ; satisfactionem ( sfogo ) mihi procuraci ; stupratus sum a me ipso ; tactus turpes* vel *immodestos a me ipso feci ; inconcinnitates* ( *sconcezze* ) seu *actus inconcinnos* ( *atti sconvenienti* ) *a me ipso feci.* Idem dic ( ordinarie ) de illa simplici expressione : *Me tetigi* . vel *peccatum feci a me ipso.* Notandum quod expressio : *Mi sono sconciata* abortum significat.

Quoad peccata commissa inter personas eiusdem sexus, videndum an poenitens loquatur de iocis ( *scherzi* ), vel de tactibus, vel de turpitudinibus. *Ioci* ( maxime inter foeminas ) indicant levitates, v. g. , dum sibi invicem manus in sinum iniiciunt. *Tactus* indicant tactus in pudendis. *Turpitudines* tum eosdem tactus, tum sodomiam indicare possunt. Itaque expressio : *Turpia feci* ( quando agitur de peccato commisso inter socios ) est ambigua ; unde poenitens ( intellige si iam sit adultus et in magna malitia ) sic interrogari poterit : *Tactus , quos facitis , fiuntne manibus ; an vero etiam alio modo ?* — Si poenitens , agens de peccatis commissis a se ipso, diceret, v. g. : *Non fui modestus , nisi manus ubi non deceret ;* hae quoque expressiones ( maxime in foeminis ) ambiguae sunt ; saepe enim de solis immodestiis ex levitate, curiositate, aut quodam vitio ( quin adsit malitia procurandi commotiones carnales ), agitur. Confessarius itaque dicere poterit : *Adestne malitia ? Facisne id ex fine pravo ;* vel etiam , si persona iam certe sit

in malitia: *Acciditne aliquis malus effectus?* Ambigua est quoque expressio: *Feci impertinentias.*

VIII. Quando poenitens ambigue se exprimit, optima regula est illum inducere ut melius se exprimat: reservando interrogationes solum ad casum in quo ab eo ipso explicationes obtineri nequeant. Hinc Confessarius dicere poterit: *Explica quid feceris*, vel etiam: *Quomodo fecisti?* Verum est quod Theologi passim notant, non esse inquirendum de modo quo peccatum commissum fuit; sed hoc non valet pro casu in quo poenitens interrogetur de modo ut species peccati intelligi possit.

IX. Quidquid sit de theoriis circa circumstantias aggravantes, certum est quod in praxi poenitentes quieti non remanent illas reticendo, si valde enormes sint. Casus practicus accidit speciatim in furto circa materiae ablatae quantitatem si extraordinaria fuerit. Alius casus est si tactus genitalium viri a foemina (aut uberum foeminae a viro vel ab alia foemina) non manu sed ore peractus fuerit (Cf. S. Lig. VI. 935) Attamen unusquisque videt quod in hoc ultimo casu interrogatio (quae speciatim iuxta supradicta III. in fin. locum habere potest) nunquam facienda est sic et simpliciter, sed solum utendo saepe indicata interrogatione: *Tactus acciditne manibus, an vero alio modo?* Poenitentes interdum huiusmodi peccatum subindicant, illud appellando *osculum* cum indicatione partis; unde Confessarius tunc dicere poterit: *Fuitne verum osculum; an vero aliquid aliud?*

Poenitentes credunt etiam explicare debere, quoad oscula, an fuerint simplicia et consueta; an vero in partibus insolitis (v. g., in uberibus vel in pudendis) aut in ore linguâ introducta. Si itaque Confessarius de hac re graviter pertimescat, postquam poenitens de osculis se accusaverit, dicere poterit: *Fueruntne oscula simplicia et consueta; an vero magis malitiosa?*

X. In praxi aliqua difficultas contingit quando Confessarius interrogare debet circa copulam fornicariam et alios actus impudicos a copula distinctos.

Quoad copulam, si cum foemina innupta habita fuerit, passim monent inquirendum esse an fuerit consummata (*se l' atto fu compito?*), non tantum ut accusetur peccatum in sua specie, quantum ut (si vere consummata fuerit) Confessarius de aliis rebus inquirere possit, et speciatim an abortus procuratus fuerit.

Quoad alios actus impudicos, poenitentes eos proprio nomine indicare solent, accusando nempe amplexus, oscula,

tactus (cum indicatione partis tactae) etc.; quin tamen de pollutione, aut de pollutionis periculo, aut de aliis circumstantiis (ex quibus dignosceretur an de peccato gravi vel levi agatur) quidquam dicant. Non raro enim res huiusmodi fiunt solum obiter ex ioco et levitate. Similiter non explicant utrum tactus fuerint reciproci necne. Confessarius itaque interrogare poterit 1° utrum hi tactus, amplexus etc. facti fuerint cum malitia gravi? 2° Utrum fuerint reciproci?

Sed quid de illis qui, facientes confessiones generales aut longi temporis, accusatis fornicationibus vel adulteriis, de his actibus incompletis nihil dicunt? R. Interrogari debent, utrum, quando actum completum facere non potuerunt aut noluerunt, ad alia, v. g., amplexus, oscula, et confidentias liberiores vel turpes diverterint. Habita responsione affirmativa, ad summum interrogentur ut supra: utrum scilicet in rebus huiusmodi adfuerit malitia gravis, et an tactus graviter malitiosi fuerint reciproci. Notitia magis distincta non est necessaria, quia peccati species et gravitas sic sufficienter (saltem quantum practice et moraliter fieri potest) quaesita iam fuit; et alioquin, si Confessarius minutius interrogaret, facile periculo se exponeret, et forsan (maxime in viris) taedium et admirationem ingereret. Hinc Navarrus (V. 4) scripsit: « In peccatis carnalibus (Confes-« sarius) non nimium descendat ad peculiares circumstantias,... « ne seipsum aut poenitentem ad aliquam delectationem alli-« ciat..... Consequenter summatim tantum debet interrogare « de osculis, amplexibus aliisque tactibus impudicis ». Quum tamen poenitens interdum possit non remanere quietus, Confessarius ea, quae dicta sunt supra (III. et IX) observet.

Silentio praetereundum non est quod plures Theologi magni nominis, agentes de meretrice inveterata et de concubinariis, dicunt sufficere si peccatores huiusmodi statum suum manifestent. Alii doctrinam istam non approbantes dicunt quidem, ab iisdem accusandas esse alias species principaliores, nempe sodomias et incestus (si adfuerint), sed non dicunt quod accusari debeant etiam oscula, amplexus, tactus, cogitationes et sermones turpes; haec enim omnia in peccatoribus huiusmodi ex una parte facile subintelliguntur, et ex alia ad statum poenitentis cognoscendum parum vel nihil deserviunt. Huius autem rationis vis ex mox infra dicendis melius patebit.

XI. Hucusque dicta respiciunt interrogationes circa speciem. Nunc dicendum est aliquid de interrogationibus circa numerum, quem poenitentes interdum nullo modo exprimere, interdum

diminuere, et interdum etiam ex simplicitate (ut stent, aiunt, a parte tuta) augere solent.

Quomodo peccata distinguantur numero, iam explicavi supra (n. 41-50). Hodie Theologi passim dicunt quod si poenitens (attenta diuturnitate temporis a quo non est confessus, vel maxima frequentia peccatorum, speciatim cordis et oris) neque exacte neque circiter explicare possit quot vicibus hoc vel illud peccatum commiserit, explicare debet frequentiam meliori modo possibili, et Confessarius teneatur illum interrogare quot vicibus circiter in singulis sive diebus, sive hebdomadis, sive mensibus deliquerit. Sed haec regula a multis aliis magni nominis Theologis non admittitur ut obligatoria, saltem universaliter. Ante Tridentinum (vide Suarez XXII. v) plures sentiebant, poenitentem debere quidem accusare numerum peccatorum, sed solum in sensu de distinctione facienda inter peccatum semel commissum et pluries commissum, remanente in Confessario facultate illum interrogandi, si opus fuerit, ad statum eius conscientiae melius cognoscendum. Aliqui censent, doctrinam istam reiectam fuisse a Concil. Tid., quatenus dicit (XIV. v) quod peccata non in genere, sed *in specie et sigillatim* accusari debent. At vero expressiones istae efficaciter quidem quoad speciem, non autem quoad numerum concludere videntur, et in quovis casu intelligenda essent de numero declarando iuxta christianam traditionem et non aliter. Dicebant autem praedicti Theologi non constare neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex ratione theologica de praecepto accusandi peccatorum numerum praeter quam in confuso et modo dicto; non enim agitur de instituendo iudicio rigorose exacto (sicut fieret in tribunali civili, et sicut erit iudicium Dei, qui praemium et poenam ad apicem statuit); sed agitur solum de iudicio morali, et tali ut Confessarius cognoscat in substantia statum poenitentis, ad regulam pro absolutione, pro satisfactione, et pro remediis sumendam. Quidquid sit de doctrina ista, certum est quod, sive ante sive etiam post Tridentinum, Theologi magni nominis (inter quos citantur Canus, Toletus, Caietanus, Petrus Soto, Henriquez, Fagundez, Diana, Angelus, Sylvester, Navarrus etc.) in pluribus casibus censent, non adesse obligationem interrogandi poenitentem quot vicibus in die, vel in hebdomada, vel in mense circiter deliquerit; sed sufficere si Confessarius aliis modis statum poenitentis substantialiter cognoscat, quamvis circa peccatorum numerum minus exactam notitiam habeat.

Quoad meretrices, Navarrus (VI. 15) scripsit: « Satis esse

« absque aliquo numero suum statum sufficienter manifestare, « veluti si qua publica meretrix per decennium parata et ex- « posita ad fornicandum... post conversionem confiteretur, ex- « primeretque se toto illo temporis spatio in eo statu fuisse ; « hoc, inquam, satis est ». Attamen unusquisque videt magnas esse posse differentias quoad numerum peccatorum inter meretricem et meretricem : eodem enim temporis tractu quo una pulchra et iuvenis in loco valde populoso peccabit centies, alia deformis et aetate provecta, maxime in loco parum populoso, forte vix decies peccabit. Si autem meretrix cum viro stricta cognatione sibi coniuncto aut cum Sacerdote aliquoties peccasset, horum peccatorum non solum speciem sed etiam numerum explicare deberet ; in illa enim confusa sui status confessione crimina ista comprehendi non censentur.

Quoad concubinarium, scripsit Lugo ( XVI. 575 ) : « Illum « qui diu concubinam domi habuit, eaque ut propria uxore usus « est, sufficere quod statum et tempus explicet ». Attamen hic quoque magna differentia quoad numerum peccatorum esse potest inter concubinarium et concubinarium ; dum enim unus, sive propter indolem sive propter aetatem, ad venerem valde propensus copulam habebit singulis diebus et forsan pluries in die ; alius forte vix semel vel iterum in mense illam habebit. Si autem concubinarius interdum sodomiam perpetrasset, huius peccati non solum speciem sed etiam numerum ( propter mox dictam rationem ) explicare deberet.

Quoad poenitentem in aliis peccatis ( v. g., furti) valde habituatum, scripsit Lugo ( l. c. 576 ) idem esse dicendum ; quod admittit etiam Sporer ( n. 453 ), si fur, v. g., diceret : « Fui « a quinquennio ita perdite deditus furtis, ut quandocumque « se offert occasio, sicut saepissime offertur, surripiam quae « possum ; et quidem res sacras furatus sum quinquies ».

Plurimi demum ex iis Theologis, qui volunt ut explicetur quot vicibus circiter in die vel in hebdomada peccatum commissum fuerit, concedunt ab hac regula recedi posse et sufficere indicationem solius mali habitus, si de solis turpiloquiis aut turpibus cogitationibus agatur. Vide Tamburini ( Meth. Conf. II. 1. 42. 44 ).

XII. Obligatio itaque de interrogandis poenitentibus, ut praeter frequentiam, modum etiam frequentiae ( scilicet quot circiter vicibus in die, vel hebdomada etc.) explicent, inspecta auctoritate Theologorum, valde nutat ; et exinde coniicere licet quod ecclesiastica traditio ( quae regulam principalissimam his

in rebus constituit) nihil clari pro hac obligatione firmanda habeat. Aliunde obligatio de exquirendo numero peccatorum *meliori modo possibili* scrupulis et angustiis locum dare potest. Adde quod, praeter difficultatem exprimendi modum frequentiae in confessionibus longi temporis (speciatim propter huius ipsius frequentiae varietates quae saepe contingunt), considerandum est etiam quod quaedam interrogationes, quando iam poenitens statum suum manifestavit, facile admirationem et taedium ei ingererent. Adde demum quod confessiones nimis prolixae redderentur: si enim ponamus quod circa omnia et singula peccata operis non solum de frequentia sed etiam de modo frequentiae inquirere debeamus; iam ex paritate rationis de omnibus quoque et singulis peccatis omissionum, verborum, et cogitationum, necnon de omnibus et singulis casibus, in quibus circumstantiae speciem mutantes occurrunt, idem facere deberemus. His omnibus consideratis, dicerem quod, circa interrogationes de peccatorum numero faciendas, regulae tutae sint sequentes.

1. Quoad meretrices publici lupanaris, et concubinarios uxorio modo conviventes, sufficit si Confessarius intellexerit quot circiter annis vita huiusmodi ducta fuerit. Meretricem tamen interrogabit, an aliquid, quod specialiter esse exprimendum ei videatur, commiserit, v. g., an abortum procuraverit, an pueros ad turpia invitaverit, an se ipsam polluerit, an cum personis stricta cognatione sibi coniunctis peccaverit etc.: et in casu affirmativo, an saepe an raro haec perpetraverit? Concubinarium autem similiter interrogabit, an forte praeter ea quae inter coniuges contingere solent, etiam contra naturam per sodomiam aut onanismum deliquerit?

2. Quoad alios poenitentes, Confessarius interrogabit an frequenter vel raro peccata, de quibus confitentur, commiserint?

3. Si poenitens dixerit se peccasse raro, tunc inquisitiones de numero exacto aut verisimili fiant.

4. Si dixerit se semper peccasse frequenter, tunc, si confessio sit longi temporis, nulla interrogatio necessaria erit. Idem dic si responderet se peccasse modo frequenter et modo raro; nisi forte epochas valde distinctas frequentiae et raritatis designaverit, dicendo, v. g.: *Frequenter peccabam ante matrimonium et postea raro;* tunc enim numerus annorum, qui transacti fuerunt in frequentibus peccatis ante matrimonium, indicari deberent. Si autem confessio sit brevis temporis, tunc interrogatio de numero exacto aut verisimili fieri debebit quoad peccata

operis ; non vero circa peccata cordis et oris ; quoad ista enim sufficit scire quod acciderint frequenter.

XIII. Qui dicit se una nocte dormiisse cum foemina, debetne interrogari num una vice an vero pluribus vicibus copulam habuerit, aut an praeter copulam alii tactus semel vel pluries locum habuerint? R. Credo, has omnes interrogationes (quae facile sensus libidinosos in Confessario ipso suscitare, et quamdam admirationem in poenitente inducere valent) consultius omitti posse. Aliud esset si poenitens cum persona eiusdem sexus dormiisset, et in confessione diceret in genere se cum illa peccasse; tunc enim de specie et numero peccatorum prudenter interrogari deberet.

XIV. Poenitens qui bona fide numerum peccatorum non exacte expressit, dum illum exprimere potuisset, tenereturne peccatorum ipsorum confessionem repetere? R. Si expressit numerum minorem (dicendo, v. g., se peccasse quinquies aut aliquoties, dum revera peccavit sexies aut multoties), tunc certe teneretur in sequentibus confessionibus defectum supplere; absolutio enim sola peccata accusata (non vero excessum in tali confessione non comprehensum) directe respexisset: idque patet etiam ex praxi communi. Si vero poenitens numerum in confuso quidem expresserit (dum poterat clare), sed tali modo ut Confessarius debuerit habere intentionem absolvendi a peccatis quotquot fuerint, ut puta, si dixisset *multoties* et reapse peccasset triginta vicibus, aut dixisset *aliquoties* et reapse peccasset quinque vicibus: tunc de obligatione repetendi huiusmodi confessiones constare non videtur; et praxis non est ut talium confessionum repetitio exigatur. Aliunde, vae Confessariis, si haec obligatio adesset: semper enim in eo esse deberent ut confessiones repetere facerent! Ita Segneri (Conf. istr. Cap. 2), et alii plures.

1106. Quid de interrogationibus circa poenitentis complicem?

R. *A*) Confessarius circa personam poenitentis complicem (et idem dic si non fuerit stricte complex, sed solum obiectum peccati, ut puta, si per vim oppressa fuerit), quamvis forte in cognitionem illius deveniat, petere potest ea, quae necessaria sunt ad cognoscendam speciem peccati, vel ad providendum circa remedia; an scilicet fuerit consanguinea, vel coniugata; an habitet cum poenitente in eadem domo etc. Caute tamen si verendum sit ne poenitens iustam habeat rationem occultandi aliquam circumstantiam; ut puta, si dixisset se peccasse cum Sacerdote, et timeri debeat ne forte ille sit poenitentis

ipsius contubernalis Confessarii amicus etc. ; tunc enim potest dari casus, in quo poenitens excusetur a declarando non solum quod secum habitet, sed etiam quod sit Sacerdos, iuxta dicta (n. 1048. XII). — Potest etiam Confessarius (ut notat Lugo XVI. 832 cum aliis. Cf. Gury 502) adigere poenitentem ut sibi (intellige extra confessionem) revelet complicem, vel tentatorem, si ad talem revelationem iure naturae aut positivo stricte et praecise teneretur.

*B*) Si Confessarius de nomine complicis vel de aliis circumstantiis (quae personam designent) interrogaret ex mera curiositate; vel etiam ex fine quidem recto (v. g., ad correctionem faciendam), sed ita ut certe vel probabiliter (prout ordinarie contingit) id poenitenti ingratum et molestum futurum esset: tunc male se gereret; sic enim ad minus Sacramentum poenitentiae odiosum redderet.

*C*) Si autem non solum interrogaret, sed poenitenti renuenti absolutionem denegaret ; tunc mortaliter peccaret ; id enim tum iure naturae, tum quatuor Benedicti XIV Bullis gravissime interdicitur. In Bulla *Ubi primum* legitur : « Graviter et di- « stricte, Divini interminatione iudicii... prohibemus ne (Con- « fessarii) poenitentes.... interrogare praesumant de nomine « socii, seu complicis, loco habitationis, vel aliis huiusmodi « adiunctis sive circumstantiis expressiorem magisque indivi- « duam eiusdem complicis manifestationem concernentibus ; ei- « dem poenitenti, si manifestare renuerit sacramentalem abso- « lutionem denegando ». Prius autem in Bulla *Suprema* dixerat, hanc esse « intolerandam imprudentiam.... et praxim scanda- « losam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi « etiam Sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacrosancti « sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusdem Poeni- « tentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fide- « les abalienantem ». Denique, inflicta excommunicatione Rom. Pontifici reservata (quae hodie quoque viget) contra docentes esse licitam huiusmodi praxim, imponit etiam onus denunciandi intra mensem S. Officio tam huiusmodi docentes, quam praedictos Confessarios qui alicui poenitenti ut supra interrogato et renuenti absolutionem denegaverint ; quae denunciatio (ex Bulla *Apostolici ministerii*) fieri debet, quamvis forte Confessarii per meram imprudentiam ita se gesserint. Attamen ab onere isto poenitens in causa propria eximitur. Contra non denunciantes olim aderat excommunicatio ; sed hodie (propter Bullam *Apostolicae Sedis*) haec non viget. Denique sedulo

notandum quod lex ista casus supra notatos (sub littera *A*) non respicit, ut in tract. *de Occasionariis* (n. 275) demonstravi. Vide etiam *Monit. Eccles.* (III. 1. pag. 172), et conveniunt quoque Auctores rigidissimi, ut videre est apud Baccari (II. ex 5), Antoine (in nota) etc.

## PUNCTUM III.

### DE POENITENTE INSTRUENDO ET CIRCA SUAS OBLIGATIONES ADMONENDO.

1107. Confessarius, postquam intellexerit quomodo poenitens deliquerit, considerare debet an aliquae obligationes (v. g., restituendi rem ablatam, reparandi famam etc.) ei supersint. Sunt qui, ut multorum poenitentium concursum habeant, vel ex quadam timiditate, vel ut quibusdam poenitentibus (maxime divitibus) placeant, dicunt non adesse obligationes quae certo certius adsunt: vel ad deobligandum doctrinis laxis nituntur: vel sententiam deobligantem temere et quasi divinando proferunt: vel obligationem minorem dum maior esset imponunt; vel poenitentium inanibus excusationibus statim cedunt; vel saltem tacent dum obligationem imponere deberent. Equidem Confessarii isti male se gerunt; exinde enim lex Dei non observatur; inordinationes quae impediri possent non impediuntur: et saepe saepius poenitentes ipsi (non enim semper in bona fide sunt), quum nec admoniti nec correcti fuerint, liberius peccant. — Alii e contra ad severitatem nimis proclives, aut scrupulosi, in excessum prorsus oppositum cadunt, et sive iniuste sive imprudenter obligationes imponunt. — Ad recte procedendum, sequentia notari debent.

### § I.

### *De ponderatione adhibenda ut neque circa factum neque circa ius errores accidant.*

1108. Antequam Confessarius de peccato, maxime mortali, sententiam ferat, cavebit imprimis ne poenitentis dicta perperam intellexerit; et, si poenitens ambigue se expresserit, illum prius interroget; secus enim facile errare posset *circa factum*. Dicit, v. g., poenitens se cognovisse uxorem modo praepostero. Nunquid statim danda erit sententia de abstinendo a tali actu

sub peccato mortali? Minime: quia forsan agitur non de sodomia, sed de copula more pecudum quidem sed in vase naturali peracta, quae interdum leve et interdum nullum peccatum est. Vide etiam dicta (n. 1089).

Ne autem Confessarius erret *circa ius*, oportet ut scientiam sufficientem habeat, et necessariarum distinctionum non obliviscatur. Aliqui Confessarii, v. g., dum audiunt, poenitentem deliquisse aliquo modo contra sextum praeceptum, statim irruunt in eum dicentes: *damnaberis, hoc est peccatum mortale*: in materia enim contra sextum (dicunt intra se) non datur parvitas materiae. Verissimum est hoc principium: sed intelligendum de libidine quaesita directe, non vero indirecte; unde peccatum mortale adest quidem in fornicatione, sodomia, bestialitate, et pollutione directe quaesita; sed in cogitationibus, sermonibus, aspectibus, osculis et quandoque etiam tactibus (ex ioco et levitate) materiae parvitas adesse potest. Idem dic de pluribus inordinationibus in usu matrimonii.

1109. Quamvis Confessarius diligenter cavere debeat ne errores committat; tamen non ad talem ac tantam diligentiam tenetur, ut scrupulis et anxietatibus subiiciatur; secus enim audiendarum confessionum officium nimis difficile, nimis periculosum, nimisque taediosum atque odiosum redderetur; quod iuxta Christi Domini institutionem esse nequit. Vide *De Recidivis* (*n.* 19). Sufficit itaque diligentia humana et discreta; minor aut maior secundum quod casus occurrentes minoris aut maioris momenti sunt; et iuxta moralem possibilitatem in actu practico. — Principium istud valet non solum quoad instructiones et admonitiones, sed etiam quoad interrogationes aliasque omnes Confessarii obligationes. Vae Confessariis si trutinam auri et minutissimas circumspectiones ad non errandum semper adhibere tenerentur!

1110. Si Confessarius nesciat quid decidere debeat, nihilominus absolvere poterit poenitentem, dummodo stare decisioni futurae sit paratus.

## § II.

### *De regulis servandis quando poenitens affert casum, circa quem apud Theologos diversae adsunt opiniones.*

1111. *A*) Si opinio libertati favens sit probabilissima, certe teneri potest; et e contra si sit solum tenuiter probabilis, certe teneri non potest. Patet ex duabus propositionibus damnatis.

quarum una dicebat : « Non licet sequi opinionem inter proba-
« biles probabilissimam » ; et altera : « Generatim, dum pro-
« babilitate, sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui,
« modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid a-
« gimus, semper prudenter agimus ». Confessarius itaque, qui imponeret onera, quae probabilissime non adsunt, rigiditatis notam non effugeret ; et e contra si licita declararet ea, quae tenui dumtaxat probabilitate licita sunt, laxus esset. Sanchez (Dec. I. IX. 25) ponit duas exceptiones, inquiens : « In duplici
« tamen casu excusabitur sequens aut consulens opinionem,
« quae ita parum probabilitatis habet, ut alias amplecti non
« possit. Prior est quando urget maxima periculi gravis vitandi
« necessitas, quod vitatur sequendo opinionem non aperte fal-
« sam, nec omni probabilitate destitutam. Posterior est quando
« casus particularis urget, hoc est quando statim intellectum
« ad alterutram partem determinari oportet, et nequit omnis
« diligentia moraliter possibilis adhiberi, et adhibetur ea quam
« loci et temporis opportunitas permittit : tunc enim excusatur
« eam opinionem sequens. Quia eo casu post adhibitam eam
« diligentiam ignorantia manens est involuntaria, et ideo pra-
« ctice nullum est peccati periculum ». Attamen in hoc postremo casu ego dicerem, praesumi quidem posse culpam non esse mortalem, quia inordinatio gravis oculos statim percellere solet ; sed, secluso incommodo notabili, standum esse a parte tuta.

*B*) Si autem agatur de probabilitate solida, quae nempe gravi fulcita sit auctoritate (maxime vero si rationes quoque Confessario ipsi graves videantur) ; tunc Theologi in diversa abeunt systemata.

Ad eximendum poenitentem ab obligatione, *Probabilioristae* dicunt : Non sufficit ut opinio libertati favens sit probabilis, sed oportet ut sit probabilior (*Tutioristae mitigati* autem dicunt : Oportet ut sit probabilissima).

*Aequiprobabilistae* (cum S. Ligorio) dicunt : Non sufficit ut opinio libertati favens sit probabilis, sed oportet ut non sit certe minus probabilis, quamvis de uno dumtaxat gradu (cf. epistolam S. Lig. ad P. Blasucci 8 Aug. 1769) ageretur. Oportet etiam ut non agatur de probabilitate circa legis cessationem ; quo casu possidet lex.

*Probabilistae puri* dicunt : Sufficit ut opinio sit solide probabilis, ut Confessarius ea uti possit non solum ad eximendum poenitentem ab obligatione, sed etiam ad illum (nisi reluctet) obligandum.

*Aliqui probabilistae moderni* dicunt : Sufficit ut opinio sit solide probabilis, ut Confessarius ea uti possit ; sed solum ad eximendum poenitentem ab obligatione : non vero ad illum (quamvis non reluctantem) obligandum. Ballerini (I. 80) scripsit : « Non licet tamen Confessario uti probabili opinione ad « imponendam obligationem, quando opposita quoque est pro- « babilis.... Nec refert utrum id poenitens sciat. Iniquissimum « enim foret, poenitentis ignorantia ita abuti, ut ipsi imponatur « obligatio, quae a Deo legislatore non imponitur ». Et Gury (Cas. consc. n. 70) idem repetit, et subdit, quod si Confessarius iuxta opinionem probabilem contra aliam probabilem imponeret obligationem restituendi, iniuste et cum damno poenitentis illam imponeret, et proinde ipse ad restitutionem erga poenitentem teneretur. Idem dicunt D' Annibali (III. 231) et Frassinetti (Diss. III. n. 35).

*C*) Ego censeo probabilismum purum adoptari posse ; nempe non solum ad liberandum poenitentem ab obligatione, sed etiam ad illum obligandum. Argumentum istud in brevi compendio tractari pro merito non potest. Nihilominus aliquid dicam.

Quod probabilismus in poenitentis favorem adoptari possit, hodie non ambigitur. Theologi innumeri et primi subsellii tam antiqui quam recentiores proprio suffragio illum condecorant, et contra aciem adeo spectabilem laxitatis nota infligi nequit. Ecclesia iam inde a multis saeculis non solum toleravit doctrinas probabiles, sed semper palam fecit quod probabilitas sufficit, ut doctrina respectum, commendationem et laudem mereatur. Quod autem probabilismus etiam contra poenitentem (saltem si non reluctet) practice a Confessariis teneri possit, patet ex sequentibus reflexionibus.

I. Theologi magni nominis id docent expresse ; et Sanchez (Dec. I. IX. 21) agens de obligatione dubiâ restituendi, et quidem de casu in quo Confessarius crederet opinionem in poenitentis favorem esse probabiliorem, asserere non dubitavit, hanc esse doctrinam communem, inquiens : « Si iuxta aliorum opi- « nionem, quam probabilem putat, potest petentem consilium « excusare, cur non poterit condemnare ?... Nec obstat fore ut « alter (nempe petens consilium) opinionis excusantis conscius, « quam Doctor probabiliorem reputat, non restitueret ; nam « idem accidet, si sciret Doctorem reputare minus probabile, « tutum tamen non obligari ad restituendum. At *nullus obligat « Doctorem ut hoc poenitenti declaret*..... Tandem saepe pru- « dentia petit, ne explicetur opinio probabilior excusans a resti-

« tutione..., ne in id peccatum incidendi ansa detur.... Placet « tamen quod addit Salas; nempe, si roget expresse consulens « an aliqua ratione a restitutione excusari valeat, teneri con- « sultum, aut a consilio dando abstinere, aut declarare opi- « nionem aliorum excusantem; quia alias ipsum decipiet ». Et numero sequenti dicit, Confessarium tam in materia iustitiae quam in aliis materiis sic se gerere posse. Similiter Bonacina (De Peccatis IV. IX. 7° scripsit: « Licitum esse sequi opinionem « probabilem, relicta propria probabiliori, non solum eximendo « poenitentem ab obligatione, verum etiam obligationem impo- « nendo ». Vide etiam Reginaldum (XIII. 97).

II. S. Ligorius plerasque tenet opiniones legi faventes, dum oppositae poenitenti faventes certo certius probabiles sunt; imo interdum ab eo ipso probabiles declarantur (exemplum habes L. III. n. 712. pro casu contractus de re turpi, ubi ponit obligationem solvendi pretium). Nunquid ideo Confessarius in praxi opiniones S. Ligorii legi faventes sequi nequibit, quamvis S. Poenitentiaria declaraverit (5 Iul. 1831), non esse inquietandum Confessarium, qui (etsi non perpenderit rationes) *omnes* eius sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribunalis?

III. Finge opinionem probabilem esse quidem in favorem poenitentis, sed aliam magis probabilem esse in favorem legis. Nunquid Confessarius non posset tunc illum obligare, sequendo aequiprobabilismum S. Ligorii? Et, si nequiret sequi S. Ligorius ne quidem in eius systemate, tunc praedicta S. Poenitentiariae declaratio ad quid reduceretur?

IV. Finge opinionem probabilem esse in favorem poenitentis, sed aliam aeque probabilem stare pro lege. Nunquid Confessarius non posset illum obligare, sequendo probabiliorismum? Nunquid probabiliorismum sequi nefas ei erit?

Porro probabiliorismus magnam spectabilissimorum Theologorum seriem (inter quos recensendi sunt Caietanus, Estius, Fagnanus, Natalis Alexander, Gotti, Billuart, Deus, Cabassutius, Saettler, Collet, Carriere etc.) pro se habet; et ego censeo quod etiam D. Thomas (quidquid alii in contrarium dicere conentur) plus quam probabiliorista fuerit *; unde certo

* Quodlibeto VIII. XII. facit quaestionem: « Utrum ille qui habet plures prae- « bendas peccet? » Et respondet: « Quando duae sunt opiniones contrariae de « eodem, oportet esse alteram veram et alteram falsam. Aut ergo ille qui facit « contra opinionem magistrorum; utpote habendo plures praebendas, facit con- « tra veram opinionem, et sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur a « peccato, quamvis non faciat contra conscientiam: sic enim contra legem Dei

certius probabilioristis nota rigorismi inuri nequit. Adde quod probabiliorismus a pluribus annis fuit doctrina Romana, quatenus Summi Pontifices Benedictus XIV et Leo XII voluerunt, ut Theologia Moralis Gabrielis Antoine (qui Auctor utique probabiliorista est) Romae traderetur. Romae exemplo idem fecerunt Episcopi innumeri; et sic multo tempore doctrina probabilioristica fere toti orbi catholico regulam dedit.

V. Dantur opiniones libertati faventes, communissimo Doctorum sensu probatae, prorsus oppositae responsis prius datis a S. Poenitentiaria. Exemplum habes apud S. Lig. VI. 556. Nunquid Confessarii cum responsis S. Poenitentiariae ad obligandum stare non poterunt?

Dices: Si imponi potest obligatio quando opinio probabilis in contrarium adest, quomodo hoc conciliatur cum principio: Lex dubia non obligat? Nunquid principium istud inconcussum et extra controversiam non est? R. Negative; imo semper fuit acerrimae inter probabilistas et probabilioristas (nec non tutioristas mitigatos) controversiae cardo, maxime si de dubio cir-

« facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria quam ille sequitur, « ita quod vere liceat habere plures praebendas; et tunc distinguendum est; « quia aut talis habet conscientiam de contrario, et sic iterum peccat, contra « conscientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conscientiam « de contrario, sed certitudinem: sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; et sic, si manente tali dubitatione, plures « praebendas habet, periculo se committit, et sic procul dubio peccat, utpote « magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem: aut ex contra- « riis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, et sic non committit se « discrimini, nec peccat ». Porro si D. Th. fuisset probabilista; tunc, facto casu eiusdem dubitationis inductae ex contrarietate opinionum, dicere debuisset, talem dubitationem illico sperni posse, si opinio libertati favens solide probabilis esset. Idque confirmatur quia (Quodl. IX. xv) eandem quaestionem faciens, adhuc magis haesitavit inquiens: « Omnis quaestio, in qua de peccato « mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur; « quia error quo non creditur esse mortale quod est peccatum mortale, con- « scientiam non excusat a toto, licet forte excuset a tanto. Error vero quo « creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum « mortale. Praecipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in « hac quaestione accidit. Cum enim haec quaestio ad Theologos pertineat et « ad Iuristas, inveniuntur in ea Theologi Theologis et Iuristae Iuristis contra- « ria sentire ». Iterum dico: Si D. Th. fuisset probabilista, tunc nonne quaestio soluta fuisset? Nonne iuxta probabilistas, statim ac constat quod Auctores valde digladiantur, sine ullo periculo pro libertate stari potest? Ut quid itaque S. Th. dixisset, decisionem esse periculosam?

Similiter S. Antoninus (III. xvii. 16. § 2) scripsit: « Ubi in aliqua materia « sunt variae opiniones quamplurium et solemnium Doctorum.... dicat Confes- « sor quod illud faciendo non est tutum ».

calegem naturalem agatur. Illi legem non fuisse sufficienter promulgatam, isti nefas esse magno periculo inordinationem committendi se exponere, dicunt. Praeterea si ex lege dubia nulla obligatio, nullum etiam ius oriri posset. Undenam ergo (quando iura sunt dubia) litigandi, et post litem fructum victoriae retinendi, ius oritur?

*D*) Liceat itaque Confessariis in praxi Tribunalis Poenitentiae, pro regula sive deobligandi sive obligandi poenitentem, quibuslibet uti doctrinis, dummodo sint solide probabiles, nempe probabilismum purum (qui quodam sensu usum quoque probabiliorismi concedit) adoptare. Ita sentit etiam Auctor aurei opusculi, cui titulus *Il Sacerdote Santificato* (*Istruz. ai Confess. Lett. II. n.* 6. 7).

*E*) Tota difficultas reducitur in statuendis regulis pro usu practico opinionis probabilis. Praecipuae sunt sequentes.

I. Oportet ut prudenter praesumi debeat quod sit solide probabilis. Attamen pro casu urgenti (qui facile accidit quando ex una parte Confessarius dubius haeret, et ex alia poenitens redire non potest, aut indiget ut statim consilium habeat), vide dicta (sub litt. A in fin.). Praesumi poterit autem quod doctrina sit solide probabilis, quando a viro docto et prudenti ut talis habetur, dummodo nihil adeo grave in contrarium se offerat ut eius opinio amplius tamquam probabilis haberi non possit. Si itaque Confessarius se gerat iuxta instructionem habitam a proprio magistro, vel iuxta Auctorem, etiam neotericum sed publica existimatione gaudentem, vel iuxta consilium viri qui pariter valde existimetur; id sufficit ut bene se gerat. Porro ex una parte publica existimatio est oculus publicus, qui mille et mille oculis componitur et difficile decipitur; et ex alia qui frequenter errat publica existimatione gaudere non potest. S. Antoninus scripsit: « Quilibet potest sequi quamcumque opi-« nionem, dummodo alicuius doctoris magni opinionem sequa-« tur ». Neque obest si Confessarius longe minus doctus, quam auctor aut vir consultus, intra se contra sentiret, dicente D. Thoma (2. 2. IV. VIII. ad 8): « Aliquis parvae scientiae magis « certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de « eo quod sibi secundum suam rationem videtur ». Item non obest si Auctor contra communem aliorum sententiam scripserit, dummodo ex una parte (ut supra dicebam) magna existimatione gaudeat, et ex alia satis constet quod non ex lapsu calami, sed consulto communi opinioni se opposuerit. Plures enim dantur opiniones communes, quae ex alicuius antiqui

Doctoris errore proveniunt, quem alii omnes sicut oves secuti fuerunt, ut notat Sanchez (Dec. I. IX. 9). De D. Thoma dicit Viva (Prop. XXVII. Alex. VII. 6): « Multa scripsit et docuit « contra alios, qui ante ipsum scripserunt; et tamen eius opi- « niones, statim ac ab ipso traditae sunt, existimatae sunt « probabiles, tum propter maximam eius auctoritatem apud « Theologos, tum quia non levibus sed rationabilibus funda- « mentis ductus est ad sic opinandum ». Si tamen singularis alicuius Auctoris doctrina, falsa recognita fuerit (quod accidit speciatim circa plerasque veterum Auctorum opiniones antiquatas), tunc sequi nequiret. Pariter non obest, si iam notum esset quod Auctor aut Consiliarius in suis sententiis aut consiliis aliquando erraverit; quisnam enim infallibilis est? S. Lig. (*Diss. de usu moderato probabilismi*) dicit quod « doctus tenetur exa- « minare rationes (Doctorum), nisi prudenter praesumat ab illis « examinatas ». Sed, si Auctor aut Consiliarius consultus communi aestimatione vere gaudeat nec facile erret, iam semper praesumendum erit quod solidis rationibus et fundamentis innixus fuerit, ut bene observant Sanchez (Dec. I. IX. 8) et Frassinetti (Diss. III. 32), atque patet etiam ex responso S. Poenitentiariae supra (II) indicato. Obstat itaque solum si Auctor aut vir consultus confidentiam non mereatur, vel si consulenti aperte constaret quod in eo casu in errorem manifestum inciderit. Hoc et non alio sensu damnata fuit propositio, quae dicebat: « Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri « probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede Apostolica « tamquam improbabilem »; de improbabilitate enim constare potest aliis viis, aut Auctor posset esse talis, ut, deficiente communi existimatione, nullam confidentiam, in suis particularibus opinionibus, mereatur. (cf. Viva Pr. XXVII. Alex. VII. n. 6). — Quid de approbatione S. Ligorii? Haec approbatio palam fecit quod S. Ligorius publicam confidentiam meretur. Sensus tamen approbationis non est talis, ut credi debeat, nullum errorem in eius operibus unquam reperiri posse, aut licitum esse sequi quamlibet eius opinionem, quamvis forte erronea reperiretur.

II. Oportet ut doctrinae non solum sint probabiles et sanae in se, sed etiam bene applicentur ad casus particulares; non raro enim aliqua circumstantia, quae in casu practico reperitur, efficit ut iudicium diversum dari debeat.

III. Oportet ut Confessarius circa opinionum delectum in actu practico prudentiam quoque adhibeat, inspecto bono poe-

nitentis, et interdum inspecto etiam bono aliorum et maxime bono publico. Loquendo de bono poenitentis, certe interdum sententiae benigniores et interdum rigidiores ei magis iuvant. Sunt, v. g., opiniones benignae circa oscula, circa tactus, circa repressionem motuum venereorum, circa occasiones proximas, circa compensationes etc.; et hae solent peccatis mortalibus et pravis moribus viam aperire. Tunc solet esse melius ut sententiae rigidiores (quoad futurum) adhibeantur. Attamen non solum in aliis sed etiam in his casibus, oportet ut virtus et dispositiones poenitentis considerentur; quid enim si ex una parte nullus fructus speraretur, et ex alia propter rigorem derelictio Sacramentorum timenda esset? Generatim loquendo, si talis vel talis obligatio, attenta poenitentis imbecillitate, nimis ardua videretur; ita ut proinde (omnibus perpensis) de peccatis mortalibus exinde secuturis adhuc magis timendum esset; tunc sententia benignior adhiberi deberet; idque speciatim si poenitens in periculo mortis versaretur; tunc enim maxime periculum minuere, non augere convenit. Sanchez (Dec. I. IX. 31).

Dixi quod interdum inspici debet etiam bonum aliorum. Titius, v. g., incendit domum Sempronii reputans incendere domum Caii. Plures Theologi excusant Titium a damnorum reparatione; sed in casu propter incendium istud misera familia in ruinam conjecta fuit; et, nisi reparatio locum habeat, damna non solum temporalia sed facile etiam spiritualia locum habebunt *. — Antonius nomen Dei et B. Virginis magna ira magnoque clamore blasphemare solet. Plures TT. dicunt, has non esse veras blasphemias et esse solum peccata venialia; sed interim magnum scandalum propriis filiis aliisque praebet. — Livius sive vera sive ficta promissione matrimonii puellam seduxit et defloravit. Plures censent, non teneri eam ducere et posse illam derelinquere; sed heu quot mala ex hac crudeli derelictione promanant! — Dives qui eleemosynam non facit a gravi peccato a pluribus excusatur, ut supra dicebam; sed interim pauperes non sublevantur. Credo itaque quod Confessarius in opinionum delectu haec quoque respicere debeat, se gerendo iuxta id quod (re in complexu considerata) melius esse credit.

* Dices: Si Confessarius obliget Titium ad restitutionem, periculo se committit ei damnum inferendi: si enim opinio obligans esset falsa, iniuste obligaretur. Sed considerandum quod si Confessarius illum deobliget, periculo se committit inferendi damnum Sempronio; si enim opinio obligans esset vera, ex deobligatione iniusto damno Sempronius subiiceretur. En itaque casus perplexitatis, vel potius casus in quo opinio probabilior rectius eligitur.

IV. Quid si poenitens dicto Confessarii acquiescere nollet? R. Huius reluctantiae ratio haberi debet; ut quid enim obligare poenitentem ad id quod non adimplebit? Ut quid, insistendo, efficere ut peccata formalia postea committat? Si etiam poenitens prorsus erraret et sententiam falsam in mente haberet, supposita bona fide, facile in ea relinqui deberet (ut infra videbimus); quanto magis itaque si eius sententia sit probabilis? Si vero ex una parte sperandum esset quod insistendo, vel etiam absolutionem denegando, fructus obtinebitur; et ex alia bonum poenitentis ipsius aut aliorum exigere videatur ut Confessarius fortis persistat; credo quod pro huiusmodi casibus adoptari possit doctrina probabilioristarum, dicentium quod, supposita etiam poenitentis reluctantia, Confessarius a sua sententia (nisi illa quam poenitens tenet, esset manifeste et practice probabilior, quod in casu nostro verificari non potest) recedere non teneatur. Ita docet expresse Antoine (III. III. 9. 4); de quo Auctore vide quae dixi supra (C. IV).

## § III.

### *De poenitente eruendo a mala fide, quando in ea est ex conscientia erronea.*

1112. Si poenitens credat esse peccatum quod non est, aut esse peccata mortalia quae sunt venialia, convenienter instrui debet. Nec obstat si forte ex tali instructione ad venialia illa facilius committenda occasionem sumpturus sit; quandoquidem (ait S. Lig. III. 130) « melius est permitti innumera venialia « quam unum mortale ». Si tamen ageretur de veniali, quod facile disponat ad mortale: ut puta, si puella crederet se peccasse mortaliter eo quod osculum ab adamante receperit; prudentia suadere potest ut in sua persuasione relinquatur, ne intelligens fuisse veniale, oscula facilius permittendo, cito ad peiora transeat.

## § IV.

### *De poenitente a bona fide eruendo vel in ea relinquendo, quando ex conscientia erronea credit esse licitum quod revera illicitum est.*

1113. Bona fides practice contingere solet praecipue 1° propter factum ignoratum, ut in casu matrimonii nulli propter

consanguinitatem vel affinitatem putatis coniugibus incognitam. 2° propter ignorantiam alicuius praecepti non vulgo noti solo iure positivo impositi. Facile datur etiam (speciatim in idiotis) circa praecepta iuris naturalis a primis principiis plus vel minus remota, maxime si ab aliquo Confessario rem illam esse licitam, vel talem aut talem obligationem non adesse, audiverint. Plures TT. dicunt, dari non posse bonam fidem circa peccata contra VI. Dec. praec.; sed contrarium ex praxi manifestissime patet. Loquendo speciatim de pollutione et de tactibus impudicis, etiam cum aliis perpetratis; bona fides interdum datur in aetate non solum puerili (qua de re vide S. Lig. *Monaca Santa* XVIII. 1. 14), sed etiam adulta. Centies audivi personas fide dignissimas, quae facientes in sacris missionibus confessionem generalem mihi dixerunt, prorsus nescivisse, v. g., quod se polluere esset peccatum, seque id fecisse per longum tempus, usquedam ab aliquo Confessario de huius actionis inhonestate monitae fuerint: qua re cognita, statim cessarunt. Auctor celebris opusculi cui titulus *Istruzione pei novelli Confessori* (I. 170) aperte dicit: « Malitiae ignorantia invincibilis dari potest, « ut multi admittunt in mollitie, et alii in simplici fornica- « tione »; idque aliquando visum est ipsi D. Thomae, qui (De malo III. VIII) scripsit: « Si ignoretur deformitas, puta, cum « quis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem « facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum ». Undenam enim cognitio peccati mortalis (speciatim quoad solas impudicitias) facile derivabit? Dices: ab ipso lumine rationis. R. Quod aliquis obtenebratus alicuius indecentiae suspectus facile oriri possit, concedo. Quod autem praecise malitia peccati mortalis facile omnibus pateat, nego. Porro, si Plato, Socrates, Cato, et Solon, ut videre est apud Segneri (*Incred.* IV. et *Quaresim.* XX. IV), hanc malitiam non satis cognoscebant; imo, si inter Theologos ipsos (Vide Sanchez, Durandum et Caramuel): non defuerunt qui crederint modo dari posse parvitatem materiae in re venerea, modo pollutionem et fornicationem iure quidem positivo sed non naturali esse illicitas; quomodo ideas his in rebus erroneas agricolae, pastores, nautae et idiotae habere non poterunt? Dices: instructio non deest. Respondeo: imo deesse solet; propter timorem enim iniiciendi malitiam ubi non est, Parochi et Concionatores de rebus istis nihil dicunt. Genitores quoque perfectum silentium servant. Confessarii demum cautissime procedunt. — Facillime quoque datur bona fides quoad plures inordinationes in usu matrimo-

nii, maxime quoad uxores iuvenes: ut plurimum enim credunt quod coniugibus omnia liceant, et quod mulier possit esse viro suo obediens in omnibus. Vide Frassinetti (not. 179). His praemissis, regulae practicae sunt sequentes.

I. Si Confessarius sit certus de fructu, debet admonere. Excipitur casus, in quo poenitens quidem parebit, sed mala timenda sint aliunde: ut puta, si mulier admoneri quidem posset de nullitate sui matrimonii absque periculo ullo; sed pericula formidanda essent (prout ordinarie contingeret) ex parte mariti.

Dices: Quomodo Confessarius iudicare poterit, fructum esse certum vel incertum? R. Considerando 1° rem in se, nempe an sit facilis, an vero ardua; 2° vires poenitentis, nempe an sit virtuosus, an vero debilis; 3° influxum exhortationis, utrum scilicet verba Confessarii ipsius multum, an vero parum influere possint.

II. Si Confessarius sit incertus de fructu, TT. dicunt, eum abstinere debere ab admonitione (nisi agatur de occasione proxima, vel de damno publico, aut nisi poenitens interroget); non enim expedit ut poenitens a peccato materiali in periculum peccati formalis coniiciatur. Sed haec regula, nisi melius declaretur, ad praxim non sufficit. Do itaque declarationes.

*A*) Si silentium Confessarii futurum esset scandalosum, tunc admonitio semper fieri debet. Exemplum habes in persona civiliter dumtaxat coniugata, quae crederet se posse ad Communionem accedere antequam de facto matrimonium ecclesiasticum contrahat, eo quod ex una parte copulam cum viro non habeat, et ex alia parata sit legitimum matrimonium contrahere, si aliquando poterit. Nonne Christifideles, personas huiusmodi ad Communionem accedere videntes, scandalizarentur de Confessariis qui illas absolverint? Nonne absolutiones istae in maximum scandalum publicum (quasi licitum esset in solo matrimonio civili permanere) redundarent?

*B*) Si obligatio referatur ad peccatum quod poenitens confessus est, simulque difficile sit quod bona fides subsistat aut saltem diu subsistere possit; tunc regulariter admonitio fieri debet. Exemplum habes in peccatis odii, furti, damnificationum, calumniarum, scandalorum etc.; pro quibus (nulla facta bonae fidei consideratione) obligatio reconciliationis, restitutionis, aut reparationis imponi debet. Idque maxime si bona fides in spirituale poenitentis ipsius detrimentum redundaret. Exemplum habes in obligatione deserendi occasionem proximam; huius

enim obligationis ignorantia lapsus in peccata non materialia sed formalia faciliores redderet. Dixi *regulariter*; excipiendi enim sunt quidam casus urgentes, in quibus quam maxime formidandum sit ne poenitens ex admonitione in statum adhuc peiorem maiusque periculum coniiciatur *.

*C)* Si vero obligatio referatur quidem ad peccatum quod poenitens confessus est, sed agatur de casu in quo bona fides adesse soleat: tunc regulariter silendum est. Casus principalis contingit in matrimonio invalido propter affinitatem ex copula illicita. Tunc Confessarius cautissime procedere debebit quoad ipsas interrogationes, ne, easdem repetendo et quamdam formidinem ostendendo, suspectus concipere faciat. Inquirere tamen debebit an copula fuerit consummata; et, habita responsione affirmativa, si agatur de poenitente redituro, dispensationem (eo inscio) procurabit, si legitimatio (iuxta dicta n. 956) locum habere possit. Quid si mulier in confessione dixisset, se esse viro inobedientem quoad debitum coniugale? R. Confessarius poterit nihilominus ad redditionem debiti illam obligare; stante enim bona fide, vere tenetur ex dictamine conscientiae illud reddere. S. Lig. (VI. 611). — Alia exempla habes in vetita petitione debiti coniugalis propter incestum (si tamen Confessarius facultate dispensandi sit munitus, admoneat et dispenset); in obligatione restituendi *in solidum* (iuxta dicta n. 412); aut restituendi non solum sortem sed etiam fructus. Datur etiam communissime in rudibus bona fides partialis quoad malitiam adulterii (quatenus speciem mutat); et quoad iuramenta falsa extra tribunal (quatenus gravia sunt; apprehenduntur enim solum ut venialia); et in his casibus (si res sit de habituatis) malitiam ignoratam Confessarius non manifestabit. S. Lig. (III. 150, et Prax. 39). — Alius casus valde practicus contingit in iis, qui admoniti de restitutione facienda,

* Casus huiusmodi accidit speciatim quando ex una parte adsit absoluta necessitas poenitentem absolvendi (prout accidit in novis sponsis eo mane matrimonium celebraturis, maxime vero in moribundis), et ex alia Confessarius (attenta rei arduitate, exigua poenitentis dispositione nullaque virtute, atque insuper deficientia temporis ad illum persuadendum) de fructu desperet. Tunc enim potius curandum erit ut poenitens ad rem illam non reflectet, et propositum in genere concipiat; idque maxime si agatur de re in qua bona fides, quamvis difficiliter, tamen adesse possit. Porro (loquendo de moribundo) Confessarius sic haberet aliquam spem illum salvandi: dum, si illum admoneret, de illius damnatione magis magisque timere deberet. Si autem hinc inde spes et timor aequales viderentur, tunc daretur casus strictae perplexitatis, in quo quidquid fiat bene fit. Cf. Frassinetti (Diss. VI. §. 4).

excusationes in medium adducunt. Equidem si frivolae sint, Confessarius nec approbare nec dissimulare potest: praeterquamquod enim bona fides tunc vix supponi poterit, dissimulatio approbationi vix non aequivaleret; sed si poenitens dicat: *Pater, restituere non possum; media non habeo;* et interrogatus de suo statu respondeat, v. g., se esse pauperem artificem, numerosam prolem habere, vel quid simile; unde argui possit quod vere in bona fide sit; tunc Confessarius facile abstinere poterit a minutioribus inquisitionibus, quibus forte possibilitas restituendi saltem aliquam debiti partem reperiretur. Ex praxi enim patet quod restitutionum executio difficillime et rarissime obtinetur; unde, si ex una parte poenitens in bona fide reperiatur, et ex alia Confessarius conditionaliter loquatur (dicendo, v. g.: *Si vere medio non habeas, pro nunc excusaris: sed concipe intentionem restituendi si quando poteris*), et sic nihil illigitimi approbet; melius est (nisi specialis spes fructus adsit) ut bona fides non turbetur. S. Lig. (n. 614).

Regula tamen relinquendi poenitentem in bona fide (quamvis suum casum, ex quo obligatio aliqua proflueret patefecerit) patitur exceptionem, si forte aliqua lex positiva obliget Confessarium ad monitionem omnino faciendam, prout contingit in casu denunciationis propter sollicitationem; nisi forte tales adsint circumstantiae ut lex epicheiam subire debeat. Vide dicta (n. 567. q. III).

*D*) Si agatur de re circa quam poenitens in confessione nihil dixerit, et Confessarius sive ex fama publica, sive ex privata notitia, sive ex aliis coniecturis, sciat vel suspicetur poenitentem in re illa delinquere; tunc distinguendum est. Si circumstantiae sint tales, ut de praesenti poenitentis bona fide valde dubitandum sit, graviterque timeri debeat, ne, v. g., ex verecundia peccatum illud reticeat et sic sacrilege confiteatur; tunc opportunae interrogationes (iuxta dicta n. 1092) fieri debebunt; idque maxime si agatur de re contra sextum praeceptum, (ut puta, si Confessarius, admonitus a matre puellae, didicerit illam turpia perpetrasse). Quamvis enim supra dixerim dari posse etiam in hac materia bonam fidem, tamen ordinarie expedit ut poenitens admoneatur, tum quia difficile haec bona fides datur, et quando datur non diu durare solet, et quanto magis poenitens (propter culpae ignorantiam) irrefraenate peccat et in vitio perdurat, tanto magis difficile erit ut postea (culpa detecta) emendetur.

Si autem, consideratis circumstantiis, credendum sit quod

poenitens in bona fide versetur, neque supponi possit quod hic et nunc sacrilegam confessionem facere velit; tunc Confessarius modo tacere et modo loqui poterit, secundum quod melius ei videbitur. Exempla.

*Primus casus.* Titius est avarus et usuras iam certe immodicas ex vetustissima consuetudine exercet. Ipse ad confessionem spontanee et frequentissime accedens de usuris istis nihil dicit; unde Confessarius coniicit quod sit in bona fide, et avaritia obcoecatus falsum dictamen sibi efformaverit; credit tamen quod plene tranquillus esse non possit. Haeret anceps circa admonitionem. Spes fructus est quidem exigua, sed non deest omnino. Aliunde Titius est iam senex et mors non valde distans esse potest. Confessarius quamdam confidentiam cum illo habet. In hoc casu melius esse potest ut admonitio fiat. Vera tamen admonitionem faciendi obligatio non facile aderit; quandoquidem pro et contra rationes adsunt.

*Secundus casus.* Contra Sempronium parochum senem fama currit quod Evangelium non explicet. Ille tamen frequentissime ad confessionem accedit; et, identidem apud Caium confessarium iuvenem peccata sua accusans, de praedicta omissione nihil omnino dicit. Caius dicit intra se: De peccato Sempronii non sum certus: forsan vox publica est exagerata; forsan Sempronius subinde Evangelium explicat; forsan potest habere iustas causas se eximendi; forsan aliquo familiari sermone vel aliis modis defectui supplet: agitur de sene de quo desperandum est quod suas antiquas consuetudines mutaturus sit: ego sum iuvenis, nullamque cum eo confidentiam habeo: utcumque certus sum quod (si verba de hac re facerem) illum graviter offenderem; proverbium autem dicit: *Quod offendit, non convertit.* His rationibus ductus ab admonitione directa abstinet; et ego dicerem non esse culpandum. Equidem TT. dicunt, admonitionem esse faciendam quando de publici boni detrimento agatur. Sed regula ista ut advertit Frassinetti (not. 139) sano modo intelligi debet; plura enim tunc quoque consideranda sunt; nempe 1° Quanti momenti sit detrimentum illud; et quantum poenitens in illud influat; 2° Quanta sit spes illud impediendi admonendo poenitentem (si enim admonitio nihil profutura sit, quomodo bono publico consultum erit?); 3° An adsint alia media opportuniora et efficaciora quibus bono publico consuli possit; 4° An forte melius sit tam pro poenitente quam pro bono publico procedere indirecte, aut reservare admonitionem ad meliorem opportunitatem (v. g.,

exercitiorum spiritualium ) 5° An culpa sit certa, an vero incerta ; redarguere enim poenitentes aut iisdem suspectum ostendere de culpis non commissis, confessionem ipsam non parum odiosam redderet et plurimos a Sacramentis alienaret ; idque eidem bono publico valde officeret. Advertendum est etiam quod Confessarius *ex officio suo* tenetur quidem consulere Sacramento et suo poenitenti, sed non bono publico ( de quo alii ex officio solliciti esse tenentur ) ; cui proinde non qua Confessarius ( nisi ipse sua agendi ratione scandalum praebiturus esset ) sed qua proximus consulere debet ex lege charitatis, quae non facile urget.

*E* ) Si poenitens interroget an hoc vel illud sit illicitum, vel an talis aut talis obligatio adsit, regula ordinaria est ut responsio congrua ei detur ; tunc enim in bona fide esse non censetur, et credi debet dispositus ad se gerendum iuxta responsum. Interdum tamen interrogatio potest esse ad modum admirationis vel exigui timoris aut scrupuli ; et tunc bona fides ( saltem excusans a peccato gravi ) non deesset. Aliunde res potest esse adeo ardua, ut de executione iuxta responsum parum vel nihil sperari possit. Si itaque Confessarius animadvertat non expedire ut poenitenti interroganti veritatem aperiat, non equidem poterit declarare licitum quod illicitum est ; sed ( ut post Lugo dicunt Salmant. XII. m. 36 ) poterit « fin-« gere se non audivisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse « respondere ».

§ V.

*De poenitente circa principalia fidei mysteria instruendo.*

1114. Quaenam mysteria scienda sint necessitate medii, iam indicavi supra ( n. 54. 55 ) ; et certe haec mysteria sciri debent a poenitentibus, quandoquidem Innoc. XI damnavit sequentem propositionem : « Absolutionis capax est homo, quan-« tumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per « negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctis-« simae Trinitatis, et Incarnationis Domini Nostri I. C. ». In praxi tamen Confessariis hac de re generatim scrupuli non sunt iniiciendi ; supponendum est enim quod Christiani mysteria ista cognoscant, sin minus iuxta formulas in Catechismis Dioecesanis expositas ( quod non est necessarium ), saltem in substantia, quod utique sufficit. Vide Frassinetti ( Dissert. XIII et not.

174). Verum est quod S. Leonardus a Portu Mauritio circa haec mysteria obligationem instruendi poenitentes imponit; sed advertendum quod loquitur de iis, qui neque a parentibus neque a Parochis ullam instructionem habuerint. Id autem (apud nos) difficile accidit. Si tamen ageretur de puero non adhuc ad Communionem admisso, (saltem in quibusdam locis et paroeciis) de hac ignorantia iure timendum esset: et tunc Confessarius puerum sequenti modo interrogare posset: Quisnam creavit mundum? Deus. — Quot Dii sunt? Unus. — Scisne tu quod nihilominus in Deo adsunt tres Personae; et prima vocatur Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus? Scio. — Scisne etiam quod secunda Persona, nempe Filius, venit in hunc mundum ad moriendum in cruce pro nobis, et vocatur Iesus Christus? Scio. — Scisne tu, Deum esse infinite bonum et daturum esse tibi veniam peccatorum tuorum, et Paradisum si bona opera feceris? Scio.

## PUNCTUM IV.

### DE REMEDIIS ASSIGNANDIS.

1115. Veram habet sine dubio obligationem Confessarius remedia assignandi. Catechismus Rom. dicit: « Diligenter pro-« videndum est, ut ea remedia aegroto adhibeantur, quae ad « illius animam sanandam, et in posterum contra morbi vim « muniendam aptiora videantur ». Rituale dicit: « Imprimis « meminerit Confessarius, se iudicis pariter et medici personam « sustinere... Audita confessione... remedia peccatorum tradet ». Et in iure canonico legitur: « Sacerdos sit discretus et cautus, « ut more periti medici infundat vinum et oleum vulneribus « sauciatis, diligenter inquirens et peccatorum circumstantias « et peccata, quibus prudenter intelligat, quale eis debeat « consilium praebere, et cuiusmodi medicamentum adhibere, « diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum ».

Attamen haec obligatio intelligenda est pro casibus, in quibus remediorum assignatio vere necessaria sit; si enim poenitens sola venialia (quae periculum incidendi in mortalia secum non ferant) haberet; aut circa remedia instructione non indigeret; aut illa adhibere iam solitus esset; tunc bonum quidem erit consilium si nihilominus de remediis aliquod verbum dicatur; sed stricta obligatio non aderit.

Ad determinandum gradum culpae in omissione assignationis remediorum (an scilicet sit gravis vel levis), considerari debebit non solum periculum relapsus (aliud enim est si poenitens ex occasione proxima vel prava consuetudine, et aliud si fortuito casu dumtaxat, peccaverit); sed etiam quanta sit spes fructus; si enim remediorum assignatio parum influere possit, defectus assignationis non gravis esse poterit.

1116. Quoad personas, a quibus parum fructus sperari potest (prout facile sunt qui raro aut solum in Paschate ad Sacramenta accedunt; et plurimi rudes qui vix mane et vespere signum crucis facere solent); sufficere poterit si Confessarius fugam occasionis proximae (si quae sit) ab iisdem exigat; atque ad frequentanda Sacramenta (in maioribus solemnitatibus), nec non ad ferventer orandum (saltem diebus festis) eos enixe adhortetur. Dixi *adhortetur*; maxime enim notanda est doctrina Cardinalis De Lugo dicentis (Respons. moral. I. XXVIII. 5): « Poenitens solum debet implere poenitentiam sibi a Con- « fessario impositam; quoad reliqua vero potest quidem Con- « fessarius declarare poenitenti ea, ad quae aliunde poenitens « sub peccato tenetur, v. g., restitutionem, relinquere occa- « sionem proximam peccandi, abstinere a tali contractu usu- « rario, et alia similia, quae si poenitens non habet animum « observandi, non est dispositus ad absolutionem: non tamen « potest Confessarius quidquam aliud sub peccato ei praecipe- « re, nisi id quod in poenitentiam imponit, in qua imponenda « habet se ut iudex: quoad alia vero se habet ut medicus, « cuius non est praecipere, sed consulere et declarare aegroto, « quae sint media necessaria vel utilia ad sanitatem tuendam « vel recuperandam ». Quae tamen doctrina non placet Filliuccio dicenti (Brev. instr. III): « Haec remedia.... proponenda « esse poenitenti, ut ipse sponte assumat aliquod (ex variis « indicatis) tamquam necessarium: vere enim ipse tenetur ad « aliquod ex iis assumendum ». Quidquid sit de hoc, certe quoad personas de quibus loquimur prudentia exigit, ut Confessarius, contentus de imponenda sub praecepto fuga occasionis (quae obligatio ab omnibus recognoscitur), quoad alia ad consilium et exhortationem se limitet.

1117. Si autem poenitens sit dispositus vel disponi possit ad curam magis efficacem subeundam (v. g., si constituat se sub directione stabili, ut de facto emendari valeat); tunc Confessarius longe maiorem illum adiuvandi diligenter aptioribus re-

mediis obligationem habebit. Haec diligentia a poenitentibus ipsis valde desiderari, iisque plurimum placere solet.

1118. Imprimis curandum erit ut poenitens remedia generalia (quae omnibus peccatis aptantur) diligenter et ferventer applicet. Praeter frequentiam Sacramentorum (quae in hoc casu iam supponitur), remedia ista sunt tria. 1° Oratio fervens (ad obtinendam gratiam praecavendi a relapsibus) mane et vespere, et speciatim adveniente tentatione: 2° Consideratio quotidiana novissimorum aliarumve fidei veritatum (speciatim mortis, inferni, et passionis D. N. I. C.; maxime vero, si tentationes insurgant, praesentiae Dei); 3° Examen conscientiae cum actu contritionis quolibet vespere. — Non oportet ut poenitens legere sciat. Si habeat bonam voluntatem, melius forte quam monachus, haec tria remedia cum magno fructu praestare poterit. — Interdum cum fructu applicatur etiam remedium faciendi aliquam eleemosynam, vel aliud opus mortificationis (v. g., octo vel decem cruces cum lingua in terra) toties quoties peccatum mortale committitur. — Ad obtruncandum pravum habitum aliquando valde deservit, si poenitens, qualibet hebdomada ad confessionem rediens, vivide imaginetur, hebdomadam illam esse ultimam vitae suae; et sic maximam adhibeat vigilantiam maximosque conatus, ut ad finem illius sine relapsu perveniat. Item si modo has modo illas preces novendiales instituat, cum firmo proposito dies illos sanctificandi et abstinendi a peccatis in honorem B. Virginis vel Sanctorum pro quibus eaedem preces instituuntur.

1119. Deinde applicanda sunt remedia particularia. Haec vitium unicum (ne poenitens minimorum remediorum assignatione confundatur) respicere debent; unde, si forte plura vitia habeat, animadvertendum est quodnam sit magis scandalosum aut praedominans, et ab illo incipiendum; ut prudenter notat Croix (n. 1828).

1120. Causa mali investiganda est. Qui arborem noxiam destruere vult, ictus ad radicem dirigit; et medicus, qui non fucatas sed efficaces medicinas adhibere vult, totus in eo est ut causam morbi cognoscere et destruere possit. Optime scripsit S. Cyprianus: « Non sitis contenti in morbis gravibus tangendi « manum: tangite et cor. Imperitus est medicus, qui tumentes « vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Ape- « riendum vulnus est, et secandum; et, putaminibus amputa- « tis, medela fortiore curandum ». Causae peccatorum sunt

passiones humanae; sed frequenter illa passio, quae primo intuitu causa esse videretur, vel reapse non est causa vera, vel non est principalis; saepe enim vel ab aliis passionibus magis latentibus, vel ab aliquo obiecto externo suscitatur. Exempla. Causa blasphemiarum solet esse ira; sed interdum ex habitu contracto aut stultissima iactantia sine ulla ira blasphemiae proferri solent; aut, si proferantur ex ira, haec forsan a ludo (quando chartae male vertunt) suscitatur. — Causa turpium lapsuum foeminae cum viro solet esse libido; sed interdum est paupertas: nulla voluntas laborandi; gulositas; pulchrarum vestium desiderium; amor personae quae ad peccatum invitat; vanitas seu ambitio habendi adamantes; indoles levis qua facillime annuit in omnibus, et animi imbecillitas, seu quaedam excessiva timiditas, qua nihil recusare audet; denique imprudentia in adeundis vel non removendis periculis. — Causa proxima pollutionum utique est libido; sed saepe saepius adsunt causae paullo remotiores quae illam suscitant, nempe 1° cogitationes de rebus venereis; 2° oculorum libertas; 3° sermones pravi; 4° lectiones heroticae; 5° conversationes genia-les, chorcae etc. 6° otium; 7° excessus in cibo et potu; 8° habitus inveteratus; 9° occasiones se lavandi, aut satisfaciendi aliis necessitatibus corporalibus; 10° quidam morbi (maxime in foeminis), v. g., inflammatio uteri, nempe gonorrea, hysterismus etc.; 11° obsessio diabolica. — Causa murmurationum ut plurimum est quaedam levitas seu loquacitas; sed non raro vera causa est odium vel invidia. — Causa proxima litium et contumeliarum est quidem ira; sed saepissime causae principales sunt invidia, superbia, avaritia etc. — Causa furtorum aliarumque iniustitiarum interdum quidem est mera avaritia, iuxta illud « Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fa-« mes? »; sed non raro causae sunt paupertas, ludus, luxus, pigritia, gula, luxuria etc.

Dices: quomodo Confessarius veras peccatorum causas cognoscere poterit? R. Valde deservire solet si poenitens interrogetur dicendo: Cur sic fecisti? Interdum interrogari poterit de antecedentibus, de consequentibus, aut de circumstantiis concomitantibus; v. g.: Antequam te polluas, habesne in mente semper aut fere semper malas cogitationes? Persona de qua oblocutus es, quid mali tibi fecit? Pecuniam furto ablatam quomodo expendisti? Qua in circumstantia soles te polluere etc.?

1121. Cognita vera causa mali, Confessarius totus in eo erit ut illam destruat vel diminuat. Oportet tamen ut vires tum

physicae tum morales poenitentis, aliaeque circumstantiae considerentur. Exempla.

Titia solet se polluere, et causa pollutionis neque in occasionibus externis, neque in pravis cogitationibus, neque in morbo aliquo physico; sed in sola libidine reponi debet. In hoc casu remedium particulare esset maceratio corporalis, nempe ieiunium, cilicium, flagellationes et vigiliae. Sed, si Titia esset paupercula, vel debilis, vel parum fervens, vel coniugata, vel gravida, vel lactans etc.; remedia ista adhiberi non possent. Attamen poenitens alia remedia adhibere poterit; nempe 1° insurgentibus motibus venereis graviter periculosis, (praeter remedium generale iam supra indicatum orationis et praesentiae Dei) mutare situm; scilicet (si sit in lecto) vertere se prompte ad aliud latus (maxime evitando situm supinum), et rosarium vel sacrum numisma collo appensum manu tenere. Melius autem esset si surgeret aliquantulum sedens in lecto, vel etiam e lecto prosiliens *. Interdum tamen media ista non iuvant, solumque pro effectu habent ut motus carnales diutius durent et persona dormire non possit: quo casu solum ea ad quae stricte tenetur adhibere debebit. Si autem pollutiones diurno tempore committantur, maxime iuvat, fugere a loco ubi persona tentatur, et se distrahere. — 2° Iuvare solent defatigationes, et solum quando somnum valde urget lectum petere, et mane cito surgere. — 3° Recolendum est etiam consilium Apostoli dicentis: « Melius est nubere quam uri ».

Si causa pollutionum (prout fere semper accidit) reponenda sit in pravis cogitationibus; tunc cura principalis illas pro obiecto habebit. Proposita, examina, preces etc. ad illas eliminandas dirigantur; quovis tempore, et speciatim insurgentibus motibus carnalibus, magno conatu expellantur, et mens ad pias et salutares cogitationes convertatur. Maxime vero oportebit ut otium declinetur. Attamen remedia quoque supradicta (si proximum pollutionis committendae periculum adsit) adhibeantur.

Si mulier peccet propter occasiones satisfaciendi necessitatibus corporalibus, v. g., propter menstrua, atque ad se lavan-

* Praestat tamen ut poenitens ea ad quae stricte tenetur ab iis quae sunt solum de consilio distinguat. Porro stricte tenetur 1. animo suo repugnare; 2. honeste se componere, si forte sive manibus sive aliter eo situ, quo solum ad foedos actus exequendos utitur, compositum se reperiat. Alia autem (saltem ordinarie) ad cautelam dumtaxat bonumque consilium pertinere possunt.

dam ; tunc Confessarius non utique poterit interdicere ei ut a necessariis abstineat ; secus enim alia et forsan peiora mala provocarentur. Attamen iubebit ut cito se expediat et modestiam ( quantum fieri potest ) adhibeat. Ablutionibus vero, quae non ob menstrua sed ob alias minoris momenti causas peraguntur, abstineat ; vel saltem easdem ad paucas vices reducat.

Si causa in uteri inflammatione ( cuius indicium indicavi supra n. 296 ) reponi debeat, curandum summopere ne ad extinguendum pruritum manus adhibeantur. Balnea potius aliaeque medicinae ( ibidem indicatae ) adhiberi deberent. Si non iuvarent, ad medicum ( intellige chirurgum ) recurrendum esset ; et, si de illius honestate certo certius non esset fidendum, mulier non sola sed alia comite ad illum se conferat. Sed quid de hysterismo ? Hysterismus est magna ( ex aliqua uteri infirmitate ) nervorum debilitas et irritabilitas, unde quidquid minimum sufficit ut persona perturbetur, terreatur et quaquaversus abnormissime procedat. Propter phantasiae perturbationem, quae nullius momenti sunt, enormia videntur; et omnia mirum in modum exaggerantur et transversim accipiuntur, vel omnino finguntur. Status huiusmodi est dementiae proximus ; imo interdum in veram dementiam degenerat. Sicut aliae res omnes, ita etiam ea quae ad venerem spectant maximam impressionem faciunt; unde, speciatim si persona sit naturaliter libidinosa, motus carnales adeo vividi evadere possunt, ut tandem in veram nymphomaniam ( seu maniam veneream ) degenerent : quo in statu misera infirma viros apprehenderet, coram ipsis se denudaret, aliaque faceret, quae ad illam in manicomio occludendam cogerent. Rebus ad huiusmodi excessum deductis, utique persona culpae capax non esset ; sed in aliis consuetis huiusce morbi stadiis reatus admitti debet. Confessarius tamen cautissime procedat, ne, loco diminuendi morbi vim, acrioribus correctionibus illam adaugeat. Deambulationes, laetas distractiones, alimenta substantiosa consulat; medici balnea maritima praescribere, et curam potassiae adhibere solent.

In casu obsessionis diabolicae, si usus aquae benedictae non sufficiat, exorcismi adhiberi debebunt. Caeterum si mulier sit hysterica, non facile eius dictis credendum erit ; quamvis enim diceret, Daemonem in forma viri sibi apparuisse. et haec vel illa ei dixisse aut fecisse ; vel in se ipsa hoc vel illud phenomenon ( v. g., uteri tumescentiam, lactis ab uberibus egressum etc.) accidere; contingere potest quod ex phantasia ( sicut in dementibus accidit ) haec omnia procedant. Adde inclinatio-

nem maximam, cui personae huiusmodi subiici solent, decipiendi alios (quidquid vix credibile perpetrando et sufferendo) ut commiserationem inveniant. Certitudo absoluta obsessionis in his personis habetur solum quando facta supernaturalia (quae nullo modo ab illis ipsis procurata esse possint) testibus fide dignis patuerint.

Si autem propter occasiones extrinsecas lapsus accidant, remedia indicavi in Tractatu *De Occasionariis*, speciatim nn. 80 ubi de occasione proxima: 139-144 ubi de concubinatu; 186 ubi de sectariis: 226 ubi de vitio cauponae; 241 ubi de adamantibus; 261 ubi de onanismo inter coniuges: 265 ubi de periculis domesticis: 269 ubi de famulabus; 271 ubi de scholis et collegiis; denique 276 ubi de officinis sermonem feci. — Hic dico dumtaxat. curam esse difficillimam si occasio sit necessaria, maxime vero si amor intercedat, prout accidit in puella quae cum adamante peccet; quo casu fere unicum remedium esse solet ut matrimonium quo citius fieri possit concludatur, atque interim puella tempestive procuret ut mater vel soror praesens sit, donec iuvenis cum ipsa permanebit. Si vero occasio voluntaria sit, si nempe aliquo modo evitari possit, tunc mulier viri alienationem omnino et firmiter procurare debebit (dicendo ei, v. g., quod parentes non sunt contenti, quod dicteria timentur etc.). Interdum illam vel illam domum, aut illum vel illum locum deserere oportebit: ad bonam paroeciam, vel domum honestam migrando. Denique si peccata propter extraordinariam levitatem accidant, fuga a personis periculosis et amicitia cum personis honestis et piis magis atque magis necessaria erit.

1122. Caeterum Confessarius adiuvet poenitentes opportunis consiliis, aut tradendo eis aliquem librum spiritualem, vel (si expediat) aliquod instrumentum poenitentiae; sed non facile aliter. Caveat quoad ipsas eleemosynas, ne a foeminis vaferrimis (quae veniunt solum ut pecuniam carpant) decipiatur; non tamen improbandus foret si poenitentes vere indigentes eleemosynis quoque (sed caute) adiuvaret. Caveat ne onus quaerendi personaliter novum servitium, maxime vero admonendi tentatorem in se suscipiat. Si tamen poenitens in Monasterio locum tutum quaereret, tunc expedire poterit ut illam adiuvet.

1123. Aphorismus dicit: *Medicus satagat ut tuto, ut celeriter, ut iucunde curet.* Nempe 1° Remedia tutiora et efficaciora praeferri debent. Verissimum hoc est; sed considerandae sunt vires poenitentis, propter quas non raro a remediis minus tutis minusque efficacibus incipiendum est. 2° Malis spiritualibus

prompte occurrendum iuxta aliud proverbium : *Principiis obsta ; sero medicina paratur , cum mala per longas convaluere moras ;* et remedia quae cito, aliis quae pedetentim sanitatem afferunt ( si fieri possit ) praeferri debent. 3° Comiter procedendum est, et curandum (interdum industriosis modis) ut poenitenti remedia placeant, eaque libenter accipiat et exequatur.

1124. Bona etiam est regula quae dicit , curanda esse *contraria contrariis ;* iuxta dicenda *De Poenitentia sacramentali.*

1125. In cura poenitentium quatuor pericula adsunt, a quibus solerter cavendum. *Primum* est quod poenitens nihil faciat. Confessarius itaque non facile assignet remedia quae adhiberi non solent ; quale esset, v. g., praescribere filiis ut veniam a parentibus petant ( nisi forte de offensa gravissima res fuerit ). Imo generatim, indicatis remediis, interroget poenitentem utrum illa adhibere possit, atque lubenti animo executurus sit ? — *Secundum* est quod poenitens negligens sit ; aliquando scilicet remedia adhibeat et aliquando non. Rediens itaque, an et qualiter remedia adhibuerit interrogandus erit. Sed ex hoc oritur *tertium* periculum, quod scilicet in posterum sincerus non sit , aut curam simul et curantem derelinquat. Confessarius itaque illum rogabit, ut, non obstante quolibet relapsu et qualibet negligentia, redeat atque sinceritatem semper adhibeat, neque sibi unquam mirum fore si relabatur, aut si tentatione victus remedia negligat. Dicat ut solum propter Deum et salutem animae suae, non vero propter Confessarium a relabendo caveat, et remedia applicet ; et sic in quolibet eventu velut aegrotus ad medicum quo magis indiget eo confidentius redeat ; quatenus illum quidem iterum atque iterum in visceribus Christi exhortabitur ; sed non ( nisi forte ad modum patris ) illum obiurgabit. *Quartum* periculum est quod poenitens, propter relapsus ( et fortasse etiam negligentiam ) desperationi se dedat. Si itaque Confessarius hoc periculum advertat, animum illi ( quantum poterit ) addere debebit ; curando ut negligentiam quidem excutiat, sed simul desperationem evitet.

1126. Si Confessarius animadverteret quod talis vel talis curandi modus, notabili iam tempore transacto, nullum bonum effectum produceret , alium modum aliaque remedia ( diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum ) tentare debebit ; idque maxime si peccatorum radices non bene cognoscere potuerit ; aut si, attenta poenitentis indole, suspicetur quod alia methodus magis profutura erit.

1127. In his omnibus Confessarius magnam patientiam ad-

habeat, et maxime caveat, ne relapsus, exiguum fructum et forte etiam magnum et inexpectatum excessum, videns, animo ipse quoque deficiatur: medela enim spiritualis, si optatam salutem tam cito non affert, id saltem obtinet ut poenitens non praecipitet in illam abyssum adhuc horribiliorem, in quam certe precipitaret, si eius cura destitueretur. Reminiscatur se esse patrem. Reminiscatur etiam quod non iuxta fructum sed iuxta laborem praemium obtinebit.

## PUNCTUM V.

### DE EXHORTATIONE FACIENDA.

1128. *A*) Haec summi momenti est: ex ea enim totus confessionis fructus pendet. Rituale dicit: « Audita confessione, « perpendens peccatorum, quae ille admisit, magnitudinem ac « multitudinem, pro eorum gravitate ac poenitentis conditione, « opportunas correptiones adhibebit, et ad dolorem et contri- « tionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam « emendandam ac melius instituendam adducet ».

*B*) Si poenitens peccata mortalia commiserit, ut plurimum, modus aptior exhortationem faciendi mihi videtur sequens (ad modum dialogi inter Confessarium et poenitentem *): *Conf.* His peccatis, fili mi, heu qualem iacturam fecisti! Quid perdidisti? *Poen.* Paradisum. *C.* Ita est: perdidisti Paradisum, nempe bonum immensum et felicitatem aeternam. E contra quid tibi meruisti? *P.* Infernum. *C.* Ita est; abyssum tormentorum, et carcerem ignis, ignis aeterni. Considera insuper, fili, considera: his peccatis tuis quem offendisti? *P.* Deum. *C.* Ita est. Offendisti Deum tuum: offendisti patrem tuum coelestem, qui tanto amore dignus est, atque adeo te diligit. Aspice Deum tuum in cruce confixum. Audi quod dicit: « Quid feci tibi, aut « in quo contristavi te, responde mihi! » Heu quantam patientiam habuit Deus tuus in sufferendis tot atque tantis atque adeo continuis offensis! Quis pater terrenus adeo patiens extitisset? Heu quanta est misericordia tui boni Dei! Brachiis extensis te expectat, et vult tibi ignoscere. Nunquid non meretur amari? Visne tu illum iterum offendere? *P.* Minime.

* Dico: *ad modum dialogi;* sic enim praecavetur periculum ne poenitens, dum Confessarius loquitur, evagetur, et de aliis rebus (v. g., an habeat alia peccata adhuc accusanda) recogitet; quod saepe saepius non solum in pueris sed etiam in adultis accidit.

Nonne melius fuisset si in infantia mortuus esses antequam peccatum cognosceres? Si in posterum offensurus esses Deum tuum, nonne potius contentus esses mori, habita absolutione, antequam denuo recidas? *P.* Utinam!

Adsunt etiam motiva contritionis, quae a particularibus peccatorum speciebus, (v. g., blasphemiis, impudicitiis etc.) deduci possunt; et haec etiam efficaciam habere solent. Vide Salvatori, Caietanum a Bergomo etc.

*C*) Obligatio exhortationem faciendi urgetne semper? R. Poenitentes ad tres classes reduci possunt; alii enim sunt certe dispositi; alii sunt indispositi vel dubie dispositi propter solam ignorantiam vel inadvertentiam; alii demum sunt indispositi vel dubie dispositi propter magnam et habitualem adhaesionem (*attacco*) quam habent ad aliquam culpam, prout contingere solet (ut alibi dicebam) si poenitens magno odio aestuet; aut pravam amicitiam aliamve occasionem proximam (v. g. vitium cauponae) habeat; aut aliquam restitutionem facere debeat; aut aliquo gravi respectu humano detineatur.

Si poenitens sit certe dispositus, exhortatio non erit necessaria. Si autem sit indispositus vel dubie dispositus propter solam ignorantiam vel inadvertentiam (prout contingere solet extra dictos casus magnae adhaesionis); tunc exhortatio quidem fieri debebit; sed pauca verba sufficient; satis enim erit quod, remediis acceptatis, ei suggeratur ut poeniteat, v. g., propter offensam Dei, nolitque amplius peccare. Nihilominus, etiam in his duobus casibus, bene est si exhortatio fiat ut supra; quae a poenitentibus libenter audiri solet, et efficit ut compunctio sit maior et propositum firmius. Cavendum tamen ne poenitens (v. g. si esset valde instructus aut Sacerdos) offendatur; et, generatim loquendo, exhortatio debet quidem esse succosa et vivida, sed brevis; longae enim praedicationes poenitentes taedio afficere, et sic compunctionem imminuere potius quam adaugere solent. Id maxime prae oculis habendum est, si alii expectent, aut si ipse poenitens se cito expedire indigeat. Cavendum semper a modis asperis, qui, speciatim a Confessariis iracundis, adhiberi solent, dicendo, v. g.: *es bestia, es damnatus, nonne te pudet venire ad me cum peccatis huiusmodi? Merereris ut ostiolum confessionalis tibi in faciem clauderem etc.* Expressiones huiusmodi non contritionem sed iram et indignationem provocant, et possunt esse in causa cur miseri peccatores in desperationem se coniiciant, aut in posterum proprias culpas confiteri non audeant. Imo quoad illos (et non

sunt pauci) qui peccata accusare verecundantur, in ipsis exhortationibus moderate factis speciales cautelae adhibendae sunt; et interdum forte sunt monendi, ne, correctione audita, in casu relapsus, ad confessionem redire aut peccata cōfiteri pertimescant. Hac ipsa de causa, exhortatio non post unum vel alterum peccatum auditum, sed solum in fine confessionis fieri debet.

Sed quid si poenitens sit indispositus aut dubie dispositus propter aliquam ex dictis culpis, quibus magnam adhaesionem habet? R. In his casibus valde delinquunt Confessarii laxistae, qui inter poenitentes istos et alios nullum discrimen faciunt; et sic non solum exponunt Sacramentum magno periculo frustrationis; sed etiam (morbo non curato) poenitentes in malo et pessimo statu relinquunt. Sed non minus delinquunt Confessarii rigoristae qui (medio exhortationis nullo modo tentato) dicunt: *Non es dispositus; absolutionem tibi dare nequeo;* et statim in poenitentis faciem confessionalis ostiolum claudunt. S. Hieronymus dicebat: « Talis loquela non illuminat coecum, « non sanat aegrotum; sed potius occidit ». Si semper id verum fuit, quanto magis hodie, propter periculum ne poenitentes sine absolutione dimissi amplius non redeant! Vide etiam dicta *De Recidivis* (n. 154. IV). Faciat itaque Confessarius quidquid potest, et omni nisu procuret ut, ope ferventis exhortationis, hos miseros peccatores salvet et Deo reconciliet; neque consideret quod alii expectent. Faciat sicut pater qui filium suum salvare vult quovis pacto. Ex eo ipso quod hi peccatores sponte ad confessionem accesserint, de aliqua bona eorundem voluntate signum habetur. Non est desperandum. Deus ipse illos ad nos mittit: et ipse sua gratia verbis nostris robur adiiciet. S. Alphonsus dicebat: « Multi accedunt indi« sposiți, sed ostendendo illis gravitatem peccati, offensam « Dei, Paradisum amissum, et infernum apertum, disponun« tur »; adeo ut ipsemet Sanctus in fine vitae suae dicere soleret: « Non memini me dimisisse unquam aliquem poenitentem, « quin illum absolverim ». Et Leo XII in Bulla *Charitate Christi* dixit: « Sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae Mi« nistris prorsus imparati; sed persaepe tamen huiusmodi ut « ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera « indutus misericordiae Iesu Christi, qui non venit vocare iu« stos sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete « cum ipsis agere ».

Sed quid si ex una parte Confessarius nullam aut valde du-

biam habēret spem flectendi poenitentis voluntatem, quoad peccatum cui nimis adhaeret; et ex alia casus ita urgeret ut sine mora absolutio omnino concedenda esset? R. Tunc agendum esset iuxta dicta (n. 1104).

## PUNCTUM VI.

### DE ABSOLUTIONE DANDA, DIFFERENDA AUT DENEGANDA.

1129. De hoc argumento in Tractatibus *de Recidivis et Occasionariis* diffusissime egi; et, proinde ad eosdem tractatus lectorem remittens, hic brevissime me expedio, et dico:

I. Exhortatione facta, poenitens potest esse vel certe dispositus, vel dubie dispositus, vel certe indispositus.

II. Poenitens certe indispositus, in nullo casu absolvi potest, ut per se patet. Confessarius tamen displicentiam ostendat, illumque enixe roget ut miserrimum suum statum atque periculum in quo versatur aeternae damnationis serio consideret, et conversionis gratiam a Deo expostulet. Redeat autem non solum si ad optatam conversionem decise se determinet: sed etiam si aliquod bonae voluntatis initium in posterum concipiat, novam exhortationem, nova consilia, novosque impulsus habiturus. Et si de poenitente stabili, qui periodice redire solitus sit, ageretur, Confessarius illum adhortabitur ut iuxta suam consuetudinem semper redeat. Pro casu in quo indispositio poenitentis cognoscatur ex notitia subiecta sigillo, vide dicta (n. 962). Pro casu poenitentis indispositi quidem, sed sola venialia habentis, vide dicta *De Recidivis* (n. 205 et 207).

III. Poenitens certe dispositus (quales practice censeri debent illi omnes qui ex una parte magnum affectum ad aliquam culpam minime habent, et ex alia de dolore et proposito concipiendo admoniti sunt) absolvi debet. Excipitur casus, in quo ex officio medici absolutionem ei differre oporteat vel expediat. Casus huiusmodi sunt 1° Si poenitens habeat aliquam occasionem proximam, iuxta explicationes datas *De Occasionariis* (*n.* 46-114). 2° Si ad aliquam restitutionem, reconciliationem, denunciationem vel quid simile, quod unico actu compleri possit, teneatur; aut si magna incutiendi in ipso terrorem ope dilationis absolutionis necessitas urgeat. Vide explicationes datas *De Recidivis* (*n.* 142-153).

IV. Poenitenti dubie disposito regulariter differri deberet absolutio; sed, data causa gravi (qualis esset etiam timor fun-

datus ne dimissus inabsolutus amplius non redeat vel quomodolibet in peius ruat), absolutio sub conditione ei dari poterit. Vide *De Recidivis* (*n.* 155-183). Difficilius tamen si, praeter quam quod dubiam dispositionem afferat, in aliqua occasione proxima (maxime voluntaria) versetur. Vide *De Occasionariis* (*n.* 51-54).

## PUNCTUM VII.

### DE POENITENTIA SACRAMENTALI IMPONENDA AUT COMMUTANDA.

1130. *A*) Confessarius poenitentiam sacramentalem iniungere tenetur; et haec levis quidem pro levibus aut pro gravibus alias absolutis; sed pro gravibus nunquam absolutis gravis esse debet; nec valet quod Confessarius postea subiungat: « Quidquid « boni feceris et mali sustinueris sit tibi in remissionem pec- « catorum ». Patet ex praxi universali, et ex Trid. dicente: « Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et pruden- « tia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium fa- « cultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere; « ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poeni- « tentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis deli- « ctis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur » Vide Lugo (XXV. n. 57).

*B*) Defectus iniunctionis poenitentiae pro levibus peccatum veniale est (Lugo l. c. 49); sed si Confessarius pro gravibus nullam aut levem (advertenter et sine ulla causa excusante) poenitentiam imponeret, mortaliter delinqueret. Ita Lugo (l. c. 60).

*C*) Poenitentia, per se loquendo, deberet esse peccatorum numero et gravitati ita proportionata, ut poenitenti illâ peractâ nullum debitum in purgatorio solvendum superesset. In hunc finem olim aderant canones poenitentiales, a quibus Confessarii regulam sumere debebant. Quia tamen poenitentiae illae gravissimae aetate nostra non adimplerentur, ipsumque Poenitentiae Sacramentum odiosum redderent, ab eoque recipiendo fideles alienarent; poenitentiae valde minores hodie sufficiunt; idque ex iam efformata Ecclesiae disciplina et praxi communi. Sed quaenam erunt hodie poenitentiae leves et quaenam graves? Poenitentiae LEVES sunt, v. g., tres *Ave*; quinque *Pater*; litaniae laurentanae; psalmus *Miserere*; recitatio actuum fidei, spei, et charitatis; osculum Crucifixi vel alterius imaginis;

osculum terrae; exigua eleemosyna etc. — Poenitentiae GRAVES sunt, v. g., quinque decades Rosarii (S. Lig. n. 515): Litaniae Sanctorum (Gury 524); et proinde etiam duodecim *Pater*, *Ave*, *et Gloria* etc. — Poenitentiae PAULLO GRAVIORES sunt, v. g., auditio Missae; psalmi poenitentiales: rosarium integrum (nempe quindecim decades); exercitium *viae crucis*; auditio concionis aut catechismi; pia meditatio aut lectio spiritualis per horae quadrantem: privatio alicuius recreationis vel deambulationis vel ientaculi pro una vice; totalis aut fere totalis abstinentia a vino pro una die: eleemosyna notabilis; visitatio Ecclesiae; orare pro offensore dum interius notabilis haberetur repugnantia; tres *Ave* singulis diebus per hebdomadam recitandae. — Poenitentiae VALDE GRAVIORES sunt, v. g., ieiunium; peregrinatio ad aliquod vicinum Sanctuarium; visitatio septem Ecclesiarum; officium B. M. V.; quinque *Pater* manu posita subter genua flexa; psalmus *Miserere* genuis in terra flexis et brachiis extensis; octo vel decem cruces cum lingua in terra; cilicium; disciplina; petere veniam (si persona ad hoc non sit assueta); aggregare se alicui piae confraternitati; preces novendiales; sanctificatio mensis Mariani; dies spiritualis recollectionis (*far un giorno di ritiro*); exercitia spiritualia; receptio Sacramentorum in Dominicis S. Iosephi, vel S. Aloysii, vel in Dominicis quae proponi solent ad servandum fructum Missionis; magna eleemosyna etc.

*D*) Si poenitens peccatum mortale accusaverit, poenitentia gravis est ei iniungenda. Si autem peccatum istud esset ex enormioribus, vel si pluribus multisve vicibus illud commisisset, vel si plura diversae speciei mortalia haberet; tunc non iam dicta poenitentia gravis esset adaugenda cum proportione aritmetica (iniungendo, v. g., centum Rosaria pro centum blasphemiis); bene vero aliqua ex dictis paullo gravioribus aut valde gravioribus poenitentiis ei assignari deberet.

*E*) Poenitentiarum delectus non sine consilio fieri debet; curandum est enim ut poenitentia non solum circa quantitatem, sed etiam circa qualitatem congrua sit. Porro non solum vindicativa (nempe in expiationem delictorum), sed etiam medicinalis (nempe, quantum fieri potest, apta ad novae vitae remedium et spiritualis infirmitatis medicamentum) esse debet. Unde Rituale dicit: « Quare curet (Confessarius), « quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias « iniungat; veluti avaris eleemosynas, libidinosis ieiunia vel

« alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis « devotionis studia ».

*F*) Verba illa Ritualis *quantum fieri potest* sedulo attendi debent : non raro enim quod in se optimum medicamentum esset, inutile reddi aut etiam in venenum converti potest ; idque contingeret speciatim 1° si poenitens poenitentiam non esset adimpleturus : 2° si aversionem contra Sacramentum esset concepturus. Stante huiusmodi timore, poenitentia illa imponi non debet : nec refert sive ex iustis causis sive etiam ex sola poenitentis fragilitate hi effectus pertimescendi sint. S. Ligorius ( VI. 509 ) aperte dicit : « Confessarius minuet poeni- « tentias.... signanter ( prout communiter docent TT. ) propter « animi infirmitatem, qua laboret poenitens, et ob quam cen- « seatur, satisfactionem proportionatam non impleturus.... « Quam imprudenter se gerunt Confessarii, qui magnas impo- « nunt poenitentias, quas praevident poenitentes non esse « impleturos. Oh quam plures Confessarii indocti inveniuntur « ( loquor experientia doctus in missionibus, in quibus fere « triginta annos sum versatus ), qui non dubitant absolvere « eos, qui vel sunt in proxima occasione peccandi, vel recidi- « vi indispositi, et insipienter putant eos curare, graves eis « imponendo poenitentias; ex quo fit, quod illi, etsi poeniten- « tiam acceptent ut absolutionem carpant, quia nullum eis « remedium praescribitur ut praeserventur, brevi misere rela- « buntur, poenitentiam non implent, et ab eius gravitate de- « territi, deinde a confessione abhorrent, et sic in peccatis « suis diutius tabescunt ». Confessarii autem, qui ita se gerunt omnes poenitentes amittunt; et sic inutiles se reddunt.

*G*) Hinc cavendum est imprimis ab imponendis poenitentiis, quae infamiae, vel suspectibus, vel irrisionibus poenitentem exponerent. Quid enim si iniungeretur, v. g., oratio facienda in medio Ecclesiae brachiis extensis ? Aut si uxori vel filiofamilias abstinentia a carnibus ( dum alii carnem comedunt ) vel ieiunia imponerentur? Pueris, qui cum propria matre poenitentiam peragere solent, si forte peccata gravia occulta accusaverint, ad summum duodecim *Pater et Ave* iniungantur. Peccatoribus, qui enorme aliquod scandalum dederint, poenitentia publica ( quae notetur quidem sed risum non moveat ) opportune dabitur. Si tamen illam respuerent et aliis mediis scandala reparare parati essent, poenitentia secreta tunc quoque ( nisi ante Eucharistiae perceptionem necesse sit ut tali vel tali modo scandalum reparent ) sufficere poterit.

*H*) Poenitentiae multis operibus diversis implicatae, quae memoriter teneri non possent, iniungi non debent. Idem dic de poenitentiis diuturnis; praeter periculum enim quod praetermittantur, si Confessarii crederent bonam esse regulam imponendi huiusmodi poenitentias, sequeretur quod prima non adhuc finita, alia et alia similis poenitentia imponeretur, et sic obligationes nimis multiplicarentur. Ad summum itaque preces novendiales, aut similia (ut supra), iuxta casus circumstantias et si prudentia id sinat, imponi poterunt. Ordinarie autem expedit ut detur poenitentia quae hic et nunc totaliter peragatur.

*I*) Poenitentiae debent esse diversis statibus accomodatae, neque cogitandum de imponendis poenitentiis, a quibus poenitentes talis vel talis conditionis nimis esse alieni, earumque nullum usum habere soleant. Hinc, v. g., eleemosynae neque pauperibus, neque filiis familias, neque aliis personis non sui iuris imponi debent. Meditationes, petitio veniae, cilicia etc. Monialibus quidem et forte etiam quibusdam personis piis, non vero aliis facile conveniunt. Psalmi poenitentiales, exercitia spiritualia etc. Sacerdotibus quidem aliisque personis religiosis aptari possunt; sed difficile aliis. — Rudibus (saltem apud nos) vix quidquam assignari potest praeter Rosaria, et (quoad foeminas) exercitium *viae crucis*.

*K*) Potest etiam efformari regula generalis circa poenitentias paullo graviores, et est ut prius interrogetur poenitens non solum utrum possit illam peragere, sed etiam utrum libenter illam acceptet; et in casu negativo Confessarius illam mutet aut minuat.

*L*) Monent etiam TT. ut in casibus gravioribus Confessarius poenitenti significet quaenam poenitentia iuxta Ecclesiae canones illi competeret; atque ut satagat voluntarias facere poenitentias, ne diu in purgatorio remanere cogatur.

*M*) Consilium optimum dat Lugo (XXV. 60): « Consulen-
« dus est usus indulgentiarum, et aliquando imponendus, ut
« ea ratione suppleatur defectus propriae satisfactionis ». Opera quibus adnexae sunt indulgentiae sunt speciatim sequentes. *Via Crucis* meditando passionem D. N. I. C.; recitatio actuum fidei, spei, et charitatis; visitatio SS. Sacramenti recitando 5 Pater, Ave et Gloria, et unum Pater, Ave et Gloria iuxta intentionem Summi Pontificis; visitatio imaginis SS.mi Cordis Iesu in Ecclesiis expositae; Officium B. M. V.; rosarium cum corona benedicta; litaniae lauretanae; auditio explicationis Evangelii.

*N* ) Cavendum est etiam ne poenitentiae sint ridiculae aut scandalosae. Quid enim si coniugi onanistae vel non reddenti debitum copula matrimonialis pro poenitentia daretur? Quid si Confessarius pecuniam pro poenitentia sibi tradere faceret? Hoc ultimum etiam a Rituali expresse interdicitur.

*O* ) Poenitentia sub conditione relapsus (v. g., quotiescumque blasphemaveris talem poenitentiam facies) utilis esse potest, stante spe executionis, et a multis TT. commendatur, dummodo sub levi imponatur atque ad breve tempus, et sit de re nec valde facili nec valde ardua, et detur etiam alia poenitentia pro peccatis commissis exequenda, ne Sacramentum (relapsibus non intervenientibus) mutilum remaneat. Salm. X. 38. et S. Lig. 524. Dixi *sub levi;* nempe propter periculum (quod raro aberit) ne poenitens postea poenitentiam omittat, et sic peccata mortalia multiplicet.

*P* ) Caeterum pro peccatis gravibus poenitentia gravis bene imponi potest sub levi, si spirituali poenitentis bono id magis congruere videatur. Attamen S. Lig. (n. 518) censet, doctrinam istam applicari posse solum ad casum, in quo, praeter poenitentiam gravem et sub gravi exequendam, alia superaddatur quae sub levi tantum adimpleri debeat.

*Q* ) Communissime docent TT. quod poenitentia (quae danda esset iuxta peccatorum proportionem) imminui potest non solum propter difficultates phisicas aut morales poenitentis; sed etiam propter minorem (in qua ille versetur) necessitatem satisfaciendi; v. g., si magnis macerationibus aut longae peregrinationi sponte sua se subiecerit, vel extraordinariam compunctionem praeseferat, vel indulgentiam sit lucraturus.

*R* ) Illa opera quae adimpleri solent a poenitente ex mera devotione (v. g., receptio Eucharistiae post confessionem) iniungi quidem possunt etiam ad modum poenitentiae; sed hoc non convenit, nisi aliquid aliud superaddatur. Communis sententia est quoque, pro poenitentia iniungi posse opus ex alio capite debitum, v. g., auditionem Missae die festo; sed (ut merito advertunt plerique cum S. Lig. 513. et Ballerini 525.) sensus et praxis Ecclesiae est ut opera huiusmodi non iniungantur; et praedicta doctrina valere potest solum pro casu in quo, spectatis circumstantiis, poenitentia proportionata imponi nequeat; unde imponatur ea dumtaxat quae moraliter et prudenter imponi potest, et suppleatur defectus iniungendo alia opera debita, quae tunc etiam ad meritum satisfactionis sacramentalis elevarentur. Adhuc tamen melius esset si in opere

ipso aliqua circumstantia (quae per se obligatoria non esset) superadderetur; v. g., ut poenitens flexis genibus aut orationes recitando Missam audiat.

*S*) Quid si quis, confessione iam facta et poenitentia non adhuc adimpleta, illico redeat et novum peccatum confiteatur? Sufficitne si Confessarius pristinam poenitentiam, utpote pro utraque confessione deservientem, ei iniungat? Affirmant plures apud S. Lig. (l. c.); idque mihi quoque probabile videtur, dummodo poenitentia sit adhuc proportionata, neque videatur expedire ut alia nova iniungatur (quod in praxi facile contingit si secus duae poenitentiae graves adimpleri deberent, aut si ageretur de scrupuloso qui iterum atque iterum, absolutione obtenta, nova peccata confiteretur); nihil enim vetat quod tunc poenitentia unica (virtuali commutatione interveniente) pluribus confessionibus deserviat, ut dixi (n. 1018) cum Viva.

*T*) Pro poenitentia iniungi potest etiam opus applicandum pro defunctis; meritum enim bonae voluntatis, nempe ipsius applicationis apud poenitentem necessario remanet. Lugo (XXV. 62).

*U*) Iniungi potest etiam abstinentia ab opere caeteroquin bono, si forte inspectis circumstantiis melius sit ab illo abstinere, et poenitens hoc modo suae voluntatis sacrificium faciat; prout contingere potest quoad macerationes corporales, Communionem quotidianam etc. Lugo (l. c. 65).

*V*) Denique iniungi possunt etiam actus mere interni, prout accidere potest speciatim quoad moribundos; neque oportet ut omnes actus huius Sacramenti sint totaliter externi ut patet ex contritione; et sufficit si aliquo modo manifestentur. Hic autem manifestarentur per acceptationem. Ita Suarez (XXXVIII. VI). Et haec sententia melius sustinetur iuxta systema Scoti, ut patet ex dictis (n. 990).

*X*) Quandonam imponenda est poenitentia? R. Ante absolutionem. Rituale dicit: « Cum igitur poenitentem absolvere vo-« luerit, iniuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poeniten-« tia, primo dicit: *Misereatur etc.* ». Si tamen Confessarius ex oblivione poenitentiam ante absolutionem non iniunxisset, illam postea iniungere deberet.

*Z*) Quid de poenitentiae commutatione? R. Non solum inspectis iustis motivis, sed etiam inspecta fragilitate poenitentis, commutatio concedi potest. Gury (531). Caeterum vide dicta (n. 1051, VIII. IX).

## PUNCTUM VIII.

### DE CONFESSIONE GENERALI, QUASI GENERALI, AUT ANNUALI.

1131 *A*) Confessio dicitur *generalis*, si poenitens, etsi aliis et forsan plurimis vicibus confessus fuerit, tamen omnia vitae suae peccata confiteri velit; dicitur *quasi generalis*, si non totius vitae sed longi temporis peccata confiteatur; dicitur *annualis*, si peccata toto eo anno perpetrata accusare velit. Confessiones istae, uti patet, confessionum, quae iam peractae fuerunt, iterationem important.

*B*) Confessio generalis aut quasi generalis interdum sub obligatione, et interdum sub consilio cadit; interdum vero dissuaderi debet.

*C*) Cadit sub obligatione casu quo confessiones fuerint sacrilegae, aut certo invalidae. Patet ex Catechismo Rom. (§ *Sed quoniam*. Dixi *certo*: si enim propter recidivitatem et timorem ne defuerit dolor et propositum dubium oriretur, non ob id confessiones necessario iterari deberent, ut dixi (n. 1032); idemque sentit Auctor operis *Istruz. pei novelli Conf.* (I. 305).

*D*) Casus practici in quibus vera confessionum repetendarum necessitas adest sunt 1° Si poenitens mala fide, nempe ex verecundia vel defectu examinis graviter culpabili, peccata mortalia aut circumstantias quae speciem mutant reticuerit aut denegaverit, vel numerum minorem pro maiori expresserit; 2° Si certe absque dolore et proposito confessus fuerit, ut puta, si ex mero respectu humano et absque ulla intentione mutandi vitam ad confessionem accesserit. Notandum tamen (cum S. Lig. Prax. 22) quod non raro rudes, factis aliquibus vel multis confessionibus sive sacrilegis sive invalidis speciatim in pueritia, postea incipiant facere confessiones validas, quamvis antecedentes defectus non reparaverint, dum propter ignorantiam vel oblivionem de obligatione eosdem defectus reparandi non cogitant. Tunc autem tenerentur quidem repetere confessiones sacrilegas vel invalidas, non vero in rigore alias quas postea bona fide peregerunt. 3° Si apud Confessarium surdum qui certe peccata non intellexerit, confessiones de mortalibus peractae fuerint. — Dantur etiam aliqui casus, in quibus necesse est repetere confessiones propter solum defectum mate-

rialis integritatis; nempe si, ex ignorantia vel inadvertentia vel quadam negligentia in examine, tot defectus intervenerint, ut sine confessione generali reparari non possint.

*E*) E contra confessiones repetendi necessitas non adest 1° In dicto casu, in quo confessiones fuerint dubie validae propter dubium defectum doloris et propositi. 2° Si numerus in confuso dumtaxat fuerit indicatus, iuxta dicta (1105. XIV). 3° Si poenitens accusaverit peccata iuxta species non stricte infimas, nempe, non distinguendo illas species infimas subtiliores quae communiter non observantur. Porro, praescindendo ab aliis rationibus (Cf. l. c. VI. XI), casus isti sunt nimis frequentes, neque credendum est quod confessionum repetendarum obligatio adeo passim occurrat; et praxis est ut in his casibus nulla omnino, ne defectum quidem reparandi, onus imponatur. 4° Si aliqua peccata vel aliquas circumstantias speciem mutantes poenitens absque culpa reticuerit; sed tunc oportet ut defectus reparetur. 5° Si agatur de peccatis antiquis, de quibus poenitens non recordatur an ea confessus fuerit; si enim de omissione certitudo non adsit, praesumi debet ea accusata fuisse, nullaque omnino obligatio superest. 6° Si confessiones apud Confessarios indoctos, qui mortalia pro venialibus acceperint, factae fuerint. Porro poenitentes propter huiusmodi Confessariorum errores, confessiones repetere non tenentur.

*F*) Praescindendo autem ab obligatione, confessionum iteratio ordinarie cadit sub consilio 1° Si confessio generalis nunquam facta fuerit. Idem dic si fuerit quidem peracta, sed (ex fundatis rationibus) non bene et sine animi satisfactione. 2° Si a confessione generali iam facta notabile tempus iam effluxerit (saltem annus), accusando nempe peccata non iam in prima confessione generali accusata, sed alia dicto tempore commissa. Hoc sensu laudandae sunt speciatim confessionum iterationes ante primam Communionem; ante status (maxime religiosi) electionem, nempe ante subdiaconatum, vel ante professionem religiosam; postquam poenitens vitiis suis finem imposuerit et vitam vere christianam et devotam de facto incoeperit; tempore missionis vel spiritualium exercitiorum; in fine cuiuslibet anni; denique in periculo mortis. Hae confessionum repetitiones modo speciali commendandae sunt, si circa dispositiones in consuetis confessionibus habitas dubia fundata subsistant.

*G*) Ex his confessionibus generalibus, aut quasi generalibus, aut annualibus, plures utilitates profluunt; sive enim in se sive

in suis effectibus considerentur, meliores aliis esse solent. Examen est accuratissimum; quidquid turbationem aliquam afferre potest Confessario exponitur; poenitens magnam sui ipsius et miseriae propriae cognitionem concipit; vehementissime dolet; firmissime proponit; magnum meritum, propter erubescentiam cui se subiicit, sibi comparat; humilitatem exercet; misericordiam Divinam considerat; Deum suum adeo bonum amat; de venia obtenta specialissimam confidentiam habet; veras maioresque animae suae necessitates cognoscit; dictaminibus quae tranquillitatem non afferunt renuntiat; a Confessario magis congruis consiliis et remediis adiuvatur, et gratia sacramentali valde uberiori roboratur. Confessione facta, consolationem magnam experitur; perfecta fruitur conscientiae pace, et magna alacritate in Dei servitio procedit. Magna et stabilis vitae mutatio post huiusmodi confessiones conspici solet. Non raro poenitentes, quasi novam et candidissimam vestem induissent, et quasi novum Baptisma suscepissent, maximam habent cautelam ne animam propriam iterum commaculent. Magna conscientiae puritate vitam ducunt. Denique in morte tranquillitate et consolatione magna fruuntur.

*H*) Nihilominus dixi quod confessio generalis interdum dissuaderi debet; idque contingeret si extra casus supra indicatos peragi vellet. Rationes (praeter temporis iacturam) sunt duae. Prima est quia ut plurimum agitur de peccatis carnalibus, quorum memoriam et narrationem iterum atque iterum repetere non expedit, quandoquidem Confessariis ipsis lutum istud nimis volutare periculosum esset. Secunda est, quia scrupulis ianua aperiretur et fomentum praeberetur. Si poenitens in confessione generali iam facta aliquid ex oblivione reticuit, illud dicere poterit; et hoc sufficit; si enim confessio illa bene et cum satisfactione conscientiae peracta fuit, ut quid cum dictis periculis illam repetere? Sunt qui ex mera levitate confessionem generalem repetere vellent, v. g., tempore missionis apud omnes Missionarios; nec desunt qui de contritione vitaeque mutatione nihil cogitantes toti sunt in repetendis confessionibus generalibus, quasi venia peccatorum ex oris confessione nunc penderet. Curet Confessarius ut isti potius de contritione et proposito seriaque morum emendatione solliciti sint. Sunt denique qui honestam vel piam vitam ducunt, pluresque confessiones generales iam fecerunt; sed de illis nunquam sunt contenti; nec tamen motivum rationabile, propter quod contenti non sint, adducere valent. Hi profecto scrupulosi iam

sunt, neque nova confessio generalis eis permitti debet, quae scrupulos non iam sedaret sed augeret; scrupuli enim assimilari possunt infirmitati oculorum, qui quo magis perfricantur eo magis dolori subiiciuntur. Imo, quando poenitentes deprehenduntur scrupulosi, non facile permittendae sunt confessiones annuales; imo nec attendendum si dicerent se graviter dubitare quod hoc vel illud peccatum nunquam accusaverint; et tandem illis interdici debet ne vitae praeteritae quidquam amplius accusent, nisi forte iurare possent quod ex una parte peccatum vere mortale commiserint: et ex alia illud nunquam accusaverint.

*I*) Supponendo autem quod oporteat vel expediat ut confessio generalis fiat, sequentes regulae observari debent.

Curandum ut bene fiat; nempe sine festinatione et cum bonis dispositionibus. Interdum, quamvis ex stricta necessitate haec confessio fieri deberet, prudentia exigit ut Confessarius, contentus de accusatione peccatorum quae nunquam accusata fuerunt, admonitionem de vera confessione generali facienda ad meliorem opportunitatem reservet, si quoad hoc poenitens in bona fide sit. Interdum etiam, detecta et denuntiata necessitate confessionis generalis, expedit ut designetur dies, in quo cum maiori commoditate et fructu fieri poterit, et nihilominus hic et nunc (si gravis causa adsit) absolutio detur, iuxta dicta (n. 1047. VII). Attamen e contra aliquando oportet, ut (deficiente spe melioris opportunitatis, eo quod poenitens non esset rediturus) confessio generalis excipiatur hic et nunc, quamvis circumstantiae parum opportunae essent; et aliquando (v. g., si ageretur de illis qui solum in Paschate ad confessionem accedunt) melius est ut ope nonnullarum interrogationum confessio huiusmodi peragatur, quin de confessione generali mentio expressa fiat; non enim desunt qui, si nomen confessionis generalis audirent, quasi de re quam maxime difficili et onerosa ageretur, turbarentur, eamque facere recusarent.

*K*) Caeterum regulariter curandum ut poenitens confessioni generali praemittat specialem praeparationem; quatenus nempe prius aliquibus diebus oret, se examinet, aliqua opera poenitentialia exerceat aut saltem ad Crucifixi pedes ex toto corde (quasi illa esset ultima confessio vitae suae) doleat veniamque petat. Sunt qui peccata propria scribunt; idque pro illa circumstantia extraordinaria reprobari non debet; ita tamen ut solum (ad memoriae adiumentum) indicentur diversae peccatorum species, et propriae conscientiae necessitates: idque breviter. In quovis casu Confessarius poenitenti animum addat, et

dicat, auxilium se esse illi laturum; ita ut sine difficultate ulla, et forsan sine ullo onere redeundi atque brevi tempore, confessio generalis perfici poterit.

*L*) Si poenitens ostendat desiderium faciendi confessionem generalem, aut si Confessarius eum invitet ad illam faciendam, non solet expedire ut ab initio sollicitudo adhibeatur ad cognoscendum an sit de necessitate, interrogando poenitentem utrum peccata aliqua ex verecundia reticuerit; periculum enim adest, ne mendaciter id statim deneget, ut alias notavi. Si itaque confessio generalis (vel quasi generalis vel annualis) sit saltem de consilio, id sufficit ut facillime permittatur, vel etiam (maxime tempore Missionis) consulatur. In decursu autem confessionis ipsius, accusatis iam peccatis probrosis, interrogatio praedicta fiet: et tunc patebit num de necessitate, num vero solum de consilio illa confessio sit. Si autem casus circumstantiae sint tales, ut Confessarius iam ab initio confessionis credere debeat quod confessio illa sit solum de consilio; tunc admoneat poenitentem nullum omnino esse peccatum, si etiam advertenter culpas mortales iam alias accusatas reticiturus esset; quandoquidem ea confessio fit solum ex devotione, nullaque adest obligatio peccata iam rite confessa iterum confitendi. Confessarius ipse (quando iam novit confessionem esse solum de consilio) crassius procedere poterit; et e contra accurate atque diligenter se gerere debebit, si sciat aut suspicetur quod de confessione obligatoria agatur; secus enim confessio non fieret integre, et poenitens postea multis scrupulis fastidiisque et forsan oneri confessionem generalem iterum instituendi, aut saltem probrosiora peccata iterum confitendi, subiici posset. Si itaque confessio generalis fiat, (repeto) bene fiat.

*M*) Ante accusationem peccatorum vitae praeteritae, poenitens invitetur ut peccata ab ultima confessione commissa accuset. Id enim (praeterquam quod potest esse necessarium, iuxta dicta n. 1037) valde deservit ut cognoscatur actualis status poenitentis, et praecipue an hic et nunc sive restituendi, sive reconciliationem faciendi, sive occasionem proximam deserendi obligationem habeat; quam si adimplere nollet, terere tempus (et forsan multum) in confessione generali facienda inutile esset.

*N*) Aliqui docent, confessionem generalem perficiendam esse totaliter ope interrogationum, ita ut poenitenti permitti debeat dumtaxat ut ad singulas interrogationes affirmative vel negative respondeat; sed haec regula non bene deservit in duo-

bus casibus; nempe 1° si poenitens (prout saepissime accidit) desideret more solito sua peccata accusare; 2° Si Confessarius ignoret an et quantum poenitens in malitia versetur: tunc enim interrogationes pavide et periculose fierent. In praxi itaque melius esse solet ut poenitens invitetur prius ad confitenda peccata sua, incipiendo a pueritia; ex hac enim spontanea confessione magnum lumen haberi, et poenitens magis contentus remanere solet. Verum est quod interdum maius tempus maiorque patientia exigitur; sed, in comparatione utilitatis, hoc non est considerandum. Si tamen poenitens res inutiles nimis immisceret nimiamque confusionem faceret: tunc citius interrumpi deberet.

*O*) Quia autem confessio a poenitente facta valde defectuosa esse solet, ut plurimum oportet, ut Confessarius (quasi poenitens nihil dixisset) examen accuratum instituat, dicendo: *Ex his quae tu dixisti aliquam vitae tuae ideam concepi. Nunc, ut haec confessio generalis sit exacta, te interrogabo circa omnia, nihilque tibi reliquum erit, nisi ut affirmative vel negative respondeas.*

*P*) Hoc examen fieri debet iuxta diversa peccata, non vero (prout aliqui faciunt) iuxta diversas aetates: si enim institueretur examen prius circa pueritiam, dein circa iuventutem, postea circa virilitatem et senectutem: accideret quod de iisdem peccatis tribus vicibus examen repeti deberet; idque magnam confusionem, magnumque taedium ingereret.

*Q*) Examinetur itaque poenitens circa unumquodque mandatum Dei, unumquodque praeceptum Ecclesiae, et unumquodque munus proprii status, respiciendo seriem totius vitae. Regula autem ad bene interrogandum sumi quidem debet a doctrinis theologicis circa speciem et numerum peccatorum; sed ita etiam ut dictaminum quae in conscientia poenitentium esse solent (quaeque non semper cum praedictis doctrinis concordant) ratio habeatur; non raro enim Christifideles credunt debere accusare vel explicare ea, quae sive certe sive probabiliter iuxta principia theologica non essent ex vera obligatione accusanda vel explicanda. In dubio (salva prudentia et modestia) melius est abundare quam deficere, ut poenitens, postquam suam confessionem generalem fecerit, vere quietus remanere possit.

*R*) Quia tamen confessionis integritas non potest obligare ad quidquam nimis difficile, intricatum atque taediosum; et quia in confessione multorum annorum, difficilia, intricata et taediosa bene possunt esse ea, quae in confessione brevi talia

non essent; hinc accuratio minor (dummodo poenitens quietus remanere possit) facile sufficit; et postquam Confessarius interrogaverit distincte quoad species principaliores de quibus poenitens est reus; circa numerum aliasque species secundarias, plus vel minus summatim et grossiori modo facile procedere poterit (Lugo XVI. 591). Me explico. Stando in principiis rigorose, poenitens circa odium declarare deberet non solum diversas species offensionum externarum (num scilicet in vita, vel fama, vel honore, vel substantiis, sive facto, sive verbo, sive omissione, inimicum suum offenderit, et quot vicibus in unaquaque specie); sed etiam quot modis specie diversis actu interno contra eundem deliquerit; num scilicet gaudendo de eius malo, et in qua specie et quot vicibus; aut aegre ferendo eius bonum: aut desiderando, vel volendo determinate, eidem eiusve familiae malum, et in qua specie et quot vicibus; aut denique iudicia temeraria contra ipsum concipiendo, et quot vicibus. Similiter circa peccata cordis contra sextum, deberet non solum distinguere gaudium mali commissi, et delectationes morosas, et desideria; sed etiam declarare tum statum personarum, tum species peccatorum, quae gaudii vel desiderii obiecta fuerunt; explicando semper quoad unamquamque speciem quot vicibus (seu quanto tempore et frequentia) deliquerit. Veniendo autem ad sermones turpes, easdem distinctiones facere deberet. Sed si subdistinctiones adeo minutae (quae ut plurimum sine ulla utilitate fastidium et confusionem afferunt), iuxta plures Theologos, facile non cadunt sub obligatione in ipsis confessionibus ordinariis, saltem quando species in eadem materia principaliores iam accusatae fuerunt: quanto magis idem dicendum erit quoad confessiones generales? Ita sentit reapse S. Leonardus a Portu Mauritio, ut coniicere licet ex eius interrogatorio pro confessione generali, in quo circa plura valde grosso modo se expedit. Idemque patet ex interrogatorio P. Caietani a Bergomo, qui insuper (Cap. XVII. 17) id docet expresse. — Notandum est etiam quod interrogatio circa numerum annorum, quibus talis vel talis prava consuetudo habita fuit, adhiberi quidem debet quoad peccata, quae magis (ut ita dicam) oculos percellunt, unde facile sit quod poenitens absque errore dicere possit quo aetatis anno circiter incoeperint et quantum duraverint (ut puta quoad pollutiones, ebrietates, blasphemias, concubinatum etc.); non vero quoad illa de quorum initio poenitentes communiter non recordantur (prout essent, v. g., imprecationes), aut quae ex aliis peccatis

iam accusatis Confessarius initium et frequentiam coniicere valeat; prout accidit in sermonibus et cogitationibus turpibus: si enim poenitens dixit, tali vel tali aetate in malitiam intrasse; iam ex hoc ipso intelligitur qua aetate cogitationes et sermones pravi incoeperint.

*S*) Expedit ut Confessarius ab initio confessionis interroget poenitentem circa eiusdem aetatem, statum, artem seu officium, praecipuasque illius vitae phases.

*T*) Expedit etiam ordinarie (prout docent S. Leonardus et P. Cai. a Bergomo) ut examen incipiatur a peccatis commissis contra sextum et decimum praeceptum. Interrogationes autem sint clarae, breves et ita determinatae ut poenitens non possit non ad rem respondere.

*U*) His praenotatis, do exemplar interrogatorii pro confessione generali, quod (mutatis mutandis iuxta circumstantias) ad praxim valde deservire poterit, speciatim quoad poenitentes rudes; docti enim nec indigent nec amant ut multum interrogentur. Dixi *mutatis mutandis*; maxime enim attendendum est ut interrogationes statui et conditioni tum civili tum morali poenitentis sit accomodatum; secus enim modo interrogationes necessariae omitterentur, et modo interrogationes superfluae, ridiculae, aut etiam offensivae et scandalosae fierent. En itaque exemplar.

*Quamnam aetatem habes?.... Esne celebs?...* Si diceret se esse coniugatum aut viduum, interrogetur qua aetate matrimonium contraxerit, aut viduus remanserit?.... An habeat filios... filias?... Quodnam officium exerceat?... Si esset persona pia, interrogetur an fecerit votum castitatis et quando? Et, si esset religiosa, qua aetate votum solemne, et an prius votum simplex emiserit? N. B. Foeminae provectiores de aetate interrogentur indirecte, quaerendo, v. g., quandonam et a quot annis nupserint.

Si Confessarius nesciret, an poenitens peccatorum carnalium malitiam cognoscat, non deberet sic et simpliciter interrogare illum de tactibus etc. Attamen dicere poterit: *Qua aetate in malitiam intrasti?... Quomodo malitiam didicisti?... Quaenam fuerunt prima peccata mortalia, quae tu commisisti?* — Interdum oportebit uti interrogationibus n. 1099 indicatis. Si non appareret quod poenitens contra sextum praeceptum peccaverit, tunc examen a primo praecepto (ut infra) incipiendum esset. Sed supponendo quod Confessarius, sive ex spontanea confessione poenitentis sive ope interrogationum (quae

quibusdam fieri poterunt, attamen moderate, etiam modo suggestivo : cf. n. 1098 in fin. ), didicerit peccata contra sextum non deesse, sic interrogabit.

*Peccata ista tu nunquam confessus es ; nonne est ita?* ( Ex responsione patebit, an confessio generalis sit de necessitate, illamque talem esset suppono )... *Frequenterne ; an vero raro ad Sacramenta accedere, et sic sacrilegia committere solitus fuisti ?.... Nunc ergo haec peccata semper reticita confitere accurate.*

Interrogetur prius de pollutione, directe procurata ; cuius circumstantiae speciem mutantes esse possunt 1° desiderium concomitans peccandi cum aliqua persona; 2° sacrilegium. Itaque Confessarius dicere poterit : *Incipiamus a vitio quod habuisti committendi res turpes a te ipso. Hoc peccatum commisisti innumeris vicibus. Nonne est ita ?* Si dicat : paucis ; interrogetur : *Quot vicibus circiter?* Si vero ad dictam interrogationem respondeat affirmative ; tunc dicatur : *Qua aetate incepisti ?.... Perdurastine usque ad tempus praesens ? .... Hoc peccatum commisistine cum magna frequentia ? ..... Adfuitne unquam aliqua magna interruptio ( v. g., dum eras coniugatus ) ? .... Dum peccatum istud committebas, habebasne in mente aliquid ?... Quid ?... Idque semper aut fere semper?* Si poenitens voto castitatis ligaretur, distinctio fieri deberet inter peccata commissa ante et post votum; et num frequentia fuerit semper circiter eadem.

Quoad pollutionem indirecte procuratam, sive cogitationibus, sive aspectibus, sive lectionibus etc. opportunius fiunt interrogationes infra.

Confessarius itaque procedere poterit ad interrogationes circa sodomiam et tactus sodomiticos. Hac in materia circumstantiae speciem mutantes esse possunt ex incestu, ex stupro, ex sacrilegio et ex scandalo ( N. B. Interrogationes circa scandalum opportunius reservantur in fine ). Hinc interrogationes erunt sequentes : *Fecistine res turpes cum personis eiusdem sexus, nempe in pueritia cum aliis pueris, vel in iuventute cum aliis iuvenibus, v. g., dum eratis in agro, vel dum dormiebatis in eodem lecto, vel dum soli remanebatis in officinis, in scholis etc. ?* ( Expedit ut hae circumstantiae indicentur, ut poenitens melius intelligat et reminiscatur )... Interrogatio de numero fit ut supra ; nempe : *Hoc peccatum commisisti innumeris vicibus etc.* Notandum non esse necessarium ut circa numerum personarum ( cum quibus poenitens deliquit ) inquisitio

fiat; sed sufficit si de numero seu frequentia peccatorum inquiratur. Gury (II. 491). Expedire tamen potest si Confessarius interroget an consuetudines fixae interfuerint, et quantum duraverint. Postquam autem Confessarius sic intellexerit, res turpes cum personis eiusdem sexus fuisse commissas, dicere debebit: *Hae res turpes factaene fuerunt manibus, an vero modo peiori?... Fecistine sic etiam cum fratribus tuis?....* (*Multis vicibus?*) *Aut cum aliis consanguineis tuis?.... Coegistine aliquos ad has turpitudines per vim?...* (*Quot vicibus?...*) Si poenitens esset persona pia aut religiosa, interrogetur an etiam post votum emissum, vel cum personis eiusdem sexus votum castitatis habentibus res turpes (et qua frequentia) perpetraverit? — Sodomia impropria (nempe cum persona diversi sexus, coeundo in vase praepostero) practice contingit fere solum inter coniuges (atque concubinarios); et proinde interrogatio opportunius reservatur ad examen circa usum matrimonii.

Dein fieri poterit interrogatio circa bestialitatem, quae facile perpetratur a iuvenibus (speciatim si sint pastores vel agricolae), et aliquando etiam a personis maturae aetatis, non exceptis foeminis etiam nobilibus, quae interdum cum catellis turpia committunt. In bestialitate (nisi forte propter scandalum aut sacrilegium) circumstantiae speciem mutantes practice non adsunt. Confessarius itaque sic interrogabit: *Fecistine peccata cum animalibus, v. g., in agro, in sylvis, in stabulo?* Si poenitens, id audiens, admirationem ostendat, illico dicendum erit: *Iratusne es cum iisdem increpando et blasphemando?....* Si vero affirmative respondeat; interrogandus est de numero seu frequentia ut supra; et si poenitens votum castitatis haberet, pariter interrogandus esset ut supra. N. B. Persona politioris conditionis non debet interrogari de hoc crimine, nisi apparuerit valde perdita in rebus venereis; et tunc etiam interrogatio fiat in fine et a longe, dicendo, v. g.: *Amastine nimium aliquam bestiolam?*

Postea procedendum ad examen circa fornicationes et tactus fornicarios. Circumstantiae speciem mutantes oriri possunt ex adulterio (simplici aut duplici: cf. n. 315), incestu, stupro, sacrilegio et scandalo. Interrogationes sunt sequentes: *Peccastine cum mulieribus?... Non solum tactibus, sed etiam opere completo?.... Loquendo prius de peccatis opere completo perpetratis, peccastine sic tum in statu libero, tum in statu coniugali* (*aut religioso*)*?*

*In statu libero peccastine cum mulieribus coniugatis?....*

( Addatur semper interrogatio consueta ad cognoscendum numerum seu frequentiam peccatorum ; semperque bene erit interrogare num adfuerint consuetudines fixae *pratiche fisse*, et quantum duraverint *. *In statu libero peccastine cum foeminis propinquitate tibi coniunctis?... In quo gradu; an nempe cum sororibus ( v. g., in pueritia )* ?... *Vel cum consobrinis ( solutis aut nuptis )?... Vel cum uxore fratris ?... Vel cum nuru? etc... Denique in statu libero peccastine cum foeminis extraneis, quae pariter in statu libero versarentur aut versari reputaveris ; v. g., in lupanari, vel cum adamantibus etc ?*

*In statu coniugali ( aut post votum castitatis ) peccastine cum coniugatis?... ( Cum voto ligatis?... ) Cum propinquis?... In quo gradu ?.... Cum extraneis solutis* ( ut supra ) *?*

*Praeter peccata completa, adfuerunt ne actus imperfecti, nempe tactus turpes aut aliter graviter malitiosi ?.... Amplexus ?. . Oscula ?... Tam in statu libero, quam in statu coniugali ?... Cum coniugatis ?... ( Cum voto ligatis ?... ) Cum propinquis ?.... Cum extraneis solutis ?.... Plurimis vicibus ?....* Circa hos actus incompletos interrogationes minutiores ad intelligendum numerum aut frequentiam quoad singulas species, faciendae erunt dumtaxat, si poenitens nihil aut parum opere completo deliquerit ; secus enim ( ut pluries notavi ) tot repetitiones poenitentem opprimerent, et quaquaversus nimiam confusionem nimiumque taedium ingererent. Dein circa stuprum addenda est sequens interrogatio : *Fecistine violentiam aliquibus mulieribus aut puellis , sive opere completo sive tactibus ?.... Quot vicibus ?.... Habuistine rem cum aliqua foemina amente vel dormiente ?*

Quoad desideria, nec non quoad alia peccata, quae ex pollutionibus aut motibus carnalibus indirecte procuratis malitiam sumunt, facile sufficit si dicatur: *Certe innumeris vicibus peccasti cogitationibus et desideriis... : et haec desideria fuerunt cuiuslibet speciei.... ( Nunquid aliquando etiam erga personas*

* Notandum, non deesse patres qui cum propriis filiabus peccant, et de tanto crimine accusando quam maxime verecundantur. Casus accidit speciatim in viduis. Si itaque viduus dicat se peccasse cum adolescentula, interrogetur *an illa sit eius famula ?* In casu negativo, *an sit de eius familia ?... Et an cum illo habitet ?....* In casu affirmativo, *an ipse habeat aliquam filiam ?. .. An illa dormiat in eius cubiculo ?... Imo an propter paupertatem dormiat in eius lecto ?...* Habitis autem ex eius responsionibus indiciis gravibus, dicat absolute: *Intellexi, tu peccas cum filia tua ; hoc peccatum nunquam accusasti ; et nunc quod illud accusaveris es contentus. Dic ergo : A quanto tempore sic facere cepisti ? etc.*

*religiosas*?.... Haec interrogatio fit mulieribus quae Ecclesias valde frequentant. In casu affirmativo, poenitens interrogetur num sermonibus *, num operibus cum iisdem personis deliquerit?)... *Peccasti insuper sermonibus obscoenis, sive in conversationibus, sive cum sociis, sive cum hac vel illa muliere iuxta occasiones. Nonne est ita?.... Dedistine vel recepistine aliquod mnemosynon seu pignus amoris indecens?..* (N. B. Haec interrogatio, quando turpis amor interfuit, non est praetermittenda). *Aspexistine nuditates?.... Vel te ipsum immodeste et valde malitiose?... Picturas scandalosas?... Interfuistine comoediis aliisque spectaculis turpibus?... Habuistine malitiam in choreis?... Legistine libros obscoenos?...*

Si poenitens esset aut fuisset coniugatus, interrogari deberet, an circa usum matrimonii mortaliter peccaverit? Huiusmodi peccata esse solent 1° Non reddere debitum (sed hoc ab uxoribus dumtaxat et non a viris committi solet); 2° Onanismus; 3° Sodomia; 4° Actu copulae desiderare aliam; 5° Pollutiones, sive manibus sive actu illo foedissimo indicato n. 331 in nota, sine intentione copulam habendi, procuratae. Melior interrogatio haec erit: *Commisistine peccata in usu matrimonii*?... Et in casu affirmativo, dicatur: *Explica paullulum ea de quibus tua conscientia te remordet.* Si poenitens affirmaverit se commisisse peccata, sed dicere nolit quid fecerit, adiuvari poterit plus vel minus dicendo, v. g.: *Fuistine inobediens* (intellige si poenitens sit uxor) *viro tuo in usu matrimonii*?.... *Interfuitne aliqua gravis malitia* (interdum addi poterit: *ad impediendam familiam*)?... *Adfuitne aliquid aliud contra naturam*?... *Adfueruntne tactus illiciti sine intentione perficiendi actum matrimonialem*?... *Habuistine amorem erga aliam personam*?... In casu affirmativo: *Habebasne illam in mente in usu matrimonii*? Circa inordinationes istas inquiratur de numero seu frequentia quantum discrete et sine taedio fieri potest: et hoc intelligé etiam circa interrogationes sequentes.

Circa primum decalogi praeceptum. *Habuistine dubia contra fidem*?... *Fecistine sermones contra religionem*?... De sacrilegiis interrogatio facta fuit supra; sed hic addi poterit: *Recepistine Sacramentum matrimonii* (*vel ordinem sacrum*) *sacrilege*?...

* Si mulier se accuset de sermonibus aut operibus turpibus perpetratis cum Sacerdote, interrogetur num apud illum unquam confessionem fecerit, ab eoque sermones pravos in confessione audierit. Tunc enim casus sollicitationis locum habuisset.

*Omisistine poenitentiam sacramentalem* ?.... Interdum expedire possunt etiam sequentes interrogationes : *Commisistine superstitiones, v. g., ad valetudinem recuperandam, ad amorem in aliis accendendum, vel ad sciendas res occultas* ?.. *Fecistine iocum chartarum* ? (cf. n. 119). *Recurristine ad magos* ?.... *Adiistine magnetizatores* ?... *Assististine experientiis tabularum loquentium, aut spiritismi* ?... *Legistine libros impios* ?... *Diaria impia* ?... *Interfuistine comoediis irreligiosis* ?... *Choreis aliisve spectaculis tempore quadragesimae* ?.... *Tempore bacchanalium induistine vestes, vel interfuistine spectaculis, in irrisionem Religionis* ?.... *Audistine sermones publice factos contra Religionem* ?... *Dedistine nomen sectis impiis*?... *Frequentastine templa aut scholas Protestantium* ? etc.

Circa secundum praeceptum. *Blasphemastine Deum, B. Virginem, SS.mum Sacramentum, aut Sanctos* ?... Si affirmative, fiat interrogatio iuxta dicta n. 87; et ut cognoscatur an fuerint blasphemiae simplices, an vero haereticales iuxta dicta n. 85. — *Fecistine unquam aliquod votum quod postea non adimpleveris* ?...

Circa tertium praeceptum. *Laborastine die festo*?... *Induxistine famulos aliosve tibi subiectos ad laborandum* ?... *Omisistine auditionem Missae* ?... *Interfuistine Missae confabulando et absque ulla attentione* ?...

Circa quartum. *Fecistine inobedientias graves contra patrem aut matrem, v. g., non adeundo scholam, officinam, aut doctrinam Christianam; negligendo studium; commorando extra domum tempore nocturno; adeundo socios perversos; dando nomen sectis; fovendo amores; frequentando ludum aut domos periculosas* etc. *contra seriam eorum prohibitionem* ?.... *Quamvis graviter irascerentur, fuistine obstinatus, aut dixistine: nolo facere*?... *Praebuistine illis aliquam magnam afflictionem, ita ut forsan propter te lacrymas effunderent* ?.... *Affecistine illos gravibus iniuriis et contumeliis* ?... *Desideraste e illis mortem* ?... *Neglexistine opem illis ferre, permittendo ut famem paterentur, medicina carerent etc.* ?... *Minitatusne fuisti illos percutere, aut eosne percussisti revera* ?... *Commisistine inobedientias aut irreverentias graves contra magistros, aut alios superiores* ?

Circa quintum praeceptum. *Habuistine odia gravia*?... *Processistine ad rixas, percussiones, vulnera* ?... *Cogitastine de aliqua magna vindicta facienda* ?... *Iecistine imprecationes ex corde* ?... *Offendistine proximum tuum gravibus contumeliis* ?..

*Aut exprobrando illi facta dehonorantia?... Etiam coram aliis?... Egistine sic etiam contra personas tibi proxime coniunctas?... Aut contra aliquem Sacerdotem?....* Expedit ut haec ultima interrogatio fiat, quia multi ex una parte credunt id esse accusandum, et ex alia facile verecundantur Interdum expedit etiam ut poenitens interrogetur *utrum abortum procuraverit?*

Circa septimum et nonum praeceptum. *Commisistine furta gravia?... Furta minuta?... Furta domestica?... Emistine res furtivas?... Attulistine damna iniusta?... Ususne es fraudibus in ludo?... In pondere et mensura?... Vel decipiendo personas simplices?... Omisistine satisfacere debitis tuis, v. g., non solvendo mercedem operariis, vel pretium pro rebus emptis etc.?.. Exercuistine usuras?... Fecistine lites iniustas?... Omisistine satisfactionem legatorum?. Commisistine aliquam aliam iniustitiam?.... Habuistine cogitationes de furtis committendis, aut aliis damnis inferendis?*

Circa octavum praeceptum. *Iurastine falsum in iudicio?... Habuistine vitium iurandi sive verum sive falsum?... Dixistine mendacia damnosa?.. Affecistine calumniis proximum tuum?... Fecistine murmurationes graves revelando occulta?... Etiam contra Sacerdotes?... Fecistine iudicia temeraria?...*

Circa praecepta Ecclesiae. *Manducastine carnem die veneris et sabbati?... Omisistine ieiunia quadragesimae et vigiliarum?... Omisistine satisfacere praecepto paschali?... Legistine libros prohibitos?*

Circa vitia capitalia sufficit si de intemperantiis et ebrietatibus interrogatio fiat; et, quoad foeminas, de superbia in vestibus.

Circa munera proprii status, genitores interrogentur an neglexerint mittere filios ad Missam et doctrinam christianam diebus festis; et an in magnis periculis illos reliquerint, v. g., filias solas cum adamantibus vel cum famulis periculosis, aut filios iam grandiusculos cum filiabus in eodem lecto; praecipue vero an vigilaverint ne filii impiis sectis nomen darent, et ne propter libros, ephemerides, socios etc. fidei et religionis iacturam facerent. — Similiter interrogentur mariti an contra uxorem saevitias adhibuerint; divites an eleemosynas facere omiserint; Sacerdotes (intellige si interrogari desiderent) an aliquando Officium praetermiserint, an Missam in peccato mortali celebraverint, et an eleemosynis acceptis Missas non applicaverint; Parochi an sermonem ad populum vel

doctrinam christianam omiserint, an infirmis debitam assistentiam non praestiterint, an necessarias correctiones neglexerint, an de scandalis e medio auferendis solliciti non fuerint, an ipsi aliquod scandalum dederint, an Ecclesiae et sacrae supellectilis nitorem et decentiam non curaverint, an necessarias restaurationes in fundis non fecerint, an beneficii superflua ultra propriam sustentationem in pios usus erogare omiserint, denique an pacem cum aliis Sacerdotibus vel Parochis conterminis non servaverint?

Denique faciendae sunt interrogationes circa scandalum, inquirendo 1° An poenitens personas innocentes in malitiam coniecerit. 2° An ad peccata perpetranda alios impulerit, v. g., suadendo vindictam, furtum, aditionem lupanaris, concubinatum, prostitutionem, inobservantiam legum Ecclesiae etc. 3° An ad pravas relationes nutriendas aut alia peccata consummanda opem aliis tulerit. 4° An nuditatibus peccatorum occasio aliis fuerit. 5° An aliquod scandalum publicum dederit?

Sic persoluto examine, poenitens interrogetur utrum aliquid aliud, de quo interrogatus non fuerit, adhuc in conscientia habeat?

*U*) Finita confessione, Confessarius sedulo considerabit quales sint actuales maioresque poenitentis obligationes seu necessitates; an scilicet aliquam restitutionem vel reconciliationem exequi, aut aliquam occasionem proximam deserere, aut aliqua vitia abrumpere debeat; totusque in eo erit ut congruis consiliis et exhortationibus illum adiuvet.

*V*) Dein curandum quam maxime ut poenitens multitudinem et magnitudinem peccatorum suorum; periculum cui se exposuit aeternae damnationis; et Divinam Misericordiam consideret; et sic magna contritione peccata ipsa detestetur, eaque non amplius committere firmissime proponat.

*X*) Aliqui credunt expedire ut confessio generalis una die incipiatur et aliâ finiatur; sed ut plurimum melius est ut unica vice perficiatur; sic enim contritio maior esse solet; atque ita sentit etiam Philippus Salvatori (Istruz. prat. II. VIII). Dixi *ut plurimum*, aliquando enim expedire potest ut poenitens ad restitutionem, reconciliationem, occasionis dimissionem, scandali reparationem etc. exequendam ante absolutionem adigatur.

*Y*) Quoad restitutiones speciatim notandum, quod in confessionibus generalibus detegi solent facta antiqua iam suo tempore accusata, propter quae adest aut videtur adesse debitum restitutionis nunquam executae. Si debitum istud esset obscurum (v.

g., quia forsan non furtum sed iusta compensatio locum habuit); tunc, si poenitens non reminiscatur quod onus restitutionis ei impositum fuerit, praesumendum est hoc ipsum onus non adesse, et circumstantias suo tempore convenienter examinatas fuisse. In dubio an hoc vel illud debitum solutum fuerit (si dubium praesumtionibus vinci nequeat) vide dicta n. 385. Si vero debitum (sive antiquum sive recens) sit clarum, et poenitens certus sit quod nunquam illud solverit, et nunc restituendi totum expeditam possibilitatem habeat, obligatio indicenda erit. Si tamen haec possibilitas restituendi totum a gravi et permanenti difficultate non seiungeretur, condonatio domini divitis (saltem si pars aliqua hic et nunc restituatur) facile praesumi posset (vide dicta n. 377); et proinde Confessarius, obtenta restitutione illius partis quae hic et nunc sat commode dari valet, consulere poterit saluti spirituali poenitentis liberando illum absolute (ex dicta remissione praesumpta aut probabili. Vide dicta n. 385) ab onere restitutionis quoad reliquum. Excipe nisi dominus facile interpellari a Confessario et poenitens facile redire posset; quod in Missionibus difficile accidit.

*Z*) Quid de poenitentia sacramentali in confessionibus generalibus iniungenda? S. Leonardus suggerit ut sequentia imponantur 1° Confessio mensilis per annum; 2° Quotidiana recitatio Rosarii per duos menses; 3° Tres *Ave* in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. mane et vespere per duos menses; 4° Actus contritionis cum firmo proposito non peccandi eliciendus mane et vespere per duos menses; 5° Exercitium *Viae Crucis* quinque vicibus persolvendum. — Philippus Salvatori (l. c.) suggerit ut potius iniungantur, per aliquot hebdomadas vel menses, tres *Ave* in honorem puritatis B. M. V.; unus *Pater* in honorem Angeli Custodis, et quinque *Pater* in honorem plagarum D. N. I. C. dicendo: *Ego scelestus hos plagas aperui! Misericordia, Iesu mi! Potius mori quam iterum peccare.* — Optima sunt haec omnia; sed in praxi consideranda est conditio poenitentis. Quoad viros rebus istis non assuetos huiusmodi poenitentiae congruae esse non solent; ex praxi enim patet quod non adimplentur. Quando autem poenitentia mala fide omissa fuit, facile accidit quod poenitentes (quasi confessio generalis facta iam amplius nihil valeat) ruant in vitia sicut prius. Excipe casum viri valde compuncti et diuturnae poenitentiae cupidi. Viris itaque ordinarie imponi poterunt quindecim decades Rosarii, et, si essent divites, aliqua eleemosyna. Ad summum in Missionibus receptio Sacramentorum in sex vel se-

ptem dominicis (quae de more ad servandum Missionis fructum proponuntur) quibusdam viris iniungi poterit. — Foeminis praeter Rosarium etiam exercitium *Viae Crucis* convenienter imponitur; et, si essent instructae, aliqua pia lectio vel meditatio cum actu contritionis et osculo Crucifixi, v. g., per mensem et sub levi imponi posset. Omnibus autem, nempe sive viris sive foeminis, ordinarie iniungi posset ut alicui piae confraternitati (si quae in loco adsit) nomen dent.

*ZZ*) Confessio generalis (ut monet Heilig) finitur admonendo poenitentem, ut de confessione rite peracta securus sit. Dicere poterit: *Lauda Deum, et bono esto animo. Peccata tua cuncta rite sunt declarata. Circa universa, quae substantialia sunt, te interrogavi; et ea, quae non inquisivi, necessaria non sunt. De confessione facta tutissimus ergo esse poteris et in vita et in morte, quin tibi obligatio quidquam de tua vita hucusque ducta accusandi supersit. Anima tua nunc est alba sicut nix, pulchra sicut Angelus. Obsecro te, fili mi, ut illam amplius non commacules gratiam Dei custodias, et sic revera te salves.*

## PUNCTUM IX.

### DE FORMA ET RITU.

1132. *A*) Forma est: « Ego te absolvo a peccatis tuis in « Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Attamen de essentia sunt solum verba: « Te absolvo a peccatis tuis ».

*B*) De ritu autem est ut praemittantur verba *Misereatur etc. Indulgentiam, absolutionem* etc. (elevando manum). Haec verba omitti possunt in confessionibus frequentioribus et brevioribus (Rit.), et esse solum de consilio in confessionibus quibuslibet censet Gury (426). Verba tamen *Dominus noster Iesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis,* si poenitens non esset laicus) *et interdicti, in quantum possum, et tu indiges*, omitti nequeunt, nisi forte (instante morte) tempus non suppeteret. Si tamen omitterentur, absolutio valeret nihilominus; quod enim absolutio a censuris praecedat absolutionem a peccatis est quidem pro licito, sed non pro valido. Verbum *deinde*, in Rituali litteris rubris indicatum, in rigore non esset proferendum (cf. Ballerini ad n. 426). Sequuntur verba formae: *Ego te absolvo etc.* Denique verba: *Passio Domini Nostri I. C.* etc. iuxta plures sunt solum de consilio; sed

cur venialis culpa in hac omissione admitti non debeat, ego non percipio. Elevatio manus certe exigitur, quamvis non pro valido et solum sub levi. Gury.

*C*) Forma conditionata, dicendo: *Si capax es, ego te absolvo etc.*, etsi a Rituali non indicetur, tamen adhiberi posse ostendi in Tract. *De Recidivis* (n. 117 - 128); idque contingit quando ex una parte quoad dispositionem poenitentis aut materiae sufficientis existentiam gravia dubia subsistunt, et ex alia causa satis gravis expostulat ut nihilominus absolutio concedatur. Caeterum si conditio non exprimeretur, sed sive explicite sive implicite in mente haberetur, nihil mali esset; quandoquidem conditio (iuxta Suarez, Lugo etc.) semper subintelligitur; imo illam non exprimere cum Rituali melius concordat. Casus in quibus expedit ut absolutio sub conditione concedatur indicavi *De Recidivis* (n. 157 - 181).

*D*) Quaenam praesentia poenitentis reputatur sufficiens in ordine ad absolutionem? Respondet Gury (429): Talis esse debet, ut verba *Absolvo te* iuxta moralem hominum aestimationem conseantur cadere in poenitentem. Curiosa fit quaestio an absolutio data ope *telephoni* (ita ut Sacerdos per instrumentum istud suam vocem pertingere faciat usque ad aures poenitentis) valida sit? R. Loquendo de sola validitate, ego pro parte affirmativa, nullo iniecto dubio, starem.

## PUNCTUM X.

### DE NONNULLIS ALIIS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIAE OBSERVANDIS.

1133. I. Resecanda sunt inutilia. Aliqui convertunt confessionarium in locum conversationis. Pessima res est, speciatim si interim alii expectent, maxime vero si non de sola conversatione inutili sed de murmurationibus agatur, aut si res sit de mulieribus cum periculo aliquem affectum periculosum excitandi vel fovendi; aut etiam dicteria provocandi. Devotulae magnum habere solent desiderium valde immorandi in confessionali; in hoc gloriolam quamdam reponunt, et non sine quadam zelotypia plus aliis Confessarium detinere vellent. A scopulo isto solertissime cavendum. Non desunt qui in confessionali delationes contra hanc vel illam libenter audiunt vel etiam inquirunt, cum intentione poenitentes suas melius cognoscendi et corrigendi; sed hoc systema est pessimum, eoque desinit ut falsa deferantur, vera exaggerentur, murmurationes accumu-

lentur, odia et dicteria innumera provocentur, et tandem Confessarius existimationem et fiduciam perdat omnino. Attamen, si poenitens ex naturali loquacitate, vel ex inveterato habito contracto, vel propter magnam afflictionem, aliqua immisceret quae ad confessionem non pertinerent, interdum aliqua patientia (aut saltem prudentia circa modum haec inutilia resecandi) adhiberi deberet, idque maxime si de Moniali ageretur.

II. Cavendum ne confessio odiosa reddatur. Quid enim si Confessarius modo de rebus mere domesticis curiose inquireret; modo eleemosynas, modo pecuniam mutuam a suis poenitentibus peteret? Pecunia sive ad mutuum sive in depositum neque queri, neque acceptari debet; hoc enim (maxime si Confessarius sit pauper) magnis periculis et scandalosissimis inconvenientibus obnoxium est.

III. Sedulo evitanda est impatientia et festinatio. Si magnus poenitentium concursus adsit, cito quidem expediri debebunt qui levia dumtaxat habent; sed erga illos, qui mortalibus gravantur, omnis cura omnisque diligentia, secundum quod necessarium et opportunum videbitur, non respiciendo an alii expectent, adhiberi debet; melius enim est sanare paucos, quam curare multos et sanare neminem. Si tamen casus extraordinario modo implicatus contingeret, tunc (attenta nimia aliorum expectantium multitudine) poenitens rogari posset ut alia vice rediret.

IV. Si accedat poenitens, qui dicat ab aliis Confessariis talem vel talem obligationem fuisse sibi impositam, vel dimissum fuisse sine absolutione, et dignoscatur quod dicti Confessarii erraverint: caute procedendum erit ne poenitens Confessariorum existimationem amittat; unde dicendum erit: *Aut tu non te explicasti bene, aut illi te non intellexerunt.*

## PUNCTUM XI.

### DE ADVERTENTIIS SPECIALITER ADHIBENDIS QUOAD VARIA POENITENTIUM GENERA.

### § I.

### *Quoad viros.*

1134. 1° Curandum ne expectare cogantur; 2° Excipiendi sunt laeto vultu, ita ut intelligant, Confessarium libenter eorum confessiones audire; 3° Regulae perfectionis (exceptis

viris religiosis aut valde piis ) non sunt eis suggerendae ; sed potius Confessarius totus in eo erit ut magnum contra peccatum mortale horrorem concipiant et muneribus proprii status satisfaciant ; 4° Erga ipsos maiori indulgentia possibili procedendum est , denuntiando eis dumtaxat illas obligationes de quarum subsistentia ipsi quoque persuasi sunt ( prout esset fuga occasionis voluntariae et proximae, onus restitutionis etc.). 5° Non sunt increpandi asperisque modis obiurgandi , sed potius corde paterno obsecrandi. 6° Uno verbo curandum ut contenti maneant; unde sic ad redeundum alliciantur ; idque maxime si sint magni peccatores, aut si raro vel rarissime ad Sacramenta accedant.

§ II.

*Quoad foeminas.*

1135. Praeter dicta ( n. 1083 K ) recolendum imprimis quod pro Confessario ipso magnus et quam maxime exitialis scopulus esse possunt. Ad illum evitandum oportet praecipue ut indifferentia servetur, et solertissime cavendum ne aliquis erga illas concipiatur affectus, qui ruinosissimus esse potest , et facile subintrat, maxime si Confessarius sit iuvenis , et iuvenis quoque sit poenitens ; neque fidendum si affectus, propter ingenuitatem, sinceritatem, et virtutem poenitentis ipsius, spiritualis videatur. Sensim sine sensu affectus iste suboriri solet ; et proinde cavendum a principiis. Hinc Confessarius rectitudinem intentionis habeat, et non ad serviendum genio , bene vero ad placendum Deo animasque salvandas confessiones audiat. Oculorum modestiam servet, et foeminas sive accedentes sive a confessionali recedentes non inspiciat. Si poenitens tempore consueto non redeat, si ad alios Confessarios diverterit , vel si etiam decise Confessarium mutaverit; de his nullo modo sit sollicitus et totalem indifferentiam servet. Aphorismus est : Sermo brevis et durus cum mulieribus. *Brevis*; nempe (ut supra dicebam ) de solis necessariis loquendum est; et quoad ipsa consilia spiritualia brevitati et simplicitati studendum. *Durus ;* non equidem ita ut obiurgationes et verba terrifica adhiberi debeant ; *ne quid nimis ;* sed ita ut paterna gravitate semper procedatur, atque expressiones, quae teneritudinem aut levitatem ( aut etiam nimiam familiaritatem ) praeseferrent, omnino evitentur. Hae sunt regulae generales. Si Confessarius nihilominus in se ipso erga aliquam poenitentem alicuius affectus

initium advertat, speciali sollicitudine Deo se commendet, a regulis ipsis ne minimo quidem modo recedat, nullum passioni suae alimentum praebeat, et severa mortificatione se cohibeat.

Cavendum summopere ne, sive propter dictum affectum sive propter alia motiva, partialitates ostendantur. Hae invidiae, zelotypiae, suspectuum, lamentationum, murmurationum et dicteriorum fons essent.

Sermo brevis et durus speciatim adhibendus est cum illis foeminis levissimis, quae dicteria provocare solent et Confessario ipsi non parum obesse possunt. Vide dicta (n. 1083. G). Recolendum est etiam quod de foeminarum silentio nulla fiducia haberi potest. Sunt naturaliter loquaces et criterio inopes; et proinde quod hodie eis dicitur in confessionali, cras sciri potest (et quidem cum exaggerationibus) non solum in privatis conversationibus, sed etiam in platea.

Quoad foeminea ornamenta (*mode*) dummodo scandalosa non sint, severitas adhiberi non debet; ex una parte enim de peccato (etiam levi) difficile constabit, et ex alia, si de his corrigerentur, a Sacramentis sine ullo fructu alienarentur. S. Augustinus scripsit (ad Possid. 73): « Nolo de ornamentis « auri, vel vestis, praeproperam habeas in prohibendo senten- « tiam ». Idem dic circa moderatum publicorum solatiorum usum et alia similia. Vide dicta in Tract. *De Occasionariis*, ubi de choreis, de amoribus etc.

## § III.

### *Quoad personas pias.*

1136. 1. Optimum est monitum: *Nemo ad te accedat, qui non recedat melior.* Si monitum istud observaretur, plures ex iis qui sola venialia habent (maxime si sint iuvenes) vitam spiritualem serio amplecterentur; et haec est res magni momenti. Personae piae non solum se ipsas sanctificant (dum secus forsan damnarentur) sed etiam magnum bonum exemplum praebent, et sunt veluti concio continua. In propriis familiis timorem Dei et devotiones (quae facile in familiis ipsis perpetuae erunt) servant et fovent. Confessarius, qui veram pietatem fovere studet, sponsas immaculatas Iesu Christo, et animas quam maxime caras Deo comparat. Scripsit S. Lig. (Prax. 121): « Acceptior est Dei oculis anima sola perfecta « quam mille imperfectae ».

II. In hunc finem Confessariis non solum Theologiae moralis, sed etiam asceticae et mysticae studium necessarium esset. Regulas principaliores hic suppedito.

III. Viri non solent habere dispositionem ad vitam devotam. Attamen, si, v. g., bonus iuvenis ad illam inclinet, libentissime est adiuvandus; forte in ipso sanctus sacerdos Ecclesiae adeo indigenti suppeditari poterit. Ordinarie tamen in devoto foemineo sexu copiosior huiusce generis messis invenitur.

IV. Accedente itaque persona, quae pietati iam sit dedita, aut quae bonam dispositionem erga vitam spiritualem ostendat, Confessarius curam specialem illius habere debet. Intellige si sub eius stabili directione se constituat, neque nimis frequenter ad alios divertat. Cavendum tamen a falsis devotis, quae veniunt modo ut pecuniam carpant (fingendo infirmitates, miseriam, virorum tentationes etc.); modo ut de hac vel illa obmurmurent; modo ut existimationem sibi procurent (fingendo extases, raptus, diabolicas infestationes, actus heroicos etc.); modo denique ut propriae sensualitati satisfaciant. — Confessarius cavere debet etiam ne ostendat sollicitudinem ut aliqua persona sub eius directione se constituat; imo non debet esse facilis ad acceptandos eos qui proprium Directorem deserere vellent, nisi iusta illum deserendi causa subsistat.

V. Curandum, quantum fieri potest, ut personae piae diebus et horis convenientibus et designatis accedant, ne aliorum magis indigentium confessiones impediant, et ne ipsae (cum detrimento propriorum munerum) nimis diu, et aliquando inutiliter, ante confessionale expectare cogantur. Congruis consiliis et exhortationibus in confessionali adiuventur, sed maiori brevitate possibili, ut supra monebam. Dixi *in confessionali;* vae enim si Confessarii domum poenitentium, aut poenitentes domum Confessarii frequentarent! Non plus quam semel in hebdomada (excepto aliquo casu rarissimo alicuius specialis necessitatis) audiantur; neque permittatur ut accedant, quia forte aliquam venialem culpam commiserint, cuius absolutionem ante Communionis receptionem obtinere exoptent. Conterantur et communicent. S. Lig. (Prax. 149). Quoad Moniales tamen (stante Monasterii consuetudine) exceptio fieri poterit.

VI. Exigendum ut plena sinceritate omnia pandant, nihilque sine licentia faciant, et perfectissimam obedientiam praestent. Nihilominus non solum permittendum sed etiam exigendum ut saltem semel vel bis in anno Confessarium extraordinarium (qui designari poterit) adeant; idque speciatim si non sint

personae virtutis vere consummatae aut magna ingenuitate praeditae; non raro enim accidit quod ex una parte propter virtutis defectum in aliquam miseriam cadant, quam proprio Directori patefacere non audent: et ex alia (propter timorem ne ille suspectus concipiat aut rem ingratam ei faciant), nisi praecise obligentur, ad Extraordinarium adeundum se resolvere non valeant. Excipe nisi ageretur de persona cui aditio Extraordinarii facile obfutura esset, ut puta, si verus eius conscientiae status difficiliter cognosci posset ab Extraordinario, qui illam turbaturus foret.

VII. Multae personae credunt quod sanctitas consistat in frequentandis Ecclesiis, in audiendis Missis, in recitandis orationibus; et speciatim in accedendo quotidie ad Communionem, maxime vero in quibusdam poenitentiis corporalibus, v. g., ciliciis et disciplinis. Credunt etiam quod sanctitas in quodam fervore sensibili reponi debeat. Interim autem sunt superbae, vanae, inobedientes, rixosae, impatientes, maledicae, mendaces, malevolae, invidae etc.; nullaque aut valde superficiali tanguntur cura ab huiusmodi vitiis se emendandi, et forsan, ut praedicta pietatis opera praestent, muneribus proprii status non satisfaciunt. Sanctitas huiusmodi quantum sit falsa unusquisque videt. Vera sanctitas in christianarum virtutum possessione consistit; et proinde Confessarius imprimis et ante omnia curabit ut personae a se directae id bene intelligant, et totae in eo sint ut vere virtuosae evadant; praecipue vero ne inobedientiis, murmurationibus, litigiis, mendaciis aliisque peccatis contra virtutes delinquant. Attamen praedicta pietatis opera, quatenus discrete et sine praeiudicio munerum proprii status adhibeantur, non iam dissuaderi sed quam maxime commendari et exigi debent, ut ex statim dicendis melius patebit.

VIII. Magnum huius verae sanctitatis desiderium in eis est accendendum. Motiva sunt meritum infinitum quod Deus (sive propter se, sive propter eius amorem et beneficia erga nos) habet ut optime serviatur. Maior securitas obtinendi salutem aeternam. Maior gloria in Paradiso. Evitatio poenarum purgatorii. Tranquillitas conscientiae et gaudium spiritus in vita et in morte. Bonum exemplum aliaeque utilitates quae proximo obveniunt. Desiderium quod Deus habet ut simus perfecti, eiusque invitationes ad perfectionem. Exempla Sanctorum.

IX. Oportet ut desiderium sanctitatis sit tale, ut persona desideret placere Deo non solum aliquo modo, sed quovis pacto et non obstante quolibet amoris proprii suarumque passionum

sacrificio. Si spiritus sacrificii deficeret, et persona vellet placere Deo solum quando id commodum illi est, nullamque difficultatem et repugnantiam experitur ; tunc nihil boni sperari posset. Oportet ut persona virtuosa sibi vim faciat, se vincat et non quaerat quae sua sunt sed quae Iesu Christi.

X. Virtutes, quae in dirigendis animabus piis prae oculis praecipue haberi debent, sunt amor Dei et Domini Nostri I. C.; humilitas; obedientia; castitas; modestia; mansuetudo; patientia; diligentia in omnibus ; charitas erga proximum exercendo opera misericordiae, et praecipue condonando offensas, elargiendo eleemosynas iuxta vires proprii status, et adhibendo zelum pro salute spirituali proximi ipsius.

XI. Considerandum est quaenam sint pericula maiora, in quibus persona dirigenda versatur; simulque quinam sint eius defectus habituales ; non raro enim praeter peccata venialia adsunt etiam pericula gravia incidendi in aliquod mortale ( v. g., propter tentationes graves contra castitatem ). Postquam autem conscientiae status cognitus fuerit ( in quem finem examinentur bene; saepe enim mulieres quae in Ecclesia et in confessionali quasi Angeli videntur, domi veluti diaboli sunt), praescribenda sunt consilia 1° ad avertendum seu minuendum periculum peccati mortalis; 2° ad procurandam perfectionem et imprimis emendationem a venialibus.

XII. Quoad periculum peccati mortalis, consilia opportuna ( specialia in materia castitatis ) iam indicavi supra ( n. 1121 ). Media autem perfectionis sunt sequentia.

1° *Preces*, quae non verbo tenus recitentur sed ex corde prodeant; preces, inquam, mane et vespere, speciatim vero occurrente periculo peccandi. Huc reducuntur devotio erga B. V., Angelum Custodem, et Sanctos Protectores. Preces novendiales. Auditio Missae. Visitatio SS.mi Sacramenti etc.

2° *Meditatio* aeternarum veritatum aut Passionis D. N. I. C.; sin minus methodice ( multi enim de hoc non sunt capaces), saltem eo modo quo fieri potest, peragenda; et curandum ut in meditatione proposita magis necessaria, preces ferventes, et actus amoris Dei, contritionis etc. semper fiant. Huc referuntur devotae et salutares reflexiones, sumpta occasione cogitandi de rebus spiritualibus a rebus corporalibus, v. g., ab igne, a terra, a coelo, a visione Crucifixi etc. ; maxime vero cogitando de morte quovis vespere antequam somnus capiatur ; et de praesentia Dei occurrentibus tentationibus. Huc referuntur etiam ferventes orationes iaculatoriae, et dies recollectionis spi-

ritualis quovis mense, et speciatim exercitia spiritualia quovis anno.

3° *Propositum* non solum generale non offendendi Deum eique placendi in omnibus, sed etiam particulare, quo persona pia speciali cura proponat evitare talem vel talem defectum, qui, iudicio Confessarii, pro nunc maioris momenti sit. Proposita particularia circa defectus quibus persona saepe delinquit versari debent; et speciatim cavendum ne respiciat rem in qua raro defectus committi soleat, simulque sit contra sextum Decalogi praeceptum. Frequens enim eiusdem rei renovatio memoriae, desiderium suscitare, et sic magis obesse quam prodesse potest; tendimus enim in vetitum.

4° *Examen* quolibet vespere, cum cordiali contritionis actu.

5° *Mortificatio*, seu iuge studium et generosa voluntas vincendi se ipsum, non solum quoad illa quae peccatum includerent, sed etiam quoad illa quae innocenter quidem peragi, sed virtuosius omitti possunt. Huc spectant mortificatio linguae (non se defendendo, non respondendo iniuriis, facile cedendo, non se laudando, conversationes otiosas declinando, et a verbis inutilibus abstinendo); mortificatio oculorum, gulae, et curiositatis; mortificatio quoad vestes, quoad solatia et quoad exiguorum incommodorum tolerantiam; maxime vero mortificatio in rebus periculosis (speciatim quoad conversationem cum personis diversi sexus), et mortificatio propriae voluntatis adhaerendo consiliis Confessarii, Superiorum etc. Exercitium mortificationis summi momenti est; non solum quia persona toties quoties se mortificat virtutem exercet et meritum sibi comparat; sed etiam imo praecipue quia consuetudo mortificandi et vincendi se ipsum periculum peccandi quam maxime diminuit. Quoad exercitium istud, parum obtinetur a personis provectioris aetatis, si non sint assuetae; sed multum a iuvenibus obtineri potest.

6° *Macerationes corporales*; nempe ieiunia, cilicia, disciplinae etc. Hoc in puncto duo excessus sunt evitandi. Scripsit S. Lig. (Prax. 154): « Dantur aliqui Directores adeo imprudentes, qui omnem animae progressum collocare videntur in « onerando eam ieiuniis, ciliciis, disciplinis sanguineis, adustionibus et his similia. Alii vero omnes omnino mortificationes « externas videntur reprobare tamquam inutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocantes. Sed hi etiam errant ut primi, quoniam mortificationes « corporales adiuvant internas, et sunt quodammodo necessa-

« riae (quando possunt exerceri) ad fraenandos sensus; et ideo « legimus ab omnibus Sanctis plus minusve fuisse frequentatas... « Absolute asserere mortificationes externas nihil, aut parum « prodesse, maximus error est ». Discretio itaque adhiberi debet. Exigendum imprimis ut nihil fiat sine dependentia. Confessarius autem (excepto casu magnae necessitatis ad fraenandas passiones valde rebelles) non suadeat carnis macerationes (nisi forte aliquod ieiunium vel aliquas abstinentias), quin prius poenitens magnum earundem desiderium ostenderit easque enixe petiverit; et sub initio concedat parum et raro: secus enim postea, decrescente (uti solet) fervore, periculum aderit ne poenitens omnia dimittat et devotioni ipsi totaliter valedicat. Videndum est etiam quanta sit poenitentis virtus et maxime humilitas, ne disciplinae et cilicii usus eum in superbiam (quasi iam esset sanctus) elevet. Praecipue vero observandae sunt circumstantiae sanitatis, occupationum et status poenitentis. Denique mortificationes circa somnum non sunt permittendae; somnus enim non solum corporis sed etiam animae functionibus necessarius est. Septem horae somni regulariter necessariae sunt omnibus: neque (iuxta Capellmann contra S. Lig. *La vera sposa di G. C.*) foeminae, minus quam viri, huiusmodi somni horis indigent. Mortificationes, quae facilius permitti, imo (ut dixi) aliquando suaderi debent, sunt circa gulam; unde facillime expedit quod Confessarius, requisitus, v. g., de cilicio vel disciplina, respondeat: Loco cilicii et disciplinae, ieiunabis, vel sine ientaculo manebis, vel coenam dimidiabis. Porro ieiunium ex una parte ad fraenandas passiones valet plus quam aliae carnis macerationes, et ex alia superbiae concipiendae periculum non adeo secum fert. Si autem cilicium permittendum esse videretur, ne sanitati noceat recolendum est consilium Capellmannii dicentis (C. III): « Cilicia concedenda esse « puto ea solum conditione, ut non semper sed ad tempus « gestentur, paucas dico diei horas, vel unum alterumque « diem hebdomadae; dein ne nimis acerbis et acutis acumini- « bus plena sint, quamvis aspera esse debeant; hinc v. g. funi- « culi, qui ex filo ferreo *tenui* cum acutis aculeis confecti sunt, « reiiciuntur; denique ne arctius adstringantur ». Et de flagellatione (vulgo disciplina) dicit: « Flagellum acutiores partes « ne habeat, solumque tergum (atque etiam exceptis molliori- « bus lumborum partibus) et fortasse humeri brachiaque flagel- « lis feriantur. Praecipue vero inter flagellandum vitanda sunt « regio genitalium, totus venter, et in mulieribus etiam ubera ».

Notat etiam quod, si efficerentur vulnera, a flagellatione antequam sanarentur abstinendum esset.

7. *Communio frequens*, cum debita praeparatione et gratiarum actione. Quoad gradum huius frequentiae, et quoad Communionem quotidianam, vide dicta (n. 770). — Valde expedit etiam ut communionis spiritualis usus insinuetur.

XIII. Non solum quoad macerationes corporales, sed etiam quoad simplices mortificationes aliaque media hucusque recensita, discretio haberi debet. Cavendum est enim ne munera proprii status negligantur, ne familia turbetur, ne poenitens irrisionibus exponatur, aut urbanitatis legibus (abnormitates *it. stravaganze* committendo) deesse cogatur, aut quovis modo ita oneretur ut vita spiritualis ei intolerabilis evadat, et sic omnia deserendi periculum subeat. A personis adhuc satis imperfectis actus heroici exigi non debent; secus enim (ad minus) Directorem aut derelinquerent, aut (dicendo se fecisse quamvis non fecerint) deciperent. Denique, quando agitur de rebus quibus poenitens non est assuetus (maxime si iam aetate esset provectus), paullatim et pedetentim procedendum est.

XIV. Non sufficit ut praedicta media suggerantur in confuso; sed oportet ut apte determinentur et distribuantur. Hinc *methodus vitae* efformari debet, determinando opera pietatis, quae singulis diebus, quae diebus festis, quae singulis mensibus, et quae singulis annis expediat ut fiant (nisi tamen circumstantiae impraevisae aliter exigant). Exemplar huius methodi potest esse sequens. *Singulis diebus*, mane orationes consuetae cum proposito generali et particulari; auditio Missae (cum Communione spirituali aut reali iuxta permissionem Confessarii) et meditatio. Infra diem orationes iaculatoriae et mortificationes iuxta circumstantias. Praesentia Dei et invocatio divini auxilii in tentationibus. Vespere visitatio SS.mi Sacramenti, examen generale et particulare, actus contritionis, (preces novendiales, si occurrant), rosarium et orationes consuetae. Infra hebdomadam expedire potest ut determinetur dies confessionis, et, v. g., *Via Crucis* feria sexta, et ieiunium in sabbato. — *Diebus festis* addi poterit auditio concionis, et lectio spiritualis. *Singulis mensibus* (nempe, v. g., ultima Dominica cuiuslibet mensis) dies spiritualis recollectionis. *Singulis annis* confessio annualis et (si possibile sit) exercitia spiritualia.

XV. In directione spirituali habenda est ratio indolis poenitentis; sunt enim qui magis amore quam timore flectuntur, iisque divina beneficia, et cruciatus quos D. N. I. C. pro nobis

toleravit, utilius proponentur. Sunt e contra qui flectuntur magis timore quam amore, eisque proinde aeternae veritates mortis, iudicii et inferni opportunius erunt proponendae. Sunt qui absque periculo ullo acriter reprehendi et obiurgari possunt; et sunt qui tali modo reprehensi indignarentur aut animo deiicerentur. Haec omnia animadverti debent; et in dubio, imo de regula ordinaria, bonis modis procedendum est.

XVI. In praxi saepissime accidit quod poenitentes animo deiiciuntur, et sic omnia omittere tentantur. Confessarius omni nisu curabit ut ex una parte solertiam et diligentiam adhibeant, et ex alia nunquam desperent; si enim defectus committunt quamvis multa media adhibeant, quid accideret, si vitae spirituali valedicerent? Itaque se humilient, poeniteant, orent, perseverent, et bono malum compensare satagant.

XVII. Si poenitens electionem status adhuc non fecisset, in hoc negotio adeo momentoso speciali cura adiuvandus esset, curando imprimis ut specialibus iugibusque precibus Deo se commendet. Unusquisque scit quod praeter statum matrimonii, adsunt alii tres status valde excellentiores, nempe status Religionis in monasterio, status Sacerdotis saecularis, et status coelibatus servando castitatem in saeculo ex motivo virtutis sive cum voto sive cum simplici proposito. Si poenitens ex una parte non videatur nimis alienus ab eligendo aliquo ex his statibus perfectioribus, et ex alia habeat vel acquirere possit requisita, Confessarius eiusdem status excellentiam tempestive, atque (si oporteat) iteratis vicibus, ei patefaciat, suggerendo ei ut saepe et serio consideret, quo in statu credat se posse melius Deo servire meliusque animam suam salvare. Si repugnantiam non ostendat; et interim dotes statui perfectiori congruas acquirat vel conservet, idque non quomodolibet, sed constanter; simulque, inspectis circumstantiis verisimiliter futuris, coniiciendum sit, fore ut in statu illo Deum melius reapse serviat; tunc de eodem statu eligendo consilium dabitur; optima enim regula est, ut in determinationibus semper consideretur, quid in maiorem Dei gloriam redundet. Ad prudentem coniecturam faciendam de huiusmodi bono exitu futuro, ut plurimum exigitur etiam inclinatio, et quidem magna, et quidem constans; praeterquamquod enim haec inclinatio dicitur unum ex praecipuis signis vocationis divinae, si deficeret, vel ex hoc ipso deficerent quoque dotes necessariae (ut puta, si persona ab eo statu abhorreret), vel ordinarie coniici deberet quod dotes ipsae duraturae non essent. Nihilominus interdum dari potest consilium de

meliori statu eligendo, quamvis persona sit perplexa et Confessarii decisioni se remittat: non obstante enim huiusmodi perplexitate et indifferentia, bonae qualitates aliaeque circumstantiae praesentes et futurae possunt esse tales, ut bonus exitus expectari debeat.

Veniendo magis ad particularia, si agatur de statu Religioso, S. Th. (2. 2. q. 189. Art. 10) dicit, non multo consilio neque longa ponderatione opus esse; tunc enim persona non se exponit periculo, sed potius ad locum tutissimum confugit; in quo adsunt anni probationis: et, si non perseverabit, nihil perdere poterit. Nihilominus considerandae sunt consequentiae. Oportet imprimis (apud nos) ut adsit consensus parentum, si filius vel filia sit minor, si nempe an. 21 non compleverit; secus enim parentes, etiam ope brachii saecularis iuxta legem civilem (Art. 221) filium ad se revocare possent. Praeterea ipsum periculum egrediendi e Monasterio propter defectum qualitatum (quae, praeter obedientiam et mansuetudinem, varie pro variis monasteriis requiruntur) ponderari debet, maxime in puellis. Ex huiusmodi enim egressibus (si essent frequentes), aliae animo deiicerentur; Director existimationem et fiduciam plus vel minus amitteret; familiae propter expensas inutiliter factas turbarentur, et forsan filiam redeuntem non aequo animo acceptarent. Si autem pecunia pro dote ex eleemosynis collecta fuisset, pii oblatores ab aliis puellis ad similem finem subveniendis retraherentur. Considerari deberet etiam, an Monasterium, propter legem suppressionis, subiaceat periculo, ne Moniales post aliquod tempus eiiciantur.

Si agatur de coelibatu servando in saeculo, indicia vocationis pro hoc statu sunt 1° Si de marito inveniendo non sit sperandum; 2° inclinatio; 3° vita casta; 4° copia auxiliorum spiritualium (v. g., si in loco adsint Confessarii zelantes vel floreat pia congregatio virginum, de qua verba feci n. 970. P); 5° absentia extraordinariorum periculorum (verisimiliter etiam in futurum); 6° media sustentationis (quando enim mulier maritum a quo sustentetur non habet, inspicere oportet an in propria domo sat tolerabiliter vivere possit; vel an, considerata eius sanitate, habilitate etc., victum sibi comparare valeat). Multa discretio, haberi debet in ponderandis his signis; aliud enim est, v. g., si inclinatio sit vehemens et constans, et vita sit casta subsistentibus iam carnis illecebris; aliud vero si inclinatio sit remissa, aut carnis illecebrae adhuc non incoeperint. Quoad media sustentationis observandum, quod non raro, si

miseria aderit in statu virginitatis, miseria similis et forte maior pertimescenda est in matrimoniali. Interdum etiam inclinatio vehemens et singularis efficere potest, ut aliorum signorum defectus minus considerari debeat. Utcumque, sic distinguendum erit : Si Confessarius, omnibus perpensis, magis inclinet ad credendum quod puella ad statum virginitatis non vocetur; tunc curet quidem ut bona et virtuosa sit, sed nullum votum (ne temporaneum quidem) ei suadeat, neque vestes et ornamenta, quae a puellis maritum ambientibus adhiberi solent, prohibeat. Si autem magis inclinet ad credendum quod ad statum virginalem vocetur, tunc votum temporaneum (nempe renovandum de solemnitate in solemnitatem) ei permittere vel consulere, simulque quamdam modicitatem circa ornamenta suadere poterit. Si denique iam sit moraliter certus de vocatione ad statum virginalem, tunc de electione huius status decise facienda, et de abstinendo prorsus (quantum proprii status decentia permittit) tum a mundano vestiendi modo, tum a saecularibus dissipationibus, et conversationibus; nec non de praestandis reliquis, quae a vera Christi sponsa praestari debent, consilium dabit. Si poenitens in omnibus lubenti animo obediens et constans reperiatur, tunc credo expedire quam maxime ut votum perpetuum ei permittatur; hoc enim magnam firmitatem et promptitudinem in repellendis tentationibus superaddere solet. Sunt qui ad hoc votum permittendum exigunt ut foemina ad quadragesimum aetatis annum pervenerit; sed alii existimant respiciendas esse potius circumstantias, quibus prudenter credi possit quod mulier ad statum virginalem a Deo vocetur in eoque perseveratura sit. Ita sentio ego quoque; et ex praxi patet quod permissio huius voti, etiam in aetate multo minus provecta, dummodo discretio praedicta servetur, optimum exitum habet. Si autem, praeter expectationem, voti emissi aliquam poeniteat, hoc inconveniens in comparatione boni, quod in aliis obtentum fuit, non est considerandum; multo magis quia remedium commutationis facillimo negotio semper in promptu erit. Vide dicta (n. 918. et 930. 14).

Denique, si agatur de statu Sacerdotis saecularis, Confessarius certe omni nisu curare debet, ut Clericus, qui sub eius directione se posuit, virtutibus omnibus se exornet. Sed quid si in virtutibus istis plus vel minus deficiat? Plures censent, consilium de Ordinibus Sacris suscipiendis nec dari nec probari posse, nisi Clericus habeat perfectionem maiorem illa quae in statu religiosi regularis exigitur; quia Ordo Sacer non est via

ad perfectionem (sicut esset status religiosus), sed perfectionem iam adeptam praesupponit. Sed, si tanta celsitudo vere exigeretur, ubinam inveniretur? Dixit ipse S. Lig. (Prax. 93): « Quis « est hic et laudabimus eum ? » Aliunde praxis generalissima Episcoporum est ut dotibus evidenter minoribus praeditos ad Sacras Ordinationes admittant. Ego itaque dicerem, consilium de Ordinibus Sacris recipiendis dari vel probari posse, si ex una parte nec deceptiones nec preces et commendationes importunae apud Episcopum adhibitae fuerint, et ex alia pro salute aeterna subiecti videatur esse melior vita sacerdotalis quam saecularis, simulque credendum sit quod subiectus ipse in substantia Ecclesiae utilis (non vero magis noxius quam utilis) futurus erit.

Personis piis praeter votum castitatis (ut supra), alia vota non facile permitti debent; non enim expedire solet ut nimiis obligationibus (quae saepe transgressionibus, angustiis et scrupulis aditum aperiunt) onerentur. Confessarii autem, qui poenitentes ad faciendum votum perpetuum obedientiae erga se ipsos inducunt, imprudentissimi sunt. Vide Frassinetti (*La monaca in casa* I. II. § 4).

XVIII. Si persona pia res supernaturales, nempe extases, apparitiones, locutiones, revelationes etc., enarraret, caute procedendum esset; nec facile tamquam vera dona divina res huiusmodi accipi debent: periculum enim adest 1° ne poenitens omnia fingat ut singularem Confessarii existimationem sibi acquirat; 2° ne ea quae dicuntur sint meri phantasiae effectus; 3° ne sint illusiones diabolicae. Attamen Confessarius his in rebus non debet esse incredulus ex systemate fixo, quasi res huiusce generis nunquam dona divina esse possint. Non solum enim ex vitis Sanctorum, sed etiam ex sacris Scripturis patet, quod Deus charismatibus istis animas pro lubitu suo insignire potest. Difficultas est in discretione. Pro praxi sic dicerem. Videndum imprimis an res enarratae imaginationi et phantasiae vel debilitati nervosae aut hysterismo aut naturali deliquio (quod cum extasi confundi non debet) tribui possint; et tunc de iisdem rebus non erit curandum; non enim supponendae sunt causae supernaturales, quando causae naturales (iuxta quas omnia sat bene explicari possint) iam subsistant. Si vero haec hypothesis admitti nequeat, tunc, ad distinguendum an de veris donis Dei, an vero de malitiosis poenitentis ipsius fictionibus (quarum signum etiam ab incohaerentiis et contradictionibus habetur), aut de illusionibus diabolicis agatur, recolendum est quod dona Dei cognoscuntur ab effectibus. Videndum scilicet

an poenitens enarret quidem res illas candide et simpliciter, sed cum quadam verecundia, rubore et difficultate, sollicitus ne quisquam alius, praeter animae suae Directorem, quidquam percipiat. Haec humilitas optimum indicium erit. Dein fieri debebit experimentum obedientiae, dicendo ut de rebus illis non curet, illasque tamquam Diaboli illusiones signo crucis impedire satagat. Si poenitens obediat, et quidem iugiter, et quidem cum plena quiete et tranquillitate; tunc de bono spiritu iam non erit dubitandum. Excipe nisi revelationes, locutiones etc. imprudentias suaderent. Director pro regula firmissima habeat se gerendi semper iuxta dictamina christianae prudentiae: multo magis quia in ipsis Dei donis aliquando Diabolus immisceri potest. Rigoroso secreto omnia occulta servet; et ipsi personae directae nec specialem existimationem nec anxietatem sciendi quid acciderit ostendat. Caveat denique ne propter aliquos eiusdem defectus ei credere desinat.

XIX. Personae piae non raro magnis et furiosissimis tentationibus subiiciuntur, et aliquando credunt se interne consensisse aut etiam dicunt se actum externum commisisse. Confessarius non existimet quod persona pia sit impeccabilis, et quod voluntas habitualiter a peccato abhorrens, insurgente gravi tentatione, peccato ipsi adhaerere non possit. Nihilominus habenda sunt prae oculis principia, quae actionum imputabilitatem respiciunt; quod nempe 1° Dantur actus (etiam externi) prorsus indeliberati, qui dicuntur *primo-primi*. 2° Ad peccatum formale constituendum non sufficit cognoscere id quod fit, sed oportet etiam reflectere rem illam esse malam. Dicit autem S. Lig. (De Pecc. n. 3): « Potest intellectus ita rapi a delecta-« bilitate obiecti oblati, ut nihil malitiae moralis in illo adver-« tat ». 3° Sicut semisopitus, semiebrius et semifatuus cognoscere potest aliquo modo non solum actionem sed etiam malitiam actionis, et nihilominus non esse reus peccati mortalis, quia, propter corporis habitudinem animae functionibus parum aptam, liberum arbitrium non potest proprium actum totaliter exercere; ita dantur etiam interdum (maxime in hystericis) verae dementiae vel semidementiae transitoriae a passionibus provocatae; unde persona in modo loquendi et agendi abnormissime procedit, satisque palam facit se tunc non sanae mentis esse; unde scripsit S. Th. (1. 2. q. 77. a. 7) quod aliqui *propter amorem vel iram insaniunt*. In praxi tamen, quando dementia aut semidementia non est habitualis, non facile pro absentia culpae mortalis (si de re gravi agatur) iudicandum est; multo magis

quia ad excusandum ab illa oporteret etiam, ut defuerit reatus in causa, qui adesset si ab initio passiones voluntarie excitatae aut non repressae fuissent.

XX. In directione animarum piarum interdum invenitur casus obsessionis aut infestationis diabolicae. Hic quoque Director non facile credulus erit; quandoquidem multa hysterismo, phantasiae, et forsan malitiosae poenitentis ipsius imposturae, tribui possunt. Sed neque erit omnino incredulus; quod enim verae obsessiones et infestationes dentur, non solum doctrina catholica est, sed patet etiam ex factis manifestissimis, quae a testibus fide dignis relata aut etiam a Directore ipso visa vel audita esse possunt. Diabolus aliquando residet in corpore alicuius stabiliter, tamquam in sede propria; et tunc obsessionis proprie dictae, seu veri energumeni casus habetur, qui in personis piis vix unquam accidit. Signa huiusmodi obsessionis indicantur in Rituali; et obsessio erit evidens si, personâ obsessâ idioma ab Exorcista adhibitum non cognoscente, Daemon iuxta ea quae ab Exorcista ipso dicuntur respondeat; ut puta, si, iussus abire, dicat: *nolo*; vel comminatus de poena, respondeat: *nihil refert*, aut *noli me vexare* etc. — Casus frequentior est infestatio, in qua Daemon modo quidem extraordinario animam aliquam persequitur, obsidet, affligit et tentat, sed ab extrinseco, et quin in corpore (nisi forte ad brevia intervalla) resideat; prout in S. Iob, in S. Maria Magdalena De Pazziis, in Ven. Maria Crucifixa, in B. Angela de Fulgineo etc. contingit. Daemon tunc in forma visibili apparere, aut alia signa manifesta suae praesentiae dare solet. Finis eius est ut anima Deum derelinquat et ei se dedat; ut nempe vitae spirituali valedicat, peccata mortalia committat et damnetur. Ad hoc obtinendum horribiles machinationes parat, quae plus minus sunt sequentes. Sub initio solet afficere animam melancholia extrema et taedio orationis. Dein conatur illam persuadere quod religio catholica est falsa; quod Christus non est Eucharistia; quod Paradisus non adest; praecipue vero quod Deus non existit, aut, si existit, non curat de nobis, est iniustus, crudelis etc. Postea inducit summam abominationem contra Sacramenta, et interdum contra Confessarium cum maximis tentationibus illum omnibus contumeliis afficiendi aut percutiendi. Aliquando tempore confessionis horribilibus lapidum ictis confessionale quatit. Aliquando etiam physice impedit confessionem, auferendo pro eo tempore loquelam. Impedit Communionem, aperitionem oris impossibilem reddendo, aut cogendo per vim ad expuendas sacras

species, vel ad fractionem ieiunii, aut os stercore implendo etc.; (et in his casibus credo, SS.mum Sacramentum huiusmodi periculis et indecentiis non esse exponendum). Interdum libros devotos, rosaria, sacras imagines aufert, vel rumpit, vel foedissime conspurcat. Dein vivissimas immittit tentationes Deum, nec non SS.mam Virginem horribiliter blasphemandi, SS.mum Sacramentum contumeliosissimis signis spernendi, Sacras Imagines conculcandi; et non raro ad haec omnia per vim adigit. Interdum immittit etiam tentationem suicidii, atque ad cultrum vel laqueum arripiendum simili violentia (quamvis sine effectu) cogit. Postea inducit persuasionem quod hoc modo peccata mortalia horribilia iam commissa fuerint; et sic conatur inducere animam ex una parte in desperationem extremam (quasi ipsa iam sit damnata nullumque remedium supersit), et ex alia in horrendissimum odium Dei. Machinationibus hucusque recensitis totus in eo est ut separet animam a Deo. Deinde procurat (prout supra dicebam) ut ei se dedat. Hinc solatia multa; praecipue vero carnales delectationes offert. Comparendo (ut dixi) in forma visibili, personam (maxime si sit virgo Deo devota) ad turpia allicit; et, si consentire nolit, manibus (vel etiam utendo rebus sacris) eam per vim polluit: et non raro, illam ligando et in terram sternendo, verum concubitum cum ipsa habet. Si autem haec omnia non sufficiant; recurrit ad terrores, minas, cruciatus et martyria horribilia, percutiendo, torquendo, vulnerando, adurendo, et quidquid vix credibile efficiendo, ut tandem aliquando consensum obtineat. Haec exposita sunt successive iuxta ordinem logicum; sed de facto ut plurimum omnia vel fere omnia simul commiscentur. Status huiusmodi longo tempore multisque annis ordinarie durat.

Quid agendum a Confessario? R. Totis viribus curabit ut poenitens firmissime et constantissime resistat et nunquam consentiat. In hunc finem fiduciam in Deo (qui non sinit ut quispiam ultra vires tentetur), et orationem meliori modo possibili, Deo, B. Virgini, Sanctis Protectoribus et Angelo Custodi directam, inculcabit. Animum addet dicendo quod dimicat pro Deo; quod Deus e coelo illum aspicit, et eo magis illum amat quo magis suffert et strenue dimicat; quod purgatorium suum in hoc mundo facit; et quod praemium prorsus extraordinarium in Paradiso sibi comparat. Dicere poterit: *Vae, vae, si Diabolo cedas!* S. Ligorius (Prax. 113) dicit quod conversio esset difficillima. Exigat ut omnia sibi manifestet, quamvis forte essent

tentationes contra seipsum. Efficiat ut intelligat quantum directione et obedientia indigeat, ne Daemon illum decipiat et in extremam ruinam coniiciat. Bonis modis utatur, et horroris signa non det. Corrigat autem, si, etiam a longe (v. g., quaerendo solatia mundana aut non obediendo) cedere inciperet. Attamen non credat esse facile quod sive blasphemiae sive impuritatis vera peccata commiserit; idque quamvis diceret sibi videri quod consenserit. Utique persona etiam in his conflictis sufficientem possessionem sui liberi arbitrii et cognitionem malitiae remanere, et sic vera et formalia peccata committere potest: sed ut plurimum (loquendo semper de animabus piis) Deus id non permittit: et valde facile est quod propter defectum sufficientis cognitionis aut libertatis peccatum mortale locum non habuerit: Diabolus enim potest 1° violare personam per vim sicut faceret homo; 2° cogere eam physice ut ipsa suis manibus se polluat: aut sua lingua blasphemias proferat etc.; nec obstant propositiones Michaelis Molinos damnatae, ut patet ex S. Lig. (Prax. n. 111); 3° inducere illam in statum similem semiebrio, semidormienti et semifatuo, aut eius passiones adeo repente et vivide commovere et intellectum ita obfuscare, ut sine advertentia ad malitiam (iuxta dicta n. XIX) agat. Quamvis autem Confessarius inclinaret ad credendum veram culpam adfuisse, caveat ne hanc suam persuasionem (nisi vere sit certus) poenitenti ostendat: secus enim in barathrum desperationis et sic in omnia delicta (qui, ut dixi, est finis a Daemone intentus) miserrimam animam corruere faceret. Tunc tamen augebit exhortationes, ut fortis maneat et resistat. Vide Scaramelli (Dir. mist. V. 128-130).

Curabit insuper Director ut persona sic a Daemone infestata faciat cum tentatione proventum; nempe se profundissime humiliet, Dei dispositionibus se resignet etc.

Curabit praeterea ut liberationem obtineat. Media praecipua sunt oratio fervens (interponendo etiam patrocinium SS. Iulii et Gaudentii); ieiunium et actus profundissimae humilitatis. Dein veniunt exorcismi, de quibus vide instructiones in Rituali. Isti fieri possunt etiam privatim neque utendo forma Ritualis, et tunc Episcopi venia non exigitur (S. Lig. III. n. 193. Appendix). Iuvat imprimis praeceptum exeundi seu a molestia cessandi. Hoc dari debet in nomine Dei Patris, Iesu Christi, Spiritus Sancti, B. V Immaculatae et Ecclesiae catholicae. Oportet ut praeceptum magno imperio detur et multoties repetatur. Iuvat quam maxime Daemonem vituperare, appellando il-

lum scelestissimum, iniquissimum, proditorem, homicidam, crudelem, tyrannum, superbum, impium etc. Nihil dico de signo crucis, de usu aquae benedictae, de retentione Reliquiarum et Evangelii etc. Ipsa persona infestata exorcismos privatim facere potest.

Denique Confessarius (maxime si agatur de mulieribus) prudentiam semper adhibeat; caveat nempe ne compassione ductus aliquas imprudentias committat; et reminiscatur quod Daemon non solum poenitentis sed etiam Confessarii ruinam, et scandalum publicum machinari potest.

Pro casu autem, in quo poenitens iam manifeste Diabolo se dederit, illumque desiderare atque invocare et cum ipso horrendum commercium ex animo habere soleat, Confessarius iuxta ea quae docet S. Lig. (Prax. n. 113) se gerere deberet.

XXI. Quid de scrupulis? Scrupuli cum conscientia valde meticulosa (dum persona omnes levissimos defectus exquisite notat et diligentissime evitare studet) non sunt confundendi. Verus scrupulus consistit in argumento (contra actionis vel omissionis honestatem) insulso nimisve levi, quod esset spernendum. Definiri etiam posset timor inanis: *trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Si scrupuli sint rari, aut in aliquo puncto dumtaxat, et persona dicto Confessarii sufficienter acquiescat, tunc practice nulla adest difficultas. Secus si defectus sit magnus, si nempe poenitens nimis frequenter timeat esse peccatum quod non est; aut consensisse pravis cogitationibus confundens sensum cum consensu; aut non bene confessum fuisse, non bene fecisse poenitentiam sacramentalem, non bene recitasse breviarium etc. Vitium huiusmodi valde nocet, quia ex una parte servitium Dei nimis onerosum, taediosum et pene intolerabile reddit, et ex alia (propter conscientiam erroneam) potest esse causa peccatorum. Scrupuli ut plurimum cum continua anxietate, perturbatione et pertinacia coniunguntur; et sic orationem impediunt, obedientiae nocent, hominem iracundum et proximo taediosum atque intolerabilem reddunt, et ipsi sanitati corporali (maxime inducendo periculum dementiae) obsunt. Adde quod res eo demum adduci potest, ut homo servitio Dei valedicat, in desperationem se coniiciat, et in maximos excessus (a quibus non est excludendum suicidium) proruat.

Scrupuli saepe saepius proveniunt ex melancholia, mania incipiente, aliove morbo physico; unde verum remedium a medico corporali (et quidem cito; secus enim morbus incurabilis evadere solet) quaeri deberet. Confessarius aliqua lenimenta dumtaxat dare potest.

Videat imprimis an de veris scrupulis agatur; interdum enim facile est quod Confessarii iuniores nullamque malitiam habentes quid pro quo accipiant. Foemina dicit, v. g.; *Solatium interdum capio cum socia, vel cum catello, vel a me ipsa.* Aut: *Crura obstringo.* Aut: *Crura aperio.* Aut: *Sto supina.* Aut: *Speculum adhibeo ad me conspiciendam.* Aut: *Baculum inequito.* Aut: *Sum humana cum personis* etc. Expressiones istae prima fronte scrupulos indicare videntur, sed facile turpitudines significant. Confessarius itaque interrogabit poenitentem, an ad malum finem seu cum malitia haec facta fuerint?

Supponendo autem quod, interrogato satisque examinato poenitente, reperiatur eum esse revera scrupulosum; tunc cum ipso duo praestanda erunt.

1° Curandum ut suas ideas scrupulosas habeat pro erroribus, exaggerationibus et phantasiis omnino despiciendis. In hunc finem non dubiose et haesitanter sed firmiter id ei declaret; et verba facto confirmet. Dicat, v. g.; *Hoc non est peccatum; libere age; nolo ut de hoc amplius te accuses;* et de facto accusationem non permittat. Si poenitens timeret peccare in omnibus, Confessarius dicat: *Nisi iurare possis aliquid esse peccatum, libere procede.* Interdum in hoc quoque casu exigere poterit, ut postea in confessione de rebus, circa quas dubia habuit, verba non faciat. Si poenitens timeret consensisse quando non consensit, Confessarius dicat: *Nisi iurare possis te consensisse crede te non consensisse, et si infra hebdomadam debeas communicare vel Missam celebrare, absque confessione communica vel celebra.* Si poenitens dicere inciperet quod iam iurare potest consensisse, Confessarius id non facile credat, nisi opere quoque peccaverit; non enim facile est quod abstinens ab opere pravo ex timore Dei, cogitatione Deum ipsum mortaliter offendere velit, ut notat Frassinetti (Diss. II. 5). Vide etiam Gury (Cas. I. 49). Quod tamen in confessione poenitens suas tentationes exponat, permitti potest. Si denique poenitens repetere vellet confessiones, vel repetere soleret poenitentiam, officium etc., haec essent ei absolute interdicenda. Pro casu autem, in quo poenitens veniat semper cum novis peccatis vitae praeteritae, dicendo, illa non accusasse, non explicasse etc., Confessarius, videns quod res iam ad nimium fastidium procedit, dicere debebit: *Satis est, et, quamvis certus esses aliquid non dixisse, nihil amplius accusare teneris, et nihil amplius audire volo.* Gury (l. c. 50).

2° Curabit etiam Confessarius ut poenitens de suis scrupulis

non cogitet; sed distrahatur. Scrupulorum occasiones (nempe otium; conversationem cum aliis personis scrupulosis; auditionem concionum terrificarum, meditationes, speciatim de rebus terrificis; maxime vero examina conscientiae) ei prohibeat. Quando autem in confessionali scrupulos suos exponere vult, bono modo efficiat ut sermo ad alia divertatur. Porro scrupulosus quanto magis cogitat et loquitur de suis scrupulis, tanto magis in sua fixatione firmatur, eiusque phantasiae adaugentur; et rationes, quae ad eum persuadendum adduci vellent, subtilioribus sophismatibus aditum aperirent, illumque semper in peius ruere facerent.

Nihilominus dantur etiam casus, in quibus systema firmiter impediendi ne scrupulosus in confessione de suis scrupulis quidquam dicat, maiores turbationes provocat; speciatim quando ex usu inveterato scrupulos suos exponere soleat, et ex confessione quietem aliquam acquirat; maxime vero si in aliquo puncto dumtaxat et sine magna anxietate scrupulosus sit; aut si agatur de re in qua (propter maximum periculum) consensus adesse potuerit. Gousset (n. 600).

A scrupulosis exigenda est quidem obedientia, sed notandum quod, si scrupuli ex morbo physico procedunt, in vera impossibilitate obediendi saepe versabuntur; voluntas enim phantasiam saepe saepius cohibere non potest.

Scrupulosi bonis modis tractandi sunt; non enim afflictio afflictis addenda est. Illis, speciatim si desperatione tententur, fiducia in Deo quam maxime insinuari et Paradisus promitti debet.

Casus. Titia timet peccare si viros cum quibus loquitur in vultu aspiciat, si foeminas gravidas intueatur, si infantem osculetur aut in ulnas accipiat, si sociae illam salutantis manum apprehendat, si casu cum alia foemina honesta dormiat etc. Admonita de his scrupulis deponendis, viros aspicit eosque turpiter desiderat; foeminas gravidas intuetur, et statim cogitat voluntarie de copula matrimoniali; infantes in ulnas accipit, et illos turpiter tangit; sociae manum apprehendit, et seipsam commotam sentiens turpitudini consentit; cum foemina dormit et sodomiam committit. Quomodo se gerere debet Confessarius cum persona huiusce generis? R. Procuret ut roboret seipsam oratione, meditatione aliisque subsidiis spiritualibus meliori modo possibili; et in illis vitae occasionibus, quae, occurrente casu, absque nota, inurbanitate, admiratione, aut alia difficultate, evitari nequeunt, indifferentiam servet, malitiam a se

removeat, et se ipsam vincere suasque passiones cohibere satagat. Alias vero occasiones, quae occurrente casu sat facile evitari possunt, evitet; sed (quum pro ipsa nimis multiplicentur et *in se* sint innocuae) ex consilio solum et motivo virtutis; non vero ex obligatione, dummodo pravam intentionem ab initio non habeat, et cautelas semper adhibeat. Vide dicta *De Occasionariis* (78. V).

XXII. Personae piae interdum quidem sunt vere scrupulosae et timent peccatum ubi non est, sed interdum sunt nimis liberae: quatenus ex una parte nollent peccare et ex alia propriis passionibus satisfacere vellent. Hinc seipsas erroneis dictaminibus illudunt, quae a Confessario probari non debent. Exempla. 1° Desiderare ut delectationes carnales accidant sine culpa (v. g., in somno), et postquam acciderint gaudere. — 2ª Excedere limites in satisfaciendo ordinariis necessitatibus corporalibus, vel fingere sibi necessitates quae non adsunt. Vide dicta (n. 296 et 1120. *c. Si mulier*). — 3° Procurare sibi lenimentum alicuius morbi ope pollutionis. Aliud est quaerere lenimentum ex tactu, quatenus tactus excitat pollutionem et haec est vera causa quae morbum lenit (prout accidit in quibusdam uteri et stomachi aegrotationibus): idque, quamvis contra delectationem abominatio haberetur (agitur enim de passione nimis effraenata, nimiumque est periculum transeundi a desiderio pollutionis ad consensum in delectationem) nunquam licet; aliud vero quaerere lenimentum ex tactu, quatenus tactus per se ipsum, et forte etiam sine ulla carnali commotione, morbum lenit (prout accidit in pruritu, qui ex immunditia vel herpete oritur): id enim licere potest, quamvis praeter intentionem pollutio accideret (si enim res huiusmodi illicitae dicerentur, tunc homines in necessitatem peccandi et in desperationem conicerentur). — 4° Illusionem sibi facere praetextu rectae intentionis: dum revera, si libido abesset, certo certius persona aliter se gereret. Sensismus (ut ita dicam) spiritualis, quo plures foeminae stultissimae Confessarios iuvenes quaerunt et cum iisdem longas conferentias facere cupiunt, in illusione ista fundatur. Idem dic de amicitiis particularibus, quae Monasteriorum pestis esse solent. Ad cavendum ab huiusmodi illusionibus, inspiciendum erit, quid, seclusis passionibus, fieret, aut fieri expediret. Si tamen persona dubitaret quid faceret, aut quid fieri expediret: tunc (si actio sit in se honesta) commendanda esset rectitudo intentionis, et scrupuli non essent iniiciendi.

## § IV.

*Quoad Moniales aliasque foeminas in Communitatibus degentes.*

1137. I° Earum Confessarius curabit imprimis, ut apud Communitatem magna existimatione, imo et quadam veneratione, gaudeat. Scientia specialis in eo exigitur non solum Theologiae moralis, sed etiam asceticae. Quid enim (utinam raro accideret!) si Moniales, propter cognitiones, sive ex lectione librorum de perfectione agentium, sive ex concionibus auditis, sive ex aliorum Confessariorum instructionibus, acquisitas, valde doctiores essent quam Confessarius, illumque non parum vel omnino ignorantem reperirent? — Magnam quoque gravitatem praeseferre debet. Risui itaque et facetiis non indulgeat. Curiositates pueriles non ostendat. Clausuram (exceptis casibus verae necessitatis) non ingrediatur; et, data necessitate, Monialem senem comitem semper habeat: recto tramite eat et redeat, neque alicubi inutiliter immoretur; et, si forte aliquo temporis spatio (v. g. ad assistendum moribundae) intra clausuram remanere cogatur, cum Monialibus non confabuletur, sed potius muneri suo satisfaciat, oret, legat etc. — Praecipue autem necesse est ut magna morum integritate veraque sanctitate praefulgeat. Reminiscatur quod Moniales, partim ex eius ipso modo loquendi in confessionali, partim audiendo quid dicat et videndo quomodo se gerat in earum Sacristia vel Ecclesia, partim resciendo, ope aeditui aut famuli vel famulae conventus, quomodo domi (maxime si apud monasterium ipsum resideat) vel extra domum se gerat, cito illum librant. Intelligunt nempe an sit sobrius, mortificatus, patiens, recollectus; an devote Missam celebret; an oret etc.; an vero secus.

II. Tamquam verus pater magnam curam et sollicitudinem ostendat, et palam faciat quod totus in eo est ut spirituale earum bonum procuret. Alia itaque officia, quae aliqualiter hac in re illum impedire possint, non acceptet. In servitio praestando exactissimus sit. Infirmarum aliarumve magnis tribulationibus subiectarum specialem curam habeat. Satagat ut unaquaeque ab eius pedibus contenta recedat.

III. Curet ut Moniales omnes plena confidentia propriam conscientiam ei aperire possint. In hunc finem ne umbram quidem eis praebeat quod scientia confessionis ullo modo utatur. Vae enim si in electione Abbatissae et Discretarum, aut in distri-

butione officiorum, se immisceret; maxime se opponendo, ne talis vel talis eligatur! Vae si aliquas laudaret easve in exemplum proponeret, et de aliis taceret! Si frequenter cum Abbatissa colloquia longa haberet! Si Moniales rescirent quod de ipsis, (maxime vero de hac vel illa) sive cum Concionatoribus, sive cum Confessariis extraordinariis, sive cum famula conventus, sive cum aliis (quamvis in laudem) loqui soleret! Confessarius, dum confessionem audit, taedium, impatientiam, aut festinationem nunquam ostendat: tunc enim Monialis statim obmutesceret. Alias cautelas (quas n. 1091 indicavi) adhibeat. Caveat ne aliqua interrogatione curiositatis (quamvis non ageretur de materia contra sextum) suspectum praebeat; v. g., si interrogatio videri posset directa ad cognoscendam complicem; tunc enim pariter Monialis se clauderet et confidentiam amitteret. Poenitens quippe aegre fert ut interrogetur de aliis; sicut aegre ferret si alii interrogarentur de se. Hinc Confessarius quammaxime caveat ne Educandis circa Moniales interrogationes faciat; et generatim ne confessione unius ullo modo utatur ad corrigendas vel interrogandas alias. Imo, si etiam aliquid ei notum esset ex scientia externa (v. g. ex relatione Abbatissae), se gerere deberet tamquam si nihil sciret; secus enim Monialis statim suspectus multos conciperet. Excipe nisi ageretur de re non solum externe cognita sed etiam summi momenti, quae correctionem omnino exposceret; quo casu cavendum erit quoque ne notitia habita sit falsa vel exaggerata: foeminae enim (maxime si aliqua passione ferantur) facillime res exaggerant. Si Monialis aliam Monialem offendisset et exinde inimicitia orta fuisset, curabit quidem in confessionali ut illa petat et ista concedat veniam; sed munus eas externe reconciliandi Superiorissae omnino relinquere debebit. Idem dic de externis correctionibus. Imo munus conciones habendi, aut exercitia spiritualia Monialibus suis tradendi, evitabit; quamvis enim de defectibus communibus loqueretur, haec vel illa Monialis facile suspicaretur quod propter illius confessionem sic loquatur. Quid si aliqua Monialis Extraordinarium extra tempus desideraret? R. Confessarius ordinarius rem totam Superiorissae et Episcopo relinquere, neque ullo modo se opponere deberet. Si tamen cognoscere potuisset quod a defectu proprio (v. g., nimiae severitatis) res ista procederet; tunc de se emendando, et sic de remedio apponendo, sollicitus esse deberet. Agitur enim de re quae Communitatem gravat et non leviter turbat, aliisque Monialibus idem desiderium iniicere potest.

IV. Verum profectum spiritualem uniuscuiusque Monialis sibi praestituat. Monita, quae (n. 1136) dedi quoad personas pias, pro Monialibus quoque non parum deservire poterunt. Observandum tamen quod Moniales ab ipsis obligationibus statui religioso inhaerentibus, et a proprii Ordinis regulis, nec non a proprii Monasterii constitutionibus, directionem spiritualem iam habent. Curandum itaque ut unaquaeque Monialis obligationes illas (de quibus egi supra n. 671 - 684) et particulares regulas atque constitutiones (quas Confessarius bene cognoscere debet) diligenter observet. Alia superaddere (v. g., alia vota, alias devotiones, alias corporales macerationes etc. huic vel illi Moniali consulere aut permittere) difficile expedire poterit; idque quamvis secreto peragerentur et Communitatem nullo modo turbarent. Sedulo potius curandum est, ut illa omnia, quae a regulis praescribuntur (v. g., confessiones, communiones, exercitia spiritualia, meditationes, lectiones spirituales, orationes iaculatoriae, psalmodiae, disciplinae, ieiunia etc.) non iam ex quadam sterili consuetudine (sicut heu nimis accidere potest!), sed cum internis dispositionibus et ex vero spiritu, peragantur.

Si forte Confessarius ex scientia externa, nempe propriis oculis vel ex relatione Superiorissae, animadvertisset, abusus momentosos (v. g. circa clausuram vel collocutionem cum exteris) adesse: tunc curabit eos avellere, sed pedetentim, et cum magna prudentia, Episcopo consulto. Caveat autem semper, ne sub suo regimine abusus introduci incipiant.

Quoad dispensationes seu licentias, Confessarius niti debet ut Moniales, non obstante aliquo satis tolerabili incommodo, regulas observent, nec dispensationes quaerant; ex frequentibus dispensationibus enim regularis observantia nimium relaxatur; imo saepe in Communitatibus non adest possibilitas petitionibus obsecundandi, et necesse est omnino ut multa tolerentur et sacrificia fiant. Idem dic quoad illas Moniales, quae de assignatis officiis, vel de sociis eisdem in officio datis, vel de tali cibo, de tali potu, de tali cella, de vestitu et similibus non sunt contentae et lamenta movent. Idem dic si aliqua Monialis aliquid praeter consuetum consanguineis suis dare, vel quomodocumque rebus sibi datis ad alium finem (intellige semper praeter consuetudinem) uti vellent.

Si autem Confessarius, attenta motivi gravitate vel etiam Monialis petentis indole et qualitatibus, existimaret petitioni esse annuendum, recolat quod facultas exemptiones vel licentias dandi pertinet ad Superiorissam (vel Syndicos), et proinde

regulariter ipse nihil concedere debet, nisi sub conditione ut Superiorissa consentiat. Excipe nisi Monasterii consuetudo esset, ut in tali vel tali re sola Confessarii licentia sufficiat, aut nisi (propter specialissimas circumstantias) Confessarius aliquid ex praesumpto Superiorissae vel Syndicorum consensu se concedere posse existimaret: sed hoc solum in casu vero rarissimo et in re minimi momenti contingere poterit.

In quocumque casu nunquam offerat se ipsum ut intercessoris partes apud Superiorissam agat.

Curandum etiam ut Monialis, quae aliquid omittere debuerit, defectum suppleat, ut puta, faciendo meditationem privatim, si illam in choro facere nequiverit. Quoad officium divinum vide dicta (n. 603. 3. et 675. 2).

Regula, quae forte magis omnibus aliis cordi esse debet Confessario, est recollectio et silentium. Curabit itaque ut Moniales 1° Collocutionem cum exteris (quamvis essent Sacerdotes aut Religiosi) ad rotas et crates (vulgo *parlatorium*) evitent; imo visitationes ipsas consanguineorum (quantum discrete fieri potest) declinent; neque notitias mundanas curiose inquirant, vel casu auditas in monasterio evulgent (Quid de illis Confessariis adeo stultis, ut ipsi quidquid in urbe acciderit Monialibus narrent?) 2° In monasterio ipso (excepta hora recreationis) sine necessitate non loquantur, sermones inutiles obtruncent, et uno verbo religiosum silentium accurate servent.

Virtutes Monialibus magis necessariae sunt 1° Amor Dei ita fervidus, ut Monialis pro Sponso suo Divino prompta sit omnia pati libenter; 2° Obedientia erga Superiores, etiam in rebus amori proprio repugnantibus: obedientia, inquam, coeca, prompta, exacta et quae libenter in arduis quoque pro amore Dei adimpleatur; 3° Charitas erga sorores, quatenus illae quoque sunt sponsae Dei dilectae. Ex hac charitate oriri debent condescendentia; cautela eas indiscrete (v. g., si sint non chorales, vulgo *Converse*) non onerandi; attentio ut amoris signa (speciatim si sint infirmae) eis praebeantur; studium eas nec verbis nec aliis modis offendendis; denique tolerantia, patientia, et mansuetudo, si forte defectus habeant aut offensam aliquam praebuerint.

V. Diligentissime caveat Confessarius ne ulla Monialis affectum sensibilem erga illum concipiat. Sunt qui suas habent privilegiatas atque (ut ita dicam) beniaminas. Hic maximus error est. Si quae maiori assistentia et diutius in confessionali immorari vere indigeat, Confessarius aliquo modo indulgere

quidem poterit, sed moderate et non semper. Identidem illam citius aliis consulto expediat. Confessiones generales, seclusa vera necessitate, non facile consulat vel permittat. Frequentiorem ad confessionem reditum ex consuetudine nemini concedat; et, data necessitate, quo citius fieri potest Monialem dimittat. Collocutiones extra confessionale, nempe ad rotas, (speciatim in longum protractas, maxime vero tempore nocturno · prorsus evitet. Si Monialibus Sacristiae addictis aliquid dicere deberet, cito se expediat. Idem dic si Superiorissa extra Confessionem cum eo loqui indigeret. Relationes in scriptis nunquam habeat. Munuscula (exceptis iis quae forte sint de more) neque acceptet neque tradat. A laudanda hac vel illa Moniali coram aliis abstineat. Si animadverteret quod aliqua Monialis de eius persona vel de eius dictis loquatur, cautissime cum illa procedat; et (si illa de hoc se accusaret) eam severe redarguat. Quamvis notasset quod aliqua Monialis ad Communionem non accessisset, de hoc illi nihil dicat (ne illa credat quod Confessarius illius vultum ea occasione inspiciat). Denique paternam gravitatem semper servet; praecipue vero a verbis affectuosis severissime abstineat.

VI. Caveat etiam ne ulla Monialis aversionem contra illum concipiat.

Huiusmodi aversio oriri potest 1° ex praedictis differentiis; quae enim negliguntur, minus curantur, et brevius in confessionali detinentur, aversionem contra Confessarium plus vel minus facile concipiunt; idque maxime si magnis spiritus tribulationibus subiiciantur, vel si ad superbiam aut zelotypiam inclinent, vel si leves et criterii inopes sint. Aliqui Confessarii Conversas citissime expediunt, illasque hac ratione quasi spernunt. Alii cum illis, quae valde bene et copiose loquuntur, libenter immorantur; secus vero cum rudibus et ignorantibus. Contingere potest etiam quod aliquis cum iuvenibus immoretur diutius et cum senibus brevius. Hi profecto pessime se gerunt, ut per se patet. Confessarius curam aequalem habeat omnium, incipiendo a Superiorissa usque ad ultimam Conversam vel Educandam. Si autem necessitates spirituales exigant ut cum hac vel illa diutius immoretur, identidem etiam cum aliis (ne differentia aliquam offendat) idem faciat. Si, ope Monialis sacristiae addictae, modo haec modo illa petat in confessione audiri extra proprium diem, et si contingere possit quod Confessarius interdum annuere nequeat, tunc nunquam permittat ut eadem Monialis nomen petentis significet. Caveat multo magis ne petat

quaenam illa sit, et, responsione habita, dicat se illam audire non posse.

Aversio contra Confessarium oriri potest 2° ex correctionibus. Sunt qui, ut Moniales omnes contentae remaneant, illas semper laudant, omnia approbant, omnia concedunt, uniuscuiusque passionibus blandiuntur, neminem corrigunt, aut saltem ita leviter et remisse corrigunt, ut correctio nihil valeat. Hi certe male se gerunt: sic enim quomodo mores emendarentur? Quomodo bono ordini communitatis consuleretur? Debitae itaque correctiones certe sunt faciendae. Sed hoc opus, hic labor est: Moniales corrigere, simulque efficere ut omnes contentae remaneant! Interdum de re vere impossibili agi potest; maxime si aliqua Monialis vellet omnino ut Confessarius non solum dissimularet, sed etiam ea, quae nullo modo approbari vel concedi possunt, positive approbaret vel concederet. Nihilominus Confessarii, ut plurimum, obtinere poterunt ut nulla Monialis seriam aversionem contra illum concipiat, si bonis modis cum omnibus utantur, neque ad paullo severiorem correctionem procedant, nisi prius cognoverint quod Monialis morosa (*pernalosa*) non sit, atque adeo in bonam partem et cum sua spirituali utilitate correctionem illam subitura erit. Interdum melior opportunitas erit expectanda, et interdum (ne peius contingat) iugiter dissimulare aut valde remisse corrigere oportebit.

VII. Ea praecipue, quae pacem Communitatis turbare possent, praecavere satagat. Amicitiae particulares, non solum si in vana sympathia, sed etiam si in virtutibus fundarentur et in saeculo laudabilissimae essent, Communitatis pacem valde turbare solent: et proinde Confessarius illas impedire procuret. Idem dic a fortiori de aversionibus et antipathiis. Externas singularitates, quamvis motivo virtutis fieri vellent, non permittat; ut plurimum enim Communitati sunt invisae et magis malum quam bonum producunt. Novitates, quamvis optimae viderentur, non introducat; nisi forte tota Communitas esset propensa nihilque turbarent. Sic, v. g., ad renovandum spiritum verumque fervorem adaugendum, maxime deservirent exercitia spiritualia, quae (praeter communia) peragantur quotannis privatim ab unaquaque Moniali; sed in praxi oporteret ut quae illa peragere vellent horas liberas speciali recollectioni assignandas haberent; quod in Communitatibus obtineri nequit. Caveat autem Confessarius ne ipsemet suo modo agendi Communitatem turbet. Quid enim, v. g., si confessionale in locum delationum et murmurationum converteret, eoque uteretur ad scien-

dum quid haec et quid illa dixerit vel fecerit? Quid si, quando Confessarius extraordinarius venire debet, huic vel illi committeret ut observaret quaenam plus et quaenam minus apud eundem immoretur? Quid si, dum Extraordinarius iam adest, ipse ad monasterium vel sacristiam, ut cum hac vel illa Moniali loquatur, veniret? Quid si in rebus, quae ad Superiorissam vel Syndicos spectant, se ingerere vellet; aut Monialibus Superiorissae contrariis, loco correctionis, favorem praestaret? Quid si, nimium imperium nimiamve severitatem adhibens, vel inconsultis nimisve frequentibus obiurgationibus indulgens, esset in causa cur modo hae modo illae in continuo fletu versentur, non sine periculo quod in desperationem ruant vel dementes evadant? Quid, si cum turbatione totius Communitatis in aliquo proposito, de re quae iam obtineri nequit, firmissimus inhaereret nec cedere vellet? Quid si pecuniam mutuam peteret, aut semper in eo esset ut servitia vel largitiones indebitas exposceret? Quid si, apud Monasterium residens, semper in eo esset ut de cibo vel potu etc. lamenta moveret; alios secum ad mensam invitaret; nocte iam incoepta domum non adhuc rediret etc.? Quid denique si, triennio suo iam ad finem vergente, ad confirmationem obtinendam machinationes adhiberet?

VIII. Quoad directionem Superiorissae, curabit 1° Ut ipsa Moniales suas omnes tamquam filias dilectissimas, nulla distinctione facta, consideret; quamlibet libenter auscultet; nec ullo modo consideret quod hae vel illae in electione contrariae sibi fuerint; 2° Ut delationibus fidem coecam non praestet, quamvis a suis confidentibus factae fuissent; sed cautas informationes capiat; et, si corrigere debeat, id (saltem prima vice et ordinarie) faciat privatim; 3° Ut regularem observantiam procuret, et ipsa suo exemplo omnibus praeeat; 4° Ut abusus si qui sint, prudenter avellere satagat; 5° Ut infirmae non solum medelam et assistentiam necessariam habeant, sed etiam ab aliis Consororibus identidem visitentur; 6° Ut quoad expensas tam ab avaritia quam a luxu et superfluitate abstineat; 7° Ut tam in admittendis novitiis sive ad vestitionem sive ad professionem, quam in illis eiiciendis, cum magna consideratione procedat; 8° Ut in circumstantiis extraordinariis, maxime quoad presentes vicissitudines, Episcopum tempestive consulat, eiusque mandatis aut consiliis prorsus adhaereat.

IX. Quid si Monialis peccatum reservatum accusaret? R. Si Superior reservans Moniales quoque in reservatione expresse comprehenderit; tunc (ut absolutio *directe* concedi possit) re-

currere ad Superiorem ipsum certe oportebit. Casum habes in Moniali quae clausuram fregisset. Vide dicta (n. 879 circa fin. et 881. VI) Sed, praeter hunc casum, valde probabilis mihi videtur sententia Laymannii dicentis (V. VI. c. 12. n. 15) quod Confessarius absolvere potest Monialem a casu Papali, quia, propter clausuram, ad Pontificem se conferre non potest; neque ad Poenitentiariam scribere tenetur. Idem dicunt plures gravesque Auctores apud De Alexandris (*Confessarius Monialium VI. XIII. q. 7*) si etiam de casu Episcopali ageretur. Ratio est eadem.

X. Quid de Confessario extraordinario? R. Debet 1° neque familiarem neque contrarium se ostendere Confessario ordinario: 2° Si aliqua Monialis lamenta moveat de Ordinario, illum excuset et defendat, quantum fieri potest. 3° Moniales omnes audiat eo praecipue fine ut, si forte aliqua propter verecundiam peccatum aliquod reticuerit, illud manifestet; sed (nisi agatur de re nimis clara nimisque gravi) directionem, quae ab Ordinario data fuit, non immutet: eiusque decisiones vel consilia non censuret. 4° Si vocatus fuerit extra tempus non pro tota communitate, sed solum pro aliqua Moniali; (excepto casu in quo omnino oporteret ut illa nunquam apud Ordinarium confiteretur) curare debet ut in posterum singularitatem istam evitet; et cum aliis consororibus suis ad confessionem accedat; idque maxime, si de illis stultissimis (ne dicam perversissimis) esset, quae, ex mera levitate aut morositate, Ordinario, earum bonum sincere quaerenti nullamque culpam habenti, displicentiam huiusmodi dandi difficultatem non habent.

## § V.

### *Quoad Sacerdotes.*

1138. I. Quoad bonos Sacerdotes, qui sola venialia habent, nulla difficultas adest. Notandum duntaxat quod non solet expedire ut circa peccata ab iisdem non accusata examinentur, aut longis exhortationibus detineantur.

II. Si Sacerdos (quod absit) de culpis gravibus verba faciat, plures advertentiae haberi debent. Adverti debet imprimis quod Sacerdotes magnae verecundiae in accusandis quibusdam peccatis subiici solent, et proinde modo incipiunt a longe, dicendo, v. g.: *Pravae cogitationes mentem mihi perturbaverunt;* modo quibusdam verbis generalibus utuntur, dicendo, v. g.: *Demum*

*me accuso de omnibus modis, quibus contra castitatis virtutem peccavi, nempe sive cogitatione, sive verbo, sive opere;* modo denique peccatum quidem explicite confitentur, sed multis excusationibus eiusdem gravitatem imminuere satagunt. In primo casu Confessarius caveat ne dicat: *Eia age, nihil est;* sed potius animum addat poenitenti, ut fateatur consensum, et peccata operis quae forsan commisit. In secundo casu interroget, an et quot vicibus peccaverit opere etc., et semper animum addat ne verecundetur. In tertio casu, nempe quoad excusationes, dissimulare poterit: dummodo non eo usque res procedant, ut poenitens videatur credere esse levia quae gravia sunt (facile enim est quod etiam Sacerdotes dictaminibus falsis seipsos decipere conentur, et conscientia valde laxa procedant). Confessarius itaque tunc, tot excusationes audiens, cum respectu quidem sed nihilominus absque ambagibus et absque vili timore, dicat: *Non licet, mortale est.*

III. Valde male se gerunt illi Confessarii, qui, auditis peccatis gravissimis, dicunt aliqua verba exhortationis; et, quasi de rebus nullius momenti ageretur, statim absolutionem concedunt. Prius itaque de remediis serio agendum est.

IV. Si agatur de primo lapsu, spes emendationis restat quidem, sed oportet ut praeter fugam occasionis (si quae sit) meditatio quotidiana (saltem per mensem) pro remedio assignetur, aut etiam alia magna poenitentia (v. g. ieiunium aut notabilis eleemosyna) imponatur, non sine ferventissima exhortatione etc.

V. Si agatur de secundo lapsu, tunc casus horribilis est. Non tamen desperandum; sed quam maxime adhortandus esset miser Sacerdos, ut exercitia spiritualia in aliquo monasterio perageret, aut saltem aliquibus diebus domi suae orationibus, meditationibus et poenitentiis serio incumberet.

VI. Si demum ageretur de Sacerdote iam prorsus habituato, speciatim si a longo tempore, tunc illius emendatio difficillima erit. « Terra saepe venientem super se bibens inbrem... et pro« ferens spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima, « cuius consummatio in combustionem ». Attamen tunc quoque Confessarius, non solum exhortando sed etiam (imo praecipue) remedia assignando, quidquid poterit, facere debebit. — Sed quid de absolutione? Sacerdotes huiusmodi suntne absolvendi? Suntne potius sine absolutione dimittendi? Equidem, si essent certe indispositi, absolvi non possent. Quid itaque in dubio? S. Ligorius (*Il Conf. diretto* II. xxii. 46) dicit: « Quoad Sacer« dotes recidivos, nisi signa extraordinaria compunctionis prae-

« beant, sit fortis Confessarius in absolutione differenda; idque « per quantum clament et petant ut absolvantur, sub praetextu « quod absque scandalo Missae celebrationem omittere nequeunt. « Respondeat non deesse iustos praetextus, quibus a celebrando « abstinere possint, si velint: et, casu quo vere abstinere ne- « quirent, dicat eis quod possunt celebrare cum actu contritio- « nis, si illam habeant: sed ipse pro tunc absolute non potest « illos absolvere: quia post tot relapsus eorum dispositio valde « dubia est ». Sed quid si timendum esset ne miser Sacerdos, qui hucusque sine praevia Confessione nunquam celebravit, in posterum sine illa celebrare incipiat, et in huiusmodi sacrilegiis (diabolo prorsus se deserens) usque ad mortem perduret? Non solum certitudo sed etiam solum dubium ne id contingere possit, res magni imo maximi momenti mihi videtur; unde, quum facile ex denegatione absolutionis magis sit timendum quam sperandum, ego non reprehenderem Confessarium, qui cum huiusmodi miserrimis Sacerdotibus se gereret prout in Domino melius esse crederet. In substantia applicari poterunt regulae, quas supra (n. 1129) indicavi.

## ARTICULUS III.

### DE MINISTRO POST CONFESSIONEM.

1130. Tenetur 1° de auditis in confessione arctissimum et perpetuum silentium (quod dicitur *sigillum*) servare; 2° scientia confessionis cum gravamine poenitentis minime uti.

Quaestiones plurimae atque intricatissimae (speciatim ad decernendum quo sensu prohibeatur usus scientiae confessionis cum gravamine poenitentis) a TT. agitantur. Principia generalia, ni fallor, sunt duo.

I. Quae talis sunt naturae, ut, si licita dicerentur, scandalum inferrent, et populum christianum a Sacramento Poenitentiae alienarent, oportet omnino ut sub gravi, summoque rigore, et non obstante quocumque incommodo ipsoque vitae sacrificio, prohibita sint. Exemplum habes si Confessarii peccata in confessione audita aliis cum indicatione personae dicere possent.

II. Quae vero talia sunt, ut, quamvis in casibus particularibus aliquam molestiam alicui afferre possint, tamen, si licita declarentur, nullum scandalum afferant, et neque populum christianum neque ullum Christianorum coetum ab huius Sa-

cramenti usu alienent ; haec licita esse possunt ( Vide Tamburini De Sigill. VI. § II. n. 7 ). Exemplum habes in Confessario, qui gravi de causa a poenitente suo petit licentiam loquendi cum ipso extra confessionem de rebus in confessione auditis. Quamvis enim haec petitio in casibus particularibus taediosa et molesta esse soleat, nihilominus fieri potest. Aliunde si illicitum esset quidquid reddit confessionem taediosam et onerosam, tunc ipsa casuum reservatio illicita foret.

Ex his principiis quaestiones omnes de sigillo et de usu scientiae confessionis satis apte resolvi posse credo.

## PUNCTUM I.

### DE SIGILLO.

1140. Agendum 1° De legibus quae sigilli fractionem prohibent; 2° De materia sigilli ; 3° De variis modis violandi sigillum ; 4° De quibusdam agendi modis, qui ad violationem sigilli proxime accedunt ; 5° De silentio servando cum ipso poenitente.

### § I.

*De legibus quae sigilli fractionem prohibent.*

1141. Si peccata in confessione audita sint occulta et poenitens iure naturae ius habeat ut occulta maneant ; tunc urget lex naturalis quae detractionem prohibet. Attamen ex hoc solo capite materiae levitas daretur, ut per se patet. Urget etiam lex naturalis propter secretum commissum et promissum ; dum enim poenitens ad Confessarii pedes venit, pactum tacitum inter eos de secreto servando initur. Sed obligatio praecipua magisque rigorosa oritur ex virtute Religionis ; si enim Confessarii de auditis in confessione loquerentur et loqui possent, de Sacramento Poenitentiae adeo utili et necessario actum esset ; neque profecto os poenitentium apertum esse posset, nisi os Confessariorum rigorosissime clausum esset ; et Christifideles propria peccata ( ut plurimum secretissima et aliquando enormissima ), nisi de secreto tutissimi forent, Sacerdotibus nequaquam revelarent. Hinc in fractione sigilli adest reatus 1° sacrilegii ; 2° violationis secreti ; 3° ( ordinarie ) detractionis. Etiam lex positiva ecclesiastica sigilli violationem severissime prohibet, ut patet ex pluribus iuris canonici textibus. Innocentius III,

(Cap. *Omnis utriusque sexus*) dixit: « Caveat omnino (Con-« fessarius) ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliqua-« tenus prodat peccatorem..... Qui peccatum in poenitentiali « iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a « Sacerdotis officio deponendum decernimus, verum etiam ad « agendam perpetuam poenitentiam in arctum Monasterium de-« trudendum ». (Hae poenae sunt ferendae sententiae; facto processu ex licentia poenitentis). Et Gregorius Papa (C. *Sacerdos*) dixit: « Propter nullum scandalum vitandum, fran-« gendum esse hoc sigillum ».

1142. Quaeritur utrum in materia sigilli usus probabilitatis licitus sit?

R. Distinguendum est inter probabilitatem facti et iuris. Prima nihil suffragatur. Casus est in Confessario qui iudicet probabiliter, suum dictum non detegere reum; aut peccatum non fuisse auditum in confessione sacramentali; aut licentiam fuisse obtentam; sed gravem habeat formidinem de opposito. Secunda vero, nempe probabilitas iuris, si solida sit (adeo ut Auctores graves ex gravi ratione doceant, talem vel talem agendi modum esse licitum), ad praxim deduci potest; tunc enim de lege prohibente non constat. Hinc Lugo (De Poen. VII. 275) scripsit: « In quaestione practica, ubi agitur de ob-« ligatione practica hic et nunc, licitum *semper* esse amplecti « sententiam probabilem ». Exempla plura exponentur infra, v. g., circa Confessarium qui fugit quia mors ei intentatur, aut cessat confiteri apud suum consuetum Confessarium, ex cuius confessione novit non esse Sacerdotem etc. Notandum tamen, quod in pluribus casibus, ex eo quod Theologi benigniores strictam sigilli obligationem adesse, aut poenas ecclesiasticas incurri negent; non inde sequitur quod modo violatio secreti naturalis, modo etiam sacrilegium, non adsit. Generatim autem loquendo, ad minus melius erit ut opiniones sigillo faventes practice eligantur.

## § II.

### *De materia sigilli.*

1143. Non pertinent ad sigillum I. Ea de quibus scientia externa habetur, quamvis ex confessione quoque eorundem notitia habeatur. Hinc confessiones auditae non impediunt quominus salvo sigillo Superiores corrigant, puniant etc., sicut facerent

si illas non audivissent. Item quominus Confessarii, audita confessione, v. g., filiae, famulae, sponsi, mariti, subditi etc., consuetas interrogationes matri, dominae, sponsae, uxori, superiori etc. facere possint. Item quominus Confessarii Collegialium aut Monialium, si quando Collegialibus aut Monialibus ipsis concionari debeant, contra vitia communia, sicut facerent alii Concionatores, loqui valeant. Demum quominus ii, qui de re aliqua notitiam externam habent, de eadem re verba facere possint. Cavendum tamen ne ex scientia confessionis circumstantia aliqua vel maior certitudo superaddatur, aut maior asseverantia adhibeatur. Prudentia quoque necessaria est quando adest periculum ne poenitens credat fractum fuisse sigillum, ut puta, si ageretur de re secretissima, maxime si Confessarius statim post confessionem contra poenitentem (eo advertente) procederet. Ut plurimum bona cautela erit si Confessarius aut ipso actu confessionis (imo ante) poenitentem de sua notitia admoneat; aut postea, dum loquitur cum aliis, significet qua ratione rem illam resciverit; dummodo tamen studium huius declarationis faciendae suspectum potius confessionis factae non ingerat. Notandum est etiam, aliud esse loqui de peccato cuius independenter a confessione notitia habetur; aliud vero peccati ipsius sic noti confessionem revelare, quod non licet, ut infra declarabitur.

II. Non pertinent ad sigillum ea, quae solo motivo directionis spiritualis, aut consilii petendi causa, dicta fuerint, quamvis forte in confessionali, aut quamvis secretum committens dixerit: *Hoc tibi dico sub sigillo confessionis.*

III. Non pertinent ad sigillum ea, quae in confessione quidem, sed ficta et non sacramentali, enarrata fuerint. Id accidit quando confessio est merus praetextus, nullaque adesse potest intentio recipiendi absolutionem. Oportet tamen ut de hoc *certe constet,* quod non facile accidit. Non raro enim poenitentes veniunt quidem cum intentionibus etiam alienis a confessione, sed rectis aut non ita criminosis ut simul intentionem vere confitendi habere non potuerint. Exemplum habes in venientibus etiam pro eleemosyna, aut in Collegiali faciente confessionem sinceram apud Rectorem cum aliqua malitia illum intricandi, eiusque os aliquo modo claudendi; ut nempe, etiam quando factum alia via resciverit, ad punitionem procedere non audeat, ne videatur fregisse sigillum *. Imo factum criminosum,

* Expedit ut Rectores Communitatum subditorum confessiones non audiant, non solum ut in correctionibus et punitionibus libere procedant: sed etiam ad

quod in ipsa confessione a poenitente perpetratum fuerit, non semper dabit certitudinem fictionis; forte enim ab initio cum bona intentione venerat, et in decursu confessionis tentatione praeoccupatus ad crimen deflexit. — Non oportet ut confessio fuerit sacramentalis de facto, sed sufficit si talis fuerit in intentione poenitentis; quamvis nempe poenitens, v. g., propter reservationem, vel propter indispositionem (forte credens se esse dispositum, aut evasurum esse dispositum ope exhortationis, aut non exigi propositum, ut puta, si confiteretur se velle fornicationem vel homicidium committere) absolvi non potuerit; aut quamvis Confessarius, propter complicitatem vel cessationem iurisdictionis, absolutionem validam non concesserit. Idem dic si poenitens, absolutione iam obtenta, aliquam aliam culpam vel circumstantiam fassus fuerit, etsi Confessarius novam absolutionem ei non dederit.

Daturne casus, in quo etiam dicta extra confessionem sigillo subiiciantur? Affirmative, dummodo prius intra confessionem eadem accusata fuerint. Casus contingit quando Confessarius de licentia poenitentis loquitur cum ipso de rebus in confessione auditis; idque quamvis ipse poenitens non requisitus sed sponte, ratione consilii spiritualis, de peccatis antea accusatis sermonem instituat; non enim convenit quod poenitens, ut cum suo spirituali directore possit loqui de rebus in confessione dictis, cogatur ut aut novam confessionem instituat, aut Confessarium a sigillo solvat. Croix (n. 1961). Plures TT. extendunt sigillum etiam ad casum, in quo poenitens modo narrativo, v. g., ad petendum consilium, sermonem habuerit de aliquo suo peccato, et postea, petens audiri sacramentaliter, illud accusaverit; sed ego, cum Frassinetti (not. 155), Tamburini et aliis, non percipio cur scientia illa habita ex narratione non sacramentali non sit externa, aut per subsequentem confessionem de sua natura esse talis. Caeterum secretum naturale heic strictius urgeret, ut per se patet.

IV. Non pertinent ad sigillum ea, quae dicta quidem fuerint in confessione, sed ad modum digressionis, aut quomodolibet sine ulla intentione ea confitendi vel iisdem confessionem suam declarandi; nempe ex fine prorsus alieno a confessione, quamvis forte de aliquo peccato antiquo, quod praesenti absolutioni nullo

praecavendum periculum confessionum sacrilegarum propter peccatorum reticentiam. Si autem confessiones excipiant, iamque sciant talem vel talem subditum deliquisse et punitionem esse necessariam, de notitia quam habent, antequam illius confessionem excipiant, illum commoneant: ut supra dicebam.

modo subiiciatur, et apud eundem Confessarium nunquam fuerit accusatum) in ea digressione mentio fieret. Vide Frassinetti (not. 156). Cavendum tamen ne violetur secretum naturale, maxime vero ne detur scandalum, quod posset esse gravissimum; fideles enim distinctiones istas ignorant, et in ea sunt persuasione quod omnia quae in confessione dicuntur sigillo subiaceant; unde si rescirent aliquid huiusmodi fuisse dictum, iam crederent quod alia quoque indiscriminatim dicerentur Quid si poenitens, in decursu confessionis vere sacramentalis, peccatum aliquod non iam accusaret, sed committeret? Tunc sigillum ea quae vere accusata fuerint; non vero peccatum istud respiceret, ut ait Lugo (n. 60). Interdum tamen hoc peccatum potest esse tale, ut, ex eius revelatione, poenitentis indispositio aut alia eiusdem peccata accusata plus vel minus aperte indicentur; quod (saltem ordinarie) illicitum esset; sed de hoc infra.

V. Si poenitens concesserit Confessario licentiam loquendi cum aliis de rebus in confessione dictis, tunc cum illis loqui poterit. Sed hoc in puncto nonnulla observanda sunt. 1° Non sufficit licentia praesumpta; si enim adsit periculum ne poenitens detegatur, oportet ut licentia sit expressa; secus enim ianua latissima aperiretur, et fractiones sigilli iam cum scandalo enormissimo frequentes evaderent. Antisiodorensis a Palao, et Graffius a Diana in contrarium citantur pro casu, in quo revelatio ipsi poenitenti esset adeo utilis vel necessaria, ut eidem gratissima esse deberet. At vero, praeterquam quod oporteret ut quodvis periculum tum hallucinationis tum scandali abesset, Suarez notat, legem positivam sigilli esse generalem, et ex communi sensu unicam dumtaxat (nempe licentiae expressae) exceptionem admittere. — 2° Oportet ut licentia absque vi, dolo, et metu (etiam solum reverentiali, qui facile adesset si subditus iuvenis rogaretur a Superiore) et seclusis precibus importunis, obtenta fuerit. Si tamen ageretur de re magni momenti, tunc etiam instanter (subsistente spe fructus) et non obstante quodam metu reverentiali peti posset; imo, si poenitens (v. g., ad salvandum a morte innocentem) teneretur in conscientia et sub gravi (qui casus tamen difficillime accidere potest) licentiam concedere, tunc etiam denegando ei absolutionem peti posset, prout Salmant. (n. 44) et Gury (Cas. n. 736) notant. In praxi, ut per se patet, instantia huiusmodi adhiberi poterit solum in casu rarissimo et urgentissimo (maxime si non intra sed extra confessionem poenitens rogaretur; tunc enim molestia esset valde maior, et duplex licentia, nempe tum loquendi cum

ipso poenitente tum loquendi cum aliis petenda esset). Imo, seclusa etiam instantia, petitio (etsi simplicissima) loquendi cum aliis de rebus in confessione accusatis, solet esse molesta (ut supra observabam); unde solum ob causam vere rationabilem (v. g., ad petendum consilium pro casu intricato et pro bono ipsius poenitentis; non vero facile ad corrigendum complicem) fieri poterit. — 3° Oportet ut licentia non fuerit sive expresse sive praesumptive revocata: et sufficit si etiam sine causa revocata fuerit. Aliqui tamen (Laymann n. 26, Croix n. 1960) observant, quod, si poenitens dixisset etiam Confessario peccatum prorsus extra confessionem, tunc sigillum sacramentale amplius exigere nequiret. — 4° Confessarius uti potest licentia concessa solum iuxta limitationes, quibus petita et concessa fuerit; v. g., solum pro tali casu, solum ad talem finem, solum cum tali persona etc. Et notandum quod aliquae limitationes, quamvis non fuerint expressae, per se subintelliguntur; v. g., data facultate petendi consilium, subintelligenda est conditio non nominandi personam; et in quovis casu subintelligitur ut adhibeantur cautelae, quae a viro prudenti adhiberi debent. — 5° Si Confessarius licentia obtenta uti non posset absque periculo scandali, tunc quod licentiam obtinuerit indicare deberet. — 6° Dari potest casus, in quo nec poenitens dare, nec Confessarius acceptare possit licentiam loquendi de crimine in confessione audito; si nempe circumstantiae sint tales ut ex locutione graves suspectus concipiantur contra personas innocentes, ut puta, si necessarium esset indicare familiam, conventum, personam complicem ad suam famam adhuc ius habentem etc. Porro tunc licentia efficere quidem poterit ut salvo sigillo, non vero ut salvo iure tertii, Confessarius loquatur.

1144. Seclusa licentia, de qua hucusque verba feci, sigillo subiiciuntur imprimis peccata poenitentis, de quibus ex sola confessione sacramentali Confessarius notitiam habeat. Hinc materia sigilli sunt

1° Quaelibet peccata *: etiam venialia, si haec indicentur in sua specie aut cum aliqua ingrata determinatione: ut puta, si diceretur: *Titius est inobediens*, vel *mendax*, vel *confessus est*

* Potest dari casus in quo peccatum confletur ex opere externo indifferenti aut virtuoso simulque ex malitia interna: et tunc sigillum non illud sed istam respiceret: quid enim si Confessarius, postquam audierit Sacerdotem se accusantem de plurimis eleemosynis quas publice facere solet ex occulta vanagloria, illum laudaret apud Superiorem dicendo, quod valde sublevat pauperes et facit multas eleemosynas?

*peccatum veniale grandiusculum.* Sed quid de expressionibus prorsus genericis? Bonacina ( p. IV. 4 ) dicit non esse fractionem sigilli si diceretur: *Titius confessus est sua peccata;* communissime autem docent licitum esse dicere : *Titius confessus est peccata venialia ;* et , a fortiori : *vix habebat materiam absolutionis.* Equidem expressiones istae alienationem a Sacramentis in populo Christiano producere non possunt, et proinde fractionem sigilli per se non continent ; idem enim est ac si dicatur ; *Titius confessus est ;* imo, dicendo *vix habebat materiam absolutionis*, laus superadditur. Nihilominus, apud nos, hae expressiones non bene sonant, neque periculo carent; quid enim si Confessarius, loquens de tribus poenitentibus, diceret de primo : *Vix habebat materiam absolutionis ?* De secundo : *Confessus est peccata venialia?* De tertio: *Confessus est sua peccata?* Nonne tunc ( propter comparationem ) iam adesset sigilli fractio? Haec autem comparatio frequenter contingeret, si Confessarius huiusmodi diversis expressionibus iuxta casuum diversitatem ex consuetudine uteretur. Confessarius itaque sic non se assuescat. Dicat : *Confessus est* , et nihil aliud. Quid si Confessarius diceret : *Titius suis naeniis, ineptiis, vel minutiis mihi caput obtundit?* Multi dicunt, non esse fractionem sigilli ; et aliqui ( apud Croix n. 1972 ) idem sentiunt quamvis Confessarius diceret : *Titius suis minutissimis peccatis mihi caput frangit.* Quidquid sit de hoc, certe, sic dicendo, culpa non deerit ; quamvis enim exinde sensibilis alienatio a Sacramentis non sequeretur , tamen huiusmodi expressiones poenitentibus, quibus referrentur, displicerent.

Materia sigilli sunt 2° Peccata mortalia indicata etiam solum in genere, dicendo, v. g., *Titius commisit peccatum mortale.*

Notandum quod sufficit indicatio implicita, dicendo, v. g., *Titius est indignus ; non potest promoveri ad talem dignitatem, beneficium vel officium ; de eo non est fidendum;* vel *est iracundus* ( intellige semper si ex sola peccatorum confessione haec cognoscantur ), *est libidinosus, est superbus , est desidiosus etc.*

Materia sigilli est 3° Numerus peccatorum, etiam venialium, dicendo, v. g. *Titius confessus est quinque peccata venialia*, vel *multa peccata venialia.*

Materia sigilli sunt 4° Circumstantiae sive speciem mutantes sive aggravantes, etiam in venialibus.

Ad sigillum pertinet 5° Confessio cuiuslibet peccati, quamvis esset publicum , vel aliunde quovis modo eiusdem notitia haberetur. Confessarius, v. g., ex notitia extrasacramentali scit

Titium suum poenitentem esse adulterum. Poterit quidem, salvo sigillo, dicere: *Titius est adulter*; sed non poterit dicere: *Titius confessus est sua adulteria*. Verum est quod revelatio huius confessionis esset in laudem poenitentis (si iam esset diffamatus); sed, praeterquam quod factae confessionis revelatio communissime esset ingrata poenitentibus et maiorem certitudinem famae publicae superadderet; si Confessarii id facere possent, iam frequentissime confessiones revelarent, et saepe saepius pro publicis haberent ea quae vere publica aut publice certa non essent, unde de Christifidelium confidentia, et confessionis usu actum esset. — Hac de causa lex sigilli extenditur etiam ad celandam confessionem iis qui peccatum iam sciunt, v. g., complicibus, familiaribus etc. — Imo, si Confessarius ex sola confessione peccati iisdem noti cognitionem haberet, de peccato ipso, sicut cum aliis ita etiam cum iisdem, verba facere nequiret.

Ad sigillum pertinent 6° Defectus confessionis ipsius; nempe defectus sive doloris sive integritatis; unde non licet dicere, v. g., *Titius venit quidem ad confessionem, sed sine dispositionibus*, aut: *Tale vel tale peccatum (ab eo commissum) non accusavit.*

1145. Quid de aliis rebus expositis quidem in confessione, sed ita ut nec vera materia confessionis nec digressiones confessioni prorsus extraneae dici possint? Poenitentes, v. g., ad accusandum aliquod peccatum proprium, modo indicant complices (et interdum sine ulla necessitate illos nominant), modo indicant personas, quae aliquo facto proprio sive criminoso sive non illis occasio peccandi fuerunt et sic peccandi obiectum praestiterunt; modo indicant quomodo ipsi talibus vel talibus personis occasionem peccandi dederunt; modo indicant proprium officium vel statum, dicendo, v. g., se esse mercatores, vel magistros, vel discipulos, vel divites, vel pauperes, vel nobiles, vel ignobiles, vel coelibes, vel coniugatos, cum filiis, vel sine filiis; modo indicant se habere votum castitatis; modo dicunt se esse caecos, claudos, infirmos, lue affectos, irregulares, spurios etc.; modo dicunt se esse a daemone infestatos, vel gratias speciales a Deo recipere etc. etc. Quaeritur itaque an haec omnia sub sigillo cadant? R. Quod secretum naturale in pluribus rebus hucusque recensitis vigeat, fatentur omnes. Loquendo autem de sigillo praecise, Vasquez (q. 93. a. 4. d. 3. n. 3) opinatur non adesse, inquiens: « Sigillum tantum videtur esse respectu eorum « quae sunt materia confessionis », supponendo tamen quod, ex revelatione, poenitentis peccata nullo modo detegantur. Le-

desma idem dicit, sed credit adesse reatum contra Religionem propter detrimentum Sacramenti, quamvis strictam sigilli violationem (ita ut ob nullam causam revelatio liceat) non recognoscat. Sententia autem communissima est quod sigillum non solum ad peccata poenitentis, sed etiam ad alia extendatur, quae a poenitente ipso dicta fuerint ad peccata sua declaranda, quamvis de facto tales declarationes nec necessariae nec utiles fuissent; oportet enim ut etiam personae simplices et ignorantes confidenter et sine ulla formidine propriam confessionem facere possint. Attamen omnes fatentur, adesse differentiam inter sigillum quod respicit peccata poenitentis, et sigillum quod respicit peccata aliorum, vel defectus naturales poenitentis aliasque circumstantias quae criminosae non sint. Primum obligat universaliter etiam quoad casus publicos, et quamvis poenitens forte de secreto non esset sollicitus, nec unquam sufficit licentia praesumpta, ut dixi. At vero secundum (dummodo semper peccatum poenitentis minime indicetur) pro illis casibus vel circumstantiis, de quibus nullo modo credi possit quod poenitens sigillum praetendat, non viget; et tunc licentia expressa minime exigitur. Exemplum dat S. Lig. (n. 641) dicens: « Si poenitens confiteatur se gavisum de homicidio in publica « platea commisso, non teneretur Confessarius ad sigillum « (*circa istud homicidium*), quia, cum homicidium sit publice « notum, et per accidens lateat Confessarium, non censetur « illud velle sigillo submittere ». Frassinetti (not. 157) dicit, idem esse dicendum de casu privato, dummodo semper poenitenti nec ullum gravamen nec ulla peccatorum eius revelatio obveniat; quod admittit etiam Croix (n. 1947) inquiens: « Si « tamen Confessarius advertat poenitentem non curare, an « (*defectus alicuius personae a poenitente ipso indicatae*) ma- « nifestentur, necne, non erit contra sigillum ». Et Tamburini (De Sigill. Cap. III. n. 13) subdit: « Si ii (*defectus natura-* « *les poenitentis*) ita a poenitente referantur, ut ex adiunctis « colligatur eos esse communiter notos, posse patefieri ». Et generaliter Lugo (n. 57) dicit: « Recurrendum omnino ad in- « tentionem poenitentis », qui aliquando exponit res ut publice notas, vel utcumque quin praetendat sigillum; aliquando vero ut occultas et occultandas. Hinc Confessarius dicere poterit, v. g., *Titius est coniugatus;* non vero: *Est impotens,* vel: *habet votum castitatis*, vel: *habet uxorem rixosam* aut *filios contumaces.* Dicere poterit: *Titius est coecus* vel *claudus; est* vel *fuit infirmus;* non vero: *laborat lue venerea,* vel *est spurius*

(si id sit occultum), vel *est irregularis*. Poterit dicere: *Titius est medicus*, sed non poterit dicere: *Est ignorans* *. Dicere poterit: *Titius est religiosus*; sed non poterit dicere (ex notitia eiusdem confessionis): *in tali conventu adsunt abusus*. Dicere poterit: *Petrus est persona pia*, sed non poterit dicere: *Patitur infestationes diabolicas*, aut *rapitur in extasim*, aut *fruitur donis divinis extraordinariis* (si poenitens, maxime adhuc vivus, cordi habeat ut haec celentur). Si poenitens confessus esset se obmurmurasse tam de facto publicissimo, quam de facto familiari, Confessarius loqui poterit de primo, sed non de secundo. Vix autem dabitur casus, in quo poenitens sit contentus quod (etiam se celato) Confessarius de peccato complicis, sive in genere de pravis eiusdem moribus, verba faciat cum aliis: imo ne quidem cum complice ipso; excepto casu alicuius interrogationis, si forte ille ad confessionem se praesentaret et ex verecundia de illo peccato nihil diceret; unde scripsit Palao (§ III. 18): « Potes, ex confessione unius, « complicem examinare, absque eo quod ipse intelligat unde « movearis ad interrogandum ». Interrogatio tamen debet esse cauta, ex consuetis, neque nimis replicata; et solum non obstat si forte Confessarius, seclusa praecedenti notitia ex confessione habita, illam non faceret; aut si complex suspicionem aliquam confessionis ab alio factae conciperet. Vide S. Lig. (VI. 631).

1146. Quid de defectibus poenitentis non ab eo ad declarandam suam confessionem enunciatis, nec cognitis ex qualitate eius peccatorum, sed simpliciter a Confessario ipso ex eius modo loquendi animadversos; ut puta, si animadverterit illum esse surdum, vel balbum, vel graveolentem, vel tardi ingenii, vel sophisticum, vel loquacem, vel cerebrosum, vel impatientem etc.? Aliqui sigillum ad ista quoque extendunt; sed sententia communis docet nullam sigilli violationem (nisi exinde peccata poenitentis aliquo modo detegantur) intervenire posse. Ratio est quia pactum tacitum inter poenitentem et confessarium de secreto servando, circa haec non versatur, sed solum circa peccata, et circa alia quae ad peccata ipsa declaranda confidenter dicuntur, ut ait Lugo (n. 60). Ex eo tamen quod fractio sigilli non interveniat, minime sequitur quod quaevis culpa absit.

* Advertunt quod dicere de Sacerdote: *est irregularis*, aut de medico: *est ignorans*, esset revelare non solum defectum, sed etiam peccatum accusatum indebiti exercitii ordinis vel officii.

1147. Quid de tentationibus? R. Poenitentes ut plurimum exponunt illas non tamquam tentationes, sed tamquam peccata, dicendo, v. g., *habui turpes cogitationes*, easque absolutioni exponunt quamvis dicant se illis non consensisse. In hoc casu (qui est communissimus) tentationes sigillo subiiciuntur: quandoquidem non solum peccata vera sed etiam peccata existimata sub sigillo cadunt, ob rationem supra expositam, quod nempe etiam personae simplices, cum plena confidentia de secreto, confiteri indigent. Adde quod ordinarie tentationes accusantur propter aliquod dubium circa consensum. Interdum exponuntur quoque ad causam peccatorum melius explicandam; nec certe credi potest quod poenitens de earum revelatione sit contentus. Sic itaque sub sigillo cadunt. Excipe nisi certissime constaret quod, non propter aliquod ex supradictis motivis, sed solum propter directionem expositae fuissent: quo casu nihilominus ex secreto commisso celari deberent.

1148. Quid de scrupulis? Quoad scrupulos magna confusio est apud Theologos. Meo sensu (supponendo semper quod notitia ex sola confessione habeatur), distinguendum est inter scrupulositatem in genere, et scrupulos in specie. Loquendo de scrupulositate in genere (si nempe Confessarius diceret, v. g., *Titius est scrupulosus*), videndum an haec notitia eruatur ex rebus dictis a poenitente pro materia (sive vera sive existimata) confessionis vel pro declaranda materia ipsa confessionis: an vero ex simplici petitione consilii, vel ex timoribus inanibus simpliciter ostensis sine ulla relatione ad accusationem. In hoc secundo casu secretum quidem naturale, sed non sigillum, locum habere potest. In primo autem sigilli obligatio aderit. Excipe nisi esset manifestum quod poenitens sigillum non praetendat; in quibusdam enim circumstantiis accidere posse, quod scrupulositas in poenitentis laudem redundet, ita ut existimari scrupulosus gratum habeat, advertit etiam S. Lig. (*n.* 644). — Loquendo autem de scrupulis in specie, certe sigillum violaret Confessarius qui diceret, v. g., *Titius talem vel talem rem* (*quam peccatum esse credebat*) *confessus est.* Tacita vero confessione, non semper est contra sigillum, loqui de actionibus poenitentis quamvis illas scrupulose accusaverit; sed distinguendum. Titius, v. g., credit peccare in omnibus, nempe sive manducando, sive bibendo, sive loquendo, sive orando, sive Ecclesias frequentando, sive Sacramenta recipiendo etc. Equidem Confessarius sigillum non violaret, dicendo: *Titius orat, Ecclesias frequentat, Sacramenta recipit etc.* (Vide dicta n. 1144.

1° in not. ). Sed si idem Titius scrupulose se accusasset de motibus carnalibus, quibus non consensit, vel de tactibus proprii corporis propter necessitatem factis; utique Confessarius, si de his verba faceret, sigillum violaret.

## § III.

### *De variis modis violandi sigillum.*

1149. Ut violatio sigilli locum habeat, oportet ut ex una parte indicetur peccatum vel aliquid aliud quod sit materia sigilli, et ex alia parte indicetur persona; idque duobus modis contingere potest, nempe 1° Directe; 2° Indirecte.

### *De violatione directa.*

1150. Consistit in manifestatione expressa et explicita peccati et personae: dicendo, v. g., *Titius tale peccatum commisit;* peius autem si diceretur: *Titius tale peccatum confessus est.* Tamburini (De Sigil. VIII) dicit quod Sà, Ledesma et Sotus docent, adesse posse levitatem materiae, si nempe Confessarius culpam venialem (non dicendo fuisse auditam in confessione) revelaret. Sed haec opinio tamquam prorsus erronea reiicitur ab omnibus, et merito. Si enim Confessarii loquerentur de peccatis venialibus, haec non levis sed maxima et damnosissima inordinatio esset, quae clamat ut sub gravi prohibeatur. Aliqua venialia sunt magis probrosa et dehonorantia quam mortalia. Saepe pro venialibus accipi possent ea quae reapse mortalia sunt. Fideles autem si rescirent Confessarios loqui de venialibus, omnem confidentiam amitterent, et timerent quod de mortalibus quoque loquerentur.

Violatio directa itaque mortale crimen semper includit; nec ulla de causa legitimari potest. Prohibetur semper ita rigorose, ut neque post mortem poenitentis, neque ad avertendum quodlibet malum, sive corporale, sive spirituale, sive proprium, sive alienum, sive privatum, sive publicum, permitti possit. Quamvis itaque locutio esset necessaria Confessario ad impediendam celebrationem matrimonii invalidi (eo quod, v. g., audierit in confessione sponsos ex affinitate propter copulam illicitam contracta impedimento dirimente affici): vel ad procurandam salutem aeternam (ope Baptismi) foetus (clausi in utero matris mortuae, ex delicto in confessione cognito gravi-

dae); vel ad salvandum a morte innocentem; vel ad impediendam ruinam regni aut totius mundi, nihilominus Confessarius loqui non posset. Nec obstaret si poenitens graviter vel gravissime teneretur licentiam loquendi concedere: ea enim non concessa (et quidem expresse, iuxta explicationes supra factas) omnino tacendum esset.

1151. Quid si Confessarius interrogaretur, an talis poenitens tale vel tale peccatum confessus sit? Ordinarie respondere debet: *Nihil scio*; vel: *Suntne faciendae interrogationes istae?* Aliqui suggerunt ut absolute respondeat: *Nihil dixit*, subintelligendo: *Quod tibi dicere possim.* Sed responsio huiusmodi periculosa est pro casibus in quibus interrogans iam sit certus de peccato commisso, ut puta, si mater ex simplicitate peteret a Confessario an eius filius de blasphemiis quas profert confessus sit; vel si quispiam diceret: *Foemina, cuius confessionem nunc audisti, est publica meretrix; confessane est suum meretricium?* Si Confessarius in huiusce generis casibus responderet: *De hoc nihil dixit:* confessionis male factae persuasionem ingereret; quod fieri nequit. Interdum tamen expedit ut respondeatur absolute: *Nihil dixit;* idque contingit quando ex una parte interrogans suspectum habet (v. g., maritus de adulterio uxoris, vel herus de furto famuli); et ex alia, si Confessarius responderet: *Nihil scio* vel quid simile, interrogans in suo suspectu confirmaretur.

Ex eo autem quod interdum Confessarius negare possit quod poenitens de tali vel tali peccato nihil dixerit (utendo restrictione supradicta) non sequitur quod etiam non interrogatus dicere possit, v. g., *Titius tale peccatum* (ab eo commissum) *non est confessus;* si enim illud confessus fuisset, mentiretur (restrictiones enim solum in casibus necessitatis adhiberi possunt); et, si illud confessus non fuisset, confessionis defectum revelaret, et sic sigillum directe violaret, ut supra dicebam.

### *De violatione indirecta.*

1152. Contingit quando Confessarius non expresse revelat peccatum, sed de illo indicium dat; quando nempe, manifestata persona, dat indicium eiusdem peccati (vel indispositionis etc.); aut indicato peccato, seu exposito casu, dat indicium vel suspectum de persona.

Deus (quod sciatur) nunquam permisit ut revelatio directa

accideret : sed revelationes indirectae aliquando ( ex Confessariorum imprudentia et levitate ) locum habent.

Revelationes indirectae sunt verae violationes sigilli, poenisque ecclesiaticis subiacent sicut aliae, et, per se loquendo, peccatum mortale constituunt. Lugo ( n. 84 ). Dixi *per se loquendo*, interdum enim culpa venialis esse potest, non solum propter inadvertentiam et lapsum linguae non satis deliberatum : sed etiam propter ipsam casus naturam eiusque adiuncta et circumstantias. Imo dantur quaedam manifestationes indirectae, quae ( v. g., eo quod indicia sint remotissima ) quavis culpa carent, et istae sigilli violationes dici nequeunt.

Ad iudicium autem ferendum de gravitate, levitate aut nullitate culpae, plura deserviunt : nempe

1° Qualitas indicii et gradus periculi revelationis. Aliud enim est si indicium sit grave vel gravissimum ; aliud vero si sit leve vel levissimum. Lugo ( n. 71 ). Videndum quales circumstantiae indicentur : an agatur de facto quod acciderit alio tempore vel alio loco, an vero de facto quod acciderit hic et nunc : item an Confessarius loquatur solum cum uno vel altero viro prudenti qui difficile de persona suspicari possit, an vero loquatur cum multis, vel cum personis quae facile arguere possint de quo individuo agatur, aut quae ex levitate vel curiositate de illo inquisiturae sint. — Periculum remotissimum ordinarie pro nihilo haberi potest. — Videndum denique an adsit periculum manifestae revelationis, an vero solum alicuius suspicionis. Notant quod periculum suspicionis mere temerariae non esset attendendum. S. Lig. ( n. 661 ) dicit : « Esto Confes-« fessarius in hac materia tam gravi et periculosa debeat esse » valde cautus.... ; tamen non tenetur cavere omnes leves con-« iecturas, quam facile malitiosi faciunt ; sed tantum ne prae-« beat suspiciones probabiles ». Attamen ( seclusa necessitate ) silentium semper ad minus consultissimum erit.

2° Rei gravitas vel levitas. Si enim adesset periculum, v. g., ne vir de uxoris adulterio suspectus conciperet, tunc indicium, etiam leve vel levissimum, ad culpam gravem constituendam sufficere posset. Gury ( n. 649 ).

3° An adsit periculum dandi suspectum confessionis auditae iis qui nihil sciunt, an vero solum iis qui peccatum poenitentis iam cognoscunt, v. g., eius complici. Casus accidit, v. g., in novis sponsis, quando nempe sponsus iam accusavit peccatum cum sponsa commissum, et Confessarius hanc nihil dicentem interrogat. Quod autem supra dicebam cum S. Lig. cavendum

esse a praebendis suspicionibus probabilibus, potest habere exceptionem pro casu isto, in quo sponsa sic interrogata probabilissimam de confessione a sponso facta suspicionem conciperet. Hac enim non obstante, interrogatio fieri potest, ut ait ipse S. Lig. (n. 631).

4° Praesumptio quod poenitens curet vel non curet de indicio quod datur *.

5° Ius poenitentis ipsius. Poenitens, v. g., minitatur mortem Confessario eum absolvere nolenti. Haberetne ius ut ille non fugeret aut auxilium non clamaret, eo quod alii de huiusmodi absolutionis denegatione iure merito suspicari possent? Minime. Confessarius fugiens vel clamans nullo modo delinqueret. Frassinetti (Not. 163). Attamen de absolutione denegata nihil dicere posset.

6° Fundamentum sermonis. Aliud enim est si Confessarius, in dando indicio de peccatis vel de indispositione poenitentis, se fundaret in confessione audita; aliud vero si se fundaret in aliqua re externa. Casus accideret in Vicario, qui in quindena Paschali, vidente Parocho, confessionem Titii audivisset: illumque, propter indispositionem, absolvere non potuisset. Quid enim si Parochus postea Vicario (qui Communionem populo distribuit) diceret: *Communicavitne Titius?* Nonne respondere posset, Titium non communicasse, quamvis exinde Parochus eum non fuisse absolutum argueret? Ita profecto. At vero si Vicarius sponte sua diceret: *Venit quidem ad confessionem Titius, sed non communicavit:* tunc delinqueret.

7° Causa loquendi vel agendi. Aliud enim est si Confessarius loquatur ex levitate et sine ulla necessitate; aliud vero si loquatur ad petendum consilium, vel tali et tali modo se gerat ad satisfaciendum suis obligationibus, quibus independenter a confessione audita teneretur, aut ex alia iusta et rationabili causa; ut infra melius explicabo.

8° Frequentia aut raritas casus, et facilitas vel difficultas tales vel tales cautelas adhibendi. Si cautelae sint faciles, Con-

* Quod revelatio sit de re levi, aut de re notoria vel audientibus iam cognita, aut quod revelatio fiat ex licentia praesumpta poenitentis; haec imminuerent reatum in ipsa violatione directa. Attamen in illa reatus, non obstante hac imminutione, mortalis remaneret. Sed in revelatione indirecta (quae per se est multo minoris momenti) circumstantiae istae, et aliae quae heic indicantur, interdum efficere possunt ut reatus evadat venialis aut etiam evanescat omnino. Dixi *interdum:* ordinarie enim reatus remanet mortalis, ut supra dicebam.

fessarius difficilius excusabitur; si vero sint difficilis executionis, excusabitur facilius: si enim oportet ut Sacramentum non reddatur odiosum poenitentibus, oportet etiam ut non reddatur odiosum Confessariis, quod contingeret si pro casibus obviis, et in quibus semper cavere a periculis sit difficile, peccata mortalia ponerentur Hinc non facile incusandus erit de peccato mortali Confessarius, qui in confessionali vocem paullulum elevaret, aut ex notitia habita in alienis confessionibus interrogationes aliquas non satis cautas faceret, aut in petendo consilio vel in exequendis restitutionibus cautelam aliquam omitteret.

9° Denique ad ferendum iudicium de gravitate, levitate aut nullitate culpae in dando aliquo indicio de confessione, optima regula erit observare an et quantum talis vel talis loquendi vel agendi modus sinistram impressionem faciat.

1153. Haec omnia, descendendo magis ad particularia, melius declaro.

1° Revelare absolutionem non datam certe mortale esset. Id negavit Caietanus, sed non est audiendus. Excipe nisi dicatur, v. g., *Titium non absolvi quia non habebat materiam absolutionis*, vel *quia oblitus sum formam pronunciare*, vel *quia tale vel tale supervenit impedimentum, unde confessio finiri non potuit.* — Pro praxi notandum quod Confessarius, dare solens schedulam in testimonium confessionis peractae, non debet scribere: *Audivi et absolvi*, sed simplicitur: *Audivi.* Si tamen schedulae essent typis impressae, in iisque diceretur; *Audivi et absolvi*, et si forte Confessarius alicui absolutionem non dedisset, non posset delere verbum *Absolvi*; sed more solito schedulam obsignare et tradere deberet. — Confessarius interrogatus an absolverit, respondeat: *muneri meo functus sum.* Si tamen casus circumstantiae essent tales, ut haec responsio vehementem suspectum absolutionis non datae ingereret; tunc, etsi illam non dedisset, credo quod respondere deberet: *Absolvi.* Interrogatio enim esset temeraria; temerarii autem responsiones sinceras sibi repromittere nequeunt; et ex hoc ipso restrictio externa adesset.

2° Revelare poenitentiam datam pariter mortale esset. Excipe nisi exiguissima foret, qualis pro solis venialibus minimis datur. Aliquando matres, postquam eorum filiolus confessus fuit, petunt a Confessario qualem poenitentiam ei dederit. Caveat ne frangat sigillum. Respondeat: *Tres Ave.*

3° *De confessione Titii satisfactus non remansi — Mecum in confessione litigavit. — Ad iracundiam me provocavit. —*

*Est obstinatus* etc. Expressiones istae a peccato mortali excusari nequeunt.

4° Idem dic si Confessarius actu confessionis assurgeret, vel conspicillos sumeret ad inspiciendam tabellam casuum reservatorum ; aut voce elata et advertenter repeteret peccata poenitentis, aut illum acriter obiurgaret, sive absolutionem denegaret ; ita ut circumstantes haec advertere possint. Si Confessarius poenitentem absolvere nequiret, manum nihilominus elevare deberet et consuetum signum crucis facere, si hoc ad occultandam aliis denegationem absolutionis necessarium esset.

5° Idem dic si Confessarius, instituto sermone de paucis poenitentibus (v. g., de duobus fratribus), diceret de uno quod peccatum mortale nunquam commisit, et taceret de alio. Si tamen Confessarius de uno dumtaxat poenitente sermonem institueret et abesset periculum comparationis, tunc expressio ista nullam sigilli violationem includeret, ut patet etiam ex processibus pro canonizatione Sanctorum. Dicerem etiam non adesse veram sigilli violationem, si, instituto sermone etiam de paucis poenitentibus, Confessarius laudaret unum, dicendo non iam quod peccatum mortale nunquam commisit, sed quod perfectionem et sanctitatem singularem habet ; quamvis laudem istam aliis non tribueret. Attamen in ore Confessarii haec verba male sonant; poenitentibus non placent, et in saecularibus admirationem producere solent.

6° Graviter quoque violaret sigillum Confessarius, si, dum alii laudant poenitentem de iustitia, de sinceritate, de modestia etc., ille (intellige semper propter notitiam in confessione habitam) taciturnitatem adhiberet.

7° Idem dic de expressionibus. *Hoc mane magnum piscem coepi. Audivi magnum peccatorem. A triginta annis non erat confessus. Casus curiosus, casus difficilis mihi contingit ; venit Sacerdos, qui... ; venit miles, qui... ; venit nobilis matrona, quae... ;* et multo magis si diceretur : *Venit Parochus, venit Canonicus etc. ;* aut : *Prima* vel *ultima persona, quam hoc mane audivi, talem vel talem casum habebat.* Porro, si haec dicantur coram personis eiusdem loci (prout accideret si Missionarii apud Parochum loci sic loquerentur), quis non videt quantum sit periculum ne poenitens detegatur, aut saltem de ipso gravissimi suspectus concipiantur?

8° Gravissima interveniret quoque sigilli violatio si Confessarius non equidem personam, sed familiam indicaret; tunc e-

nim de unoquoque eiusdem familiae individuo, et proinde etiam de poenitente, gravis suspectus concipi posset.

9° Accessus ad confessionem, sicut est de accessu ad alia Sacramenta, ad notitiam externam pertinet, et proinde sub sigillo non cadit. Nihilominus de hoc fit quaestio pro casu in quo poenitens clam accesserit, vel apud Superiorem (pro absolutione a reservatis) confessionem fecerit. Dicunt quod tunc ipse accessus tamquam inchoata confessio haberi debet (Lugo 67). Concedunt tamen quod sigillum in tali casu viget solum pro Confessario, non vero pro aliis. Ut verum fatear, ego rem istam non intelligo. Si Confessarius de Titio, qui ad illum venit sive clam sive pro reservatis, dicat: *Audivi confessionem Titii*, equidem violaret sigillum si ad hoc dicendum moveretur ex auditis in confessione ipsa; eo quod nempe audierit illum habere peccatum reservatum vel tale quod suo Ordinario Confessario occultare vult; et, dicendo se audiisse illius confessionem, res istas implicite indicare intenderet. Sed, praescindendo ab hoc abusu confessionis, veram sigilli violationem ego non ponerem; recognoscerem tamen violationem secreti naturalis, etiam quoad alios et strictius quoad Confessarium. Adhuc tamen exceptionem ponerem pro casu, in quo poenitens venisset clam ex solo respectu humano atque ad occultandam confessionem suis sociis; et Confessarius accessum illius ad confessionem revelaret, v. g., eius matri, Confessarium ipsum pro sua quiete interroganti, vel aliis personis de quibus poenitens non esset sollicitus quod eius accessus ad confessionem occultetur; ut sentit etiam Frassinetti (not. 161). Vide Gury (n. 659).

10° Quid si Confessarius indicaret, confessionem talis vel talis poenitentis fuisse longam? Distinguendum ut supra; nempe, si abuteretur scientia confessionis, quatenus multa peccata audivisset, et, ad hanc multitudinem indicandam, diceret confessionem fuisse longam, tunc sigillum frangeret. Secus vero si hoc diceret innixus in sola prolixitate confessionis praecise, sicut dicere posset quisquis alius qui eamdem longam moram animadvertisset, quae profecto ad notitiam externam pertinet. Imo facile est quod sic dicendo nullus omnino reatus incurratur, maxime si poenitens in publica ecclesia et coram populo in confessionali diutius immorari soleret. Croix (n. 1996).

11° Titius magnus et publicus peccator repentino morbo corripitur. Advocatur Parochus, qui illius confessionem audit. Titius statim moritur. Uxor et filii, de eius damnatione timentes, flent et se desperant. Parochus dicit: *Consolamini; opti-*

*mam confessionem fecit; cum lacrymis et magna contritione confessus est. Iam certe est in loco salvationis.* Culpandusne erit Parochus propter verba ista? Equidem verba *cum lacrymis et magna contritione* peccata valde gravia subindicant; sed circumstantiae (quod scilicet indicatio est solum indirecta et generica; quod vita Titii familiae iam notissima est: quod denique causa sic dicendi subsistit) efficiunt ut Parochus sine ullo reatu sic dicere possit; et reapse huiusmodi sermo nullam admirationem nullamque sinistram impressionem faceret. Ita sentiunt Medina, Koninck, Palao (III. 6) et tacite Lugo (n. 112). Aliud esset si Confessarius de poenitente ordinario sic diceret; ut merito notat cl. D' Annibali.

12° Superior communitatis se inebriare solet, unde subditi de illo valde obmurmurant. Isti inter se conveniunt ut unus ipsorum (praeter consuetum) confessionem apud illum faciat, in qua de hac murmuratione se accuset. Superior id audiens oculos aperit et statim se emendat. Utique emendatio ista palam facit toti communitati, subditum murmurationem illam accusasse reapse. Nunquid ideo Superior debuisset suas ebrietates continuare, ne de confessione audita signum daret? Minime profecto. Attamen dicere nequiret: *Me emendo, quia talis subditus de murmuratione confessus est.* Notetur itaque differentia, quae inter dictum et factum, seu inter manifestationem directam et indirectam, intercedit. Illa nunquam licet et semper mortalis est; ista vero interdum venialis, imo licita prorsus esse potest.

13° Confessarius ex confessione Titii audit, illum cum aliis complicibus infecisse veneno vinum, quo Confessarius ipse mox usurus erit pro Missa, vel ei parasse venenum in proxima coena, vel ei struxisse insidias dum paullo post ad talem domum profecturus est. In hoc casu Confessarius quaerere debet aliquem praetextum, quo a Missa celebranda, vel coena aut domo illa adeunda se eximat. Sed, quamvis, non obstante praetextu isto, complices de confessione a Titio facta exinde coniecturam caperent, Auctores probatissimi (contra alios) Confessarium a quovis reatu excusant. Ratio est ut supra; quia nempe manifestatio confessionis ex una parte non esset directa et verbis expressa, sed indirecta et ex facto deducta, et ex alia parte iis dumtaxat, qui factum iam sciunt, innotesceret. Gravissima insuper causa urgeret. Ita Scotus cum Scotistis fere omnibus, quibus Laymann, Koninck, Palao, Pallavicinius (apud Diana Res. 24) aliique cum Tamburinio (Cap. VI) adstipulantur.

14° Si confessio, v. g., moribundi, propter aliquod impedi-

mentum, perfici nequiverit, Confessarius dicere poterit: *Debeo redire ad infirmum, quia confessionem non finivit.* Utique ex hoc dicto suspectus dabitur quod poenitens ille plura et forsan multa peccata habeat. Nihilominus expressio huiusmodi poenitenti nullo modo displiceret, nullamque admirationem produceret, et omnino licita esset. Bonacina (IV. 6).

15° Quid si de aliquo dicatur quod facit vel fecit confessionem generalem? Quamvis in confessione generali multitudo peccatorum accusari soleat, et quamvis talis confessio de confessionibus in antecessum male factis suspectum ingerere possit; nihilominus huiusmodi expressio (speciatim tempore Missionis, quando fere omnes confessionem generalem faciunt) ut plurimum nullam sinistram impressionem facit et poenitentibus non displicet. Hac in re igitur licentia praesumpta poenitentis (si vere praesumi debeat) sufficit. Tamburini (III. 15).

16° *Titius redeturus est.* Haec etiam expressio, iuxta Ballerini (n. 665) licita esse potest, si ita dicere expediat, ut poenitenti liber ad Confessarium aditus pateat; non enim propter solam dilationem absolutionis, sed propter alias causas minime probrosas (v. g., ad finiendam confessionem generalem, vel ad faciendam novam confessionem, vel ad habenda consilia spiritualia etc.) necessitatem redeundi poenitens habere potest. Ego dicerem, in casu particulari perpendendas esse circumstantias, et speciatim esse cavendum ne haec expressio fundatum de absolutione dilata suspectum ingerat.

17° Parochus ruralis exiens e confessionali solet semper pergere ad Communionem faciendam. Quadam die, unicum habens poenitentem, illum propter indispositionem absolvere non potest. Pergit ad sacristiam; et, dum aliis vicibus dicebat clerico ut lumina pro Communione accenderet, illa vice ei dicit: *Interroga personam, quae nunc confessa est, an velit communicare.* Utique haec agendi ratio insueta aliquem suspectum clerico dare potest. Nihilominus sic fieri debet; et hic modus, quo alius melior non invenitur, poenitenti non displicet. — Casus similis accidere potest in moribundo, qui ad absolutionem disponi non potuerit. Si enim actu confessionis Confessarius oblitus fuisset convenire cum illo de aliquo praetextu adhibendo cum familiaribus, qui credunt Viaticum esse illico deferendum, deberet postea ad lectum moribundi iterum se conferre; et, si hoc facere nequiret, dicere deberet familiaribus ipsis, se moribundi confessionem excepisse, sed de Viatico non esse locutum; et proinde illum esse interrogandum.

18° Si Sacerdos in ministrando Sacramento Poenitentiae peccatum commisisset, non posset illud in confessione sua accusare, si hoc modo confessionem poenitentis (quamvis indirecte) revelare cogeretur; quandoquidem, iuxta fere omnes, sigillum integritati confessionis praevalet.

19° Confessarius, qui onus restitutionis exequendae susceperit, debet adhibere cautelas ut poenitens occultus remaneat. Quid enim si agricola commisisset furta contra dominum fundi, et Missionarius, finita missione, statim se conferret ad dictum dominum qui unum vel alterum fundum dumtaxat in Paroecia, ubi Missio fuit, haberet? Quid si Sacerdos vocatus ad audiendam confessionem famuli apud herum infirmi, confessione audita, statim se conferret ad herum ipsum pro restitutione facienda? In huiusmodi casibus expectandum esset, aut etiam ope tertiae personae restitutio fieri deberet.

20° Confessarius, consilio indigens pro casu difficili, cautelas pariter adhibere debet: nempe 1° Consilia non inquirantur absque necessitate, et quando commode (et forte tutius) ab Auctoribus solutio haberi posset; 2° Stante necessitate, consilium petatur solum a persona quae vere iuvare possit. Multi summa levitate, etiam circa casus in quibus nulla adest difficultas, cum omnibus quos obviam habent, praetextu consilium inquirendi, loquuntur. 3° Consilium petatur secreto, non vero praesentibus aliis, qui nihil iuvare possunt, maxime si essent saeculares. 4° Exponatur casus tamquam theoreticus, quasi nunquam aut non tibi sed alteri Confessario acciderit (si tamen id fieri possit) 5° Circumstantiae individuantes, quae ad casus substantiam non pertineant, reticeantur; quid enim oportet ut Confessarius indicet, v. g., quod casus ei acciderit hic et nunc, aut heri, aut nudiustertius, aut in tali missione vel in tali ecclesia etc.? 6° Circumstantiae falsae ponantur; ut puta, si casus sit de venditore vini, aut de persona nobili, aut de Sacerdote, aut de viro, aut de sene etc., exponatur tamquam esset de venditore tritici, aut de persona plebeia, aut de laico, aut de foemina, aut de iuvene etc. Intellige dummodo talis circumstantiarum mutatio casus substantiae non obsint. 7° Si, non obstantibus cautelis, adsit periculum ne Doctor consultus in cognitionem personae deveniat, tunc licentia consilium cum tali periculo exquirendi a poenitente ipso petatur.

## § IV.

*De quibusdam loquendi modis, qui sigilli violationem includere, aut ad illam proxime accedere possunt.*

1154. Casus magis practici sunt sequentes:

I. Confessarius loquitur aut agit cum licentia poenitentis vel ex scientia externa; sed ex una parte de hac licentia vel scientia nihil dicit, et ex alia circumstantiae sunt tales ut eum fregisse sigillum non temere existimetur.

II. Confessarius loquitur de casu sibi obvento alio loco et alio tempore, sed ex una parte id non exprimit, et ex alia audientes merito suspicantur quod de casu praesenti et praecise de tali vel tali persona agatur. Quid enim si Confessarius, qui unicum Religiosum audire solet, exponeret casum Religiosi? Quid referret si de praesenti suo poenitente loqui non intenderet? Audientes crederent quod de illo loqueretur.

III. Confessarius coram saecularibus exponit casum, et dicit contigisse sibi in confessione. Saeculares, ut alibi observabam, distinguere nesciunt, scandalizarentur, et crederent Sacerdotes frangere sigillum, de eorumque silentio non esse fidendum.

Scandalum, quod in huiusmodi casibus suscitatur, certe redundat in damnum Sacramenti, et Sacerdos qui illud causaret contra religionem quoque plus vel minus peccaret. Hinc plures TT. censent quod vera fractio sigilli, sin minus contra legem ecclesiasticam, saltem contra legem divinam, interveniret. Alii vero dicunt, sigilli fractionem adesse non posse, nisi de peccatore (de quo verba fiunt) indicia dentur. Quaestio est de nomine, circa quam immorari non refert.

IV. Quid de Confessario, qui aliquid ex auditis in confessione indicaret, nominando non personas, sed civitatem, vel oppidum, vel parocciam, vel coetum, vel ordinem religiosum, vel collegium, vel seminarium, vel monasterium?

R. Interdum vera fractio sigilli interveniret; idque contingeret si, considerando quid dicatur et coram quibus et in quibus circumstantiis, cognitio aut suspectus de personis concipi posset. Dicis, v. g.; *In hac civitate adest magna societas latronum vel coniuratorum. — In hoc oppido vix invenitur puella quae sit virgo, aut uxor quae non sit adultera, aut rector domus qui non sit fur.* — Loquens cum Parocho dicis: *In tua Parocia adest vir homicida, adest puella quae plures abortus commisit, adest mulier turpe lenocinium exercens, adsunt duo*

*concubinatus, adsunt tres meretrices* etc. — Quis non videt quod, sic loquendo, personas magnis suspectibus exponeres, suspectus antecedentes confirmares, publicorum peccatorum (quasi illos nomine proprio indicares) factas confessiones revelares, et sic quaquaversus sigillum frangeres? Periculum frangendi sigillum esset adhuc maius, si de Sacerdote, de Collegiali, de Seminarista, de Religioso, de Monacho etc. verba faceres, speciatim si in loco Sacerdotes essent pauci; aut si collegium, seminarium vel monasterium paucis individuis constaret: maxime vero si poenitentes tui ad hos coetus pertinentes iam essent noti, aut si, ex casus aliarumque circumstantiarum natura, persona quae deliquit adhuc pressius indicaretur.

Si autem detegendi poenitentis (aut poenitentium) personam nullum periculum adesset, adhuc culpa intervenire posset non solum propter scandalum (si nempe saeculares scandalizari possent, ut supra dicebam); sed etiam propter infamiam, quae oppido, collegio, ordini religioso, monasterio etc. ita obvenire posset, ut poenitentes, si Confessarii dictum rescirent, graviter indignarentur. Subsistente hac infamia, plures censent quod vera sigilli fractio interveniret; alii vero, culpam admittentes, fractionem sigilli non recognoscunt, quia non personae sed communitatis peccata revelarentur. Haec etiam est quaestio de nomine, circa quam non immoror. Declarandum est potius quandonam Confessarii verba communitati infamiam poenitentibus valde ingratam producere possint: tunc enim culpa mortalis proculdubio adesset. Hodie TT. fere unicam regulam dant, et distinguunt inter civitatem satis amplam et oppidum quod tribus hominum millibus non constet. Quoad primam sentiunt quod Confessarius, loquendo, vix unquam (dummodo personas nec directe nec indirecte indicet) graviter delinquere possit; secus autem, si de secundo (et multo magis si de exigua paroecia vel collegio etc.) diceret gravia crimina ibi perpetrari. S. Lig. (n. 634). At vero (quamvis haec regula magna ex parte bona sit) mihi placet quod dicit Aversa, quod nempe moraliter taxari nequit quantum numerosa esse debeat civitas, aut alia societas, ut verba Confessarii graviter culpanda vel non culpanda sint; quandoquidem aliae quoque circumstantiae considerari debent. Meo sensu, magna distinctio fieri debet imprimis inter Confessarium, qui consilii petendi causa (tecto poenitente) exponit casum particularem viro prudenti (tunc enim culpam vix unquam ponerem); et Confessarium qui ex levitate et mera loquacitate de auditis in confessione verba fa-

cerêt. In hoc secundo casu, ad iudicium ferendum de levitate vel gravitate culpae, considerari debet impressio quam eius dicta faciunt; aliud enim est si nullam aut fere nullam, aliud vero si magnam et valde sinistram faciant impressionem, ita ut quid mirum videatur quod in societate illa sive talia sive tot crimina perpetrentur. Porro tunc infamia gravis, quae poenitentibus graviter displicere debet, interveniret. Huiusmodi impressionis varietas pendet a multis circumstantiis. Sic, v. g., aliud est si de civitate, vel oppido, vel paroecia, vel alia societate saecularium; aliud vero si de Sacerdotibus vel Religiosis verba fiant. Aliud est de Religiosis generice; aliud vero de monasterio loqui, quod (uti patet) valde peius est; et notandum quod ut plurimum, non obstante locutione generica, de Religiosis residentibus in monasterio loci sermo intelligeretur, nisi Confessarius in multis Dioecesibus confessiones audivisset; idque exprimeret. Similiter aliud est loqui de rebus antiquis, aliud vero de praesentibus. Aliud est si de criminibus iam notis et publicis, aliud vero si de occultis Confessarius loquatur; imo quoad ipsa peccata occulta, distinctio fieri debet inter illa de quibus nil mirum quod adsint, et alia quae in societate de qua sermo habetur contingere non soleant. Pariter aliud est innuere quod in tali vel tali societate (etiam religiosa) aliqua peccata mortalia adsint, aliud vero quod peccata multa, aut (quod peius esset) crimina et scelera multa committantur; idque speciatim si non in genere indicentur, sed in specie, dicendo, v. g., quod in ipsa sodomiae, adulteria, stupra, ebrietates etc. accidunt; maxime vero si diceretur, res huiusmodi grassari. Aliud est etiam loqui de tali vel tali societate cum personis eiusdem loci, aliud vero loqui de eadem in locis valde dissitis; si enim verba fiant de peccatis publicis peius est loqui cum extraneis (qui ea ignorant); et e converso si de occultis. Denique aliud est si Confessarius de peccatis Sacerdotum vel Religiosorum cum allis Sacerdotibus vel Religiosis, aliud vero si cum saecularibus loquatur.

V. Confessarius, sicut non potest manifestare aliis peccata poenitentis, ita ne potest quidem cogere poenitentem ipsum ut peccata sua iam rite confessa cuiquam manifestet. Peccaret itaque Confessarius 1° Si, denegando indebite absolutionem, cogeret poenitentem ad accusanda iterum peccata apud alium Confessarium; vel ad omittendam Communionem cum nota et infamia. 2° Si, necessitate seclusa, cogeret poenitentem ad confessionem generalem. 3° Si in praesenti confessione (seclusa

necessitate, quae non facile aderit) exigeret accusationem peccati probrosi vitae praeteritae apud illum nunquam accusati. 4° Si poenitentem obligaret ad adimplendam publice poenitentiam gravem, vel ad faciendum aliquid indicativum peccati, ad quod alias non teneretur. Excipe nisi poenitens libenter consentiret. 5° Si, audita confessione, publicam concionem vel correctionem praesente poenitente facere deberet; et in ipsa, propter ea quae in confessione audivit, descenderet ad talia particularia ut poenitens rubore suffundatur, idque ab aliis notari possit; prout in collegio, aut seminario, aut monialium monasterio facile contingeret.

Si diceres: *Pro tali peccato talem, et pro tali alio peccato talem aliam poenitentiam dare soleo;* haec propositio periculosa esset, si facile foret quod tui poenitentes pergerent ad alios Confessarios, quibus sic dixeris, prout accideret, si in sacra Missione sociis tuis ita dixisses. Praescindendo ab hoc speciali periculo, dicta propositio culpari nequiret; secus enim culpandum foret quoque decretum Clementis VIII (26 Maii 1593), ubi dicitur: « Licebit Superioribus determinare poenitentias graves « quibusdam peccatis, etiam non reservatis, a Confessariis « imponendas, qua subditos ab eiusmodi perpetrandis cohibere « possint ».

## § V.

### *De silentio servando cum ipso poenitente, et de reparandis defectibus in confessione commissis.*

1155. Confessarium de auditis in confessione loqui posse cum poenitente statim post confessionem ipsam, dum ille est adhuc ad eius pedes; item loqui posse cum eo intra confessionem (moderate tamen) de auditis in confessionibus praecedentibus, fatentur omnes. Sed praeter hoc casus perpetuum silentium cum illo quoque servare debet.

Notandum tamen quod inter silentium servandum cum aliis et silentium servandum cum poenitente duae differentiae intercedunt. 1° Loqui cum aliis est violatio sigilli proprie dicti (quatenus lege etiam ecclesiastica vetatur poenisque subiicitur). Non item, iuxta Sanchez (De Matr. III. xvi. 5) et Tamburini (Cap. V), si Confessarius cum solo poenitente loquatur. Attamen ex virtute religionis, et quia secus Sacramentum redderetur non parum odiosum et molestum, id quoque districte prohibetur. 2° Loqui cum aliis in nullo prorsus casu licet; at

vero, iuxta Medina et Vasquez (apud Palao XIX. III. 14), Confessarius ex causa urgentissima cum poenitente (velit nolit) loqui posset; imo Suarez (XXXIII. v) hoc admittit (pariter absolute) si necessarium esset ad corrigendum errorem summi momenti in confessione obventum. Frassinetti autem (not. 143) credit quod in rigore licentia praesumpta sufficeret, si Confessarius iam certissimus esset quod talis admonitio poenitenti grata futura erit.

Caeterum, ordinarie loquendo, licentia poenitentis exigitur, ut Confessarius de rebus in confessione auditis cum eo loqui possit. Dixi *de rebus in confessione auditis:* si enim ageretur solum de illo admonendo de absolutione ex oblivione vel ex defectu iurisdictionis non data, tunc nulla licentia exigeretur. S. Lig. (622).

Sufficit tamen licentia data implicite, si nempe poenitens sponte sua de rebus suae conscientiae cum Confessario sermonem remotis arbitris institueret.

Exceptis personis valde spiritualibus, ipsa petitio loquendi de rebus confessionis (multi enim ne vellent quidem a Confessario cognosci) solet esse valde ingrata et molesta; et proinde ad casus rarissimos, in quibus magna necessitas vere adsit, reservari debet; et, dato casu et si res aliquam moram patiatur, melius est si Confessarius dicat: *Vellem ut iterum venires ad me pro confessione vel in confessionali; habeo enim aliquid tibi dicendum;* sic quippe molestia non parum diminuitur.

Necessitas ista intervenire potest casu quo defectus in confessione commissi reparari debeant. Hi defectus contingere possunt 1° Circa valorem Sacramenti; v. g., absolvendo sine iurisdictione aut quin poenitens fuerit dispositus; 2° Circa integritatem Sacramenti; v. g., non interrogando de specie et numero peccatorum; non obligando ad confessionem generalem quando necessaria fuisset; aut non dando poenitentiam sacramentalem; 3° Circa alias obligationes poenitentis, nempe illum non admonendo de iisdem obligationibus, aut illum indebite obligando vel perperam deobligando, v. g., quoad occasionem proximam, restitutionem, reconciliationem, ieiunium etc.

Theologi recentiores cum Lugo (XXII. 54-71) dicunt, quod si totus defectus consisteret in omissione interrogationum cum praeiudicio solius integritatis materialis confessionis, non adesset obligatio illum reparandi, nisi in nova confessione, si poenitens redeat. Idem dic si simplex Confessarius poenitentem peccata reservata et non reservata habentem absolvisset. In

aliis verò casibus docent, reparandum esse defectum, etiam extra confessionem (petita licentia) si Confessarius absque suo incommodo gravi illum reparare possit; imo etiam non obstante gravi incommodo, si ex malitia vel gravi negligentia defectum illum commisisset. Theologi isti (meo sensu) non satis considerant molestiam, quae poenitentibus afferri solet, instaurando cum ipsis (etsi obtenta eorum licentia) sermonem de rebus confessionis; non solum enim incommodum Confessarii, sed etiam (et forte magis) haec poenitentium molestia (quae facile Sacramenti fastidium produceret) ponderari debet. Hinc TT. antiquiores (ut videre est apud Suarez XXXII. v) obligationem reparandi defectus in confessione commissos ad casum rarissimum et extraordinariae gravitatis reducebant.

Pro praxi, ego sic distinguerem:

Si agatur de poenitente stabili seu de persona pia quae frequenter redire soleat, vix poterit esse difficultas; si enim aliquis defectus acciderit, in confessione sequenti reparari poterit; et, si forte nova confessio expectari nequiret, tunc Confessarius iuxta maiorem vel minorem rei gravitatem (considerando etiam aliqualiter an culpabiliter vel inculpabiliter processerit) cum maiori vel minori incommodo suo ad reparationem teneretur, etiam extra confessionem; tunc enim a parte poenitentis molestia praedicta locum habere non solet.

Si autem ageretur de persona, quae frequenter redire non soleat; tunc casus, in quo defectus extra confessionem reparari debeat, vere rarissimus erit; oporteret enim ut res esset tanti momenti, ut non solum incommodo Confessarii sed etiam molestiae poenitentis praeponderaret; qua in re decisio bono sensui Confessariorum relinqui debet.

TT. obligant Confessarium absolute ad reparandum defectum si a confessionis integritate positive et culpabiliter poenitentem exemisset. Sed Ballerini (n. 643 III. 6) recte observat quod cum mica salis hoc intelligi debet; quid enim si poenitenti plurima peccata habenti, dum eorundem numerum et circumstantias explicare volebat, Confessarius, taedio affectus aut indigens se cito expedire, dixisset: *Non oportet, intellexi, satis est?* Male quidem fecisset, sed non facile ad reparandum hunc defectum extra confessionem adigi deberet; ex una parte enim poenitens materialiter dumtaxat defecisset, et in sequentibus confessionibus suum morem antiquum (prout practice contingere solet) explicandi numerum et circumstantias servabit, aut saltem de his ab aliis Confessariis interrogabitur; et ex alia

parte molestia praedicta plus vel minus adesset ; idque speciatim si ad novam confessionem illum invitare non expediret : tunc enim nimio rubore afficeretur, si de eius peccatis mortalibus cum eo molestissimus sermo extra confessionem institueretur ; unde, ad remedium apponendum malo minori, malum maius provocaretur. Casus similis esset si Confessarius a confessione generali facienda poenitentem indebite exemisset.

Si autem circa valorem Sacramenti defectum commisisset absolvendo sine iurisdictione ; tunc notandum quod poenitentia non est sicut Baptismum vel Ordo Sacer, quorum Sacramentorum invaliditas malum gravissimum esset. Invaliditas absolutionis non solum sequentibus confessionibus, sed etiam hic et hunc per receptionem Eucharistiae (cum attritione) repareretur. Praeterea si poenitens non habebat mortalia, damnum non fuit multum ; si vero fuisset habituatus in mortalibus, iam credi debet quod aliquibus diebus transactis (propter relapsum) quasi perinde sit sive valide sive invalide absolutus fuerit. Aliunde, praeter dictam molestiam quae poenitenti affertur et ruborem Confessarii, qui deberet ei significare se absolvisse sine iurisdictione, quis scire poterit quot dicteria fierent, maxime si poenitens esset foemina ? — Si vero ex defectu dispositionis invaliditas absolutionis contigisset ; tunc ordinarie maior esset timor damni quam spes fructus ; si enim poenitens non erat dispositus dum sponte ad confessionem venit, quomodo sperari poterit quod occasione illius molestissimae invitationis, instaurando cum ipso sermonem de eius peccatis gravioribus et de eius indispositione, dispositus evadat ? Reliquum est itaque ut (exceptis personis piis) admonitio propter absolutionis invaliditatem practice et de regula ordinaria fieri debeat solum cum multa ponderatione et in casibus extremis ; si nempe ageretur de poenitente qui, sive propter morbum sive propter aliam circumstantiam in periculo moriendi sine nova absolutione versaretur. Cf. Suarez (l. c.). Notari potest quod, si poenitens sponte rediret, non esset necessarium patefacere illi invaliditatem praecedentis absolutionis, sed sufficeret eum inducere ad accusanda in globo peccata iam alias accusata cum dolore de iisdem, ut suggerit Lugo (l. c. 54). Vide dicta (n. 1040).

Si denique defectus acciderit, indebite obligando poenitentem vel ab obligatione perperam illum solvendo, Confessarius non tenebitur extra confessionem errorem corrigere, si agatur de re non magni momenti (v. g., si illum perperam obligasset ad ieiunium, vel ad Missae auditionem) ; bene vero si de re gra-

vissima ageretur, v. g., de contrahendo matrimonio invalido, de restitutione ingentis summae etc.; unde ipsa charitas clamet, ut, non obstante aliquo aut etiam notabili incommodo, errori remedium apponatur.

1156. Quaestio valde momentosa est, an et quando Confessarius obligans ad restitutionem indebitam, vel indebite eximens a restitutione, teneatur ipse ad restituendum?

Communissime dicunt quod non tenetur ad restitutionem si negative dumtaxat se habuerit, non monendo scilicet poenitentem de restitutione facienda, quum de illa cum admonere debuisset. Utique tunc defuisset officio suo; sed nihilominus ad restitutionem non teneretur, quia illius officium est pro rebus spiritualibus non vero pro temporalibus, et ad summum esset solum occasio, non vero causa perfecta damni. Vide dicta (n. 479 et 420. VI). — Si vero positive obligasset vel deobligasset, tunc teneretur certe ad restitutionem (sicut alius quilibet) si malitiose et cum gravi culpa theologica (qui casus vix practicus erit) huiusmodi iniquum iudicium dedisset, dummodo verum influxum habuisset, neque tempestive et efficaciter illud retractasset. Vide dicta (n. 479. et 423. 424). Si autem bona fide (prout sat frequenter accidere potest) tale consilium dedisset; tunc TT. illum eximunt quidem a restitutione, sed cum onere se tempestive retractandi cum maiori vel minori incommodo iuxta rei gravitatem (aliud enim est si res esset de restituendo agno et aliud si res esset de restituendo regno). Si autem se non retractaret et ex hac omissione damnum, sive poenitenti sive eius creditori, obveniret; tunc Lugo, S. Lig. aliique multi illum obligant ad restitutionem. Nihilominus ab onere isto probabiliter eximi potest, iuxta doctrinam Sanchezii, qui (Consil. I. IV. Dub. 5) dicit non esse verum quod, propter actionem materialiter iniustam a se factam, quispiam habeat obligationem *iustitiae* illam reparandi; ut patet ex casu illius qui bona fide vas furtivum, credens esse suum, alteri donasset; quamvis enim haec donatio fuisset materialiter iniusta, tamen non teneretur, cognita veritate, ex lege iustitiae factum suum iniustum reparare, manifestando domino personam apud quam vas existit. Nec valet quod Confessarius ex officio et proinde ex iustitia debeat se corrigere si forte erraverit; haec enim obligatio, quatenus est ex iustitia, durat solum durante officio (nempe dum adhuc est in actu confessionis) non vero postea. Caeterum, etiam in sententia adversariorum, semper oporteret ut in omissione admonitionis gravis culpa theologica intervenisset.

## PUNCTUM II.

### DE USU SCIENTIAE CONFESSIONIS.

1157. *A*) Usus scientiae confessionis, qui non solum a quavis sigilli fractione sed etiam a quolibet gravamine poenitentis immunis sit, certe licet. Quis enim dubitat quin Confessarius possit ex notitia confessionis, v. g., orare pro poenitente, ad studium pro recta obventorum casuum solutione incumbere, ex confessionibus auditis in una Paroecia regulam sumere pro interrogationibus faciendis in alia etc.? Id autem (ut notant Lugo n. 102, Sanchez De Matr. III. xvi. 4, Croix n. 1970, aliique) liceret, quamvis forte poenitens adverteret quod Confessarius, propter audita in eius confessione ita se gerit; sufficit enim quod Confessarii agendi modus non sit ei molestus et ingratus. Hinc Confessarius ex notitia confessionis facile poterit subvenire poenitentem eleemosynis; dare ei libros devotos; specialem curam et benevolentiam (propter specialem eius necessitatem, sinceritatem, docilitatem etc.) ei ostendere; audiendo illum esse infirmum, cito (quia scit esse valde fragilem et confessione indigentem) eum adire, mortique appropinquantem frequentius ad confessionem invitare etc.

*B*) Usum scientiae confessionis cum gravamine poenitentis, pro bono alicuius communitatis aut pro bono poenitentis ipsius, licitum esse, sentiebant veteres communissime cum D. Thoma, et S. Antonino; unde dicebant, Superiores notitia confessionum uti posse ad excludendos indignos a promotionibus, imo etiam ad eos deponendos ab officiis, dummodo nec alii nec poenitentes ipsi confessionem harum rerum causam fuisse perciperent. Vide S. Lig. (n. 655. 657). Sed doctrina ista quoad primam partem reprobata fuit Decreto Clementis VIII (26 Maii 1593) dicentis: « Tam Superiores pro tempore existentes, quam « Confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promo- « ti, caveant diligenter, ne ea notitia quam de aliorum peccatis « in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utan- « tur ». Et quoad secundam partem (nempe pro casu in quo usus scientiae cum actuali gravamine fiat pro bono poenitentis, ad impediendum maius eiusdem gravamen simul vel postea secuturum) reprobata fuit an. 1682 a S. C. Generalis Inquisitionis. Ipsa enim ad examen revocavit sequentem propositionem: « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine di- « recta aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis,

« nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius com-
« paratione prius merito contemnatur. Addita deinde explica-
« tione, sive limitatione, quod (propositio) sit intelligenda de
« usu scientiae ex Confessione acquisitae cum gravamine poe-
« nitentis, seclusa quacumque revelatione; atque in casu quo
« multo gravius gravamen eiusdem poenitentis ex non usu se-
« queretur ». Decisio autem fuit sequens : « Hanc dictam pro-
« positionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum
« gravamine poenitentis, etiam cum dicta explicatione, prae-
« senti decreto prohibent (Qualificatores). Mandantes etiam
« universis Sacramenti Poenitentiae Ministris, ut ab ea (do-
« ctrina) in praxim deducenda prorsus abstineant ». Porro perinde est sive verum sive apprehensum dumtaxat sit gravamen ; eodem quippe modo Sacramentum Christifidelibus invisum redderetur. Perinde est etiam sive poenitens advertat sive non advertat damnum ; ipsa enim doctrina, usum scientiae cum gravamine permittens, eundem affectum produceret. Lugo (97. 98. 124). Oportet tamen ut Confessarius ex scientia confessionis vere moveatur ; si enim v. g., Superior audivisset quidem confessionem subditi, sed illum ab officio deponeret propter notitiam externam, et quin ex notitia confessionis ullas inquisitiones fecerit ; tunc confessione nullo modo abuteretur. In praxi Confessarius conscientiam suam sic interroget : *Statuine sic facere antequam confessionem audiverim ? Quid fecissem si confessionem non audivissem ?* In dubio stabit in favorem confessionis. Cautelae etiam adhiberi debent ne poenitens de abusu illius confessionis suspectum concipiat, ut alibi dicebam. Attamen Confessarius, ne huiusmodi suspectus praebeat, neque seipsum nimium ligare, neque incommoda gravia subire, neque mala publica permittere tenebitur. S. Lig. n. 659.

*C*) Usus scientiae confessionis cum gravamine poenitentis, quamvis gravamen istud esset minimi momenti, estne semper peccatum mortale ? Viva (in h. thes. § IX) dicit, id sibi non esse liquidum, et videri posse quod, quamvis in fractione sigilli non detur parvitas materiae, haec tamen detur in usu scientiae confessionis : si enim peccatum veniale in gravamine levissimo admittatur (seclusо periculo hallucinationis), non per hoc ab huius Sacramenti usu Christifideles valde alienarentur. Idem sentit Gobat apud Croix (n. 1939) ; et Lugo (n. 69) scripsit, peccatum esse veniale, « si Praelatus fervore corre-
« ctionis aliquod verbum acrius adiungit, cum inadvertentia
« veniali, ex notitia aliqua, quam habuerat ex confessione me-

« diate vel immediate ». Idem dic si Confessarius de peccato, quod poenitens ei cognitus accusaverit, cum admiratione et sine ulla necessitate recogitaret. Quid si Confessarius, propter casum curiosum in confessione auditum, poenitentem, qui illum exposuit, a confessionali abeuntem inspiceret, ad sciendum quisnam ille sit? Peccatum mortale hac quoque in re ego (cum aliis viris prudentibus a me consultis) non ponerem. Quoad casum similem, nempe (confessarii ex curiositate inquisitionem aliquam facientem data opportunitate sine ulla poenitentis revelatione), ad sciendum quisnam sit complex quocum poenitens peccavit, rigidius loqui videtur Roncaglia (q. VI. c. II. Reg. III).

*D*) Usus scientiae, ex quo aliquod gravamen, seu damnum, aut aliqua displicentia poenitenti obvenire possit, estne illicitus in quocumque casu? Multi TT. non solum ante, sed etiam post Decretum Clementis VIII. id negant. Porro decretum istud refertur ad Superiores regulares, quibus interdicitur ne confessionis notitia ad exteriorem gubernationem (nempe ad amovendos subditos ab officiis, ad illos non promovendos, ad locum eis mutandum, ad insidias eis tendendas ut in flagranti illos deprehendant etc.) utantur. Decretum autem S. C. Inquisitionis dicit dumtaxat quod bonum poenitentis non est ratio absolute sufficiens ut Confessarius scientia confessionis cum eius praesenti gravamine uti valeat. Ex his itaque documentis non evincitur, quod in aliis casibus id licere nequeat, quod scilicet usus scientiae cum aliqua poenitentis alicuius displicentia sit semper et sine ulla prorsus exceptione illicitus. Restat ergo ut quoad alios casus iuxta ius naturae decisio feratur. Statuendum imprimis quod usus scientiae confessionis cum gravamine, seu damno, seu molestia, seu displicentia poenitentis *per se* est illicitus: unde Confessarius certe nequit, v. g., poenitentem (propter eius peccata in confessione cognita) despectui habere, severiorem vultum ei ostendere, minus amice alloqui etc. At vero, si causa gravis intercederet, considerari deberet gradus et qualitas tum gravaminis tum causae. Gravamen potest esse magni momenti (ut puta, si ageretur de destitutione ab officio, de privatione dignitatis iure speratae, de infamia etc.). Item periculum talis gravaminis potest esse frequens, multisque poenitentibus commune. In his casibus confessio redderetur ita formidabilis, ut plurimi vel retraherentur ab illa vel peccata reticerent; et, quatenus ita sit, usus scientiae confessionis, adeo noxiam habens consequentiam, illicitus erit absolute. Si e contra gravamen esset nullius momenti (seu potius

si non de gravamine sed de aliqua displicentia ageretur), si casus esset rarissimus, si uno verbo ageretur de re quae nullam impressionem faceret, ita ut, si etiam toti mundo notum esset talem vel talem casum contingere posse, nihilominus fideles ad confessionem accederent sine timore ullo; tunc, data causa praeponderante, dictum gravamen (seu potius dicta displicentia) non obstaret quominus Confessarius confessionis notitia uti posset. Exempla.

I. Nuperus Parochus, tempore paschatis confessiones audiens, cognoscit, multos (praeter alias inordinationes) in paroecia sua adesse concubinatus occultos; et proinde Missionem vocare statuit, quae certe pluribus concubinariis, et aliquibus concubinis ex peccato victum habentibus, non parum et forte plurimum displicebit. Nunquid peccabit Parochus, ex scientia confessionis et cum huiusmodi poenitentium displicentia, missionem vocans?

II. Caius confessarius saepe peccabat cum Titia, cui asseveranter dixerat, res huiusmodi nihil mali esse, eique quavis vice unum aureum dabat. Quadam die Titia accedit ad Caium pro confessione eique patefacit se esse in mala fide; sed paullo post, pecunia indigens et libidini suae satisfacere cupiens, adit Titium, illumque, sicut prius facere solebat, ad peccatum invitat; sed ille, propter notitiam malae fidei in confessione habitam, non obstante gravissima Titiae displicentia, consentire non vult. Culpandusne erit?

III. Antonius Sacerdos occasione publicae perturbationis, vestibus sacerdotalibus depositis, matrimonium civile contraxit cum Rosa, quod postea, dispensatione pontificia, sanatum fuit. Repentino casu Rosa in mortis periculo versatur, et Antonius, eius confessionem audiens, reperit, impedimentum occultum affinitatis validitati ipsius matrimonii obstare. Rosa convalescit et coniugale debitum exigit. Debebitne Antonius, ne utatur scientia confessionis cum molestia poenitentis, copulam habendo, fornicationem committere? Negat Croix n. 1978 cum Illsung; et Gury (Cas. consc. n. 773) dicit: « Probabilius (!) negandum « videtur ».

IV. Superior collegii valde negligens, quadam die audit confessionem plurium Collegialium, et ex illis percipit quod ex sua incuria inordinationes multae et gravissimae locum habent. Tunc oculos aperit, velletque negligentiam excutere et regularum observantiam exigere. Sed timet ne hoc modo scientia confessionis cum gravamine poenitentium illicite utatur. Debe-

bitne proinde in sua negligentia perseverare? Suarez (XXXIII. VII. Reg. 3) dicit : « Potest Superior, si prius remisse se ge- « rebat, se emendare, satisfacereque suo muneri, non extra- « ordinario modo, sed usitato a praedecessoribus ». Et Gury (Cas. conse. n. 754) subiungit : « Posset Confessarius, si ipse « curam invigilandi habeat, uti notitia confessionis ad se cau- « tiorem seu vigilantiorem reddendum, quia semper potest « proprios defectus emendare, quando ad eos advertit ». Vide etiam Viva (l. c. § 9), et Tamburini (VI. II), qui scite distinguit inter ea quae solum poenitentem respicerent (v. g., parando ei insidias aut specialem vigilantiam contra illum solum adhibendo : haec enim certe non licent), et ea quae totam communitatem respiciunt, quamvis inter alios poenitens quoque effectum sentiat. Enimvero fideles ab usu confessionis non retraherentur, quamvis scirent quod confessio potest esse occasio propter quam Superiores propriis obligationibus erga universam communitatem melius satisfaciant. Caeterum cautelae adhibendae essent, ne, immutationes statim post confessiones auditas faciendo, violatio sigilli aut scandalum interveniat. Multi dicunt quod Confessarius, postquam audierit, in oppido, Paroecia vel Communitate qualibet, accidere inordinationes, possit dicere Parocho vel Superiori : *vigila*. Doctrina ista admitti potest solum cum duabus limitationibus, nempe 1° ut absit periculum detegendi quemquam, quod adesset si, v. g., diceretur; *vigila tali loco vel tali tempore*. 2° ut inordinationes illae accidant ex defectu illius vigilantiae, ad quam Superior ex suo munere teneretur, vel saltem quam laudabiliter et discrete adhiberet. Aliqui censent, Episcopum ex notitiis in confessione habitis non posse novas leges concedere vel antiquas in vigorem revocare, vel crebrius quam secus faceret sacram visitationem peragere; sic enim scientia confessionis ad exteriorem gubernationem uteretur, quod decreto Clementis VIII vetitum est : sed decretum istud hoc sensu intelligi debere ego non credo; et existimo praedicta esse licita, dummodo, etiam independenter a confessionibus auditis, quilibet Episcopus muneris sui sollicitus laudabiliter sic facere potuisset.

V. Quidam Parochus confiteri solet apud Vicarium suum. Pluribus elapsis annis, Vicarius confitetur apud Parochum eique patefacit se non esse Sacerdotem. Debebitne Parochus, non obstante notitia ista, suas confessiones facere apud Vicarium sicut prius? Affirmant aliqui : sed negant alii communius, dummodo mutatio Confessarii fieri possit absque Vicarii infamia,

quae difficile aderit ; causae enim, propter quas Confessarius mutari potest, sunt innumerae. Ita sentiunt Lugo (n. 105), Sanchez (De Matr. III. XVI. 1-5 ad 4), Diana (I. VIII. Res. 24), Sporer (n. 871), Tamburini (VI. III), Viva (l. c.), Salmanticenses (n. 55), Bonacina etc.

VI. Titius, quum correctionem recepisset a Parocho suo, se accusat apud illum de odio concepto adeo gravi, ut iam statuerit proditorio modo eum occidere, invitando illum ad coenam, vel deambulationem, aut petendo illius sclopum praetextu venationis. Parochus satagit a proposito adeo iniquo, deterrere Titium ; illumque dubie dispositum absolvit. Post duos vel tres dies Titius adit Parochum, ab eoque, sicut in confessione dixerat, petit sclopum, aut illum ad coenam vel deambulationem invitat. Peccabitne Parochus, si utens notitia confessionis, aliqua excusatione quaesita, sed non sine displicentia Titii, petitionibus huiusmodi non annuat ? Negant Auctores gravissimi ; nempe Sanchez (De Matrim. III. XVI. 1-5), Viva (l. c. § 7), Salmant. (n. 55), Bonacina (III. 27), D'Annibali (III. 251. not. 14), aliique apud Diana (I. VIII. Res. 24).

VII. Quid si insidiae paratae fuissent non a poenitente solo sed etiam a quibusdam eius complicibus ; et poenitens, eo quod Confessarius illas declinet, iturus esset obviam periculis, quatenus complices suspicarentur aut perciperent, eum in confessione Sacerdoti illi omnia manifestasse? Pro hoc casu communius dicunt, mortem potius esse subeundam. Adhuc tamen id negat Laymann (n. 21), qui inter alia dicit quod ex hac doctrina negante confessio non redderetur odiosa populo christiano, quum agatur de casu vix unquam practico ; fideles enim, quando ad confessionem accedunt, in hoc casu nunquam versantur. Idem sentiunt Palao (§ III. 18), Tamburini (VI. 5), Coninch, Mastrius, Sfortia Pallavicini aliique apud Diana (l. c. Res. 24).

VIII. Quidam Confessarius magnis tentationibus et periculo proximo peccandi subiicitur propter confessionem cuiusdam foeminae, quae multa peccata carnalia et desideria erga Confessarium ipsum concepta confiteri solet. Hac de causa modo apud confessionale illam diu expectare cogit, modo ei significat se non posse ea die illam audire, et sic efficit ut taedio affecta amplius non redeat. Peccatne sic agendo Confessarius? Contra Gury (Cas. consc. n. 779) negant plures, dummodo sigillum (dando aliis suspectum de causa ista) non violet. Ita profecto sentiunt Lugo (XXIV. 116), Croix (1979), Roncaglia (II. 9.

5) etc. In praxi tamen alia media (iuxta dicta n. 1083. 111. G. H.) adhibere deberet, atque ad remedium istud solum in casu extremo recurrere posset.

IX. Confessarius, postquam multis vicibus repererit Caium indispositum, et cum ipso nolente restituere aut relinquere occasionem proximam sine ullo fructu multum tempus perdiderit, illum redeuntem declinat. Sporer (n. 873) docet quod, dummodo apud alios suspectus non dentur, id liceat. Consentiunt Tamburini (VI. 111. 15), et Viva (l. c. § IX). Roncaglia quoque (Cap. II. Reg. 1.) id admittit, etiam propter solam multitudinem peccatorum et confessionem nimis intricatam, quam poenitens facere solet: sed exigit ut practextus, quo Confessarius se eximit, sit talis ut tacitam exprobrationem non involvat. Si tamen Confessarius ad evitandum laborem poenitentem huiusmodi, cui iuvare posset, declinaret, ego illum a culpa prorsus immunem esse non dicerem.

X Parochus famula indigens, in corde suo conceperat intentionem accipiendi Titiam; sed quum ex eius confessione intellexerit eam esse ex occulto delicto gravidam et latrunculam, dictam intentionem dimittit.

Confessarius apud se statuerat tradere nepotem suum educandum Caio: sed, quum ex Caii confessione intellexerit eum esse furiosissimum sodomitam, conceptae intentioni prorsus renuntiat.

In his casibus Gury (Cas. conse. n. 756) censet adesse usum scientiae confessionis prorsus illicitum; sed plures viri docti a me consulti contrarium sentiunt. Certe Bonacina (l. c. n. 30) et Tamburini (l. c. § 2) admittunt, Confessarium, qui audivit ex confessione proprii famuli eum esse furem, posse abstinere a tradendis ei arcis clavibus, quas, seclusa tali notitia in posterum ei traditurus fuisset.

1158. Caeterum ex notitia confessionis non liceret famulum vel famulam expellere; a pristina confidentia erga eosdem cum tacita peccati confessi exprobratione cessare; solitis eleemosynis poenitentem privare; Eucharistiam (quidquid dicat D. Thomas) ei denegare; Beneficium ecclesiasticum, quod ei daretur, amplius ei non dare; haereditate illum privare etc. Si enim res huiusce generis, quae magnam impressionem faciunt, licitae dicerentur et reapse ad effectum deducerentur, magnum scandalum sequeretur, et Sacramentum Poenitentiae nimis invisum et odiosum redderetur.

1159. Quod autem dictum est de gravamine poenitentis, in-

telligi debet etiam de gravamine personarum, quibus poenitens ipse sive cognatione sive amicitia sive negotiis coniungitur : damna enim et molestiae, quae illis obvenirent, poenitenti displicerent ; et sic fere eodem modo confessio invisa et odiosa redderetur. Si itaque poenitens, v. g., se accusasset apud Parochum suum quod rem habuerit cum Berta amasia sua. Parochus ob id Bertam ipsam ullo damno (ut puta, secreto suffragio a dote illam excludendo) afficere nequiret. Hinc etiam Confessarius, ex sola scientia confessionis, poenitentium complices corrigere nequit, quamvis id salvo sigillo facere posset. Si vero ageretur de persona, quacum poenitens certissime nullum sive amicitiae, sive amoris, sive cognationis vinculum haberet, ut puta, si puella diceret se fuisse per vim oppressam a viro ei prorsus extraneo, contra quem maximam indignationem ostenderet : tunc (ut sentit Frassinetti n. 494) Confessarius tenebitur quidem sigillum servare, ne poenitens eiusve confessio ullo modo detegatur ; non vero cautelas adhibere, ne ex habita notitia contra personam illam (de qua poenitenti nihil interest) quidquam faciat. *

* Hucusque dicta respiciunt Confessarium. Sed quid de aliis personis, quae sive licite sive illicite, sive in toto sive in parte notitiam confessionis ab aliquo factae habuerint? Si haec notitia non ex confessione sed ex alia re orta fuerit; ut puta, si quis auxilium praestiterit poenitenti ad examen faciendum, vel legerit chartam in qua ille peccata sua scripserat: tunc plures cum Palao (§ IV. n. 11) contra alios multos censent, non esse cur de sigillo loquamur. Si vero notitia orta fuerit ex confessione (prout si quis casu aut malitiose audivisset peccata dum poenitens illa accusabat, aut si ageretur de interprete, vel de Theologo consulto, vel de Superiore a quo facultas pro reservatis petita fuisset) tunc omnes docent quod sigillum locum habet. Hoc tamen non est praecise sicut illud ad quod tenetur Confessarius. Imprimis lex positiva ecclesiastica ligat Confessarium, non vero alios. Lex naturalis autem ex virtute non solum iustitiae sed etiam religionis ligat quidem alios quoque, sed non rigore eodem. Necessitas silentium servandi longe maior est in Confessariis, quam in aliis; qui proinde minus delinquerent, et certe aliquando loqui possunt ex praesumpta poenitentis licentia (quod pro Confessariis nunquam admittitur, ut vidimus). Hinc S. Ligorius (n. 618) dixit quod Theologus, interrogatus a duobus Confessariis circa eundem poenitentem eundemque casum, potest ex eius licentia praesumpta uti notitiis habitis a primo ad respondendum secundo, patefaciendo ei circumstantias quas audivit a primo. Vide Croix (n. 1933), De la Cruz (q. VI. d. 3), Diana (I. VIII. 32), Palao (XIX. IV. 8), Tamburini (IV. 1-4), Andreucci (n. 65), Salmant. (n. 65) etc.

## PUNCTUM III.

### DE POENIS PROPTER SIGILLI VIOLATIONEM A IURE STATUTIS.

1160. Poenae contra Confessarios sigilli violatores sunt duae, nempe 1° Depositio a Sacerdotali officio ; 2° Detrusio in arctum monasterium ad agendam perpetuam poenitentiam. Ita Concil. Lateran. sub Innoc. III. ( Vide supra n. 1141 ). Iam dixi, has poenas non esse latae sed ferendae sententiae, et respicere violationem sigilli, sive directam sive indirectam, quoad alios, non vero quoad solum poenitentem. Ad usum autem scientiae cum gravamine poenitentis non extenduntur.

Petes an fractio sigilli sit casus S. Officii, et proinde an adsit obligatio denuntiandi S. Officio Sacerdotem qui sigillum violaverit ? S. Poenitentiaria, de hoc interrogata, die 8 Iun. 1843 respondit : « Cum violatio sigilli sacramentalis per se et « solitarie spectata non sit materia pertinens ad S. C. Supremae « et Universalis Inquisitionis, regulariter *negative :* salva tamen « obligatione, quae independenter a lege positiva oritur ex lege « naturali, dum denuntiatio huiusmodi facienda legitimis Supe- « rioribus est necessaria ad avertenda gravia mala : qua super « re consulantur probati Auctores ». Apud *Monitore Eccl.* II. III. pag. 151.

## APPENDIX

### DE NECESSITATE STUDII, ET DE MODO STUDENDI.

1161. Confessarii plurimi studium negligunt. Postquam sive bene sive male cursum Theologicum in Seminario absolverint, aut aliquod Theologiae moralis compendiolum legerint, studio et libris perpetuo valedicunt. Isti profecto male se gerunt. Scientia, quam sic acquisierunt, nisi studium continuetur, non sufficit. Actum fuit enim de rudimentis dumtaxat ; de rebus per summa capita expositis ; de quadam clavi data ; uno verbo de fundamento quodam, non vero de aedificio completo. Casus novi semper occurrunt, iique seri et magni momenti ; Theologia moralis est veluti mare sine littore ; directio animarum est ars artium ; unde quodam sensu dici potest quod scientia nunquam habetur satis. Adde quod tractu temporis cognitiones in iuventute acquisitae e memoria excidunt. Memoria est quasi

lampas, quae, nisi oleum ei adiungatur, extinguitur. Non de paucis sed de innumeris rebus agitur; quae saepe saepius in rationibus valde implexis et abstrusis aut etiam in solis legibus positivis fundantur. Aliunde Confessarius ordinarie debet esse promptus, neque temere et quasi divinando se gerere potest. Accidunt etiam casus ex una parte summi momenti, et ex alia urgentissimi (v. g., in moribundis); ita ut tempus consulendi libros non adsit. Adde Leges novas, decreta nova, decisiones novas, quae (ut ita dicam) quotidie exeunt, et doctrinas antecedentes modo immutant, modo penitus subvertunt. Pro his nec memoria nec ingenium sufficit. Addiscere oportet *. Velle scire absque studio praesumptuosissima stultitia est; scientiam enim infusam non habemus. Hinc Apostolus dicebat Timotheo: « Attende lectioni, exhortationi et doctrinae ».

1162. Ex defectu studii et proinde ex ignorantia Confessariorum heu quot mali effectus oriuntur! Confessarius est minister Dei et Ecclesiae, et qua talis curare debet ut divinae et humanae leges observentur. Quomodo id praestabit, si illas (prout opus esset) non cognoscat; aut si ad illarum observantiam poenitentes inducere nesciat? Confessarius est magister ad quem poenitentes recurrunt, ut suas obligationes et semitam rectam, quae ad salutem ducit, cognoscant. Sed, si sit indoctus, modo declarabit non adesse obligationes quae vere subsistunt; modo falsas et periculosissimas directiones dabit; modo oneribus indebitis conscientias gravabit, et animas bonas in gravissimas turbationes coniiciet. Confessarius est medicus, et qua talis non solum congrua remedia indicare, sed etiam efficacibus, convenientibus, et pro casuum varietate variis (non autem semper iisdem) exhortationibus ad eorum applicationem poenitentes inducere debet. Sed, si sit imperitus, quomodo haec praestabit? Sicut ex imperitia medicorum corporalium multi aegroti moriuntur, ita ex ignorantia medicorum spiritualium heu quot animae (quas salvare potuissent) damnantur! Adde ignominiam, quae Catholico Sacerdotio ex ignorantia ista inuritur. Saeculares diebus nostris non sunt rudes sicut olim. Accedit iuvenis in litteris optime instructus vel a Collegio aut Universitate rediens; accedit puella quae in Monasterio educata fuit; accedit Comes; Baro; Syndicus; accedit nobilis

* In hunc finem, praeter ephemeridem *Acta S. Sedis*, *il Monitore ecclesiastico* et *L'Avvisatore ecclesiastico* optime deserviunt. Illa *in Conversano*; ista *in Altare* publicantur (L. 2 annuae).

matrona; aut magister vel magistra etc. Quid facit Confessarius indoctus? Trepidat, et turbationem suam dissimulare non potest. Forsan vernaculo dumtaxat sermone loqui scit; et, si lingua nationali uti experiatur, haesitat, titubat, confunditur, et erroribus ridiculum se reddit. Verecundatur itaque; et, dum forsan sermo longus et exhortatio eloquens exigeretur, uno vel altero verbo dicto, poenitentem absolvit et dimittit. Nonne hoc in causa erit, cur multi Sacerdotibus adeo ignorantibus se humiliare dedigneutur? Nonne Sacerdotes huiusmodi conversationum fabula erunt?

1163. Studium debet esse assiduum, serium, cautum et ordinatum.

*Assiduum.* Conicere oculos in libros aliqua rarissima vice quid iuvabit?

*Serium.* Studium multorum Sacerdotum, sin minus ad lectionem alicuius ephemeridis pene inutilis reducatur, certe nihil serii aggreditur. Istum vel illum librum sive sacrum sive profanum (prout ad manus occurrerit) legunt, sed solum unam vel alteram paginam; semper mutant, nullumque finem sibi praefigunt. Sunt velut pueri qui, visa aliqua re, illam volunt, sed habitam statim reiiciunt ut aliam capiant. Quinam fructus ex studio huiusmodi? Si Sacerdotes ad eloquentiae sacrae, theologiae moralis, et asceticae studium serio incumberent, heu quantum utiles essent! Quantum fructum producerent! Utilia sunt etiam alia studia (speciatim litteratura, historia, theologia dogmatica, et ius canonicum), sed in praxi et ordinarie solum quatenus ad illa priora deserviunt.

*Cautum.* Non omnes libri sanam et tutam doctrinam continent. Utendum libris quorum auctores sint probati. Tales esse possunt etiam neoterici, sed videndum an vere magna existimatione communiter gaudeant. Impressio librorum hodie nimis facilis est; neque desunt qui libros quidem edere sed non laborare volunt. Sine studio, sine ponderatione, uno verbo negligentissime et levissime procedunt, et sic paradoxa magna publicant. Sunt etiam qui ingenio sophistico et abnormi laborantes proprias ideas falsissimas toti orbi persuadere vellent; illasque, quamvis ab ipso sensu communi longissime aberrent, magno apparatu argumentorum (seu sophismatum), sive in libris, sive (quod facilius est) in ephemeridibus, credibiles reddere nituntur. Caeterum, supposito quod Auctores vere sint probati, libri neoterici praeferendi sunt antiquis; in antiquis enim decisiones recentiores non adsunt, et opiniones obsoletae facilius

adesse possunt. Liber autem Auctoris probati non erit abiiciendus, eo quod in ipso inveniatur aliquid diversum a propriis ideis vel a doctrina quae in schola tradita fuit; in rebus moralibus enim plurima sunt disputabilia, et quod uni improbabile vel falsum videtur, aliis probabilissimum aut verissimum videri et tale reapse esse potest.

*Ordinatum;* confusio enim efficit ut rerum lectarum memoria non retineatur, magnamque indigestionem (quae facile est fame peior) producere solet. Ad quid lectitare huc illuc diversos Auctores et mentem contradictionibus innumeris confundere? Unicus Auctor pro textu seu norma fundamentali habeatur, et liber repetitis vicibus a principio usque ad finem legatur. Aderunt obscuritates, aderunt lacunae, et forsan aliqua falsa in libro eodem tractu temporis deprehendi poterunt. Ut haec confusionem non pariant, oportet ut, in fasciculo ad hunc finem destinato, adnotationes scribantur. Istae numero progressivo signentur; et in textu suo loco adnotationis iam factae numerus (ut facile reperiri possit) indicetur. Adnotationes tamen debent esse vere momentosae; secus enim illae quoque confusionem ingererent.

# PARS II.

## DE BONITATE CONFESSARII.

1164. Quae heic exponi debent, materiam adeo amplam suppeditarent, ut magnum volumen efformari posset; sed variis de causis brevis esse cogor. Nonnulla itaque, quae magis necessaria mihi videntur, per summa capita attingam.

### CAPUT I.

#### DE STATU GRATIAE QUI EXIGITUR DUM CONFESSIONES EXCIPIUNTUR.

1165. Communissima sententia est, quod status gratiae necessario, et quidem sub gravi, exigitur. Excipiunt tamen, si ex una parte necessitas confessionem audiendi et absolutionem concedendi esset urgentissima (eo quod ageretur de moribundo, vel de casu in quo confessionis auditio sine infamia et scandalo differri non possit), et ex alia Sacerdos tam cito conteri non valeat. Attamen haec impossibilitas non facile admitti debet. Vide supra (n. 649) et S. Lig. (VI. 33).

Stricte loquendo non exigitur, ut Sacerdos in gratiam se constituat ope confessionis, sicut exigeretur pro celebranda Missa: bene vero sufficit si actum contritionis eliciat. Catechismus Rom. dicit: *Corde poeniteat.* Addit tamen confessionem esse convenientem. S. Lig. (n. 34) dicit, sufficere contritionem probabiliter existimatam; et (n. 33) notat quod Sacerdotes ministrantes in amplis nosocomiis, et quotcumque alii, qui vocari possent ad audiendas confessiones vel ad ministranda alia Sacramenta quovis momento, ex hoc ipso semper se paratos habere et esse in gratia tenentur.

Quaestio est, an sedens in confessionali, ibique absque interruptione plures confessiones audiens, si non sit in gratia, plura peccata, an vero unicum peccatum committat? Lugo (XVI. 558) dicit: « Probabile esse, Sacerdotem, qui succes-« sive audit in peccato mortali plures confessiones unam post « aliam, non committere plura peccata distincta, sed unum; « quare non erit necessarium dicere: *Audivi tot confessiones;* « sed: *Audivi in statu peccati una vice plures confessiones* ». Vide dicta (n. 47).

## CAPUT II.

### DE MAXIMA CONVENIENTIA QUOD CONFESSARIUS HABITUALI BONITATE, ETIAM INTUITU HUIUS SUI OFFICII, EXORNETUR.

1166. Scientia sufficiens et status gratiae sub vera obligatione cadunt; sed de bonitate habituali non est idem. Confessarius peccans, etiam mortaliter et habitualiter, delinquit quidem certe contra leges quas transgreditur, et contra vota quibus adstringitur; et, si sit Parochus eiusque peccata scandalum praebeant, etiam contra iustitiam; sed contra officium suum Confessarii non delinquet; unde in confessione Sacerdos, qui deliquerit, conditionem suam Confessarii indicare non tenebitur; idque (iuxta plures) verum esset, quamvis cum poenitentibus suis (intellige, secluso confessionis ipsius abusu) peccasset. S. Lig. (III. 451) ad quaestionem: « An Confessarius rem « habens cum filia spirituali occasione confessionis (*nempe quae* « *talis est propter confessionem*), debeat hoc explicare in con-« fessione? » Respondet: « Probabilior sententia negat.... Ratio « est quia nec est incestus; neque est sacrilegium (intellige « quoad hanc circumstantiam), dum nulla Sacramento iniuria « irrogatur ».

Attamen, ut dixi, quam maxime expedit ut Confessarius habituali bonitate exornetur. Bonus debet esse Confessarius, sed neque scrupulosus, neque (ut nos dicimus) *bonario* nimisque facilis. Talis esset, si obligationes sive restituendi sive deserendi occasiones proximas non imponeret, omnia concederet, neminem corrigeret, tam dispositos quam indispositos absolveret etc. Loquendo itaque de vera bonitate, quod haec quam maxime expediat, patet ex sequentibus rationibus.

Rituale dicit: « In ministro (Poenitentiae) requiritur etiam « bonitas ». Confessarius est Minister Dei. Minister autem melius aliis dominum suum servire debet. Est pacificator inter homines et Deum; et proinde debet esse amicus Dei, non vero in habituali inimicitia cum ipso. Sublimissimam dignitatem, et admirabilem potestatem habet (*Quis est hic qui etiam peccata dimittit?*). Ipsi Principes, ipsi Summi Pontifices ad pedes Confessarii se humiliare debent. Confessarius Dei ipsius vices gerit. Personam Christi repraesentat, et quodammodo est *alter Christus*. Heu quantum itaque deberet esse sanctus!

Sola sanctitas habet virtutem efficaciter illuminandi mentes et accendendi corda. Ad convertendos magnos peccatores parum valet scientia. Verba magni theologi erunt sicut aes sonans aut cymbalum tinniens. Confessarius vera et habituali sanctitate non praeditus poterit quidem magnum concursum habere; sed apparentia erit magna et fructus parvus. Cardinalis Du Perron dicebat: « Ego potero convincere haereticum; sed, ut « convertatur, oportet ut ad Franciscum Salesium se conferat ». Docti (subiungit Millet) loquuntur ad intellectum, sed sanctis dumtaxat datum fuit imperium super corda. Valet plus unicus Confessarius sanctus, quam mille qui veluti pro forma confessiones audiunt. Valet plus verbum unicum a viro sancto prolatum, quam argumenta Doctorum omnium. Odor sanctitatis heu quantam vim habet! Nec mirum; si enim Sanctus loquitur, spiritus Dei loquitur. Quot animas, quot perditissimos peccatores Deo lucrati fuerunt S. Philippus Nerius, S. Franciscus Xaverius, S. Vincentius De Paoli, Ven. Paulus Segneri, et novissime I. M. Vianney (*il Curato d' Ars*)! Si itaque omnes Confessarii essent sancti, heu quanta morum reformatio in populis conspiceretur! Quot conversiones! Quanta pietas!

Adde quod Confessarii sunt magistri perfectionis. Sed si ipsi nedum imperfecti sed peccatores sint, quomodo ad perfectionem alios adducere poterunt?

Denique administratio huius Sacramenti pluribus gravibus-

que periculis subiicitur: et, si Sacerdos non sit sanctus, non difficile accidere potest, ut (prout infra melius videbimus), dum alios mundat, seipsum commaculet; et, dum aliis salutem procurat, sibi ruinam inferat. Sed haec nimis in genere dicta sunt; veniamus paullulum ad particularia.

## ARTICULUS I.

### DE BONO EXEMPLO ET DE PURITATE CONSCIENTIAE.

1167. Bonum exemplum maximam habet efficaciam; longe plus enim quam verba movent exempla: quibus nil magis vim persuadendi habet. « Illa vox (dicebat S. Gregorius) magis « cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod « loquendo imperat, ostendendo adiuvat ut fiat ». Hinc D. N. Iesus Christus reprehendebat Pharisaeos, quia dicebant et non faciebant; et ipse « coepit facere et docere ».

Ad verum fructum faciendum, bonum exemplum non solum valde efficax, sed etiam necessarium est. Confessarius non potest se ipsum illudere, credendo quod eius mores poenitentibus suis noti non sint; maxime si sit Presbyter saecularis, qui in medio populi vivit, semperque ab omnibus conspicitur; imo poenitentes non raro positive observant Confessarium, et notant, v. g., eius recollectionem, devotionem, modum quo celebrat Missam etc.

Ipse non solum existimationem, sed venerationem quamdam sibi conciliare deberet. Poenitentes vellent, ut eorum Confessarius esset verus homo Dei, quasi Angelus, et speculum virtutis et sanctitatis. Peccata ipsi quidem accusant, sed vellent ut Confessarius etiam ab umbra culparum ipsarum longissime abesset. Existimationem et venerationem huiusmodi quomodo habere possent, si illum mundanum, politulum, conversationibus, ludo, caphaeis, vel saecularibus negotiis totum deditum inspicerent? Quid si tamquam ebriosus vel impudicus iam esset diffamatus?

Confessarius huiusmodi qua fronte posset poenitentes corrigere? Nonne verba in eius ore morerentur? « Qua praesumptione « (dixit idem S. Gregorius) percussum mederi properat, qui « vulnus in fronte portat? » Si autem nihilominus correctionem faceret, quamnam vim correctio haberet? Nonne poenitens intra se diceret: « Medice, cura te ipsum? » Profecto eius mala exempla maiorem vim quam correctio habebunt; et S. Augustinus dixit: « Qui male vivit coram iis, quibus praepositus

« est, spiritualiter illos occidit, et tantos perimit a quantis « conspicitur ».

Praeter bonum exemplum exigitur quoque conscientiae puritas; nempe satagere debet Confessarius, ut non solum in externa apparentia, sed etiam coram Deo bonus et sanctus sit. Imprimis nequitia occulta non diu, aut saltem non prorsus, occulta remanet. Deinde valde facile est quod Confessarius vitia, quae habet in se, toleret in aliis; unde scriptum est: « Ab immundo « quis mundabitur?... Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? » Et S. Gregorius scripsit: « Necesse est ut munda sit manus, « quae diluere aliorum sordes curat ».

## ARTICULUS II.

### DE ZELO QUO CONFESSARIUS ARDERE DEBET.

1168. Enimvero agitur de negotio summi momenti, quo nihil praestantius; nempe de gloria Dei et de salute aeterna fratrum nostrorum. Adde speciales horum temporum circumstantias; ex una parte enim Christifideles propter maiora pericula maiori assistentia indigent, et ex alia fere ubique locorum extrema adest Ministrorum penuria. *Messis multa; operarii autem pauci;* unde hodie oporteret ut unus pro decem laboraret.

Zelus debet esse verus, fervidus, prudens, magnanimus et fidens, operosus et labori non parcens, non restrictus, misericors, et perseverans.

*Verus*, nempe fundatus in amore Dei et proximi. Haec debet esse firmissima, et saepe renovanda, Confessarii intentio; laborare scilicet pro gloria Dei et pro salute animarum. Si ex aliis finibus confessiones audiret, meritum amitteret et facile delinqueret.

*Fervidus*. Confessarius tepidus munus suum cordi non habebit; parum et aegro animo se praestabit; eiusque ministerium fructu vacuum et sterilissimum erit. Accedere solent ad eius pedes magni peccatores? Ut dispositi evadant ad absolutionem, maxime vero ut conversio stabilis sin minus statim saltem pedetentim obtineatur, exhortationes fervidissimae necessariae essent. Sed a corde gelido exhortationes fervidissimae quomodo prodibunt? — Accedunt ad ipsum poenitentes ordinarii et personae tepidae? Deus dicit: « Ignem veni mittere in terram, « et quid volo nisi ut accendatur? » Ignis iste divinus a Sacerdotibus in Christifidelium cordibus accendi deberet; qua de re

figura habetur in Levit., ubi dicitur : « Ignis in altari semper « ardebit, quem nutriet Sacerdos ». Sed si Sacerdotes igne isto non flagrent, quomodo alios inflammabunt ?

*Prudens :* zelus enim imprudens, modo minus, modo nihil obtinebit, et contingere potest quod magis malum quam bonum producat.

*Magnanimus et fidens.* Aliqui Sacerdotes sunt quidem boni, sed nimis pusillanimes. Ab audiendis confessionibus abstinent, quia timent ne sibi ipsis spirituale damnum inferant Sed, si laboramus pro Deo, nonne Deus nos adiuvabit? Timeant qui rectam intentionem non habent, et qui neque prudenter neque caute procedunt ; non vero qui cum debitis cautelis, et cum pura intentione laborandi pro gloria Dei et salute proximi, confessiones audiunt. Aliunde pericula nonne adsunt ubique ? Nonne pericula magna in ipsa solitudine adesse possunt ? Quid si Sacerdos potius indulgeret otio? Quid si in loco magna necessitas se praestandi in hoc ministerio adesset? Nonne tunc Sacerdos, operam suam denegans, maiori discrimini (ob iustam Dei punitionem) se committeret? Abiiciamus itaque timores istos, et animo magno dicamus cum D. Ignatio : « Si, iam tutus « de aeterna mea salute, cum uno pede essem in Paradiso ; « rescirem autem adesse animam cui iuvare possem ; non du- « bitarem redire in mundum cum incertitudine meae salutis, « ut, maiorem Dei gloriam procurando, animam illam salva- « rem ». Et S. Paulus dicebat : « Cupio anathema esse a Christo « pro fratribus meis ».

*Operosus et labori non parcens.* Aliqui ne facultatem quidem audiendi confessiones recipere volunt ; aut, si facultatem habent, illius usum quantum possunt declinant. Dicunt ; *Non sumus Parochi ; obligationes non habemus.* Sic loquendo, palam faciunt, se valde quidem proprium commodum, sed parum Deum amare. Amicus, si amicum suum vere diligit, eius damnis et iniuriis insensibilis non est. Servus, qui laborem quantum potest declinat, dominum suum parum amat Signum dilectionis exhibitio est operis. Apostolus dicebat : « Non diligamus « verbo neque lingua, sed opere et veritate ». Et Christus Dominus dixit Petro : « Simon, diligis me? Pasce oves meas ».

Operam nostram itaque praestemus libenter ; imo, ut dixi, labori non parcamus. Operositas magna, patientia magna in Confessariis omnino necessaria est. In examinandis rudibus ; in disponendis indispositis ; in audiendis tot confessionibus speciatim tempore paschatis aut Missionis, maxime vero dum sumus

lassitudine fracti ; in casibus ponderandis, in libris evolvendis, et in studio assiduo peragendo etc., non parum ( uti patet ) laborare oportet. Interdum confessiones sunt prolixae ; casus valde intricati occurrunt ; veniunt surdi, veniunt pueri, veniunt scrupulosi, veniunt personae mentis ita confusae ut nihil intelligatur. Interdum valde diluculo assurgendum est ; interdum ( in audiendis confessionibus virorum ) nocte iam protracta somno praeoccupamur ; interdum aliis negotiis detinemur illaque deserere cogimur. Uno verbo audiendarum confessionum ministerium omnino exigit, ut Sacerdos nec labori parcat, nec taedia et incommoda consideret. Confessarius debet esse non sicut mercenarius, cui satis est si unum vel alterum sibilum det ; sed sicut bonus pastor, qui, quovis pacto et non obstante quocumque sacrificio, oves suas salvare satagit. Debet gregis Domini curam habere, sicut Iacob, qui, de cura habita erga gregem Labani avunculi sui rationem reddens, dicebat : « Die « noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis « meis. Sicque per viginti annos » ( Genes. XXXI. 40 ).

Tali ac tanto labore non retrahamur ; si enim labor terret, merces invitet. Scriptum est ; « Amodo iam dicit Spiritus ut « requiescant a laboribus suis ; opera enim illorum sequuntur « illos » ; et alibi ( Dan. XII. 3 ) dicitur : « Qui ad iustitiam « erudiunt plurimos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas ae« ternitates ».

Sunt qui, ad se exonerandos, super humeros aliorum onus deponunt. Recogitent quod unus difficile supplebit vicem duorum ; quod maior fructus obtineretur si ipsi quoque laborarent ; quod Confessariorum abundantia hodie non adest ; quod mater amans non tradit filiolum suum aliis nutricibus, sed per se ipsam illum alere vult, et gaudet ipsamet pro eo pati. Laborent itaque ipsi personaliter, et sic ipsi personaliter meritum et praemium habebunt. Sed zelus debet esse insuper

*Non restrictus.* Sunt qui erga nonnullas devotulas dumtaxat proprium zelum ( utinam esset verus ! ) exercent. Personae piae negligi non debent, sed cura maior erga peccatores adhibenda est ; et nostrum zelum ad eos omnes extendere debemus, qui veniunt ad nos, seu potius quos Deus ad nos mittit. Utinam unusquisque Confessarius in morte sua dicere posset : « Pater sancte, quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis « periit ! ». E contra vae illis, ex quorum culpabili incuria anima aliqua in aeternum periisset ! Scriptum est ( III. Reg. xx. 42 ) : « Erit anima tua pro anima eius «.

*Misericors.* Accedit peccator, qui proprias miserias propriosque relapsus sincerissime fatetur. Confessarius dicit : *Recede ; es damnatus ;* et ostiolum confessionalis ei in faciem claudit. Estne hic verus zelus ? Sumus patres, sumus medici animarum, sumus ministri misericordiae Dei. Nunquid ministri misericordiae Dei infinitae debent esse sine misericordia ulla ? Non sic itaque, non sic faciamus. Equidem poenitentem corrigere debemus, sed ut fratrem et in spiritu lenitatis. Curemus ut unusquisque quietus et contentus a nobis recedat. Aliqui vellent se illudere credendo quod verba terrifica ex zelo procedant. Id quidem interdum et in casibus extremis potest esse verum ; sed ordinarie non est ita. Ut plurimum iracundia, impatientia, et voluntas se cito expediendi laboremque declinandi sunt vera causa, cur Confessarii tali modo procedant. « Vera iustitia com-« passionem habet ; falsa dedignationem ». Et Ezech. (XXXIV) legitur : « Vae pastoribus Israel... Quod infirmum fuit non con-« solidastis, et quod aegrotum non sanastis, quod confractum « est non alligastis, et quod abiectum est non eduxistis, et « quod perierat non quaesistis : *sed cum austeritate impera-« batis eis et cum potentia* ». Denique zelus debet esse

*Perseverans.* Agitur de opere quod nunquam est completum. In vinea Domini materia laboris nunquam deest. In populo christiano necessitates spirituales tractu temporis non imminuuntur, sed potius semper adaugentur. Sumus iam senes ? Ad metam approquinquantes gradum sistere non debemus. Dicamus potius : *Cursus in fine velocior.* Dicamus etiam : *Pro Deo et pro fratribus nostris nunquam satis, nunquam multum, laboravimus.* « Amor operatur magna et reputat parva : opera-« tur multa et reputat pauca ; operatur diu et reputat breve ». S. Th.

## ARTICULUS III.

### DE CASTITATE CONFESSARIIS QUAM MAXIME NECESSARIA

1169. In confessionali audiuntur impudicitiae et obscoenitates ; et quidem cuiuscumque generis ; et quidem frequenter, ne dicam frequentissime. Plurimi, sive ex ruditate sive propter scrupulum non se bene explicandi, adeo in concreto huiusmodi impudicitias exponunt, ut narratio seducentissima evadat. Confessarius non solum res istas audire, sed saepe saepius circa illas interrogationes facere, et casum accurate ponderare cogitur. Quae cum ita sint, nonne magna castitate indigebit ?

Si seipsum cohibere et infraenare non soleret; heu quantum revolutandi postea in mente res auditas; aut etiam, dum confessiones audit, motus turpes habendi iisque consentiendi, periculum subiret! Imo nonne facile contingere posset, quod praecise ex genio, seu (ad rectius loquendum) ex libidine, confessiones audiret?

Ut plurimum agitur de foeminis, et quidem non raro iuvenibus, affectuosis et quaquaversus valde allicientibus. Confessarius loquitur solus cum sola, colloquia sunt secretissima, et valde frequentia esse possunt. Quaenam habeant desideria, quantum sensibiles, quantum fragiles atque ad consentiendum faciles sint, ex ipso earundem ore intelligit. Si itaque Confessarius in castitate firmissime fundatus non sit, quis non videt in quanto versaretur periculo non solum affectionem aliquam periculosissimam (et forte scandalosam) concipiendi; sed etiam horribiliter abutendi Sacramento, et reddendi se ipsum filiarum suarum spiritualium perfidissimum et iniquissimum tentatorem? Si haec pericula non adessent, Summi Pontifices Bullas contra Confessarios sollicitantes, et complicem absolventes toti Orbi non promulgassent.

Simus itaque casti; secus enim in ipso fonte vitae mortem inveniremus; et facile aliis quoque loco salutis scandalum et ruinam afferremus. Heu pro quot Sacerdotibus Sacramentum Poenitentiae, propter castitatis defectum, scopulus evasit exitialissimus quaquaversus!

Reminiscamur etiam quod non solum sigillum, sed etiam castitas exigitur tanquam conditio sine qua non, ut huius Sacramenti usus in populo christiano perduret. Si enim illius abusus nefandi (provocando ad turpia filias spirituales) paullo frequentiores evaderent, quomodo mariti proprias uxores et genitores proprias filias ad nos accedere permitterent?

## ARTICULUS IV.

### DE MAGNO TIMORE DEI, QUEM CONFESSARIUS HABERE DEBET: ET DE DIFFIDENTIA SUI IPSIUS.

1170. Timor Dei omnibus quidem, sed modo specialissimo necessarius est Confessariis. In aliis officiis, v. g., concionatoris, magistri etc., Sacerdotes, ut bene se gerant, etiam ab humanis respectibus efficacissimos impulsus habere possunt. Hinc quot labores, quot studia ut concio auditoribus placeat, atque

ut lectiones in cathedra faciendae plausum obtineant ! Sed quoad rectam Sacramenti Poenitentiae administrationem impulsus externi non habentur : omnia in occulto remanent ; et, quamvis errores committantur, nemo ad illos advertit. Solus itaque timor Dei efficere potest ut Confessarius ad studium incumbat, et alia omnia praestet, quae ad officium istud recte exercendum requiruntur. Insuper, ut mox supra dicebam, Confessarius magnis tentationibus facile exponitur ; at vero (excepto casu in quo res eo usque procederent, ut de accusatione sollicitationis reformidandum esset) solus timor Dei efficere poterit, ut iisdem viriliter et constanter resistat.

Quod autem Confessarius magnam sui ipsius diffidentiam habere debeat, per se patet. Sufficit considerare quod sumus homines. Qui non timet, qui de se ipso non diffidit, qui cautelas non adhibet, temerarius est. Temeritas autem non diu castitatem comitem habere potest. Ab innocentia incauta ad delictum brevissimum intervallum adest. Virtuti debilitas citissime succedit. Scriptum est : « Erit fortitudo vestra sicut favilla « stupae ». In Davide, in Salomone, in Sampsone memoranda exempla habemus.

Cautelas itaque adhibeat Confessarius. Veram virtutem habitualem imprimis habere satagat ; et in confessionibus audiendis faciat sicut medicus tempore pestis, qui ad aegrotos quidem se confert, sed cum magnis praecautionibus. Sacerdos quantum minus potest circa res periculosas immoretur. Interrogationes inutiles et curiositates, omnino evitet ; intellecta peccati substantia, narrationes et explicationes ad particularia nimis descendentes obtruncet. Circa foeminas vide dicta ( n. 1083. 4 ; 1135 ; 1136. V. VI ). Caveat praecipue ne earum domos frequentet ; qua de re scripsit S. Basilius ( Const. mon. III. ) : « Neque ad eas unquam accedendum, nisi cum gravissima nos « aliqua ad eas necessitas impellat, et aliter facere non possu- « mus. Atque ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis « non secus ac ab igne cavendum est, adeo ut quam ocissime, « nulla mora, ab illis nos expediamus ».

## ARTICULUS V.

### DE QUIBUSDAM ALIIS VIRTUTIBUS CONFESSARIO NECESSARIIS

1171. I. Debet esse humilis. Sacerdos superbus suamque gloriam quaerens, de audiendis confessionibus fortasse ne cogi-

tabit quidem. Si autem huic ministerio se applicet, desiderabit ut nobiles et divites ad illum divertant, et fortasse cum rudibus et pauperibus immorari dedignabitur. Totus in eo erit ut concursum habeat. Curabit omnibus placere, omnia concessurus ut multi ad eum accedant, et nemo eum derelinquat. Si autem res ei non bene verterent, et, dum alii concursum habent, ipse se pene ab omnibus derelictum conspiceret: tunc invidia magna disrumperetur, sicut Pharisaei, qui Iesu Christo invidebant et dicebant: « Ecce totus mundus post eum abit ». Insuper Confessarius superbus existimabit se studio et consilio non indigere; decisiones praecipitabit; errores multos committet, et in erroribus suis firmus immanebit. Contingere potest etiam quod miseros peccatores non iam in spiritu lenitatis, considerans se ipsum, sed nimis acriter redarguat et obiurget.

II. Pecuniae aviditas in Confessario esse non debet. Si esset pecuniae cupidus, non magnam erga ministerium istud propensionem habere posset; Sacerdotes enim in audiendis confessionibus laborant multum et lucrantur nihil. Sacerdos pecuniae cupidus studere quidem poterit pro cathedra vel suggestu, sed vereor ne Theologiae moralis libros prae manibus parum habiturus sit. Sedens autem in confessionali, forte de suis negotiis domesticis, aut de comitandis defunctis ad sepulturam, plus cogitabit, quam de casibus bene resolvendis et de poenitentibus bene disponendis. Aderit quoque periculum ne eleemosynas pro Missis aut etiam pecuniam mutuam a poenitentibus petat. Quid si absolute avarus et sordidus esset? Tunc quali existimatione apud poenitentes gaudere posset? Si itaque boni Confessarii esse volumus, libentius laboremus quia gratis omnino et ex puro amore Dei laboramus; et reminiscamur quod lucratur satis qui animas lucratur.

III. Denique Confessarius virtute fortitudinis carere non debet. Veniunt personae nobiles, veniunt poenitentes in conspicuis dignitatibus constituti, veniunt Sacerdotes etc. Habent obligationes gravissimas! Forte scandalum praebent! Confessarius non debet considerare eorum nobilitatem, dignitatem, gradum, aetatem etc.; sed solum legem Dei et munus suum. Bonis modis quidem, sed absque timore, sicut Ioannes ad Herodem, dicere debet: *Non licet.* — Interdum poenitentes petunt et enixe rogant, ut aliquid (quod omnino concedi non potest) eis concedatur. Rogant, v. g., ut possint occasionem proximam adhuc adire; vel officium illicitum retinere; vel superstitiones ad sanitatem recuperandam exercere; vel rem alienam ex indigentia

surripere; vel ad numerosiorem prolem evitandam matrimonio abuti; vel debitas restitutiones omittere aut procrastinare etc. Imo interdum absolutionem quovis pacto obtinere vellent, et non solum rogant, sed etiam iniurias (ne dicam minas) adhibent. Non raro partes odiosae fieri debent. Necesse est dicere: v. g., *Eiice e domo tua talem virum, obtrunca absolute istum concubinatum; derelinque talem socium, talem officinam, talem magistrum; respue firmiter talem iuvenem quae tui ipsius, aut filiae tuae ruinam quaerit; denuntia Superiori, denuntia Episcopo talem personam vel Confessarium etc.* Utique mulieres, a quibus res huiusmodi firmiter exiguntur, probabilissime silentium non servabunt, atque ad se excusandas dicent: *Talis Sacerdos in confessione me ad hoc obligavit, et nisi sic faciam me absolvere non vult.* Nihilominus Confessarius, quidquid demum secuturum sit, muneri suo satisfacere debet. Sed quomodo ita se geret, si fortitudine praeditus non sit?

## ARTICULUS VI.

### DE MEDIIS A CONFESSARIO ADHIBENDIS UT HABITUALI SANCTITATE ET VIRTUTIBUS SIBI ADEO NECESSARIIS EXORNETUR.

1172. I. *Oratio*; maxime vero devota Officii recitatio; devotissima Missae (cum ferventi praeparatione et gratiarum actione) celebratio: et quotidiana SS.mi Sacramenti visitatio.

II. *Meditatio.* Meditationem quotidianam esse prorsus necessariam existimo, non solum ut Sacerdos fervidus sit (*in meditatione mea exardescet ignis*): sed etiam ut a peccato mortali immunis servetur. Sine fulcro isto serius ocius in ruinam miserandam praecipitabit.

III. *Confessio qualibet octavo die.* Director stabilis habeatur. Humilitate magna et sinceritate plena omnia dubia ei pandantur; et dictamina quae conscientiam perfecte tranquillam non relinquant, eius consilio subiiciantur; secus enim non solum laxe procedere (*nemo iudex in causa propria*), sed etiam in morte gravissimis angustiis subiici, et nostram ipsam aeternam salutem in discrimen coniicere possemus.

IV. *Fuga non solum occasionum periculosarum sed etiam quarumlibet dissipationum.* Sola recollectio Sacerdotem sanctum reddere potest. Sacerdos dissipatus in meditatione facienda non perdurabit; officium non recitabit devote; Missam autem

et alias ecclesiasticas functiones ex mera consuetudine, sine ullo vero spiritu, celebrabit; uno verbo erit homo mundanus et Sacerdotis solam vestem habebit.

V. *Exercitia spiritualia quovis anno*, aut saltem quovis triennio. Haec sunt utilissima omnibus; illis autem qui in praedictis negligentes aut dissipati esse coepissent, maxime vero (quod Deus avertat) si iam absolute in malo statu versarentur, omnino necessaria essent.

FINIS OPERIS.

# REVISIO HUIUS OPERIS

1173. Quum hoc opus plurium annorum spatio pedetentim per fasciculos in lucem prodierit, accidit ut pluries, evulgatione iam facta, (propter cognitiones postea acquisitas, maxime vero propter novas decisiones quae a Sacris Romanis Congregationibus prodierent) adverterim, huc illuc aliqua esse sive addenda, sive melius declaranda, sive etiam omnino corrigenda; quod in Revisione ista facio.

1174. Pag. 34. lin. 14. *Circa matres familias quae nesciunt formulas doctrinae Christianae*. dixi eas peccare non leviter. Loquendo non de substantia sed de formulis, hoc sic indistinctim dictum nimis rigorosum nunc mihi videtur; si enim materfamilias filios suos rerum sciendarum substantiam doceret, aut procuraret ut ipsi convenienter ab aliis instruantur; tunc aut nullo modo aut certe non graviter peccaret.

Pag. 53. lin. 3-15 corrige iuxta dicenda n. 1190 et seqq.

1175. Pag. 69. *Circa profanationem Ecclesiae*. Addendum quod in Ecclesiis (quamvis removeatur SS.mum Sacramentum) non licet Academias (etsi sacras, exceptis disputationibus catechisticis) habere. Adest sequens decretum. « Cum Academici « civitatis Baren. exposuerint, in Ecclesiis, praesertim civita- « tis, Academias in honorem nonnullorum Sanctorum peragere « consuevisse: cumque petierint: An ab illis, a quibus oratio- « nes, seu discursus recitari debeant, sit ab Archiepiscopo « venia petenda? S. R. C. respondit: Removendas esse acade- « mias ab Ecclesiis ». Die 19 Dec. 1693. (n. 3323). Inferes quod distributio praemiorum, congregationes ad deliberandum de hac vel illa re, publicae conclusiones de rebus scientificis, quamvis sacris etc. in Ecclesiis haberi non possunt. Ecclesia non est schola, non est aula; sed est domus orationis.

1176. Pag. 70. *Quoad sepulturam suicidae* indicavi sententiam Ballerinii dicentis quod, ad denegandam sepulturam suicidae, pro certo constare debet quod cum plena cognitione se interfecerit. Sed haec regula aequivocis locum dare potest. Lex Ecclesiae hoc in puncto (vide dicta n. 793. 2) declarata fuit a S. C. S. Officii dicente, quod, si certe constet causam suicidii fuisse iracundiam aut desperationem, tunc ecclesiastica sepultura deneganda est omnino. Idem dic a fortiori si suicida ante mortem se non esse dementem palam fecisset. Casus itaque, in quo sepultura concedi posset, est dumtaxat si suicida ante

mortem signa vel indicia positiva dementiae dedisset : aut si prius notabili tempore fuisset a consortio hominum remotus, ita ut ignoraretur an ex dementia an vero ex alia causa seipsum interemerit. Caeterum practice si in loco usus invaluisset, ut suicidis sine ulla distinctione ecclesiastica sepultura concederetur, Episcopus quidem de abusu prudenter eliminando sollicitus esse deberet, sed Parochi ( ne mala maiora provocent ) se praestare possent.

1177. Pag. 75. lin. 8. *Quoad triturationem tritici ope machinae (vulgo* trebbiatrice ) *diebus festis.* Dicendum. Decisio pendet a loci consuetudine iuxta dicta n. 138. Caeterum apud nos respondendum esset, hanc triturationem esse licitam, quum de consuetudine etiam apud familias timoratas ( videntibus et tacentibus a longo tempore Episcopis ) satis constet.

1178. Pag 185. lin. 33. *Quoad uxorem, quae, sive ante sive post copulam immediate, se polluit.* Immediate ante poterit quidem sive propriis sive viri tactibus se disponere : sed non poterit directa intentione se polluere. Disposita, copulam procurare debebit.

Immediate post, pro casu in quo recedente viro non adhuc a parte sua actum compleverit, poterit absolute actum ipsum perficere. N. 334. q. VIII ego, deceptus a Debreyne apud Scavini. dixi conatum ad novam copulam esse necessarium : sed hoc corrigi debet. Rationes, quas postea vidi apud Capellmann ( Medicina Pastoralis. De matr. § 2 ), me persuasum reddiderunt. Utique pollutio foeminea et actus venerei complementum a parte foeminae non exigitur necessario ad generationem : attamen ad illam valde conferre potest ; idque satis est. En verba huius clarissimi Auctoris : « Irritatio organorum generationis,..... in « ipsa voluptatis completae exsolutione apud mulierem ex ho« rum organorum membranis pituitosis producit secretum ali« quod ; *nempe pollutionem foemineam.* Haec foecundationem « adiuvat, eo quod ad protrahendam seminis vim vitalem con« ferat. Praeterea forte etiam eo quod effluendo efficit ut os « uteri a glutinoso illo secreto, quod ei inhaerere solet, libere« tur, ac facilius semen admittat. Insuper illa partium irrita« tio... multum sine ulla dubitatione influit... ut semen certius « et citius cum ovulo coniungatur ».

Sed quid si maritus fuerit onanista? Si fuerit talis ope instrumenti ( vulgo *preservatif*, *gondolo* ), aut si mulier esset certa quod ne minima quidem pars seminis virilis ad eius partes generationi inservientes pertingere potuerit ; tunc actus complementum illicitum esset ; imo in primo casu initium quoque illicitum fuisset. Si autem mulier aliquam haberet spem quod nonnihil seminis circa dictas partes effusum fuerit, utique tunc existimarem quod a parte sua in favorem foecundationis complementum procurando niti posset. Hac de re scripsit idem

Capellmann (l. c. § 1): « Multum abest ut certum sit viro « onanistae, turpem actionem semper prodesse. Nam aliquoties « praeter vel contra ipsius voluntatem effusio seminis in vas « vel tota vel partim locum habebit. Debreyne narrat de duobus « matrimoniis, in quorum altero ex octo liberis septem, in al- « tero omnes contra expectationem (*par surprise*) procreaban- « tur, quamvis copula cum voluntate onanistica fieret ».

Pag. 197. lin. 38 dicendum : Non tantum ex aviditate matricis pendet, quantum ab ovi etc.

Pag. 231. lin. 32 dicendum : sufficere ad seiunctionem etc.

1179. Pag. 279. lin. 7 et seqq. *Quoad causam damni appositam inculpabiliter, si antequam sequatur effectus amoveri possit*, sententia benignior, quae dicit non adesse obligationem iustitiae, est probabilis. Vide dicta n. 1156. Quoad Advocatos, Confessarios et Medicos, qui inculpabiliter noxium consilium dedissent : ipsi deberent quidem ex iustitia errorem corrigere, sed solum dum adhuc sunt in officio ; dum scilicet Advocatus adhuc defendere debet clientem, dum Medicus adhuc habet sub sua cura aegrotum, et dum Confessarius est adhuc in actu confessionis. Vide Sanchez (l. c.)

1180. Pag. 343. *Quoad auctarium seu fructum pecuniae ad mutuum datae*, lex civilis apud nos (A. 1831) dicit quod fructus potest esse conventionalis et legalis. Primus determinatur a contrahentibus et quamlibet latitudinem habere potest ; secundus, nempe 5 vel (in commercio) 6 pro 0/0, statuitur a lege ipsa pro casibus in quibus ex una parte fructus decurrere debeat, et ex alia nihil per conventionem statutum fuerit. Lex civilis quemlibet fructum conventionalem, etsi excessivum, tamquam legitimum recognoscit ; sed in conscientia non est ita. Quomodo itaque res se habent in conscientia ? R. I° Conventiones iuxta fructum legalem practice iam licitae sunt. Conditio autem : *Dummodo contrahentes parati sint stare mandatis S. Sedis*, quae reperitur in responsis ab ipsa S. Sede datis, non eo sensu debet interpretari, ut poenitens num ita sit dispositus interrogandus sit ; sed sufficit quod haec bona dispositio sit habitualis seu interpretativa. Cf. *Monitore Eccles.* (III. n. pag. 113). — II° Conventiones ultra fructum legalem eo solo titulo quod lex civilis illas quoque recognoscat, in conscientia legitimae non sunt. Nihilominus possunt esse tales, si id quod exigitur, et in ea mensura qua exigitur, iustis titulis cohonestetur. Hi tituli sunt non solum damnum emergens, lucrum cessans, et periculum amittendae sortis, sed etiam aestimatio communis ; si nempe a personis quoque timoratae conscientiae talis fructus, vel fructus fructuum, sine ulla reprehensione exigi soleat. Enimvero C. S. Officii, interrogata circa fructus legales et conventionales, (die 18 Aug. 1858) respondit : « Quoad « fructus legales provisum per decreta alias data (*scil. nemi-*

« *nem esse inquietandum* ) : quoad fructus conventionales, eo-
« rumque titulos, provisum per Encycl. *Vix pervenit* ( *scil.*
« *fructum illicite exigi, nisi iustus titulus interredat* ) : quoad
« quantitatem eorundem fructuum conventionalium et fructus de
« fructibus, rationem habendam esse in singulis casibus, habito
« respectu ad omnes et singulas circumstantias locorum, per-
« sonarum et temporum, iuxta regulas a Sacris Canonibus et
« a probatis Auctoribus traditas. Et dentur decreta 13 Ian. 1780,
« et 26 Mart. 1840 ». Hoc secundum respiciebat haeredem cuius-
dam, qui circa initium huius saeculi exigere solebat fructum 8
pro 0/0 ; et en tenor decreti : « Quoad excessivitatem fructuum,
« consulat Episcopum, qui expendat facti circumstantias, et
« praxim quae vigebat apud viros timoratae conscientiae, et
« provideat ».

Inter *facti circumstantias* consideranda est etiam ipsa difficultas, quae saepe contingit, obtinendi restitutionem sortis vel solutionem fructuum. Quamvis periculum sortem amittendi non adesset, heu quantum saepe saepius expectandum est ! Quot itinera incassum fieri debent ! Quot petitiones inutiles ! Quot fastidia ! Quot molestiae ! Hinc, si fructus legalis vel ordinarius exigi potest ab iis qui prompte soluturi sunt ; non erit inquietandus mutuator, si, stante periculo praedictorum fastidiorum, nempe quoad illos quos nos dicimus *cattivi pagatori*, aliquid amplius exigat. Imo hodie, quum personae, quae fiduciam merentur, adeo expedite obtinere possint pecuniam mutuam a publicis capsis, non facile incusandi erunt mutuatores privati si aliquid amplius exigant ; si enim mutuatarius acceptet pactum solvendi plus quam capsae exigerent, hoc ipso facile demonstrat se non esse plena fiducia dignum ; secus enim ad solvendum minus iam ad capsas recurrisset. Loquendo autem de haeredibus, qui interdum magnis conscientiae angustiis agitantur, eo quod ille, a quo haereditatem receperunt, fructum excedentem mensuram legalem vel ordinariam exigere soleret ; censeo quod, nisi de absentia cuiuscumque tituli legitimi, et proinde de fructus ipsius iniustitia, certi sint, ad nihil teneantur ; delicta enim non praesumuntur nisi probentur, et in dubio melior est conditio possidentis.

1181. Pag 359. lin. 33. *Quoad Parochum diebus festis binam Missam celebrantem*, omnino dicendum quod, applicata prima Missa pro populo, non tenetur quidem applicare pro populo etiam secundam, sed pro hac eleemosynam recipere nequit. A S. C. C. sic pluries decisum est. *In Cameracen.* 25 Sept. 1858 (Acta V. 1. pag. 7) ad quaest. « An Parochus, qui in una eademque
« Parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam pro populo
« sibi commisso gratis applicare omnino teneatur? » S. C. respondit : « Negative, *firma prohibitione recipiendi eleemosynam*
« *pro secunda Missa* ». Et, Acta Vol. VI. pag. 552 legitur. « Ex

« praxi generali S. C. Concilii, Presbyteris non concedi eleemo-
« synam recipere pro secunda Missa, *etiamsi de illis agatur,*
« *qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima*
« *Missa nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare*
« *teneantur* ».

1182. Pag. 364. *Addenda est quaestio de Sacerdote, qui bona fide vino inepto in celebratione Missae usus fuit;* an scilicet aliam Missam propter eleemosynam acceptam celebrare teneatur? In Ephemeride *L'Avvisatore Eccl.* An. V. pag. 168 datur sequens responsio : « Pro Missis bona fide celebratis ante ortum
« dubium videtur ad nihil teneri, quia, licet fuerit laesa iustitia
« commutativa, defuit tamen culpa theologica. Potest tamen
« petere condonationem ( *intellige ad maiorem securitatem* ) a
« S. Sede ».

1183. Pag. 370. lin. 17. post verba : *neque suppetat tempus Romam recurrendi*, addatur : Vide dicenda n. 891.

1184. Pag. 371. *Quoad cereos, quos occurrente festo Purificationis B. M. V. apud nos Parochiani offerre solent,* contra sententiam ibi expressam, quod scilicet cera oblata non ad Parochum sed ad Ecclesiam spectet, duae fiunt obiectiones. 1° Si quis contra Parochum aliquam inimicitiam habeat, tunc parum aut nihil offert. 2° In quibusdam Paroeciis, intuitu cerae quotannis oblatae, Parochus, occasione funerum, pro cera parum vel nihil exigit. — Sed ad primam responderi potest quod factum Parochiani nihil offerentis nullo modo destruit generalem intentionem quam alii habent ut oblationes ad Ecclesiam spectent. Nonne idem accidere posset si Parochiani, v. g., campanas facere vellent? Nunquid Parochus in suam proprietatem campanas vindicare posset, eo quod aliqui Parochiani, contra illum inimicitiam habentes, nihil pro campanis contribuere voluissent? — Ad secundam respondeo : Parochus cera oblata utitur pro sacris functionibus toto anno, et sic ipse nihil expendere cogitur magnamque proinde utilitatem habet. Si itaque in Paroecia adsit consuetudo, ut occasione funerum pro cera nihil exigatur, id ex gratitudine introductum fuit : et Parochiani iustissime exigere possunt tum ut consuetudo ista servetur, tum ut cera oblata apud Ecclesiam remaneat; non vero a Parocho divendatur, vel ab haeredibus auferatur. — Quid si cera iam in magna abundantia adesset et prorsus superflua evasisset? R. Quo maior est cerae abundantia, eo magis Parochiani indignantur et invitos se demonstrant si ab haeredibus auferatur. Si itaque superflua esset, Parochus perpendere deberet quid pro necessitate vel utilitate vel ornatu suae Ecclesiae fieri posset; simulque admonere parochianos quod ad talem effectum ceram superfluam divendit, vel ( quod melius esse solet ) illos invitare ut in posterum uno vel altero anno pro cera pecuniam ad eundem effectum erogandam deferant. Si Parochi ita se

gererent, heu quantum Ecclesiae ornarentur et omnibus necessariis providerentur!

1185. Pag. 379. *Legatum relictum ad constituendam dotem puellis monacandis*, illis quoque dari potest, quae ingrediuntur congregationem ab Ecclesia approbatam, in qua vota simplicia perpetua emittuntur; dummodo testator clare non disposuerit contrarium. Lucidi II. pag. 309.

1186. Pag. 383. *Testamenta informia ad causas pias*, ut pariant obligationem in conscientia, oportet ut saltem duo testes fuerint praesentes dispositioni testatoris, et unicus testis, quamvis esset Parochus aut quilibet alius fide dignissimus, non sufficit: et quidem oportet ut hi testes non de sola intentione quam defunctus habebat sic disponendi, sed de actuali et effectiva dispositione, cui praesentes simul fuerint, testari possint. Vide Reiffenst. (III. xxvi. 152. 168) et Vecchiotti (II. 52).

1187. Pag. 384. Qui, celebrato Matrimonio ecclesiastico, actum civilem efficere nollet, gravem iniustitiam contra uxorem committeret, si talem actum se praestiturum esse promisisset; et promissio implicita (quae seclusa expressa exclusione, semper adesse videtur) sufficit. Tunc autem uxor se compensare posset ex bonis mariti pro damnis sibi filiisque (ex privatione iurium civilium) obventuris; nec tenetur ad se compensandam, (intellige ad modum depositi et cautionis) mariti mortem expectare; ipsum enim periculum verum damnum actuale et iniustum constituit. Sed quid si Matrimonium cum expressa actus civilis exclusione celebratum fuisset? Fingo sequentes casus.

I. Titius matrimonium ecclesiasticum, excludendo actum civilem, contraxit cum Bertha; et moritur intestatus. Habebitne Bertha ius ad illam partem haereditatis, quae, si actum civilem celebrasset, ei spectaret? Resp. Negative; renuntiando enim matrimonio civili, iuri etiam haereditario renuntiavit.

II. Quid si Titius, derelinquendo eandem Bertham, matrimonium civile contraxisset cum Livia, et intestatus obiisset? R. In hoc etiam casu Bertha iure haereditario nihil exigere potest. Quum tamen iniuste derelicta fuerit, si ex hoc damna subiisset, tunc damnorum reparationem exigere posset. Livia autem, quamvis non posset exigere quotam uxoriam vi legis civilis, quae (obstante doctrina catholica circa matrimonium) iusta esse nequit; posset tamen eandem quotam exigere propter pactum implicitum, quod Titius actu matrimonii civilis cum illa inivit. Quum tamen de facto fuisset mera concubina, et proinde actum fuerit de contractu ob turpem causam, quae non certum sed probabile dumtaxat ius dat; hinc circa quotam illam inter Liviam et Titii consanguineos quaestio et ius probabile hinc inde erit.

III. Quid si idem Titius filios suscepisset ex Livia? R. Salvis semper iuribus strictae iustitiae (ut supra) erga Bertham,

quaestio erit inter Liviam eiusque filios ex una parte, et alios consanguineos Titii ex alia parte. Filii certe ius strictum ad alimenta haberent. Caeterum existeret a parte Liviae eiusque filiorum ius probabile ad haereditatem iuxta terminos legis civilis, non quidem vi legis ipsius, sed vi praedicti contractus ob turpem causam. Ex alia parte consanguinei Titii ius probabile ad haereditatem ipsam haberent, quum ius Liviae (utpote fundatum dumtaxat in contractu de re turpi) non sit certum.

IV. Quid si Titius, susceptis filiis ex Bertha, nullum matrimonium civile contraxisset, et intestatus obiisset? R. Hi filii ius haberent ad alimenta iuxta proprium statum. Caeterum haereditas ad Titii consanguineos probabiliter devolveretur. Dixi *probabiliter*; videtur enim id non esse certum; quum enim ipsi sint legitimi et iuribus legitimorum non renuntiaverint, ad haereditatem (excludendo alios Patris consanguineos) ius probabile habere videntur.

V. Quid si Titius, susceptis filiis ex Bertha, contraxisset matrimonium civile cum Livia, et ex illa alios filios procreasset, et intestatus obiisset? R. Salvis iuribus Berthae (ut supra), filiis omnibus certe ius ad alimenta competeret. Caeterum filii Berthae iura omnia legitimorum probabiliter exigere poterunt. Liviae quoque eiusque filiis ius probabile ad eandem haereditatem competeret. Denique consanguinei Titii ius probabile ad haereditatem ipsam haberent.

VI. Quid demum si Titius in favorem Liviae eiusque filiorum testamentum fecisset, eisque portionem alimentis superiorem reliquisset? R. Salvis iuribus strictis Berthae eiusque filiorum, dispositio testamentaria Titii valida est de iure naturae. Hodie autem nulla extare videtur lex civilis quae hanc dispositionem invalidam reddat. Leges autem canonicae (quantum scio) solum casum filii spurii, qui ex patre Ordinis Sacri impedimento ligato natus fuerit, respiciunt (vide dicta n. 511. V). Alii tamen censent quod pater, praeter alimenta, legitimam integram filiis ex iustitia relinquere deberet.

Utinam itaque in rebus adeo implicatis atque adeo practicis Ecclesia (si fieri possit) aliquid definiret! Vide Tapparelli (Tom. II. n. 1524 et Tom. I. n. 781), et *Monitore Eccles.* (II. n. pag. 183).

1188. Pag. 453. lin. 37. quoad casum *infirmitatis* decisio data fuit a S. Poenit. die 16 Mart. 1882. Vide *Avvisatore Eccl. An. IV. pag.* 102.

Pag. 460. lin. 43 adde: Vide dicenda n. 768. C. in fin.

Pag. 461. in. adde: Parochus aliquem in particulari dispensare potest ut iusta de causa ultra quindenam communionem paschalem differat. Episcopus autem idem potest pro aliqua Paroecia, non vero pro tota Dioecesi. Berengo n. 97.

1189. Pag. 468. *Quoad sollicitationem, quae etiam in lau-*

*dibus et munusculis consistere potest*, dicendum oportere semper ut de inepta et stulta levitate constet, ita ut clare appareat quod Confessarius, ita se gerendo, bonum et serium finem habere non potuerit, quamvis forte finem omnino perversum non habuerit. Hinc lin. 5 post verbum *redoleat*, adde : *Dummodo de levitate praedicta constet.* Lin. 8 dele *vel cum*, et pone : *Multo magis si adesset insuper.* Lin. 13. dele verba : *Quin ullum malitiae suspectum ingereret*, et vide pag. 483. lin 39. Denique lin. 26 dele particulam *aut*, et pone : *Multo magis si insuper.*

Pag. 481. Lin. 2. adde : Uno verbo oportet ut in confessione vel confessionali Confessarius ( ut ita dicam ) verum laqueum posuerit.

Pag. 482. Lin. 23. verba : *et instructio Supremae etc... obligantur* delenda sunt.

1190. Pag. 511. et seqq. *Circa clericum, qui identidem contra sextum occulte labitur ( dummodo lapsus non sint cum foeminis*, pag. 517 lin. 33 ), docui quod ille nulla lege impeditur, quominus Ordines Sacros suscipere valeat. Dixi *identidem* ; si enim habitus esset valde intensus et radicatus, forsan lex naturalis ( sicut ex Auctoribus quoque benignioris sententiae, ut infra videbimus, aliqui censent ) obstare posset : quod cum funditus non examinaverim, ab hac speciali circumstantia pro nunc prorsus praescindere volo. Pro casu etiam, in quo lapsus cum foeminis acciderint, quum hi possint esse antiqui et plures aliae circumstantiae ponderatione dignae possint intervenire, nihil decise et distincte dicere volo. Idem dic si lapsus non prorsus occulti fuerint. Quod itaque firmiter dixi, et nunc asseverantius dico, est quod Clericus qui identidem occulte labitur, si sit dispositus ad Sacramentum Poenitentiae, ad Sacramentum Ordinis quoque ( nisi alio ex capite aliquid obstet ) dispositus erit.

Contra doctrinam istam cl. Ciolli ( *Direttorio VI.* 10 ) et Ephemeris *Il Monitore Ecclesiastico* ( *III. II. pag.* 118. *et* 145) gravissimis verbis insurrexerunt. Mea sententia non parum damnosa, singularis, falsis Auctorum textibus innixa, et ( non obstantibus restrictionibus omnibus a me factis ), constanti legi Ecclesiae omnino contraria, appellatur ; et *il Monitore* me rogat, ut maturius rem istam considerem, meam sententiam retractem, atque doctrinam communissimam S. Ligorii, cui unus ego ( ut asserit ) non subscribo, tandem aliquando amplectar.

Si haec vera essent, utique doctrinâ meâ nihil peius esse posset. Sed quis fallitur? Egone, an vero cl. Ciolli et *il Monitore*? Iudicium ad me non spectat. Dico solum quod, censuras adeo graves audiens, et ( quamvis praevia ponderatione magna et solo amore veritatis a tanti Doctoris sententia recesserim ) timens ne forte hallucinatus remanserim, iterum quaestionem istam examinavi ; sed meam sententiam esse veram adhuc et

firmiter existimo. Causa huius dissensionis mihi videtur esse, quod ego, summa brevitate et in paucis paginis de hoc puncto pertractare volens, non ea omnia quae mentem meam dirigebant exposuerim. Id itaque (quum agatur de quaestione practica satisque momentosa) nunc praesto.

1191. *Videamus imprimis quaenam sit genuina S. Ligorii doctrina?* Hanc exposuit in celebri Dissertatione, quae etiam in eius Theol. mor. (VI. 64) reperitur; et en sua verba: « Hodierna et antiqua Ecclesiae lex, semper constans, obstringit tam Episcopos quam Confessarios et Promovendos, ut « cum aliquis clericus recidivus vel consuetudinarius in vitio « carnis ad Sacrum Ordinem, sive Subdiaconatum, sive Diaconatum, aut Presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi, « non tamen poterit Sacrum Ordinem suscipere, nisi aliquandiu « operam det ad pravum habitum extirpandum. Et si ipse persistat Ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad « absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi », seu (ut dicit in *Prax. n.* 78) quia iam hic et nunc mortaliter peccaret. Libro VI. *n.* 67. addit: « Id quod dictum est de vitio luxuriae, « idem dicendum de quocumque alio ». Notandum 1° quod, iuxta S. Ligorium, « quinque vices in mense iam possunt malum « habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo « inter ipsas aliquod intervallum intercedat » *Praxis n.* 70. Ipse autem inter habitum antiquum et recentem, intensum et remissum, nullam distinctionem facit. Notandum 2° quod verba illa: *Nisi aliquandiu operam det* etc. non possunt intelligi de probatione brevissima (v. g., octo vel decem dierum); in *Praxi* enim *n.* 78, et in Op. *Homo Ap.* dicit: « Confessarius « nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine « suscipiendo; ad quem ascendere non poterit, nisi post longi « temporis, saltem plurium mensium probationem ». Necessitatem tamen probationis ultra annum excludit dicens (VI. 63), nimis rigide locutos fuisse Continuatorem Tournely et Habert, quorum primus 18 mensium et secundus anno diuturniorem probationem exigebant. Notandum 3° quod, praeter exemptionem a quovis habitu pravo, exigit insuper bonitatem praecellentem; dicit enim (VI. 67): « Ut quis ad Sacri Ordinis digni« tatem ascendat..., requiritur etiam bonitas praecellens et ha« bitualis.... Non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur « bonitas excellens ».

1192. Unicum S. Ligorius excipit casum, dicens: « Potest « tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tantam extra« ordinariae compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo « probatum, ut ipse statim possit Sacrum Ordinem assumere ». Sedulo hic notari debet quod S. Ligorius non intendit, quod sufficiant quaelibet signa extraordinaria, illa scilicet quae pro

absolvendis recidivis extra circumstantiam proximae Ordinationis sufficerent. En sua verba (*Elench. quaest. reform. q.* 64): « An clericus habituatus in vitio turpi, volens ascendere ad « Ordinem Sacrum, possit absolvi *ex simplicibus signis extra-* « *ordinariis;* tamen sufficientibus ad Sacramentum Poenitentiae « suscipiendum? In priori libro (*nempe in* 1ª *edit.*) affirmatum « est. Sed hic negatur, nisi valde extraordinaria signa accedant, « quae bonitatem positivam Ordinandi ostendant ». Quanta autem esse debeat huius plus quam extraordinariae compunctionis intensitas, id expressius determinat in Op. *Homo Ap.* (*Tr. ult. n.* 17), ubi dicit: « Veruntamen excipitur casus, quo a Deo « donaretur quis tam extraordinaria compunctione, *quae illum* « *liberaret ab antiqua fragilitate.....;* cum magna et tali in « Deum fiducia, quae eum redderet *moraliter securum* de qua- « dam magna mutatione vitae ». Casum huiusmodi ne in ipsis quidem exercitiis spiritualibus, quae Ordinationibus praemittuntur, contingere solere dicit ipse S. Lig. (VI. 71). Scavini autem (I. 464), Del Vecchio (n. 284), Frassinetti (not. 151) aliique subdunt, quod conversio ista non tam exemplum dicenda esset quam miraculum.

1193. Dato autem quod casus huiusmodi contingeret, et quod proinde clericus volens illico Sacrum Ordinem suscipere non peccaret, et sic ex officio iudicis absolvi posset; nihilominus S. Ligorius (n. 77) dicit quod Confessarius ex officio medici adhuc niti debebit ut clericus ab Ordinatione abstineat, et poterit insuper in hunc finem ei etiam invito absolutionem differre; excepto dumtaxat casu in quo ex tali dilatione infamiam subire cogeretur. En verba S. Doctoris: « Advertendum, « quod Confessarius toto conatu curare debet, persuasum red- « dere huiusmodi Initiandum, quamvis extraordinarie ut supra « compunctum, ut differat Ordines suscipere quoadusque pro- « batione alicuius notabilis morae magis purgatum se praebeat « a sceleribus patratis. Imo addo, consultius et congruentius « esse, ut... ei absolutio differatur, ipso quoque non consentiente « si velit statim ordinari... Dummodo vero, excipio, ipse ex « hac dilatione Ordinationis non sit subditurus notam, sive « proximum periculum infamiae ».

1194. Concludendum est itaque quod iuxta S. Ligorium, 1° Clericus sive parum sive multum in materia sexti (quamvis occulte) habituatus, si velit Ordinem Sacrum suscipere, quin prius saltem plurium mensium spatio se effective continuerit, peccat mortaliter, et proinde Confessarius ex officio iudicis nequit illum absolvere, quia iam hic et nunc esset in flagranti peccato mortali. 2° Signa contritionis simpliciter extraordinaria non sufficiunt. 3° Quod dicitur de vitio contra sextum, dicitur etiam de quocumque alio. 4° Quod dicitur de Subdiaconatu, dicitur etiam de Diaconatu et Presbyteratu. 5° Excipitur dum-

taxat casus unicus, nempe compunctionis adeo magnae ac vehementis, quae pristinam fragilitatem destrueret, et effectivo temporis experimento aequivaleret, qui casus utique rarissimus, et vix unquam practicus erit. 6° Si hic casus daretur, adhuc Confessarius ex officio medici niti deberet, ut Sacri Ordinis susceptio procrastinaretur: denegando (secluso casu infamiae) etiam absolutionem, ut supra.

*Il Monitore Ecclesiastico* (pag. 118) dicit: « Nè per estrema « penuria di Sacerdoti, nè (*N. B.*) per qualsiasi altra ragione « al mondo si può permettere mai ad un vizioso (*utique quamvis sit occultus*) di ascendere agli Ordini Sacri, eccetto il « caso rarissimo e al tutto straordinario contemplato da S. « Alfonso ». Dein (Audi metamorphosim: Dictus casus unicus et rarissimus convertitur in duos, quorum unus frequens, alter frequentissimus est!) pag. 146 dicit: « Avvertiamo che alla « prefata regola generale due eccezioni fà S. Alfonso; una « laddove nell' Ordinando si ravvisino da vero straordinarii « segni di contrizione (*Casus, in quo signa simpliciter extra- « ordinaria contritionis occurrant, maxime in Exercitiis quae « Ordinationibus praemittuntur, nonne frequens est?*); e l'al- « tra quando pel medesimo si temesse nota e pericolo d' infa- « mia... Il pericolo d' infamia si può temere segnatamente, « allorchè l' Ordinando abbia premessi tutti i pubblici appa- « recchi per la sua Ordinazione e si trovi già in una casa di « ritiro per compiervi gli Esercizii Spirituali (*Casus iste, saltem « si agatur de Diaconatu vel Presbyteratu, nonne frequentis- « simus, imo ordinarius est?*) ». Adestne itaque cohaerentia in sermonibus huiusmodi? Exponiturne doctrina S. Alphonsi fideliter? Lectori iudicium.

1195. *Temporibus S. Ligorii, doctrina, quam ipse exposuit, eratne reapse communissima?* Admittebaturne ab omnibus sine contradictione? Seu, ad rectius loquendum, quum lex quaelibet, ut vere obliget, iuxta principia ipsius S. Doctoris, debeat esse certa, clara et manifesta: eratne certum et indubitatum, adesse legem Ecclesiae, quae sub gravi obliget Ordinandum ad abstinendum a Sacrorum Ordinum susceptione, nec sufficere Confessionem, in casu alicuius pravi habitus, quamvis peccata non iam notoria sed occulta essent?

Responsio est negativa. Patet 1° Ex Giordanini; 2° Ex Benedicto XIV; 3° Ex persuasione tunc communi; 4° Ex S. Ligorio ipso.

1196. Giordanini (nempe probatissimus Auctor operis *Istruzione per i novelli Confessori*, quem Benedictus XIV, agens et ipse de hoc casu *De Syn. XI. II.* 17., forte magis quam S. Ligorium laudavit) Part. II. C. III. absolute dixit, nullam extare Ecclesiae legem, quae receptionem Sudiaconatus Clerico in materia sexti habituato vetet. Nihil etiam obstare a parte

legis naturalis, si mala consuetudo sit in gradu remisso, ita ut Clericus de sua emendatione sperare possit; secus vero si de habitu valde antiquo aut valde intenso ageretur. En sua verba: « Imprimis distinguendum esse censemus inter consilium et « praeceptum. Quoad consilium, dicimus quod Confessarius « Clerico Ordinem Sacrum recipere volenti valde opportune « verba faciet de excellenti castitate quae exigeretur... Perso- « nis quae vulnera recentia atque (ut ita dicam) adhuc aperta « habent, et quamvis coeperint producere aliquem fructum « poenitentiae, hic tamen adhuc acerbus est; neque solum ce- « ciderunt, sed de praesenti cadunt, quamvis etiam assurgant; « laudabilis prudentia est insinuare ut ad Sacros Ordines non « accedant, antequam magis stabilem emendationem ostende- « rint. Sed quod hic quaeritur est, an hodie Clerico in gravi- « bus impudicitiae peccatis habituato, vetandum sit omnino ne « Sacros Ordines suscipiat, eique renuenti absolutio possit aut « debeat denegari? Nos respondemus, antiquitus quidem id « vetitum fuisse; sed hodie nullam extare legem directam, « nec divinam nec humanam, quae Ordinum susceptionem ve- « tet, ea praecise de causa quod aliquis sit habituatus in im- « pudicitia, aut alio occulto peccato, excepto homicidio (pro- « pter irregularitatem). Dubium itaque restringitur ad legem « naturalem..., et nobis videtur esse distinguendum. Si Ordi- « nandus sincere credit se posse, ope gratiae divinae propriae- « que cooperationis, in posterum se emendare a malo habitu « et castitatem servare, simulque hic et nunc sinceram habeat « voluntatem adhibendi media opportuna; tunc potest Ordines « recipere, nec Confessarius illum impedire potest... Si e con- « tra non credat se posse castitatem servare, tunc dicimus, « licentiam de Ordine suscipiendo ei dari non posse; eique vo- « lenti nihilominus Ordinem recipere, absolutionem, tamquam « indigno et indisposito, esse denegandam ». Ad determinan- dum autem quando dicta spes emendationis adsit vel non adsit, dicit adhibendam esse regulam S. Poenitentiariae, quae (ut ipse ait) a voto castitatis dispensat « quando habitus sit valde « antiquus aut valde intensus », non vero si persona sat facile se emendare et votum suum servare possit.

1197. Benedictus XIV (l. c.) sequenti modo se expressit: « Casus igitur qui in controversiam adduci potest, is est, quo « poenitens eo usque in peccatis habituatus ad Sacros Ordines « promoveri intendat, simulque talia contriti cordis indicia « praeseferat, ut Confessarius illius conversionem sinceram « merito existimare valeat, atque confidere, eum non amplius « relapsurum esse in antiqua peccata, quorum consuetudine « involutus fuit: in his enim circumstantiis quaeritur, an, sicut « Confessarius absolutionem illi statim conferret, si Sacrum « Ordinem suscepturus non esset, ita possit ac debeat id ipsum

« facere, cum sciat, eundem in limine esse suscipiendi Sacram « Ordinationem : *an vero propter reverentium Ordini debitam, « et propter periculum, ne forte in priora peccata post Or- « dinationem relabens, graviores et magis abominabiles Divi- « nae Maiestati offensus inferat; aliquid amplius a poenitente « exigere debeat*, quod extra casum proximae illius Ordinatio- « nis minime exigeret : illius nempe absolutionem differre, et « nova ab eo petere experimenta, quibus veram atque since- « ram conversionem suam magis magisque ostendat ? Profecto « negari nequit, huiusmodi poenitentis spiritualem Directorem « ancipiti nimium cura in hac facti specie distrahendum fore : « NULLAM VERO SUPPETERE GENERALEM REGULAM, QUAE IN HUIUSMODI « CASIBUS INDISTINCTE AB EO ADHIBERI VALEAT. QUARE NON ALIUD « CONSILIUM EIDEM PRAEBERI POSSE CENSEMUS, QUAM UT OMNIA PER- « SONAE, RERUM ET CASUUM ADIUNCTA DILIGENTER INSPICIAT ET MA- « TURE PERPENDAT : meminerit etiam, sibi non modo iudicis, sed « etiam medici partes impositas esse ; medici autem officium « esse, eam curam aegroto adhibere, eaque ipsi praescribere « remedia, quae credit illius saluti magis opportuna et profi- « cua fore : quemadmodum scite ad rem nostram animadvertit « Card. de Lugo *de Sacr. Poen. XIV. X. n.* 167, praecipue « vero *n.* 171. Denique Divini luminis opem enixis precibus « imploret, ut illius ductum sequens, neque seipsum prodat, « neque poenitentem suum, cui *aliquando* absolutionis dilatio « salubrior esse potest, quam properata eiusdem concessio, « non exactis prius novis experimentis super illius conversionis « firmitate ». Ita Benedictus.

1198. Peto : Subscripsitne Benedictus doctrinae S. Ligorii ? Minime profecto. S. Ligorius dat regulam generalissimam ; Benedictus dicit e contra nullam suppetere generalem regulam. Iuxta S. Ligorium Confessarius non potest versari in ulla perplexitate, et, nisi videat compunctionem illam quasi miraculosam, clericum absolvere nequit ; Benedictus e contra dicit quod Confessarius ancipiti nimium cura distrahendus erit ; quod omnia personae, rerum et casuum adiuncta diligenter inspiciat et mature perpendat ; quod divini luminis opem enixis precibus imploret etc. S. Ligorius dicit extare constantissimam legem Ecclesiae, quae ( excepto dicto casu pene miraculoso ) obligat Confessarios ad exigendam probationem effectivam, saltem plurium mensium, ab omnibus habituatis indiscriminatim ; Benedictus e contra de hac lege nihil dicit, imo illam implicite excludit ; si enim talis lex adesset, iam regula generalis suppeteret, nec Confessarius ancipiti nimium cura, ad deliberandum quid ex officio iudicis et quid ex officio medici facere debeat, distrahendus foret.

1199. *Il Monitore* ( pag. 145 ) dicit : « Ci sembra però non « doverci allontanare dalla dottrina di S. Alfonso, la quale può

« dirsi l' odierna e l'antica legge della Chiesa sempre costante ». Et post paucas lineas subiungit: « Benedetto XIV, dopo aver « riferita la sentenza.... di S. Alfonso, lascia quasi indecisa la « questione, dicendo non potersi assegnare una regola certa in « tal materia; propende però per l'opinione di S. Alfonso ». Sed, si doctrina S. Alphonsi cum lege Ecclesiae identificatur, eccur Summus Pontifex erga illam inclinavit solum? Agiturne de lege clara et constantissima, quam Papa etiam ignoraverit? Eccur Pontifex dixit, regulam certam dari non posse, et quaestionem indecisam reliquit? Eccur sententia adeo certa: imo constantissima Ecclesiae lex, a *Monitore* simpliciter appellatur opinio? Adestne cohaerentia, adestne sensus in sermone isto? Lectori heic quoque iudicium.

1200. Cl. Ciolli ( l. c. pag. 415 ) dicit: « Benedetto XIV.... « termina non solo col mostrarsi visibilmente del parere di S. « Alfonso, che egli chiama *prudens Auctor*, e di cui riporta « alla lettera la dottrina quanto al negare l'assoluzione all'Or- « dinando non ben provato; ma col dire apertamente che a un « tale Ordinando la si deve *sine ulla dubitatione* differire, e « che, sebbene non voglia egli definire se ciò debba farsi anche « nel caso di una straordinaria compunzione, come alcuni vo- « gliono, pur tuttavia si vede bene che inclina da quella parte ».

Recolendum quod Benedictus XIV, antequam ad casum sub controversia positum responderet ut supra, exposuit opinionem tum Giordaninii tum S. Ligorii; et, quoad consilium procurandi ut poenitens, si fieri possit, Ordinationem differat, laudat S. Ligorium, dicens: « Interim tamen prudens Auctor Confes- « sario suadere non omittit, ut poenitentem, quantumvis ita « compunctum, inducere studeat ad aliquam temporis moram « interponendam etc. ». Casus quippe dari posse, in quibus Confessarius ex officio medici Poenitenti, etiam disposito, absolutionem differre valeat, imo debeat, admittit ex doctrina communi (duce De Lugo) ipse Benedictus, ut supra vidimus; et ideo nil mirum si hac in parte et hoc sensu S. Ligorium de prudentia laudaverit. Sed exinde non sequitur quod eius doctrinam in aliis quoque punctis admiserit: imo, ut supra vidimus, inter utramque doctrinam differentia substantialis intercedit; unde quid dicendum sit de propositione cl. Ciollii: *Termina col mostrarsi visibilmente del parere di S. Alfonso*, Lectori iudicium. Caeterum, si Benedictus dixit de S. Ligorio *prudens Auctor;* Giordaninio etiam laudem tribuit dicens: « Prodiit hic « Romae liber inscriptus *Istruzione etc.*, cuius Auctor satis pe- « ritus et in administratione Sacramenti Poenitentiae apprime « versatus ».

Verum est quod Benedictus XIV, exponens sententiam S. Ligorii, retulit etiam ad litteram ea verba, quae ego supra citavi ( n. 1193), quibus S. Doctor dicit: « Advertendum quod

« Confessarius toto conatu conare debet etc. ». At vero verba ista respiciunt casum Ordinandi non quidem probati experimento temporis, sed dispositi per signa compunctionis non solum extraordinaria, verum etiam plus quam extraordinaria. Ciolli autem dicit quod Benedictus XIV docet, tali Ordinando sine ulla dubitatione differri debere absolutionem; et simul quod ipse Benedictus non vult definire, an, stante compunctione extraordinaria, differri debeat absolutio. Utrum in hoc quoque sermone adsit cohaerentia et sensus, lector iudicabit. Praeterea quandonam Benedictus XIV dixit, differendam esse absolutionem tali Ordinando *sine ulla dubitatione?* Profecto nec de illo de quo ibi S. Ligorius verba fecerat, nec de quocumque alio ad absolutionem disposito. Pontifex id dixit; sed solum de Ordinando sive prorsus indisposito sive dubie disposito. Reapse Benedictus immediate ante verba a me supra citata dixit: « *Si incerta aut* « *suspecta sit illius poenitentia*, quem constat habituali peccandi « consuetudine irretitum fuisse, idque in animo habere, ut post « confessionem peractam, primo quoque tempore, ad Sacrum « Ordinem suscipiendum progrediatur; *sine ulla dubitatione* « dicendum est, huic differendam esse absolutionem, donec « certiora praebeat conversionis suae argumenta; nec enim a- « liter fidelis et prudens Confessarius erga huiusmodi poenitentem se gerere debuisset, etiam remota illius cogitatae Ordi- « nationis circumstantia ». Haec igitur verba non referuntur ad casum nostrum, in quo supponitur poenitentem ad Sacramentum Poenitentiae esse dispositum; et proinde an cl. Ciolli Benedicti XIV sententiam fideliter exposuerit, lectori pariter iudicium.

1201. Si petas an Benedictus XIV, qui, ut vidimus, S. Ligorii sententiae non subscripsit, Giordaninii sententiam tenuerit; respondeo: neutram tenuisse, sed longe magis ad Giordanini quam ad S. Ligorium accessisse. Non recognoscendo praedictam legem positivam, a s. Ligorio substantialiter recessit; censuit autem Confessarium considerare debere non solum ius naturale suumque officium iudicis (ut sensit Giordanini); sed etiam officium medici quod Confessarius ipse exercere debet (de quo Giordanini siluit).

Quoad ius naturale et officium iudicis, dixit, Confessarium considerare debere circumstantias, nempe (si bene interpretor) non solum gradum intensitatis ipsius habitus pravi (sicut, faciendo regulam generalem, sentiebat Giordanini), sed etiam (supposito gradu intensiori) maiorem vel minorem poenitentis compunctionem; maiorem vel minorem consuetudinem adhibendi media emendationis; maiorem vel minorem spem quod facilius emendaretur in saeculo; maiorem vel minorem utilitatem, quam, propter bonas quas habeat qualitates, praebere poterit Ecclesiae; maiorem vel minorem Ecclesiae ipsius necessitatem; prae-

cipue autem 1° an iam sit ligatus et agatur de Diaconatu vel Presbyteratu ; an vero sit adhuc liber et agatur de Subdiaconatu ; 2° an verisimile adsit periculum ne ex peccatore occulto scandalosus evasurus sit.

Quoad autem officium medici, censuit Pontifex applicandam esse regulam generalem Card. De Lugo qui ( De Poen. XIV. 171 ) dicit : « Cum ergo Confessarius iudicat expedire dilationem « absolutionis ad hoc ut poenitens reddatur magis cautus et « confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea « relabatur, potest certe, et debet aliquando ut medicus hoc « remedium poenitenti adhibere ».

Denique si Confessarius, sive ex officio iudicis sive ex officio medici, existimet absolutionem esse differendam, et Ordinandum ab actuali susceptione Ordinis esse arcendum : obstet autem periculum infamiae, eo quod Ordinandus in domo exercitiorum iam versetur ; tunc Pontifex dicit : « Necesse erit huiusmodi Ordi- « nando ( *supponit quod agatur de Subdiaconatu* ) ante oculos « ponere, non modo aeternam salutem quovis humano respectu « potiorem esse debere ; verum etiam nihil infamiae in eo esse, « si quis dicat et fateatur se velle maturius cogitare de ineundo « eiusmodi vitae instituto, quod graviora secum fert onera, « quodque semel susceptum, per omnem vitam necessario ser- « vandum erit ».

1202. *Qualis erat persuasio communis apud Sacerdotes et Confessarios tempore S. Ligorii ?* « Communis persuasio erat « quod Clericus, dispositus ad Sacramentum Poenitentiae, ad « Sacramentum Ordinis quoque dispositus esset ». Ita Tannoia celeberrimus S. Alphonsi biographus ( *Vita di S. Alf.* II. 38 ).

1203. *Ipse S. Ligorius aliquibus annis, antequam Dissertationem supra citatam* ( n. 1191 ) *scriberet, cognoscebatne illam antiquam et hodiernam semperque constantem, simulque certam, claram et manifestam Ecclesiae legem, quae vetat Ordinandis et Confessariis etc.?* R. Minime. Id patet ex eius verbis ( n. 1192 circa medium ) allatis ; et in epistola circulari ad suos alumnos ( 8 Aug. 1754 ) dixit, quod sententiam dicentem, talem legem non adesse, non solum tenuit sed propugnavit.

1204. Concludendum est itaque quod tempore S. Ligorii lex praedicta neque a Sacerdotibus, neque a Theologis, neque a Summo Pontifice, neque ab ipso S. Ligorio cognoscebatur ; et quod illius opinio ( qua credidit se eandem legem reperisse ) apud Auctores eo tempore celebriores ( si excipias Concinam aliosque paucos rigorismo infectos ) sectatores non habuit.

1205. *Nunc videamus an sententia S. Ligorii saltem a Theologis posterioribus tamquam doctrina certa et inconcussa communissime habita fuerit?* Responsio est negativa. Quamvis, propter laudes operibus S. Ligorii ab Ecclesia meritissime datas, Theologi posteriores fere omnes id unice sibi proposuerint ut

genuinam illius doctrinam exponerent, illumque sequerentur non solum ubi bene, sed etiam ubi interdum male scripserit (quod enim in operibus S. Ligorii aliquis error inveniri possit et reapse inveniatur, certissimum est *); nihilominus in hoc puncto non exigua confusio, titubantia, perplexitas et dissensio apud Theologos ipsos reperitur.

1206. Gousset (II. 658), potius quam S. Ligorio, Habertio aliisque Rigoristis subscribit. Quoad Clericos iam a longo tempore habituatos, exigit non solum probationem plurium annorum, sed etiam ut iisdem annis sobrii, vigiles, laboriosi, recollecti, graves, modesti, pii et ferventes fuerint. Quoad illos qui in toto ipsorum vitae cursu una dumtaxat vel altera vice, quamvis potius ex fragilitate quam deliberate, ceciderint; exigit ut saltem sex menses ab ultimo lapsu decurrerint; si autem lapsus fuissent quidem pauci et rari, sed deliberati seu cum facili consensu, tunc saltem unius anni probationem exigit. — Sententiam Ligoriana doctrina magis rigidam tenendam esse docent etiam novissime cl. Ciolli (pag. 385) et *il Monitore* (pag. 118).

1207. Scavini e contra, pro casu valde practico quo Clericus in domo exercitiorum iam versetur, rigide quidem loquitur; sed, si eius verba accurate perpendantur, S. Alphonsi sententiam totaliter sequi non videtur. En quomodo (I. 659) se exprimit: « Quid si Clericus affirmet se ab Ordine Sacro abstinere non posse sine gravi scandalo, vel infamia; quia iam probatus, iam domo receptus ad exercitia spiritualia, et instat dies ordinationis, et iam omnia parata sunt? Si non viderem signa extraordinaria (nota quod hic dicit simpliciter *extraordinaria*), non absolverem; nam nulla infamia, scandalum nullum, si dicat se velle maturius de tanto statu perpetuo eligendo cogitare.... Si non vult acquiescere, *ipse videat coram Domino, si nihilominus possit tuto accedere, perfecte in eo casu contritus* ». At vero, ego dico, si notissima et certissima adesset lex quae vetet sub gravi huiusmodi Ordinandis susceptionem Ordinis, quomodo Clericus iste, qui (periculo scandali et infamiae minime excusatus) hic et nunc peccatum mortale committere vellet, videre posset coram Domino si nihilominus, intuitu contritionis perfectae, ad Ordinem accedere valeat? Sic itaque Scavini huiusmodi legem non adesse supponere videtur.

* De scientia, de veritate, et de lege Dei numquid benemerentur ii, qui S. Ligorii sententias docent, etiam ubi manifeste erravit? Creduntne quod Ecclesia, approbando doctrinam S. Ligorii, definierit, nullos errores in eius operibus adesse aut in posterum reperiri posse? Errore autem iam satis superque cognito, creduntne quod Ecclesia facultatem illum inoffenso pede sequendi et docendi concedere potuerit, aut reapse concesserit?

Del Vecchio ( I. 284. *Casus* ) facit eandem quaestionem, idemque ad verbum responsum dat.

De Varceno ( V. II. 5 ) faciens quaestionem eandem sola signa simpliciter extraordinaria exigit ; et notandum quod hic Auctor de signis extraordinario modo extraordinariis, qui a S. Ligorio exiguntur, nullibi ( quod sciam ) verba facit.

1208. Gury sententiae S. Ligorii alicubi quidem subscribit simpliciter, sed alibi subscribit cum dubitatione, et in ultimis editionibus ( quae cum Ballerinii notis prodierunt ) nullo modo subscribit. Enimvero in Casibus consc. ( II. n. 37 ) dicit : « An « habituatus in vitio turpi ad Ordines Sacros admitti possit, « si emendationem seriam promittat, et an absolvi possit. si « accedere paratus sit ? Negandum *videtur* ex sententia S. Li- « gorii. Non sufficit enim etc. Attamen nonnulli apud eundem « S. Alphonsum putant, huiusmodi candidatum absolvi posse, « si seriam emendationem promittat ». Nonne heic Gury subscribit quidem S. Ligorio, sed cum dubitatione ?

In dictis autem ultimis editionibus ( II. n. 718 ) en quomodo se exprimit : « An sit concedenda absolutio Clerico habituato « in turpi vitio occulto, qui ad Ordines Sacros ascendere velit, « sine praevio continentiae experimento ? Resp. Negative *re-* « *spondet S. Ligorius*, licet sincere sit conversus ad Dominum, « et ideo possit statim absolvi. *Ex eius igitur sententia* sacrum « Ordinem suscipere non poterit, nisi aliquandiu operam dede- « rit ad pravum habitum extirpandum. Si vero persistat Sa- « crum Ordinem suscipere. *S. Ligorius non censet* dispositum « ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi. « *Excipit* tantummodo casum, in quo Deus donet poenitenti « extraordinariam compunctionis gratiam, quae eum reddat « adeo probatum, ut ipse statim possit Sacrum Ordinem su- « scipere, quin temporis experientia comprobetur. *Alii tamen* « *in tota ista quaestione apud eundem S. Ligorium aliter sen-* « *tiunt* ». Nunquid in textu isto Gury adhaesit S. Ligorio ullo modo ? Nonne potius heic inspicitur quod studiose procuravit ostendere, se in hoc puncto nihil habere commune cum S. Ligorio ?

1209. Attamen *il Monitore* ( pag. 145 ) dicere non dubitavit : « Notiamo che Gury segue la sentenza di S. Alfonso, benchè « dica che altri sentono diversamente presso il medesimo Dot- « tore ( Vol. II n. 718 ) ». Si dixisset quod Gury adhaesit S. Ligorio in aliis locis, nihil opponi posset ; sed, quum citet praecise numerum 718, ubi adest de verbo ad verbum textus supra allatus et quem ego semper obieci ; et nihilominus affirmet quod Gury ibi sequitur sententiam S. Ligorii ; non intelligo qua veritate et qua de causa sic dicere potuerit.

1210. Imo notandum est quod Gury tali loquendi modo apertissime palam fecit, existentiam legis quae obliget Ordi-

nandum ad differendam Ordinis susceptionem, sibi esse ad minus valde dubiam; et proinde se sentire modo diverso a S. Ligorio, qui talem legem adeo certam esse existimabat, ut contrariam opinionem (*in epist. cit. n.* 1203) improbabilissimam vocaverit.

Quid itaque dicendum erit de cl. Ciolli? Ille quippe (pag. 383) dicere non dubitavit: « Non si capisce come il ch. Sac. « Emilio Berardi nella sua Opera (*Praxis Confess. n.* 596. *v*, « *Cui tandem*) abbia potuto citare il Gury, quasi come di di- « verso parere (*cioè diverso da quello di S. Alfonso*), quando « invece non solo nella sua Teologia (*Romae ex Typ. Poli-* « *glotta* 1873. *annotata dal Cretoni*), ma nei *Casus* sostiene « apertamente la dottrina commune con S. Tommaso e S. Al- « fonso ». Cl. Ciolli ante oculos habet non solum Theologiam Guryanam adnotatam a Cretoni, sed etiam editionem adnotatam a cl. Ballerini: imo habet ante oculos praecise textum integrum quem ego supra transcripsi, et quem ille ipse in iisdem lineis citat: et nihilominus dicit: *Non si capisce etc.*, quasi ego textum confixerim, aut saltem mirum in modum transversim intellexerim!

1211. Sed progrediamur ad magis illustrem, imo prae omnibus aliis celeberrimum, aetatis nostrae Theologum; nempe Ballerini. Ut tamen clarius intelligi possit quid senserit Ballerini, oportet prius ut textus Card. De Lugo, quem ille ad sensum sed nimia brevitate refert, hic transcribatur.

« Novitius quidam (ita De Lugo Resp. Moral. l. xxviii) « in Religione observante et perfecta, patiebatur frequentes la- « psus carnis voluntarios, quos Confessario in confessione mani- « festabat, et postea saepius reincidebat. Confessarius itaque, « iudicans eum non esse aptum Religioni..., suadebat frequenter « ut ad saeculum rediret, vel Superiori fragilitatem suam extra « confessionem aperiret: imo ad id tandem poenitentem obligare « tentavit, significans, se deinceps, nisi obediret, absolutionem « ei negaturum. Quaesitum fuit, an Confessarius iure id facere « potuerit, an vero suae potestatis limites fuerit transgressus?

« Suppono, Confessarium, quamvis ipse sit etiam Praelatus « Novitii, et ad quem ex officio spectet Novitios inutiles, ineptos « vel noxios dimittere, non posse id facere ullo modo ex notitia « quam in confessione habuit....

« Hoc supposito, dubium esse potest, an, licet Confessarius « non possit uti notitia confessionis ad dimittendum Novitium..., « possit tamen Novitium cogere ad manifestandam extra Sacra- « mentum suam inhabilitatem; vel certe, ut ipse sponte sua « redeat ad saeculum? Et quidem, in genere loquendo, regula « generalis est, tunc solum posse Confessarium Novitio negare « absolutionem, quando videt, illum non esse sufficienter dispo- « situm, v. g., quia non vult relinquere occasionem proximam « peccati gravis, quam ipse sine gravi detrimento relinquere

« potest ; vel quia Religionem iniuste deceperit in re gravi, et « nolit fraudem tollere ; vel propter similes rationes.

« An vero eiusmodi causae de facto interveniant, ob quas « negari possit et debeat absolutio, pendet ex circumstantiis, « ex quarum notitia Confessarius debet id prudenter iudicare : « nec frequenter fortasse casus ita continget, ut ob meram pec- « candi frequentiam debeat sub peccato gravi Novitius se extra « confessionem prodere, ut a Religione dimittatur ; nec rationes, « quas Confessarius ille afferebat, id verisimiliter probabant.

« Primo enim arguebat *ex obligatione relinquendi occasio-* « *nem proximam peccati, qualis esse videbatur Novitio illi* « *status religiosus. Hoc tamen parum credibile est : nec facile* « *sibi poenitens persuadebit, minorem se habiturum in saeculo* « *occasionem peccandi contra castitatem, quam in Religione,* « *praesertim si non posset sine magno incommodo uxorem* « *ducere.*

« Minus obstat, quod secundo loco pro se afferebat Confes- « sarius, nempe poenitentem debere sub peccato gravi obedire « Confessario, atque adeo, dum non obediat, manifestare se « non esse dispositum ad recipiendam absolutionem. Hoc, in- « quam, minus probat, quia poenitens solum debet implere « poenitentiam sibi a Confessario impositam... Egressus autem « a Religione non est materia apta, quae imponatur poenitenti « pro poenitentia.....

« Dices : Confessarius prudenter iudicat, statum religiosum « non expedire illi Novitio in peccata frequenter relabenti : « potest ergo saltem in poenitentiam imponere, ut statum illum « relinquat. Respondetur posse prudenter credere Novitium, « sibi expedire magis ad salutem statum religiosum, in quo, « transacta vehementia passionis illius, facilius poterit resipi- « scere et corrigi, cum habeat optima sociorum exempla, di- « sciplinae observantiam, exhortationes, et alia eiusmodi media, « quibus in saeculo carebit ; quare ex hoc capite non est cur « obedire teneatur Confessario.

« Arguebat tertio *quia Novitius debet impedire damnum,* « *quod suo Ordini inferre potest, cum una ovis male infecta* « *inficere possit omne pecus ; quare exire debet ne suo exemplo* « *alios ad perditionem trahat. Respondetur facile, imprimis* « *poenitentem non teneri cum tanto detrimento suo impedire* « *et praecavere damnum alienum, quod per accidens sequi* « *posset et praeter eius intentionem. Deinde, etiamsi ad sae-* « *culum redeat,.... maius poterit aliis nocumentum afferre....* « *Denique non videtur esse magnum periculum gravis huius* « *nocumenti ; quia dum vitia ita sunt occulta, ut non nisi intra* « *confessionem manifestentur, non transeunt ad sodales.*

« Ultimo allegabat pro se Confessarius quod Novitius ille « graviter et iniuste deciperet Religionem, tacendo et occul-

« tando defectum. qui eum ineptum reddit ad statum religiosum, « quem defectum si Praelati scirent, proculdubio eum non ad- « mitterent ad vota religiosa nec ad professionem. Respondetur, « hunc Novitium, de quo agitur, non decepisse Religionem, « quia quando ingressus fuit, vel forte non habuerat in saeculo « haec vitia, vel conversione sua mores correxerat et spem « habebat melioris vitae: morbum autem spiritualem postea « contractum non tenetur ex iustitia manifestare Praelato, ut « eiiciatur: sufficit aperire in confessione ad quaerendum re- « medium ».

1212. Haec dixit Lugo de Novitio habituato ad vota solemnia proximo. Nunc audiamus quid dixerit Ballerini de Clerico similiter habituato atque ad Subdiaconatum proximo.

Postquam Gury, relata simpliciter sententia S. Ligorii, dixerit (ut supra vidimus): « Alii tamen in tota ista quaestione « apud eundem S. Ligorium aliter sentiunt », Ballerini subiunxit: « *Proderit* circa eiusmodi *controversiam* ea legisse, « quae Card. De Lugo disserit de Novitio, qui..... patiebatur « *frequentes* lapsus carnis voluntarios, quos Confessario mani- « festabat in confessione, et postea saepius reincidebat. Confes- « sarius enim iudicans, eum non esse aptum Religioni, suadebat « illi frequenter ut ad saeculum rediret, vel Superiori fragili- « tatem suam extra confessionem aperiret; imo ad id tandem « poenitentem obligare tentavit, significans se deinceps, nisi « obediret, absolutionem ei negaturum. Quaesitum fuit, inquit « Lugo, an Confessarius iure id facere potuerit, an vero po- « testatis suae limites fuerit transgressus. Non vacat hic locus « ea afferendi, qui disputat ibi doctus Auctor. Illud unum non « est tacendum, ex sententia ipsius rationes omnes, quas Con- « fessarius ad suam sententiam defendendam prompsisse perhi- « betur, rem non evincere ».

Peto: 1° Recognoscitne hic Ballerini quod doctrina S. Ligorii sit certa et extra omnem controversiam? Expresse dicit quod agitur de controversia. 2° Stante controversia, constituitne Ballerini se ipsum a parte S. Ligorii? Eius nempe nota estne in favorem S. Ligorii? Esse contra illum manifeste patet.

Quid itaque de Ciolli (l. c.) dictitante *col Monitore*: « Il « Ballerini poi (ad Gury II. 718) non si pronunzia (Quid est « hoc: *non si pronunzia?* Ostendendo se ipsum contrarium, « nonne satis quid sentiat ostendit?). La sua nota (sequitur « Ciolli) è evasiva (Sed quis illum interrogavit?): contentan- « dosi di dire che non rimane persuaso (Qua de re?) DALLE « ragioni del De-Lugo ». Intelligat lector, si potest, hunc sermonem, et iudicet.

1213. Illud non est tacendum quod Vindices S. Ligorii (Vindiciae Ed. II. P. VI. n. § IV) decem et octo columnas scripserunt contra Gury et Ballerini, quia hi duo celebriores aetatis nostrae

Theologi ea quae supra retuli dixerunt. Scripsissentne Vindices columnas istas, si hi duo Theologi (prout dicunt Ciolli et *il Monitore*) non essent contrarii S. Ligorio, et illius sententiam tenerent? Nihilominus idem *Monitore* (pag. 174) eo usque procedit, ut (re iterum iterumque considerata) hos ipsos Vindices in testimonium adducat, quod Theologi *absolute omnes* (me uno excepto) S. Ligorii sententiam tenuerunt. En verba *del Monitore:* « In quel Articolo fu detto (a *Monitore* ipso) come « la dottrina di S. Alfonso sia stata seguita da quasi tutti i « Teologi che scrissero dopo il S. Dottore, mentre *dovea dirsi* « *da tutti, fino alla pubblicazione dell' opera del ch. Berardi.* « *Vedi le Vindiciae Alphonsianae ediz. 2ª Vol. II. pag.* 441 ». De verbis huiusmodi miror, vehementer, vehementissime miror. Equidem Vindices (pag. 441) dicunt: « Inter recentiores, qui « post S. Alphonsum hac de re scripserunt, nullum novimus, « qui aliter sentiat ». Sed haec propositio est contra Gury et Ballerini, contra quos dictas 18 columnas exararunt; et proinde hi duo summi nominis Theologi, iuxta Vindices, sunt excipiendi. De his duobus Theologis Vindices (pag. 436) dixerunt: « Iu- « dicio itaque clarissimorum Scriptorum, eiusmodi est praesens « quaestio, de qua aequo iure hinc inde disceptari possit ».

Concludendum est itaque quod, sive considerentur Theologi S. Ligorio coaevi, sive considerentur Theologi posteriores, doctrina S. Ligorii circa Ordinandum occulte habituatum in auctoritate fundamentum pacificum et inconcussum minime habet; quinimo Theologi maioris notae non conveniunt.

1214. *Quasnam rationes adduxit S. Ligorius, ut probaret adesse legem Ecclesiae, quae ascensum ad Ordines, non solum propter homicidii et simoniae delicta occulta, sed etiam propter alia vitia occulta vetet?*

Primam rationem sumit ex Apostolo (1. Tim. 5): « Oportet « ergo Episcopum irreprehensibilem esse... sobrium, prudentem, « ornatum, pudicum, hospitalem etc. Diaconos similiter pudi- « cos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum « sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et « hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen « habentes ». Et ad Tit. (Cap. 1): « Constituas per civitates « Presbyteros... si quis sine crimine est..... Oportet enim Epi- « scopum sine crimine esse...., hospitalem, benignum, sobrium, « iustum, sanctum, continentem etc. ».

Sed haec ratio quid probat? Verba ista, quatenus referuntur ad strictam necessitatem ut quis ascendere vel promoveri ad Ordines possit, quo sensu intelligi debent? Audiamus Doctores et SS. Patres.

1215. S. Thomas (1. Tim. 3) dicit: « *Irreprehensibilis*, idest « non subiectus alicui peccato, unde *ab aliis* reprehendi possit... « *Et hi probentur primum et sic ministrent nullum crimen*

« *habentes* ; idest peccatum mortale... Nec dicit qui habuerunt, « sed habentes ; idest qui sunt notabiles et habent *infamiae* « *crimen*. Alioquin hoc esset derogare clavibus Ecclesiae ». Et ad Tit. « Dicitur *sine crimine*. Sed quis talis erit ?... Dicendum « quod aliud est crimen, et aliud est peccatum. Peccatum dicitur « quodcumque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. « Crimen autem *magnum et infame*... Non quod qui mortaliter « peccat post Baptismum non possit eligi, sed quod eligendus « *non sit infamis* ».

S. Augustinus ( Contra duas Ep. Pelag. XIV ) : « Sicut dixit : « *Si quis est sine crimine*, dixisset : *Sine peccato*, nullus in « Ecclesia recte posset ordinari minister : quippe omnes pecca- « mus. Ergo per crimen, *grave et infame peccatum* intellige ».

A Lapide : « *Sine crimine* ; non quasi velit eum tantum eligi, « qui a Baptismo non peccavit mortaliter, sed qui *crimine in-* « *fami et accusatione digno* non notetur ».

Caietanus : « Cum autem audis *si quis sine crimine est*, in- « tellige si quis est sine culpa *imputabili in iudicio* ».

Menochius : « *Si quis sine crimine est* ; quasi dicat : Ille enim « est Presbyterio aut Episcopatu dignus, qui sic vixit, ut nullus « eum merito possit in crimen vocare, quippe sit *boni nominis* « *et famae* ».

Tirinus : « *Sine crimine*, idest ( ut alibi dixi ) sit *irrepre-* « *hensibilis*, nempe quoad delictum alicuius momenti sit *boni* « *nominis et famae* ».

Concludendum est itaque quod argumentum deductum a verbis Apostoli ( si haec, prout fieri debet, non sensu arbitrario sed iuxta communem interpretationem intelligantur ) non iam sententiae S. Ligorii, sed contrariae favent ; Apostolus enim non de occulto, sed de publico crimine loquitur.

1216. Alterum argumentum S. Ligorius deducere contendit ex iure canonico.

Primus canon, qui incipit *Erubescant impii*, non est legendus cum S. Ligorio apud Innocentium III, qui illum ad alium finem et non ex integro citavit * ; sed apud Urbanum II. qui illum condidit.

En itaque verba Urbani : « Erubescant impii ( *Clerici* ) et « aperte intelligant iudicio Spiritus Sancti, eos, qui in Sacris « Ordinibus Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt po- « siti, nisi mulieres abiecerint et caste vixerint, excludendos « ab omni eorundem graduum dignitate. De manifestis quidem « loquimur ; secretorum autem et cognitor Deus et iudex est » ( Decreti p. I, XXXII. Cap. XI ).

* Finis Innocentii III erat ostendendi quod Subdiaconatus est Ordo Sacer ; et proinde citavit canon Urbani non ex integro, sed solum qua parte eius scopo deserviebat.

Ex hoc canone patet quidem, Urbanum II. fecisse legem obligantem Episcopos ad suspendendos *a divinis* Clericos *in sacris* manifeste concubinarios; non vero fecisse legem respicientem vitia occulta et obligantem Ordinandos eorumque Confessarios, ut S. Ligorius dicit.

Alter textus est eiusdem Urbani (l. c. XII) dicentis: « Ne« mo ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, « aut probatae castitatis, et qui usque ad Subdiaconatum uni« cam et virginem uxorem habuerit ». Sed hic agitur semper de Episcopo; et sedulo notandum quod, si forte antiquissimis temporibus viguerit (prout existimant plures) lex omnino vetans ne Episcopi ad Ordines admitterent eos qui cum mulieribus deliquerint, quamvis lapsus Episcopo quidem notus sed non publicus fuerit; lex ista postea abrogata, seu ad crimen homicidii restricta, fuit, ut ex pluribus iuris Canonici textibus apertissime patet. Sic v. g., Gregorius IX (Decretal. I. XI. 17) dixit: « Quaesitum est de Sacerdotibus vel aliis clericis, qui « propter reatum adulterii, periurii, homicidii, vel falsi testi« monii bonum conscientiae rectae perdiderunt. Respondetur « quod, si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel « alias notoria non fuerint, non debent hi (praeter reos ho« micidii) post poenitentiam in iam susceptis *vel suscipiendis** « Ordinibus impediri ». Hinc Benedictus XIV (l. c. n. 17) scripsit: « Auctores sane multi... hanc putant canonicae disciplinae « legem usque ad XI Eccl. saec. inviolabiliter servatam fuisse, « ut qui post Baptismum conscientiam suam lethali aliquo cri« mine, ac praesertim incontinentiae peccato maculasset, ab « omni spe ingrediendi in clericalem Ordinem perpetuo exclusi « manerent**; *vertente autem saeculo XI, ex humanae fragi« litatis consideratione factum esse, ut nova succederet disci« plina, per quam huiusmodi criminibus antea inquinati, ab » Ordinibus nequaquam excluderentur, dummodo occulta essent « eorum delicta, atque ipsi vere poenitentes de illis essent* ». Quot itaque S. Ligorius antiquissimos illos canones in medium adducat, id pro casu nostro nihil prorsus evincit; illi enim

* Concil. Trid. (XIV. 1) postea tribuit facultatem Episcopis ut ex informata conscientia possent excludere ab Ordinatione Clericos, etiam propter peccata occulta; sed aliud est quod possint, aliud vero quod ex lege Ecclesiae debeant. Ecclesia hanc rem totam eorum prudentiae reliquit. Sic itaque lex Ecclesiae hoc in puncto tribus modis se habuit: nempe Episcopi prius debebant excludere, postea debebant admittere, denique quoad exclusionem vel admissionem liberi remanserunt iuxta prudentiam.

** Quod tamen credo non esse verum. Pelagius Papa, qui non iam undecimo (ut S. Ligorius et Benedictus XIV dicunt) sed sexto saeculo vixit, in Can. *Fraternitatis* (Decr. I. XXXIV. 7) concessit ut Subdiaconus quidam viduus, qui ex ancilla sua plures filios procreaverat, ad Diaconatum promoveri posset.

respiciebant crimina, quae vel omnino publica essent, vel saltem ad Episcopi aures pervenissent; eaeque leges, ut supra dicebam, ab solos Episcopos, non vero ad ipsos Ordinandos eorumve Confessarios dirigebantur.

1217. Dein S. Ligorius recurrit ad Tridentinum (XXIII. v. et seqq.), in quo circa Ordinandos *in sacris* sequentia statuta inveniuntur. « Qui ad singulos maiores (ordines) erunt assu-« mendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, « qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, com-« mittat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promo-« veri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum « natalibus, aetate, moribus, et vita, a fide dignis diligenter « inquirat... Quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocen-« tur (Ordinandi). Episcopus autem, Sacerdotibus et aliis « prudentibus viris... sibi ascitis, Ordinandorum genus, perso-« nam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem « diligenter investiget et examinet.... Ita de gradu in gradu « (Minoristae) ascendant, ut in eis cum aetate vitae meritum « et doctrina maior accrescat; quod et bonorum morum exem-« plum et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga « Presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior, « quam antea. Corporis Christi communio maxime comproba-« bunt.... Nullus ad Subdiaconatus ordinem ante XXII, ad « Diaconatus ante XXIII, ad Presbyteratus ante XXV aetatis « suae annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singu-« los, in ea aetate constitutos, debere ad hos Ordines assumi, « sed dignos dumtaxat, quorum probata vita senectus sit..... « Subdiaconi et Diaconi ordinentur, habentes bonum testi-« monium et in minoribus ordinibus iam probati (*ut supra*), « ac litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent in-« structi, qui sperent, Deo authore, se continere posse... Qui « pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, et ad « Presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimo-« nium; et hi sint... ita pietate ac castis moribus conspicui, ut « praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab « eis possint expectari... Nullus debet ordinari, qui iudicio sui « Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis ».

1218. Sed Tridentinum verba ista direxit ad Episcopos, non vero ad Ordinandos eorumque Confessarios. Quomodo itaque continere possunt legem ullam quoad istos? Praeterea agitur semper de moribus et virtutibus externis, non vero de rebus occultis et solo Deo notis; hoc enim et non alio sensu verba Tridentini intellecta fuerunt a Canonistis. Hinc Reiffenstuel (XI. 60) dicit quod in Ordinando exigitur « *exterior* vita « morumque probitas, de qua diligens examen circa Ordinan-« dos praemitti iubetur in Concil. Trid. (Sess. XXIII) ». Et Schmalzgrueber (III. xi. § 3) similiter dixit quod in Ordinan-

dis, praeter statum gratiae et exemptionem a censuris et irregularitatibus, exigitur ut sint « bonae vitae et existimationis « *publicae; nam criminosi et infames, sive iuris sive facti* « *infamia, ordinari non debent* ». — Adde quod praedicta verba Tridentini continent quidem veram legem quoad testimonium, et inquisitionem (si haec necessaria sit) circa mores et exteriorem vitae honestatem; sed quoad conspicuitatem et senectutem in pietate aliisque virtutibus praeclaribus, regulam potius et monitum, Episcoporum interpretationi et prudentiae relictum, continent. Ita profecto rem hanc intelligunt Episcopi passim; et Canonistae dicunt quidem quod morum improbitas (ut supra), non vero quod defectus eximiae virtutis Ordinationibus obstet. Hinc rectissime dixit Giordanini (l. c. 65): « Non admittimus quod in verbis Tridentini (*circa virtutis* « *conspicuitatem*) contineatur praeceptum, sed monitum dum- « taxat et regula prudentialis ».

1219. Sed adsunt quoque argumenta positiva, quae satis ostendunt quod leges Ecclesiae Episcopos quidem, non vero Ordinandos ipsos eorumque Confessarios hoc in puncto respiciunt. Enimvero Catechismus Rom., agens de praeparatione stricte necessaria a parte Ordinandi, de sola confessione (si forte ille vitio aliquo inquinetur) verba facit, inquiens: « Ea « corporis vitia, quae in veteri lege.... aliquem ad altaris mi- « nisterio excludebant, in evangelica lege ad animae vitia « praecipue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetu- « dinem in Ecclesia servari animadvertimus, ut qui sacris ini- « tiandi sunt, prius Poenitentiae Sacramento conscientiam « purgare diligenter studeant ». Insuper Innocentius XII (Bull. *Speculatores*) sermonem dirigens ad Episcopos, dicit: « Sacer- « dotalis honor non probatis minime tribuatur; nec unquam heri « sacrilegi, hodie Sacerdotes; heri profani, hodie Sacrorum « antistites.... creentur ». Pontificale Romanum e contra, per Episcopum sermonem dirigens ad Ordinandos (*Ordin. Subdiac.*) dicit: « Si *usque nunc* fuistis ebriosi, amodo sobrii; si *usque* « *nunc* fuistis inhonesti, amodo casti ». Quid clarius? Ecclesia quod vetat Episcopis, non vetat Ordinandis. Si crimina sint notoria, admissionem ad Ordines vetat; si vero sint occulta, accessum ad Ordines non vetat.

Quod autem ex eo quod Ecclesia vetet Episcopis ne malis moribus imbutos ad Sacros Ordines admittant, nequeat inferri quod ipsi Ordinandi propter vitia occulta ab iisdem Ordinibus suscipiendis abstinere teneantur; patet etiam quia Ecclesia adhuc rigorosius exigit bonos mores in promovendis ad curam animarum. Alexander III. (Tit. 14. c. 4) dixit: « Arctius in- « hibemus ne personas, quae in Ecclesiis tui Episcopatus ad « curam animarum fuerint ordinandae, in ipsis instituas, nec « aliqua occasione (vel etiam litterarum nostrarum obtentu)

« institui patiaris, quae scientia, *moribus*, et aetate Concilii « non congruant institutis ». Sed quandonam auditum est quod aliquis, quia occulte labi soleat, ad Beneficium Parochiale licite concurrere nequeat ?

1220. S. Ligorius dicit, Ordinis Sacri dignitatem talem ac tantam esse, ut ad illum recipiendum status gratiae non sufficiat, et a recenter converso (quamvis eius peccata occulta fuerint) absque sacrilegio recipi nequeat. — Sed, si hoc verum esset, Ecclesia, quae semper accurate docuit, quaenam dispositiones necessariae sint ad recipienda singula Sacramenta, cur de dispositione ista nec populum nec Ordinandos unquam monuit ? Imo, docens populum de dispositione necessaria ad Ordines, (et quidem praecise in casu pravi habitus) cur dixit solum exigi confessionem ? Et, docens in Pontificali quaenam praeparatio requiratur in Ordinandis; cur pariter dixit solum quod exigitur *confessio praevia?* Ratio autem, cur Sacramenti Ordinis dignitas, propter culpas ex una parte occultas et ex alia iam condonatas, non offendatur, invenitur apud D. Anselmum, qui (I. Ep. 56) dixit : « Nec apud Deum reprobatur officium « alicuius propter culpam quam ipse ignoscit ; nec apud homines « dedecoratur Sacri Ordinis dignitas propter personam, cuius « ipsi peccatum non agnoscunt ». Si magna est dignitas Subdiaconatus, multo maior est dignitas Episcopatus; et nihilominus Passerinus (*De Statibus CLXXXV. II.* 54) dicere non dubitavit : « Per se essentialiter ad suscipiendum *digne* Epi- « scopatum (remotis impedimentis canonicis irregularitatis et « excommunicationis, aut alterius censurae, seu poenae) sufficit « status gratiae ».

1221. S. Ligorius postea recurrit ad sequentes D. Thomae textus.

I. « In divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi « secundum omnem habitum suum factus sit Deo formissimus « et Deo simillimus » Suppl. (XXXVI. 1).

II. « Per sacrum Ordinem aliquis deputatur ad dignissima « ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris, « ad quod (*Sacramentum*) requiritur maior sanctitas interior, « quam requirat etiam religionis status » ($2^a$ $2^{ae}$ CLXXXIV. VIII). — « Per hoc quod aliqui suscipiunt Sacrum Ordinem, « accipiunt potestatem quosdam sacros actus perficiendi... Inte- « rior perfectio ad hoc requiritur quod aliquis digne huiusmodi « actus perficiat » (l. c. VI). — « Ad idoneam executionem « ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur « bonitas excellens ; ut, sicut illi qui Ordinem suscipiunt super « plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint « merito sanctitatis; et ideo praeexigitur (*nempe ante Ordinis* « *susceptionem*) gratia ad hoc quod digne connumerentur in « plebe Christi ; sed confertur in ipsa susceptione Ordinis am-

« plius gratiae munus, per quod ad maiora (*nempe ad prae-*
« *dictam bonitatem excellentem requisitam ad executionem*
« *Ordinum*) reddantur idonei ». Suppl. (XXXV. I. ad 3).

III. « Ad minus ad hoc (*nempe ad Sacrum Ordinem*
« *conferendum*) requiritur quod nesciat Ordinans aliquid con-
« trarium sanctitati (*adesse in Ordinandis*); sed amplius exi-
« gitur, ut, secundum mensuram Ordinis vel officii iniungendi,
« diligentior cura apponatur ut habeatur certitudo de qualitate
« promovendorum, saltem ex testimonio aliorum ». Suppl.
(XXXVI. IV. ad 3). — « Ordines sacri praeexigunt sanctita-
« tem; sed status Religionis est exercitium quoddam ad san-
« ctitatem assequendam; unde pondus Ordinum imponendum
« est parietibus iam per sanctitatem dessicatis. Sed pondus
« religionis desiccat parietes, idest homines, ab humore vitio-
« rum ». (2ª 2ae CLXXXIX. I. ad 3).

1222. At vero hi textus doctrinam S. Ligorii non probant; verba enim D. Thomae heic tertio loco adducta non iam ad Ordinandos eorumque Confessarios, sed ad Ordinantes (nempe ad Episcopos), qui de qualitate promovendorum, antequam pondus Ordinum eorum humeris imponant, diligenter inquirere debent. Quoad ipsos promovendos ex D. Thoma id unum clarum est, quod peccarent mortaliter, si absque statu gratiae Ordines reciperent. Dixit enim (Suppl. XXXVI. I): « Mor-
« taliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines
« accedit ». Utique locutus est etiam de sanctitate habituali, ut patet ex verbis primo et secundo loco supra adductis. Sed quo sensu? Verba primo loco adducta, quibus dicitur, Ordinandum esse debere Deo formissimum et Deo simillimum, solam congruentiam et quidem iperbolicam (ut per se patet) indicant. Idem profecto dicendum est de verbis secundo loco allatis; ibi enim D. Thomas loquitur praecipue non de susceptione sed de exercitio Ordinum; ad quod exercitium dicit, exigi magnam sanctitatem etiam interiorem, perfectionem et bonitatem excellentem. Sed nunquid pro exercitio Ordinum (quamvis ageretur de ipsius Sacrosancti Missae Sacrificii celebratione), loquendo de stricta necessitate, plus requiritur quam status gratiae? Si itaque D. Thomas, pro eodem Ordinum exercitio, exigit sanctitatem, perfectionem et bonitatem habitualem atque excellentem, hoc non potest esse nisi ex congruentia. Si autem, ut quis possit licite Ordinem exercere, ex congruentia dumtaxat sanctitas habitualis exigitur; nunquid D. Thomas eandem sanctitatem habitualem exigere potuit ex stricta obligatione, ut quis posset Ordinem recipere? Minime certe. Ille enim in pluribus locis apertissime docuit, bonas dispositiones exigi multo magis ad exercitium quam ad susceptionem Ordinum. Sic, v. g., (Suppl. XXXVI. v) dixit: « Peccat
« mortaliter qui cum peccato mortali ad Ordines accedit; ergo

« multo fortius peccat mortaliter in qualibet executione sui « Ordinis ». Quod reapse habitualem vitae sanctitatem pro Ordinum susceptione ex sola congruentia D. Thomas exegerit; patet etiam quia non solum pro Ordinibus Sacris, sed etiam pro Ordinibus minoribus illam exegerit; ut in Suppl. (XXXVI. 1) expresse dixit.

1223. Dicit denique S. Ligorius, quod sua doctrina probatur auctoritate Theologorum, qui illum praecesserunt. R. Ante S. Ligorium doctrina, quae, praeter statum gratiae, exigit ut Ordinandi tractu temporis plus vel minus diuturno a quovis pravo habitu, etiam occulto immunes fuerint; idque tamquam conditionem omnino necessariam ut Sacrum Ordinem licite recipere possent; haec, inquam, doctrina apud Habert quidem, Iuenin, Natalem Alexandrum, Collet aliosque Rigoristarum primipilos; non vero (si forte unum vel alterum ab iisdem deceptum excipias) apud Theologos classicos reperitur.

Reapse Suarez (XVIII. xvii. 2) Tamburini (VI. ii) et Mazzotta dicunt dumtaxat quod exigitur status gratiae. Alii loquuntur quidem etiam de moribus; sed quo sensu? Audiamus illos. Navarrus (XXV. 73) « Peccat Clericus, qui notatus aliquo « peccato *notorio et depositione digno* suscipit Ordines ». Sporer (Theol. Sacr. I. v. iv. 68): « Probitas vitae ac morum « requiritur *notoria seu probata testimoniis* sufficientibus Pa- « rochi etc. ». Bonacina (V. 17) « Sexta conditio, sunt *testi-* « *monia morum*, quae solent exhiberi tempore scrutinii etc. ». Viva (IV. v): « *Episcopos debere examinare* Ordinandos in « scientia et moribus ». Palao (XXVII. viii) et Giribaldi (IV. iv) circa mores nihil aliud faciunt, quam repetere ad litteram verba Tridentini, quae, ut vidimus, non ad Ordinandos sed ad Episcopos diriguntur, moresque exteriores respiciunt. Vasquez (CCXLVI vi) dicit: « Capite XIII Tridentini statuitur « ut Subdiaconi et Diaconi ordinentur habentes bonum testi- « monium. Capite XIV idem de promovendis a Diaconatu ad « Sacerdotium statuitur; id quod semper in Ecclesia Dei ob- « servatum fuit ». Laymann et Croix de moribus ne verbum quidem (quod viderim) faciunt. Quomodo ergo S. Ligorius potuit Doctorum auctoritatem sibi vindicare, imo dicere (Prax. 78) suam sententiam esse doctrinam communem? Paucissimos nominatim citat Auctores. Audiamus illos. Salmanticenses. Isti dicunt (V. ii): « Ad hoc ut aliquis ad Ordines promoveatur, « bonitas vitae requiritur; non illa solum quae ad receptionem « omnium Sacramentorum licitam, postulatur; nimirum quod « sit expers lethalis culpae: sed ultra requiritur quod sit ho- « nestis moribus imbutus, sobrius, castus etc. Et sic ad alia « Sacramenta recipienda examen de vita et moribus non exigi- « tur, sicut ad hoc petitur a Concilio Tridentino ». Sed verba ista nonne commodissime intelligi possunt de Episcopo? Sensus

enim naturalis est sequens : « Ad hoc ut aliquis ad Ordines « promoveatur ( *ab Episcopo* ), bonitas vitae (*exterior*) requi- « ritur etc. ». — Dein cum Soto citat Sanchez, qui ( Consil. VII. t. XLVI ) scripsit : « In Promovendo ad Ordines requiritur « bonitas vitae ; quod non est intelligendum de generali boni- « tate, idest ut careat peccato mortali ; hoc enim ad omnia « Sacramenta requiritur; quia enim per hoc Sacramentum homo « ad sublimiorem statum conscendit, requiritur in eo morum « honestas ; scilicet ut sit sobrius, castus etc. ; et sic ad alia « Sacramenta non praerequiritur examen, sicut praerequiritur « ad hoc. Sic et bene notat Sotus ». Sed hic quoque Sanchez cum Soto loquitur de Episcopo, et de moribus exterioribus, qui ab Episcopo, quoad Promovendum, exigi et examinari debent. De criminibus occultis enim loquitur paullo infra ( n. 10 ) ; et ea quae dicit, potius quam S. Ligorio, contrariae sententiae favent. En sua verba : « Si Ordinandus interrogetur a suo Episcopo de « crimine suo occulto, si est tale quod impediat etiam post « poenitentiam Ordinis executionem ( *scilicet si coniunctam ha-* « *beat irregularitatem*), et cum eo non sit dispensatum, tenetur « illud fateri vel desistere ab Ordinibus ; peccat enim volendo « sic ( *nempe cum irregularitate* ) recipere Ordines ».

Quae cum ita sint, argumenta omnia, quibus S. Ligorius suam sententiam probare nisus fuit, meo sensu, soliditate ca- rent et nihil evincunt.

1224. Pro eadem tuenda S. Ligorii sententia, ad alia argu- menta aliqui recurrunt. Dicunt nempe : Clericus iste in abyssum peccatorum aut saltem in statum valde peiorem se coniiceret. Peccaret itaque contra charitatem erga se ipsum. Praeterea susciperet onera quae postea non esset adimpleturus. Ecclesiae ipsi damnosus futurus esset. Denique non potest esse vocatus.

Sed argumenta ista S. Ligorius non solum non attulit, sed etiam expresse (saltem magna ex parte) invalida esse declaravit ( VI. 73-75). Idem formaliter fecit Lugo, ut supra vidimus ( n. 1211 ). Insuper si haec argumenta valerent, si nempe occulte habituati ( etsi modo remisso ) vere tenerentur, propter ratio- nes obiectas, ex lege naturali a Sacris Ordinibus abstinere ; cur usque ad saeculum XVIII de huiusmodi lege nihil dictum fuit ? Cur Theologi solum statum gratiae bonosque mores ex- teriores exigi, et solas irregularitates vel censuras occultas obstare dixerunt ? Cur Ecclesia contra Theologos istos nun- quam vocem elevavit ? Imo cur Catechismus Rom. et Pontifi- cale Rom. expressiones supra relatas adhibuerunt ? Observari potest etiam quod in ipsis casibus notoriis populus christianus de Episcopis quidem, non vero de Ordinandis ( nisi forte mediis illicitis Ordinationem sibi procuraverint ) scandalizari, et sic culpam Episcopi, non vero Ordinandi, recognoscere videtur.

1225. Veniendo autem ad particularia, consideremus impri-

mis, an verum sit quod Ordinandus in abyssum aut saltem in statum valde peiorem, et quidem peccando gravissime contra charitatem erga se ipsum, se coniiciat? Hic quoque reminiscatur lector quod a casu, in quo circumstantiae enormissimae intervenirent, prorsus praescindo: ut puta, si cum mulieribus, vel (quod peius esset) cum aliqua muliere in particulari peccare soleret. Loquendo itaque de casu ordinario, in quo Clericus in peccata omnino occulta et solitaria identidem cadere soleat, nego prorsus quod, recipiendo Ordinem Sacrum contra charitatem erga se ipsum ullo modo delinquat.

Observandum est imprimis, ipsum (quidquid olim in contrarium scripserim) uxorem ducere non teneri. Obligatio ista neque a sensu communi Christifidelium recognoscitur, neque a Theologis, neque a Confessariis, qui de contrahendo Matrimonio simplex consilium ad summum (poenitentes enim ab ore Confessarii alia consilia quidem, sed non facile consilium matrimonii, de quo interdum scandalizantur, expectant); non vero unquam rigorosum praeceptum dant. Ratio est quia ex una parte, ad evitanda peccata, alia media nunquam deerunt, et ex alia parte Matrimonium (quod sola mors solvere poterit) onera gravissima non solum temporalia sed etiam spiritualia, et pericula non levia non solum contra alias virtutes, sed etiam contra castitatem (propter matrimonii abusus, qui hodie frequentissimi sunt) delinquendi secum fert. Adde quod contrahendo Matrimonium, homo consilia evangelica sequendi viam sibi, et quidem probabilissime per totam vitam, praecludit; et haec forsan est ratio cur poenitentes, quamvis plus vel minus habituati essent, de consilio circa matrimonium (maxime si detur cum aliqua instantia) interdum scandalizantur. Hinc Theologi semper existimarunt quod ipsum votum perpetuum castitatis, etiam in personis huiusmodi, sit de meliori bono, et proinde validum et licitum sit.

Si itaque iuvenis noster, potius quam Ordines Sacros recipere, vitam coelibem in saeculo ducere vellet; imo, si (v. g., libertatem concedendo fratribus minoribus contrahendi matrimonium) in morali impossibilitate uxorem unquam ducendi se ipsum constitueret; non peccaret. Sed peccabitne contra charitatem erga seipsum, eo quod sine uxore potius in statu ecclesiastico quam in statu saeculari vivere velit? Loquendo prius de solis peccatis contra sextum, credendum est quod minori peccandi periculo erit expositus in statu ecclesiastico. Habitus sacer quo induitur, Missa quae ab ipso quotidie celebrabitur, maxime vero conscientiae remorsus (qui in personis ecclesiasticis valde maior esse solet), suapte natura efficiunt, ut, quamvis peccata, inspecta gravitate, forte maiora futura sint; tamen, inspecto numero, valde minora (ut notavit etiam D. Th. 2. 2. CLXXXVI. x) esse debeant. Dixi dubitanter gravitatem futu-

ram esse maiorem ; si enim peccata occulta et solitaria ( etsi, praeter castitatem, religionem quoque laedant ) cum fornicationibus, concubinatibus, adulteriis, stupris, incestibus, sodomiis et bestialitatibus ( quae valde facilius a saecularibus perpetrari solent ) comparentur : illa, etiam quoad gravitatem, minora esse videntur. Sed considerarine debent dumtaxat peccata contra sextum ? Minime sane. Periculum peccandi considerandum est in complexu ; et sic differentia iam enormissima evadit, sed semper in favorem status ecclesiastici. Libertas peccandi quaquaversus in saecularibus est sine limite. Quid dixi *libertas ?* Potius ( loquendo de nostris locis et temporibus ) dicere poteram *quasi necessitas*. Hodie iuvenis, si in medio societatis adeo corruptae et impiae coniiciatur, ( ut ita dicam ) velit nolit, perversus evadet. Socii, scholae, officinae, maxime vero sectae impiissimae et respectus humani, probabilissime iuvenem nostrum intra tempus brevissimum ita illaquearent, ut quemlibet Religionis usum, et fidem ipsam sine remedio ullo amissurus esset; et notandum quod practice qui olim vestes clericales induerunt, aliis ( quasi ad maculam delendam ) perversiores esse solent. Nunquid hoc modo, iuvenis noster sacras vestes deponendo, periculum declinasset? Nunquid sibi optime consuluisset? Nunquid peccasset mortaliter contra charitatem erga se ipsum si sic non fecisset ? Bene hic repeti potest sententia Cardinalis De Lugo : « Id parum credibile est ».

Sed, dato et non concesso quod Ordinandus in maius periculum se coniiceret : nunquid ad constituendum peccatum mortale hoc sufficeret ? Finge quod iuvenis noster, ad evitandum hoc maius periculum, vestes deposuisset : et postea rediret ad Confessarium eique exponeret se medicinam aut chirurgiam exercere velle. Nunquid Confessarius ei dicere deberet : *Medici et Chirurgi adhuc magis quam Presbyteri in periculo peccandi contra castitatem versantur; id itaque tibi a fortiori nefas est?*

1226. Sed ( dicunt ) susciperet onera quae postea adimpleturus non esset. — Onera, quae vere de novo suscipit, in abstinendo a matrimonio, in perpetua habitus sacri delatione, et in recitatione quotidiana divini Officii praecipue consistunt ; sed onera ista iam adimplebit. Onus autem servandi castitatem, nempe non peccandi contra sextum, Ordinandus non iam de novo suscipit, sed illi etiam prius ex ipsa lege divina subiiciebatur, illudque, quamvis laicus evaderet et in saeculo sine uxore vivere vellet, cum maiori difficultate semper observare deberet. Circa onus istud suscipit dumtaxat maiorem obligationem, propter votum ; sed votum ( non obstante fragilitate sua ) absque ullo peccato etiam in saeculo emittere posset, ut supra vidimus. — Insuper praevisio quod talis vel talis obligatio totaliter non observabitur ; nunquid efficit ut obligationem eandem suscipere nefas sit ? Id verum esset si subiectus in vera consti-

tutus esset impossibilitate muneri suo satisfaciendi (ut puta, si quis Medici vel Confessarii officium, sine scientia hic et nunc stricte necessaria, suscipere vellet): sed quando ab ipsa hominis voluntate pendet, ut obligatio adimpleri possit, nihil obstat quominus licite eadem obligatio (praevisa quoque transgressione) suscipiatur. Hinc, non peccaret, v. g., qui matrimonium contraheret, quamvis, propter facilitatem labendi (ob speciales circumstantias) cum aliis foeminis, vel propter vitium blasphemiae, cauponae, ludi etc., praevideret se boni mariti et patris muneribus parum esse satisfacturum. Nunquid agricola, qui non solet esse iustus erga dominum fundi, peccabit si ad partes aequales faciendas se obliget? Nunquid, ex eo quod aliquis sincere promittat sed promissis stare non soleat, illicitum ei erit quamlibet in posterum promissionem facere? Haec profecto inaudita et contra ipsum sensum communem sunt.

1227. Concludendum est itaque quod nec periculum peccandi postquam Clericus Ordines susceperit, nec praevisio quod nova onera totaliter adimpleturus non erit, sunt rationes sufficientes, ut Ordinum ipsorum susceptio illicita declarari debeat. Hoc in puncto non solum Card. De Lugo formaliter (cuius verba per extensum retuli n. 1211), sed etiam ipse S. Ligorius (VI. 74), ut supra innuebam, in terminis consentit. En quomodo se exprimit: « Dices: Huiusmodi Clericus in vitio turpi *diu* versatus, « volens subdiaconatum assumere, exponitur periculo proximo « relabendi in eadem peccata, et illa augendi reatu sacrilegii, « cum sibi imponat votum castitatis perpetuo indissolubile, quod « ipse ob pravum habitum contractum difficulter observare va- « lebit; quapropter hic, velut temere agens, est indignus ab- « solutione. Sed haec obiectio, licet magnam vim habere videa- « tur, *revera tamen nullius momenti est* ». Rationes quas adducit sunt sequentes: « Si quicumque alius habituatus in lascivia, « sed iam sat dispositus ad absolutionem, vellet statim sine « experientia emittere votum castitatis, cur non poterit Con- « fessarius eum statim absolvere? Nunquid votum adhuc in eo « casu non erit de meliori bono? Si non esset de meliori bono, « esset quidem nullum; sed communissime docent Doctores quod « huiusmodi votum emissum ab habituato in lascivia est vali- « dum.... Idque diserte confirmat D. Thomas (*Opusc.* 17. 5), « ubi quaerens, an quis post *diuturnam vitam in vitiis ductam* « possit vota Religionis profiteri? Respondet, non esse expediens « magna onera hominibus tenuis virtutis imponere: *si tamen* « (addit) *mox conversi sponte propria voluerint manum mit-* « *tere ad altiora, quis eos audebit arcere?* — Praeterea si quis « sic habituatus nollet nubere, dici deberet quod non posset « absolvi, quia ipse vellet remanere in periculo proximo reci- « dendi. Sed quis unquam asseruit, Matrimonium esse remedium « necessarium ad se continendum? Scripsit quidem Apostolus:

« *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere* « *quam uri.* Verum hoc communiter ab interpretibus intelli- « gitur, nisi aliquis nolit alia remedia adhibere.... Instabis : sed « laicus nolens tunc nubere, remanet tamen liber, ut possit « nubere postea in futurum si velit ; non sic Subdiaconus post « susceptam Ordinationem. Respondetur : sed si ille laicus sta- « tueret firmo animo, nunquam velle Matrimonio ligari, sed a- « liis mediis uti, nunquid ob hoc poterit ei absolutio denegari? »

1228. Veniamus ad damnum Ecclesiae. Sed, ut melius intelligatur, quod ne ex hac parte quidem quidquam obstat, expedit ut prius munus Episcopi circa Clericos ad sacras Ordinationes promovendos prae oculis habeatur.

1229. Inter maiores Episcopi obligationes cura et vigilantia erga Clericos, recenseri debet. In hunc finem quoad Seminarium, et quoad educationem Clericorum, qui extra Seminarium degunt, servanda sunt ea, quae supra ( n. 702. XV - XVIII ) exposui. Exigendum est etiam ut Clerici propriae Paroeciae inserviant; speciatim quoad Catechismum, Parochum diligenter adiuvent, et bonum exemplum praebeant. Circa singulos Clericos Episcopus, saltem ante Ordinationes, secretas informationes capiat; nec consuetis testimoniis, quae in pagellis de stylo scribuntur, fidem plenam tribuat; ut rectissime notat S. Lig. ( VI. 803). Ab interstitiis, maxime quoad illos qui aetate iam provecta vestes clericales induerunt, non facile dispenset; interstitia enim ab Ecclesia ad hunc finem praecipue exiguntur, ut Episcopo tempus sufficiens ad Clericos probandos suppetere possit.

1230. Non sufficit quod Episcopus curam Clericorum habeat, vigilet circa illos, et de iisdem accuratas informationes capiat; sed oportet etiam ut indignos firmiter et tempestive ( ut l. c. XIX. explicavi ) excludat ; secus enim, ut rectissime dicit D. Thomas ( Suppl. XXXVI. IV) *crimen mortale committeret.* Ratio, quam adducit, est evidentissima. Dicit enim : « Mortaliter « peccaret qui res Ecclesiae temporales scienter sub periculo « poneret; ergo multo fortius qui poneret res spirituales sub « periculo. Sed sub periculo ponit res spirituales quicumque indi- « gnos promovet... Ergo indignos promovens mortaliter peccat ».

1231. Sed quis iudicandus erit indignus? R. Regula suprema datur a Tridentino ( XXIII. XVI ) dicente quod « nullus debeat « ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessa- « rius suis Ecclesiis ».

Ex hac regula suprema, aliae deducuntur ; nempe 1° Clericus notorie malis moribus imbutus, ordinari non potest; tunc enim supponi nequit quod Ecclesiae utilis futurus sit, quandoquidem ad minus magis noxius ( propter scandalum ) quam utilis erit. Hinc Sacri Canones, Theologi et Canonistae omnes semper dixerunt, quod mali mores exteriores subiecti indignitatem constituunt.

2° Si Clericus bona fama quidem gauderet, sed Episcopus de illo tale quid rescivisset, ut credere deberet, eundem magis damnosum quam utilem Ecclesiae futurum esse; tunc quoque illum tamquam indignum excludere non solum posset (ex Trid. XIV. 1.), sed deberet.

1232. Regulae istae optimae sunt, sed in illarum applicatione practica difficultates non leves exoriri solent. Quid enim, v. g., si Clericus id unum (quod sciatur) contra se habeat, quod tale vel tale crimen commiserit? R. Proderit quod Episcopus prae oculis habeat Caput IV. Tit. XI. Lib. I. Decretalium, ubi Alexander III. ad quemdam Episcopum sic rescripsit: « Ex tenore « tuarum litterarum accepimus quod N. clericus adeo deliquit, « quod, si peccatum eius esset publicum, degradaretur ab Or- « dine quem suscepit: et amplius non posset ad superiores « Ordines promoveri. Verum, quoniam peccatum ipsum fore « occultum dixisti, mandamus quatenus poenitentiam ei condi- « gnam imponas, et suadeas ut, parte poenitentiae peracta, « Ordine suscepto utatur: quo contentus existens, ad superiores « amplius non ascendat. Veruntamen, *quia peccatum occultum « est, si promoveri voluerit, eum non debes* (intellige ex Trid. « nisi bonum Ecclesiae adhuc exigat ut repellatur) *aliqua ratione « prohibere* ». Sed magis notatu digna est glossa, quae dicit: « Nota ergo quod dicit hic quod criminosus, acta poenitentia po- « test promoveri.... Quidam dixerunt quod, si promotus non est, « nullo modo debet promoveri.... Haec fuit rigida opinio, quia « res pene contra naturam est, ut aliquis sit sine peccato.... « Unde *videtur idem dicendum circa promotos et promovendos.* « Facilius tamen impeditur promovendus quam deiiciatur iam « promotus. Circa promotos Anto. et Tan. distinguunt quod « quatuor consideranda sunt. Primum scilicet quantitas crimi- « nis, utrum videlicet sit enorme vel mediocre... Secundum est « qualitas criminis, utrum scilicet sit occultum vel manifestum. « Tertium est modus publicationis, an sit videlicet publicum per « operis evidentiam, vel per iudicis sententiam, vel per spon- « taneam confessionem..... Quartum est satisfactio poenitentis « videlicet an egerit veram poenitentiam vel simulatam. — Si « crimen sit enorme et manifestum, deponitur, nec unquam « restituitur post quamcumque poenitentiam. Si vero sit enorme « et occultum, .... acta poenitentia, poterit officio suo uti, et « *ad maiores Ordines ascendere* (praeter reos homicidii).... « Si vero mediocre fuerit et occultum, acta poenitentia, pote- « rit..... *ad maiores Ordines promoveri* fortius quam in alio « casu. Si mediocre et manifestum.... per operis evidentiam « vel spontaneam confessionem; tunc, acta poenitentia, (intel- « lige *publica*) poterit cum eo misericorditer agi, secundum « quod visum fuerit Episcopo, quandoque plus vel minus.... Et « hoc totum intelligas cum veram poenitentiam egerit; quia,

« si simulatam, non restitueretur ». Qua de re S. Lig. ( VI. 803 ) iustissime dixit: « Si Praelatus sciverit Clericum alicuius « publici scandali nota intinctum fuisse, tunc non satis erit « communem probationem de eo exigere, sed opus erit ( intelli- « ge: *regulariter*) plurium annorum experientia emendationem « eius comprobare ; iuste enim tunc metuere debet, ne ille pie- « tatem affectet, ut ad Ordines perveniat, quibus susceptis ad « pristinam redibit pravitatem ».

1233. Quid si Episcopus circa mores alicuius Clerici, aut circa sufficientiam vel sinceritatem illius poenitentiae gravia dubia haberet? R. Illum ordinare non posset ; secus enim res divinas, et spirituales Ecclesiae thesauros in grave periculum coniiceret. Sed quid si in Dioecesi sacrorum Ministrorum necessitas adesset? R. Ex gradu tum istius necessitatis tum illius dubii et periculi decisio pendet; quae prudenti Episcoporum ipsorum iudicio relinqui debet. Porro periculum potest esse tale ac tantum, ut, non obstante Dioecesis necessitate, satis pateat esse melius quod talis Ordinandus e clero reiiciatur, quatenus magis noxius quam utilis futurus erit ; et tunc Episcopus illum reiicere debebit. Hinc Gelasius Papa ( Decr. I. D, LXXVII. Can. *Monachus* ) scripsit : « Quia convenientia Ecclesiae ministeria reparanda « sunt , non inconvenientibus meritis ingerenda.... ; ne, per « occasionem supplendi penuriae clericalis, vitia potius divinis « cultibus intulisse , non legitimae familiae Domini putemur « procurasse compendia ». Et S. Leo ( Epist. I. ad Afric. Ep. ) dixit: « Non est hoc consulere populis, sed nocere ; nec prae- « stare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim Praesi- « dentium salus est subditorum ». Si autem periculum non sit tantum, et Episcopus in Domino existimet, quod, considerata magna vel extrema suae Dioecesis necessitate, melius sit ut talis subiectus in clero habeatur quam non habeatur ; tunc illum ordinare poterit. Porro Ecclesia huic quoque necessitati respectum semper habuit ; et ex Can. 2° Concil. Nicaeni patet, quod antiquitus etiam Neophyti, propter magnam Ministrorum penuriam et non obstante magna necessitate praeviae probationis, imo non obstante ipso praecepto Apostolico, statim ac Baptismum suscepissent, nedum Sacerdotes sed Episcopi ordinabantur; ita ut qui heri gentilis erat, hodie Episcopus evaderet. Qua de re glossa dicit : « Si propter necessitatem aliquid « fit, videtur quod illud licite fit : quia quod non est licitum « in lege, necessitas facit licitum.... Necessitas legem non ha- « bet » *. Passerini ( *De Statibus q.* 185. *A.* 2. *n.* 55 ) facit

* Sic etiam, quando de iure suspensio necessaria fuisset, Pontifices non semel propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiae, legum rigorem moderarunt. Sic, v. g., de Beneficiatis, qui dicebant se non posse ascendere ad Ordines maiores propter indignitatem ex occultis delictis provenientem, Alexander III

quaestionem de electione Episcopi, et dicit: « Quid si (electo) « ex consuetudine peccandi, et ex pravis habitibus acquisitis « valde difficile sit in posterum vitare peccatum? » Respondet: « Nec convenit bono communi ut talis praesit, nec potest per « praeceptum compelli ut Praelaturam recipiat, *nisi adesset « maxima Ecclesiae necessitas* ».

1234. Sic itaque Episcopus (usque ad quemdam limitem) praecavere tenetur, ne subiectis periculosis Ordines conferat. Sed tenenturne ipsi Ordinandi abstinere ab Ordinibus suscipiendis, propter periculum, ne ipsi in posterum Ecclesiae noxii esse possint? R. Quando ab ipsius subiecti voluntate pendeat, quod a scandalo abstinere valeat, nec pro casu Clerici, nec pro aliis casibus in quibus munera publica quis suscepturus sit, contra sensum communem est, quod huiusmodi obligatio subsistat. Peccabit quidem quando in posterum male se geret; non vero quando, cum intentione se bene gerendi, officium suscipit. Idque maxime

(Tit. XIV. VI) statuit, privandos esse beneficiis, *nisi forte in aliis Ecclesiae servitiis valde utiles fuerint*. Et glossa dicit: « Sunt expellendi, ex quo sua « culpa fecerunt se indignos. Si tamen Ecclesiae utilitas fuerit quod non remo- « veantur, quia in aliis Ecclesiae negotiis sunt valde necessarii et utiles, tole- « rantur in ea: et ita secundum hoc dispensatur cum eis propter utilitatem: « maxime cum peccata sunt occulta ». Et Pelagius Papa (Cap. *Fraternitatis* Decret. I. XXXIV. 7), permittendo ut quidam Subdiaconus qui ex ancilla filios procreaverat promoveri posset ad Diaconatum, inter alias rationes, necessitatem Ecclesiae primo loco recensuit.

Nec valet opponere celebre effatum: *Satius est paucos habere ministros bonos, quam multos malos*. Quando enim Ecclesia sacris ministris sufficienter provisa est, effatum istud plenissime et in tota verborum extensione verum est; et tunc debent eligi solum subiecti ita boni, ut iis fidenter et tuto sacerdotalia officia committi possint. Si autem Dioecesis ministris, etiam stricte necessariis, careat (eo quod, v. g., iam plures Parocciae sine Vicariis, sine Parochiis, et prorsus derelictae existant) tunc praedictum effatum cum mica salis intelligi debet: quatenus nempe in tali casu non tantam bonitatem et securitatem quoad singulos Ordinandos exigere necessarium erit; sed, si aliter fieri nequeat, aliqui subiecti etiam non omnino tuti admitti poterunt; dummodo semper Episcopus eos magis noxios quam utiles futuros esse non iudicet; sed potius existimet (ut dixi) quod, stante ea necessitate, melius sit ut illos habeat quam non habeat. Sic enim in substantia utiles erunt. Reapse sacri canones, dum effatum praedictum in medium afferunt, in sensu a me exposito illud esse intelligendum palam faciunt. Sic, v. g., Concil. Later. dicit: « Melius « est pauciores habere ministros, sed probos atque utiles; quam plures *qui nec « quidquam sunt valituri* »; et (Decr. I. XXIII. 4) legitur: « Melius est enim « Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei ex- « ercere, *quam multos inutiles*, qui onus grave Ordinatori adducant ». Sic et non aliter intelligi debent ea quae dixi pag. 513 (lin. 22-29); quae, quamvis satis clara sint, tamen valde transversim intellecta fuerunt. Notari potest insuper quod canones isti loquebantur de casu, in quo Ordinandorum abundantia aderat, quomodo enim loqui potuissent de multis, si multi nullo modo adfuissent?

verum est, si Episcopus ipse, non obstante illo defectu cognito, eum eligere licite potuisset; aut si clericus (prout frequenter contingit) sine gravi incommodo spirituali vel temporali a via ecclesiastica recedere nequeat. Sic profecto sensit etiam De-Lugo (ut supra vidimus) inquiens : « Poenitentem non teneri « cum tanto detrimento suo impedire et praecavere damnum « alienum, quod per accidens sequi posset et praeter eius in- « tentionem ». Adde quod nos supponimus quod habitus sit occultus, et quod proinde (ut notat ipse Lugo) periculum scandali futuri exiguum sit.

1235. Dicunt denique : Clericus de quo loquimur, non potest esse vocatus.

Resp. Exigitur equidem ut a parte legis sive divinae sive ecclesiasticae nihil Sacrae Ordinationi obstet; donec enim tale impedimentum subsisteret, Deus certe Clericum reiiceret. Id interveniret, v. g, si Clericus actu ordinationis in statu gratiae non esset; vel si occulta irregularitate aut excommunicatione ligaretur; vel si prava intentione, et absque voluntate suis obligationibus postea satisfaciendi, Ordines susciperet; vel si daretur casus adeo extraordinarius, in quo (non obstantibus dictis n. 1225) Clericus Ordinem suscipiendo contra charitatem erga seipsum vel Ecclesiam omnino delinqueret.

At vero, aiunt, id non sufficit; sed positiva Dei vocatio exigitur; ut patet ex Apostolo (ad Hebraeos V) dicente : « Nec « quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tam- « quam Aaron ». — Resp. Ex textu isto evincitur dumtaxat necessariam esse vocationem externam, quae confunditur cum ipsa Ordinatione peracta a legitimo Episcopo, cui nulla pressio facta fuerit. Hoc et non alio sensu verba Apostoli ab Interpretibus intellecta fuerunt. Audiamus illos. S. Thomas : « Ponit « (Apostolus) modum perveniendi ad Pontificatum, cum dicit : « Nec quisquam sumit sibi honorem. Hoc est enim contra natu- « ram quod aliquid perducat se ad statum altiorem; sic aer non « facit se ipsum ignem, sed fit a superiore. Unde disciplina Dei « non habet quod quisquam sibi sumat honorem favore, pecu- « nia, potentia (Amos VI. 14. In fortitudine enim nostra as- « sumpsimus nobis cornua. Oseae VIII. 4. Ipsi regnaverunt et « non ex me). Sed debet vocari a Deo tamquam Aaron (Exod. « XXVIII. 1.: Applica ad te Aaron. Et ideo Dominus confirmavit « Sacerdotium eius, sicut patet Num. XVII. per virgam quae flo- « ruit). *Tales ergo debent assumi qui non se ingerunt* » (nempe, ut supra dixit, favore, pecunia, potentia vel similibus). Gagnaeus : « Nec quisquam, inquit (Apostolus), sumit sibi « honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Non debet « se Pontifex intrudere, quomodo id aetatis Iudaeorum Ponti- « fices faciebant, sed illos vocari a Deo oportet, vel per se ut « Aaron (prout accidit in Iesu Christo); vel *per electionem*

« ( ut nunc fit ), aut successionem ex Dei ordinatione factam « ( prout in veteri lege accidebat ) ». Mariana : « Nec quisquam « sumit sibi honorem. Non debet se intrudere, sed constitui a « Deo ( ut accidit in Aaron et Iesu Christo ), vel *per electionem* « ( ut accidit in aliis ) ». Gordonius : « Ponit ergo initio tres con- « ditiones veri Pontificis.... Primo *ut sit electus et non se in-* « *gerat* ». Eadem interpretatio datur a Catechismo Rom. dicente : « Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a « Deo tamquam Aaron. *Vocari autem a Deo dicuntur, qui a* « *legitimis Ecclesiae Ministris vocantur* ; nam qui in hoc mi- « nisterium *se ipsos arroganter inferunt atque intrudunt*, de « his Dominum intellexisse docendum est, cum inquit : Non « mittebam Prophetas et ipsi currebant; quo quidem hominum « genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae calamitosius « esse potest ». Consonat Trid. ( XXIII. IV ).

Utique excogitari atque etiam de facto subsistere potest alia vocatio interna, quae in quadam inspiratione et impulsu divino consistat. Sed quid senserunt Theologi de vocatione ista? Apud Auctores classicos Rigoristis anteriores mentio de vocatione interna invenitur solum circa statum religiosum ; sed dicebant, illam verum praeceptum minime constituere, hominemque liberum reliquere. Sic, v. g., Suarez ( De Relig. V. IX. 9 ) scripsit : « Ipsemet Spiritus Sanctus, dum necessitatem prae- « cepti non imponit, concedit licentiam homini vocato, ut suo « iure libere utatur ». Dum autem Theologi verba fecerunt de Ordine sacro, de vocatione ista nihil omnino dixerunt. Passim quidem instituerunt quaestionem de requisitis in Ordinando, ut licite Ordines suscipere posset ; sed inter haec requisita vocationem divinam nunquam recensuerunt. De hoc testem habemus ipsum S. Ligorium ( VI. 802 ) dicentem : « Mirum est quod tot « morales Scriptores nullum verbum faciant ( *de vocatione* ), « praeter paucos ( *nempe paucos Rigoristas vel a Rigoristis* » *deceptos* ), inter quos fuse et egregie signanter scripserunt « de hoc puncto Habert ( *magnus Rigoristarum primipilus* ) « et Concina ».

Si itaque verba Apostoli necessitatem vocationis internae non evincunt, et si Theologi classici de illa ne verbum quidem fecerunt, unusquisque videt quod res ista ( quatenus de absoluta necessitate loquamur ) solido fundamento caret. Dixi : *quatenus de absoluta necessitate loquamur* ; nemo enim negare potest, quammaxime expedire ut unusquisque, antequam statum vitae sive matrimoniale sive ecclesiasticum, aut officium perpetuum vel diuturnum, v. g., officium Parochi, eligat, seriissime perpendat, an ex bono spiritu, qui inspiratio seu vocatio divina ( iuxta regulas quas Mystici pro spirituum discretione dant ) credi debeat, moveatur. Sed aliud est sic dicere, aliud vero quod omnes statum vitae electuri, eorumve Confessarii, ad

examen istud sub gravi teneantur. Episcopi potius ad examen circa Ordinandorum vocationem, quantum ab externis signis argui potest, certe tenentur.

Adde difficultatem cognoscendi vocationem istam. Ipse Concina ( De Ordine VI. vi ) scripsit : « Arcanum divinae vocatio-« nis nos latet, Deoque soli patet. Vocatus Saul fuit, vocatus « Iudas, et ambo improbati fuerunt. Aliorum vocationis initia « mala hominibus apparuere, sed prosecutio bona et exitus « sanctus ».

Adde quod ipsi Theologi recentiores modo dubitant an vocatio ista interna exigatur sub gravi ; modo dicunt quod pravi mores deficientis vocationis signum certum non constituunt ; modo denique dicunt, non exigi vocationem praesentem et certam, sed sufficere vocationem in antecessum habitam et dubiam. Reapse Gury ( II. 720 ), agens de Ordinando qui hac interna vocatione caret, dixit : « Non potest *forte* a gravi « culpa excusari ». Et S. Lig. ( VI. 73 ) inquit : « Vitiosa vita « peracta a suo poenitente non praebet quidem ipsi ( Confessa-« rio ) certitudinem quod is nunquam fuerit a Deo vocatus. « Cur non accidere potuit quod Dominus eum aliquando vere « vocarit, et ipse auxiliis resistens iam paratis male correspon-« derit ? » Dices : Tunc Ordinandus vocationem amisit et proinde ex hoc ipso ad Sacros Ordines accedere nequit. Sed non ita sensit S. Lig. ( l. c. ) inquiens : « Ut promovendus a culpa « excusetur, sufficit ipsi quod bonum praeseferat finem * , et « Episcopo se offerat ut probetur ; dummodo non *certe* sciat « *nunquam* fuisse a Deo vocatum ». Idem dicit Scavini ( III. 552 ). Sed nonne hoc modo ( etiam iuxta Theologos istos ) necessitas vocationis interioris in praxi fere ad nihilum reducitur ?

1236. Dices : Sic Episcopus admittere posset ad Ordines eos etiam qui in posterum aliquod magnum scandalum daturi erunt.

* Sinceram nempe et seriam voluntatem habeat muneribus suis satisfaciendi. Sed peccaretne mortaliter Clericus, si principaliter ob Beneficium vel aliud commodum temporale Sacros Ordines susciperet, ita ut scilicet, si Beneficium non adfuisset, de illis suscipiendis non cogitasset ? Respondet Tamburini ( De Ordine II. iv. 12 ) : « Si id verum esset, vae Sacerdotibus, vae Clericis, vae « fidelibus ! Quotuscumque enim est qui ob finem habendi temporalia ad spiri-« tualia non moveatur ?... Certe est ( mortale ), cum quis ita movetur ab hoc « fine lucri et ita spiritualia ad illud ordinat, ut velit legem Dei in re gravi ne-« gligere, dummodo eo lucro potiatur ( *ut puta, si munera sua non adim-» plere paratus sit* )... At si huiusmodi intentionem non habeat, sed ita velit « finem illum lucri, media sua Ordinatione, ut sive expresse sive tacite sit « paratus legem Dei non negligere, hunc difficile est pronuntiare mortaliter » peccaturum ». Si tamen Clericus non solum esset plus vel minus habituatus, sed etiam ex intentione principali fruendi commodis temporalibus Sacros Ordines susciperet, casus ille, a quo in tractatione ista praescindere volo, facile constitueretur.

Nunquid hi quoque vocarentur a Deo tamquam Aaron ? R. Malus exitus aut etiam magnum scandalum secuturum cum subiecti vocatione divina stare potest. Exempla solemnissima habemus (ut notat ipse S. Ligorius) in Iuda; in Nicolao Diacono (qui electus fuit ab Apostolis et magnus haeresiarca evasit), nec non in ipso Aaron, qui, ut omnes norunt, fecit vitulum aureum et praeconis voce ad idololatriam universum populum invitavit.

1237. Instabis. Huiusmodi tamen mali exitus meliori modo possibili praecavendi sunt. Relinquere autem solis Episcopis iudicium de Promovendorum idoneitate res est plena periculi; obstare possunt enim res occultae, de quibus Confessarii dumtaxat iudices esse possunt. Statuendum est itaque, ut unusquisque Ordinandus non solum ab Episcopo, sed etiam a Confessario approbationem obtinere debeat.

R. Si res occultae ita obstent, ut Ordinandus absque peccato Ordines suscipere nequeat, tunc et hac in parte iudicium de idoneitate ad Confessarios quoque spectat. Quando autem nulla lex susceptionem Ordinum vetet; tunc Confessarii (qui legislatores non sunt, nec obligationes non subsistentes cuiquam imponere possunt) vero propriae auctoritatis abusu cum iniuria poenitentis se reos constituerent, si non solum consilia darent (quod semper facere poterunt), sed etiam Ordinum susceptionem absolute illicitam esse decernerent illamque omnino impedire vellent. Nec valeret quod cum optima intentione impediendi damna Ecclesiae id facerent; non enim sunt facienda mala ut eveniant bona. Praeterea si Confessariis in re tam gravi libertas huiusmodi relinqueretur, nonne ex hoc ipso damna alicui possibili utilitati non parum praeponderantia Ecclesiae facile obvenirent? Ita profecto. Ex imprudentia, ignorantia et zelo excessivo plurimorum Confessariorum, facile vix quisquam bonitate illa praecellenti praeditus, vix quisquam satis bonus inveniretur. Dixit ipse S. Lig. (Prax. 92): « Quis est hic et « laudabimus eum ? » Hinc heu quot subiecti, qui utiles vel utilissimi de facto futuri essent, e clero arcerentur! Heu quot brachiis utilibus et necessariis Ecclesia adeo indigens privaretur! Heu quantum, uno verbo, damnum subire cogeretur Ecclesia ab his Confessariis eius utilitatem quaerentibus!

Sed de re ista iam satis. Moneo solum quod aegerrime haec scripsi. Ad ea, quae *il Monitore* et cl. Ciolli dixerunt, nihil prorsus respondere voluissem; sed plures personae prudentes me persuasum reddiderunt, responsionem (ut veritas detrimentum non pateretur meliusque elucesceret) omnino expedire. Illam itaque dedi. Sed, si forte in posterum futurum sit ut aliquid aliud dicatur, nulla ulterior responsio a me expectetur, — Progrediamur ad alia.

1238. Pag. 532. *Quoad recitationem Matutini pro die se-*

*quenti*, S. R. C. ad dubium : « Quanam hora liceat incipere « privatam recitationem Matutini cum Laudibus vespere diei « praecedentis : in istis namque regionibus non omnium eadem « est hac de re sententia ? » Die 16 Martii 1876 ( Decr. 5653 ) respondit : « Privatam recitationem Matutini cum Laudibus « diei sequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet « inter meridiem et occasum. Atque ita rescripsit ». Hoc responso S. C. certe palam fecit, se non esse tranquillam circa aliam plurium Theologorum opinionem. Sed voluitne firmiter declarare invalidam esse recitationem Matutini, si citius ( iuxta opinionem eandem ) recitetur ? Si hoc intendisset, videtur quod dicere debuisset, talem recitationem *incipi posse* SOLUM *quando etc.*, et addere ; *Atque ita servari mandavit.*

1239. Pag. 546. lin. 15. *Quoad benedictionem nuptialem.* Haec dari debet, quamvis Coniuges ( post Matrimonium sine Missa celebratum ) simul cohabitaverint. Ita ex Decreto novissimo S. C. U. Inquisitionis ( 31. Aug. 1881 ) dicente : « Bene- « dictionem nuptialem, quam exhibet missale Rom. in *Missa* « *pro sponso et sponsa* semper impertiendam esse in matrimo- « niis Catholicorum, infra tamen Missae celebrationem iuxta « rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus « qui eam in contrahendo Matrimonio quacumque ex causa non « obtinuerint ; *etiamsi petant postquam diu iam in Matrimo-* « *nio vixerint*, dummodo mulier, si vidua, benedictionem « ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse « eosdem coniuges catholicos, qui benedictionem sui matrimo- « nii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. « Significandum vero illis, maxime si neophyti sint vel ante « conversionem ab haeresi valide contraxerint ; benedictionem « ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam « et validitatem pertinere coniugii ».

1240. Pag. 577. lin. 34. *Circa consuetudines sive decennales sive etiam immemorabiles egrediendi a Monasterio*, vide dicenda n. 1259. ad pag. 814.

1241. Pag. 612. lin. 14. *Quoad obligationem Episcoporum celebrandi Missam pro populo*, habemus decretum novissimum Leonis XIII, qui in Bulla *In Suprema* ( IV. Id. Iunii 1883 ) dixit : « Decernimus et declaramus, omnes et singulos Episco- « pos, quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos ; item « Abbates inrisdictionem quasi Episcopalem in Clerum et popu- « lum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque « festis diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex « diorum de praeccpto festorum numero sublati sunt, omni « exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione « remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam « et applicandam teneri ». Postea Pontifex dicit, unicam Missam sufficere, quamvis plures Diocceses aeque principaliter unitae

regerentur ( secus ac contingeret in Parochis plures Paroecias regentibus ) ; et Decretum istud ad Episcopos mere *titulares* minime extendi.

1242. Pag. 613. *Quoad munera quae in pastorali Episcopi visitatione Sacrarum Caerimoniarum Magistro a Rectoribus Ecclesiarum ex antiqua consuetudine dentur.* Sacrae Congregationi Conc. propositus fuit sequens casus : « In Veneta Dioe-« cesi ex antiqua consuetudine Sacrarum Caerimoniarum Prae-« fecto dari solebat quaedam retributio, monetam quae italice « dicitur *zecchino* ( Fr. 12, 18 ) nunquam excedens ; idque « propter operam quam in variis Dioecesis Ecclesiis durante « visitatione pastorali praestabat. Patriarcha Mutti retributio-« nem istam, tamquam Tridentino contrariam, vetuit. Nihilo-« minus consuetudo hanc retributionem tradendi et recipiendi « perduravit sicut antea. Actualis Sacrarum Caeremoniarum « Praefectus, conscientiam circa hoc tranquillam non habens, « ad S. C. C. recursum habuit, quae sequentia quaesita exa-« minavit. I° An Sacerdos N. retributionem percipere valeat « in casu? Et quatenus negative; II° An et quomodo indulgen-« da sit absolutio in casu? Responsio fuit: Ad primum negative, « nisi operam suam praebeat a Rectoribus Ecclesiarum specia-« liter invitatus. Ad secundum affirmative in omnibus, facto « verbo cum SS.mo ». Die 17 Dec. 1881.

1243. Pag. 606. et 627. lin. 30. *Circa Canonicos qui* 1° *praetextu vacationum et statuti particularis absunt a choro etiam tempore Quadragesimae, vel Adventus, vel in maioribus Solemnitatibus ;* 2° *ratione consuetudinis immemorabilis in vacationibus legitimis fruuntur distributionibus, quamvis choro non interveniant,* novissimum adest Decretum S. C. C. ( 4 Sept. 1883 ) dicens, quoad primum, servandam esse dispositionem Concilii Tridentini ( quod Concilio Provinciali, nec non Episcopo, facultatem tribuit providendi prout expedire videbitur. Sess. XIV. VII ). Quoad secundum, Canonicos distributiones lucrari non posse, et teneri ad restitutionem, nisi petita et obtenta fuerit condonatio et absolutio ab Apostolica Sede ( Vide Decretum istud per extensum apud *Avvisatore Eccl. an. V. pag.* 222 ).

1244. Pag. 628. lin. 31. *Circa Canonicos, qui propter ministerium scholae ultra menses conciliares e choro absunt.* Indultum Apostolicum pro iis quoque exigitur. S. C. C. 1. Iul. 1882 apud *Monitore Eccl.* III. 1. *pag.* 67.

1245. Pag. 670. lin. 3. *Circa infantes qui, postquam fuerint domi baptizati, ad Ecclesiam deferuntur.* Regula non procedendi ad novum Baptismum ( sub conditione ) valet pro casu, in quo sit praesens persona ipsa quae baptizavit ( ut congrue examinari possit ) ; aut saltem praesens sit aliquis fide dignus, qui testetur Baptismum fuisse collatum a persona de cuius peri-

tia dubitari nequeat, simulque puerum fuisse baptizatum extra uterum, ita ut casus difficilis, in quo defectus intervenire potuerit, non acciderit. Praeter has circumstantias dicerem Baptismum sub conditione dari debere. Talis apud nos est praxis communis; quae approbanda videtur; si enim pueri dimitti deberent, ut interim inquisitiones fierent, haec esset res nimis incommoda et periculosa; idque speciatim si ad illud Baptisterium pueri plurimi ex dissitis partibus deferrentur. — Caeterum, quum hi infantes ordinarie ab obstetricibus baptizari soleant, quam maxime expedit, ut Parochus circa illas obstetrices, quae in Paroecia sua advocari solent, de earum circa Baptismum conferendum peritia, sive per examen sive per informationes tutas, tempestive certiorem se reddat.

1246. Pag. 694. lin. 13. dele verba: *Sub poena reincidentiae in censuram;* et vide pag. 805. lin. 1-8.

1247. Pag. 737. lin. 4. *Quoad electionem Sepulturae*, Innocentius III. (Decretal. III. XXVIII. Cap. 3. *Fraternitatem*) dicit, « eligendum esse locum magis religiosum, et viribus carere « dispositionem testamentariam eorum, qui, relictis antiquis « Ecclesiis et patrum aliorumque parentum suorum sepulchris, « contra consuetudinem Patrum veteris testamenti... ad nova « et minus religiosa loca se transferunt... (Sic enim) irratio- « nabiliter facere videntur ».

1248. Pag. 738. lin. 24. *Quoad funera, interveniente Capitulo.* S. C. C. die 22 Apr. 1882 respondit quod, si defunctus deferatur ad Cathedralem vel Collegiatam, Crux debet esse Capituli; si vero ad Paroeciam deferatur, non obstante Capituli interventu, Crux debet esse Ecclesiae Parochialis. Sed haec decisio forsan in rationibus omnino particularibus fundata fuit; quandoquidem S. R. C. interrogata « 1° Cui debeatur praecedentia « in incessu per vias occasione associandi funus, an Capitulo « Collegiatae capitulariter intervenienti, vel Parocho ipsius « defuncti? 2° Cui debeatur elatio Crucis in casu? 3° An. in- « vitato Capitulo Collegiatae, omnes tam saeculares quam Re- « gulares, necnon Parochus ipsius defuncti debeant intervenire « in Ecclesiam Collegiatam, ut omnes sub unica Cruce Capituli « incedant? Die 11 Apr. 1840 (n. 4877) respondit:

« Ad 1. Debetur Capitulo.

« Ad 2. Ecclesiae ad quam defunctus defertur, uti pluries « decretum fuit. Si vero intersit Collegiatae Capitulum, huic « debetur praelatio Crucis.

« Ad 3. Affirmative, iuxta alias decreta.

« Atque ita rescripsit, *ac servari mandavit* ».

1249. Pag. 739. lin. 26. *Circa quartam funebrem casu quo parochianus extra paroeciam obierit, neque commode ad illam deferri possit.* Iure scripto quarta funebris (quae modo tertia, modo quarta, modo dimidia, modo in genere portio canonica

appellatur, et ex Clemente III. Decretal. III. xxviii. 9. iuxta loci consuetudinem taxatur; et in dubio, ut ait glossa, taxari debet iuxta minimum) statuitur a Leone III. (l. c. Cap. I) dicente: « Statuimus, unumquemque in maiorum suorum sepulchro « iacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus « propriam eligere sepulturam..... Sed quia dignus est ope- « rarius mercede sua, tertiam partem sui iudicii (*nempe di-* « *spositionis testamentariae pro funere proprio*) illi Ecclesiae « dari censemus, in qua coelesti pabulo refici consuevit; ut, « iuxta Apostolum, sint consolationum socii qui fuerunt pas- « sionum ». Canon iste, uti patet, loquitur pro casu sepulturae electae; non vero pro casu in quo defunctus extra Paroeciam obierit neque commode ad Paroeciam suam deferri possit. Lambertini (Inst. CV. n. 44) aperte dixit: « Si plus quam tribus « milliaribus distet, tunc Parochus agrestis (apud quem civis « obiit) illum tumulo mandare poterit, nec urbanus Parochus « cadaver deposcet, nec aliquid ratione sepulturae percipere « contendet ». Hinc scripsi: *Si itaque translatio cadaveris sat commode exequi non possit: tunc ius funeris paroeciae in qua mors accidit devolvitur ex toto, quin scilicet Parocho defuncti quidquam solci debeatur.* Sed postea animadverti quod Canonistae passim (Vide Ferraris *v. Quarta* n. 7. 8. Barbosa *De Parocho* III. xxv. 26. Schmalzgueber III. xxviii. 84. Vecchiotti II. 61. De Angelis III. xxviii. pag. 13) ius ad quartam extendunt etiam ad casum Parochiani qui necessario extra Paroeciam sepeliri debuerit. Nihilominus consuetudines immemorabiles vel statuta particularia huc illuc in contrarium adsunt. Quid igitur concludendum? R. Standum esse locorum consuetudini. Pichler (III. xxviii. 6) dicit quod consuetudo contra quartam valere potest etiam in casu sepulturae gentilitiae. Ferraris (l. c. 3) dicit in genere: « Quarta funeralis..... ad hoc ut praescriba- « tur infra quartam, *vel ut nihil solvatur*, requiritur consue- « tudo 40 annorum cum titulo, aut immemorabilis ». Certe in casu nostro, quum de iure scripto nihil habeamus, quamvis simus in materia iurium Parochorum (contra quae consuetudines non valent) consuetudini, ex qua totum ius oritur, standum erit.

1250. Pag. 739. lin. 35-36. *Quoad associationem cadaveris, quando mors accidit quidem extra Paroeciam, sed defunctus facile ad illam deferri possit,* ius associationis ipsius ad proprium defuncti Parochum pertinet (ad quem assistentia quoque sui Parochiani moribundi, quamvis extra Paroeciam casu degeret, de iure spectabat; Parochus enim erga suos Parochianos iurisdictionem non solum localem sed etiam personalem habet); unde ille cum propria cruce proprioque clero ad domum, ubi defunctus adest, venire potest, sicut in sua Paroecia faceret. Vide Scarfant. ad Ceccop. Addit. 48. n. 56. et seqq. (Parochus

tamen loci ex convenientia, et multo magis si consuetudo adesset, ad comitandum cadaver invitari deberet). Ea autem quae in contrarium, tamquam decisa a S. C. C., adducuntur, non sunt ad rem. Quando dixi, contrarium ab ipsa S. C. C. decisum fuisse, oculis meis documenta citata examinare non potui; sed, quum nunc ante oculos illa habeam, nihil novi hoc in puncto inductum fuisse, aperte video.

1251. Pag. 740. lin. 39. *Quoad cadavera in curru ad Coemeterium delata sine Sacerdote.* S. R. C. ad quaesitum: « Num « liceat uti curru ad mortuos efferendos in Coemeterium; ideo- « que an liceat Parocho et Clero ritu ecclesiastico ita delatum « Fidelem ad sepulturam associare? » Die 15 Iul. 1876 respondit: « Ecclesiae ritum iubere Fidelium cadavera, utcumque defe- « runtur sive ad Ecclesiam sive ad Coemeterium, semper a « Sacerdote esse associanda ». (n. 5670).

1252. Pag. 747. lin 7. *Quoad ignorantiam circa substantiam contractus matrimonialis.* Casus practicus accidit in illis puellis, quae matrimonium quidem contrahunt, sed ignorant quod in ipso actus carnales intercedere debeant. Matrimonia sic contracta eruntne valida? R. Haec ignorantia ut plurimum non impedit consensum; huiusmodi enim puellae in confuso solent apprehendere quod ad habendam prolem aliquid exigitur, et quod magnas obligationes coniugalis status proprias contrahunt. Quamvis autem ignorent quibus in rebus haec omnia consistant, tamen intentionem habent generalem faciendi (dum matrimonium contrahunt) id quod alii faciunt; et sic implicite verum consensum praestant et valide contrahunt. Interdum tamen errorem positivum habere possunt, si nempe firmiter crederent nullam huiusce generis obligationem contrahere, prout accidit in illis quae existimant filios sibi esse deferendos ab obstetrice nullumque carnale commercium intervenire debere. Error huiusmodi utique esset substantialis; substantia enim contractus matrimonialis in traditione iuris ad corpus residet; et proinde contractus sic initus validus esse nequiret. Puella in tali casu intenderet facere non quod faciunt alii, sed quod credit ab aliis fieri; non secus ac si quis venderet obiectum, sed crederet quod venditio in simplici ostensione consisteret, neque ad ullam obiecti ipsius traditionem obligaret.

Si in praxi hic casus contingeret, recolendum esset imprimis quod per simplicem veri consensus appositionem (absque ulla Parochi et testium necessitate) postea ratificari potest. Sanchez II. xxxvii. Si autem puella a ratificatione ista abhorreret, videndum esset an etiam matrimonium civile contractum fuerit; tunc enim adhortari deberet ut illud ratum habeat, et vivo obediat. Si vero matrimonium ecclesiasticum dumtaxat fuisset celebratum, tunc considerandae essent circumstantiae; forte enim expedire posset ut puella a Curia Episcopali sententiam status

liberi exposceret. Equidem iudex ecclesiasticus puellae errorem huiusmodi obiicienti fidem non praestabit ; nihilominus duo remedia supersunt. Primum est dispensatio pontificia. Pontifex enim dispensationem a matrimonio rato et non consummato iustis de causis ( et maxime ubi de matrimonii ipsius valore dubitatur ) concedere solet ( vide casum similem apud *Monitore*, III. 1. pag. 65 ). Alterum est professio religiosa ; de iure enim in hunc fine datur bimestre ad deliberandum. Vide Scavini ( III. n. 853 ).

1253. Pag. 749. lin. 2. *Matrimonium celebratum ex metu*, in casu iuvenis qui metu mortis puellam a se defloratam duxit, stando in principiis videretur esse non solum invalidum, sed etiam tale ut per subsequentem cohabitationem et copulae usum non legitimetur. Theologi enim et Canonistae dicunt quod ad talem legitimationem necessaria essent sequentia ; nempe 1° Cessatio causae quae metum induxit ; 2° Cognitio nullitatis matrimonii ; 3° Intentio illud ratificandi ; 4° Nova matrimonii celebratio coram Parocho et testibus si metus incussio fuerit notoria vel adsit periculum quod notoria evasura sit. Ita Sanchez ( IV. xviii. 1-12 ). In praxi autem ut plurimum agitur de re notoria : putati coniuges matrimonii nullitatem ignorant ; et si iuvenis puellam repudiaret, facile adhuc reformidare deberet. Nihilominus quandonam audivimus horum matrimoniorum validitatem in dubium revocari ? Si vere essent invalida, quum agatur de casibus adeo frequentibus, non videtur verisimile quod de invaliditate ista tale ac tantum silentium servari possit. Nonnulli Auctores censent ratificari posse matrimonium durante metu, si metum passus, ut evitet ex una parte fornicationem et ex alia mortem vel alia mala comminata, malit suum matrimonium esse validum ; istud enim impedimentum est in favorem metum passi, qui potest huic favori renuntiare ; quod enim in alicuius gratiam conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. Ita Lopez, et Vera-cruz q. 3. n. 9. Quidquid sit de opinione ista, ego dicerem quod in praxi facile contingit casus in quo iuvenis ad celebrandum matrimonium inducatur efficaciter non iam a minis, sed a consiliis et precibus consanguineorum et amicorum. Dicerem etiam quod sub influxu metus gravis matrimonium interdum quidem contrahitur cum abominatione et magna animi aversione contra compartem et sine ulla coniugalis affectus dispositione, ita ut ex tali coniugio infelices exitus expectari debeant ; sed non raro ( speciatim quando non foemina sed vir metum patitur ) cum sincera voluntate compartem affectu coniugali diligendi matrimonium contrahitur. In primo casu matrimonium ex metu celebratum certe est invalidum : sed ( si absque temeritate sic dicere possum ) non item in secundo. Talis profecto videtur esse sensus et spiritus legis. Alexander III ( Decretal. IV. De Sponsal. I. xiv ) dicit :

« Matrimonium solo consensu contrahitur; et ubi de ipso quae-« ritur, plena debet securitate ilie gaudere, cuius est animus « indagandus, ne per timorem dicat sibi placere *quod odit, et « sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire* ». Et glossa subdit : « Quia *quod quis non diligit, facile contemnit* ». Si itaque supponamus, affectum coniugalem adesse iam inde ab ipsa celebratione matrimonii, nec malos exitus esse reformidandos; videri potest quod lex irritans ad talem casum non extendatur. Adde quod copula postea subsecuta, quamvis nullam ratificandi matrimonium vim haberet a parte foeminae (si illa metum passa fuisset), ut patet etiam ex celeberrima recenti decisione S. C. C. 17 Maii 1879 et 3 Febr. 1880 (*Monit.* II. n. *pag.* 17); tamen iure ipso illud convalidare videtur, si de viro (qui active procedit) agatur. Reapse Cap II. *De eo qui duxit* legitur : « Si constiterit quod tanta vis eidem illata fuerit, « quod non sponte in primam consenserit, *nec post praestitum « iuramentum ipsam carnaliter cognoverit etc.* ». Et glossa subdit : « Quia tunc consensisse videtur », et alibi : « Ex quo « carnali copulae consensit, omnis violentia sublata intelligitur ». Vide Sanchez (IV. xviii. 13), qui, quamvis contra sentiat, tamen dicit : « Haec sententia satis probabilis est ». Quid insuper si iuvenis miseram puellam, cui matrimonium promisisset, stricte et in conscientia ducere teneretur? Nunquid tunc etiam Ecclesia interdiceret sub poena nullitatis ne muneri suo satisfaceret? Quid demum si iuvenis fateretur, quod, iam cognoscens suam obligationem, independenter etiam a metu ei esset satisfacturus? Porro tunc non ex metu sed ex conscientia contraheret.

1254. Pag. 755. lin. 6. *Quoad casum foeminae, cui uterus cum utroque ovario manu chirurgica amputatus fuit*, duos Theologos celeberrimos interrogavi. Ambo rationem dubitandi recognoscunt, sed Matrimonium esse validum opinantur. Ratio est quia foemina sine ovariis vetulae formaliter aequiparatur. Utraque generationis incapax est; illa tamquam vitis cui radices amputatae, ista tamquam vitis cui radices desiccatae sunt. Si itaque valet matrimonium in vetula, valere debet etiam in carente ovariis et utero. Confirmatur, quia validum est quoque matrimonium foeminae sterilis; idque non solum si ex flexione uteri aliave causa remedium admittente, sed etiam si (ut saepe accidit) ex absoluta ovariorum atrophia sterilitas proveniat. Aliunde Sixtus V. (ut ego quoque notavi lin. 13) matrimonium eunuchorum, non propter impossibilitatem generandi, sed propter *frigiditatem*, seu impossibilitatem copulam perfectam habendi, invalidum esse definivit; unde matrimonium istud ne in remedium quidem concupiscentiae deservire potest, multo magis quia (ut scriptum reperio) non solum a parte mulieris sed ne quidem a parte viri concupiscentia sedaretur; sola enim veri se-

minis effusio concupiscentiam sedat. Aliunde ipse Sanchez (VII. XCII. 25), allatâ sententiâ nonnullorum dicentium non valere matrimonium quando matrix foeminae est destructa, subdit id esse verum solum pro casu in quo foemina *nullatenus semen recipere* (nempe copulam habere) *posset*. — A fortiori autem valeret matrimonium, si, utero amputato, ovaria intacta remansissent : tunc enim generatio (si mulier esset iuvenis) possibilis esset, quamvis foetus in manifestum mortis periculum matrem constitueret, de quo casu agit Sanchez (l. c. 27. 28).

1255. Pag. 785-790 dixi cum Gury unius mensis habitationem constantem sufficere, ut quis in Paroecia ubi degit matrimonium valide contrahere possit. Fundamentum huius doctrinae est epistola Benedicti XIV. ad Goanum, in qua pro regula datur responsio S. C. C. dicentis : observandum esse tempus quo contrahentes in loco manserunt : quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate. Canonistae, qui scribunt in ephemeride *Acta S. Sedis* (Vol. VII. pag. 555, et Vol. XI. pag. 542 et 567), doctrinam istam valde impugnant.

Dicunt I. Ad constituendum quasi-domicilium exigitur ipso iure, ut habeatur intentio immorandi in loco saltem pro maiori anni parte. Patet ex Cap. *Is qui* De Sepulturis (in VI. Decretal. III. XII. 3), ubi dicitur : « Is qui habet domicilium in « civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert « recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem : si, non « electa sepultura, decedat ibidem, non in Ecclesia dictae villae, « sed in sua parochiali, vel in ea potius in qua maiorum ipsius « ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit : dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari ». Canon iste (aiunt), ubi dicit *recreationis causa*, intelligi debet etiam de recreatione diuturna, quales hodie esse solent recreationes autumnales, quae tribus vel quatuor mensibus durant ; ita enim rem hanc intellexit Rota Romana, ut videre est apud Sanchez (III. XXIII. 12) : et Canonistae passim docent, ex dicto canone argui quod habitatio per maiorem anni partem ad quasi domicilium constituendum omnino exigitur.

Sed interpretatio huiusmodi (nisi alia adducantur argumenta) videtur arbitraria. Verbis canonis stricte inhaerendo, necessitas habitationis *per maiorem anni partem* (*et maxime etiam praecise ad effectum matrimonii contrahendi*) deduci non potest. Insuper *recreatio*, de qua Canon loquitur, nonne posset intelligi de recreatione brevi, v. g., unius vel alterius diei? Pontius (V. XII. § 2. n. 13) scripsit : « Paucis diebus concludi « et definiri solet (recreatio) ». Imo hic sensus suaderi videtur ab adverbio *quandoque*, nec non ab alio exemplo operum ruralium : haec enim morulas valde breves, non vero stabilem et constantem plurium mensium habitationem die et nocte, indicare videntur. Hinc Rebuf. (apud Sanchez l. c.) dicit : « Caput

« *Is qui De Sepulturis in VI°*, dum decidit euntem in villam « causa recreationis, non acquirere ibi Parochiam, loqui quando « non venit ad habitandum ex causa in loco, sed animo statim « recedendi : quare fugientem ob pestem, causa habitandi ali- « quo, dici statim parochianum : secus si non causa habitandi, « sed *ut uno aut altero die ibi sit* ». Nec desunt alii Theologi et Canonistae qui censent, habitationem per maiorem anni partem non exigi ad constituendum quasi-domicilium, sed sufficere habitationem breviorem, quamvis in illa determinanda non conveniant. Berardi ( *Comment. ad ius eccles. V. De form. et solemn. coniugii* ) dicit : « Tradunt pragmatici sufficere *quatuor* « *mensium* spatium, ut quis dicatur quoad hunc effectum in « Parochia domicilium contraxisse ». Ballerini ( II. 839. ) subdit : « Ut quasi-domicilium quis acquirat, et non mere hospes, sed « habitator et incola censeatur, sunt qui putant opus esse ut « maiore anni parte degere ibi velit. Tamen conformius iuri « sentire videntur, qui tenent, ad id sufficere propositum habi- « tandi *per aliquot menses* ». Pontius ( l. c. § 1 ) dixit : « Eum « qui habet alicubi etiam parvi temporis habitationem posse « contrahere coram Parocho habitationis ». Notat tamen, hoc esse intelligendum si contrahens in loco sit alienigena : non vero si quis in suo oppido, non relicto domicilio suae Paroeciae, habitaret ad breve tempus in alia eiusdem oppidi Paroecia : hac enim in re commoditas quoque adeundi Parochum domicilii respici debet, ut notat etiam Fagnanus ( Cap. *Significavit De Paroch.* ). Emm. Sà ( v. *Parochus* n. 7 ) scripsit : « Ad Matri- « monium vero sufficit vel modica habitatio ». Pontius dicit, hanc doctrinam reperiri etiam in Aphorismis expurgatis per Magistrum Sacri Palatii, et notat quod, si Parochus brevis habitationis pro Matrimonio non sufficeret, correctio praetermissa non fuisset ab Expurgatore ; agitur enim de re momentosa, ex qua valor matrimoniorum pendere posset. Fagnanus ( l. c. ) dixit : « Maxima est dissensio inter Doctores qualis « habitatio requiratur ad hoc, ut quis dici possit parochianus. « Quidam putant requiri translationem domicilii, nec satis esse « qualemcumque habitationem, nisi adsit animus *perpetuo* habi- « tandi.... Quidam putant sufficere habitationem, dummodo ta- « men illa sit annalis *vel pro maiori anni parte*.... Alii vero « tenent *ex sola habitatione quem effici parochianum, dummodo* « *non sit ibi recreationis gratia vel ad ruralia exercenda, aut* « *ex alia brevi causa statim reversurus ad primam parochiam.* « Haec sententia fuit originaliter Friderici de Senis, ubi respon- « dit, ad ius parochiale esse attendendam praesentem habitatio- « nem, non domicilium ; ideoque in eodem anno quem effici « posse parochianum plurium Ecclesiarum ».

Sententia ista, quamvis sit minus communis apud Doctores, tamen fuit semper magis adoptata a S. C. C. ; quandoquidem

apud Farinacium ( in Noviss. ad Sess. XXIV. Concil. Trid. I. 3 ) reperiuntur sequentes decisiones : « Proprius Parochus est in « cuius Parochia contrahentes habitant tempore quo matrimo- « nium contrahitur ». « Quando Matrimonium contrahitur inter « duos alienigenas et a parvo tempore in aliquo loco habitantes, « qui tamen sint cogniti et non comprehensi inter vagabundos *, « proprius eorum Parochus esse intelligitur in cuius Parochia « habitant eo tempore quo matrimonium contrahunt ». Fagna- nus alias sequentes decisiones refert : « Cum iuvenis nobilis et « meretrix Senensis cuperent invicem Matrimonio copulari, et « dubitarent, ne, si Matrimonium in civitate Senarum contra- « herent, parentes impedirent, Romam accesserunt; ibique *a-* « *liquantisper* commorati, coram Parocho in cuius Paroecia « habitabant contraxerunt. S. C. censuit Matrimonium esse va- « lidum..... ; et alias generaliter consulta an proprius Parochus « quis dicatur, in cuius Paroecia contrahentes habitant tempore « quo Matrimonium contrahitur, respondit : Ita dici..... Item « respondit de matrimonio alterius, qui ob eandem causam se « in Angliam contulit, et ibi *aliquantisper* moratus coram « Parocho habitationis contraxit ». Sed quid significat istud *aliquantisper ?* S. C. apud eundem Fagnanum respondit : « Si « ( tempus habitationis ) fuerit saltem *unius mensis*, dandam « esse decisionem pro validitate ; alias de novo referendum in « Congregatione ». Habitatio itaque unius mensis, ad consti- tuendum quasi-domicilium ( saltem ad effectum matrimonii con- trahendi ) sufficit absolute ; si vero habitatio fuerit mense brevior, tunc distinctiones locum habere poterunt, unde S. C. dixit : « Alias de novo referendum in Congregatione ». Argu- mentum itaque, quod hodie a Canonistis adducitur, quod scilicet firmum et inconcussum in iure semper fuerit, exigi habitatio- nem, per maiorem anni partem sin minus effectivam saltem in intentione, ut quis valide matrimonium celebrare possit; firmum revera et inconcussum non videtur: contraria enim opinio vere adest, et Sacrae C. C. magis placuit. Utique S. Rota aliter sensit: sed Pontius dicit : « Non obstare decisiones Rotae ; his « enim ego oppono Congregationis ( Concilii Tridentini ) decla- « rationes; quae maius pondus auctoritatis habent... Cum prae- « sentia proprii Parochi solo iure novo Tridentini introducta « sit, et Congregatio Concilii, quae praecst declarandis dubiis

* Credo excludi vagabundos et personas incognitas, non quia invalide sed quia illicite Parochus assisteret; tunc enim prius indagines fieri deberent. Circa vagabundos hoc est certum atque decisum ( cf. Pontius l. c. n. 8 ). Circa alios non vagabundos, sed incognitos, Benedictus XIV ( Epist. ad Goanum ) dixit : « Natalis Alexander animadvertit, ad acquirendum quasi domicilium oportere, « ut contrahentes, antequam Matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, « ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque perspecti ».

« quae ex Concilio oriuntur, declaraverit satis esse Parochum « etiam modicae habitationis ».

Dicunt II. Benedictus XIV. in Epistola ad Goanum dixit quidem sufficere mensem habitationis, sed non absolute ; bene vero solum pro casibus, in quibus vere praesumi debeat, quod contrahentes habuerint intentionem illuc remanendi per maiorem anni partem, quatenus indicia gravia contra intentionem istam non adsint.

Sed haec etiam interpretatio mihi non videtur legitima. Archiepiscopus Goanus dubium exposuit Benedicto XIV circa suos dioecesanos, qui, ut ipsorum matrimonium nullum obstaculum subiret, extra Dioecesim migrabant ad illud celebrandum, *coque celebrato, subinde ad Dioecesim regrediebantur*. Benedictus XIV respondit, non obstare quod extra Dioecesim migraverint in fraudem, dummodo illuc quasi domicilium prius contraxerint. Quum itaque tota difficultas reduceretur in determinando quid exigatur ad quasi domicilium acquirendum, Pontifex dixit : « Hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, « antequam Matrimonium contrahatur, spatio saltem unius « mensis ille qui contrahit habitaverit in loco ubi Matrimonium « celebratur ». Deinde citat sequentem decisionem S. C. C. : « Vir et mulier Traiectenses, timentes impedimentum a paren- « tibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, « et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. C. « censuit exprimendum esse tempus quo contrahentes Aquisgra- « nae manserunt ; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam « esse decisionem pro validitate ». Postea verba facit de casu in quo contrahentes, matrimonio contracto post unum mensem, *statim* domum regressi fuerint. Discessus huiusmodi ( nisi constaret quod ex circumstantia impraevisa contigisset ) utique palam faceret quod intentionem habitandi illuc pro maiore anni parte non habuerint, et quod sic ( iuxta hodiernos Canonistas ) matrimonium certe invalidum fuerit. Sed non ita sensit Benedictus XIV ; dixit enim, Sacram Congregationem ita decrevisse validitatem matrimonii transacto mense, ut subsequentem habitationem nullo modo exegerit ; et quamvis ipse apertam legem ( quae quodlibet dubium e medio tolleret ) hac de re ferre noluerit, tamen decisionis probabilitatem recognovit, illamque pro regula proposuit. Vide textum integrum ( n. 847 ) allatum.

Ita quidem mihi videtur cum Gury ; sed haec omnia dicta sint, salvo meliori iudicio, et speciatim cum maxima reverentia erga Theologos et Canonistas sapientissimos, qui contrariam tuentur sententiam.

Pag. 785. retuli opinionem Sanchezii dicentis quod quasi-domicilium extra propriam paroeciam per maiorem anni partem contractum destruit parochialitatem pro tempore quo parochianus in loco quasi-domicilii habitat ; sed hoc sic absolute dictum

(saltem quoad Sacramenta) nunc mihi videtur non esse verum. Credo, diuturnam et constantem, saltem per integrum annum, absentiam exigi. Scripsit Pontius (l. c.): « Eum qui habet « alicubi etiam parvi temporis habitationem posse contrahere « et coram Parocho habitationis, et coram sui domicilii Paro- « cho, si velit, aut si eo forte accederet Parochus domicilii; « neque enim modica illa aut longiori habitatione amittit do- « micilium *seu parochialitatem*), ut notum est... Quare coram « utroque (Parocho) potest indifferenter contrahere, sicut de « eo qui duo domicilia habet eodem tempore ». Aliqua differentia tamen est inter casum et casum, quatenus, ad contrahendum valide coram Parocho quasi-domicilii, praesens habitatio in eius Paroecia exigitur: quod non est necessarium quando duo vera domicilia habentur, ut dixi n. 849.

1256. Pag. 809. lin. 23. Episcopi habere solent ad annum sequentes facultates delegabiles:

1° Indulgendi quibuscumque personis, ut Loca Pia et Ecclesiasticos apud Iudices laicos in causis civilibus convenire, ac etiam in causis criminalibus, quae periculum capitis nullimode afferant, accusare valeant, dummodo accusatores aliter propriae indemnitati nequeant consulere, et, quatenus sint Ecclesiastici, facta prius protestatione iuxta S. Canones.

2° Habilitandi Ecclesiasticos quoscumque ac Loca Pia, ut in iudicium coram Iudicibus laicis tam active quam passive comparere, ac proprias causas civiles tantum ac profanas agere valeant.

3° Indulgendi pariter iisdem ut citati apud forum saeculare criminales causas agere, ac se defendere valeant.

4° Permittendi Iudicibus laicis aliisque Executoribus, sibi ob morum integritatem et studium Religionis benevisis, ut in causis tam civilibus mere profanis, quam criminalibus, quae non afferant periculum capitis, ecclesiasticas personas, Ecclesiae bona ac Loca Pia respicientibus agere possint, ac huiusmodi facultate utantur cum recta ratio et bonorum morum conservatio id postulare videantur, omnibusque perspectum sit non proprio iure, sed speciali facultate ab Apostolica Sede delegata procedere.

5° Permittendi iisdem Executoribus, ut contra delinquentes et suspectos, si ad locum immunem confugerint, servatis quantum fieri potest debitis cautelis, valeant procedere, remoto scandalo, caute et prudenter manifestando facultatem ad eos actus impetratam ».

N. B. Hae ultimae duae facultates delegari possunt ab Episcopo etiam Confessariis in singulis casibus, facta in unoquoque casu expressa mentione Apostolicae Auctoritatis eidem Episcopo delegatae.

1257. Pag. 810. n. XI. *Quoad excommunicationem speciali*

*modo reservatam contra usurpantes vel sequestrantes bona ecclesiastica.* Iuxta Avanzini heic non de quibuslibet usurpantibus, sed solum de principalibus usurpationis auctoribus sermo fit. Sequestrantes autem intelliguntur ab Auctoribus communiter, qui vere sunt tales stricto sensu, nempe qui, relicta proprietate legitimo possessori, ad cautionem dumtaxat per iudicis sententiam ei rem suam adimunt. Imo aliqui movent dubia circa ipsos actores et apparitores, et dicunt, solum iudicem sequestrum iubentem huic excommunicationi subiacere. Vide D'Annibali (n. 87), Ciolli (n. 97), Formisano, Ballerini, Comment. Patav. etc.

1258. Pag. 814. lin. 31. *Quoad illos, qui sectae massonicae etc. corypheos occultos intra mensem non denunciaverint*, censura contracta ex hac procrastinatione (si tandem denunciatio fiat) non cessat per se, bene vero cessat esse reservata, et proinde a quovis Confessario absolvi potest. Ita communiter.

1259. Pag. 814. n. VI. *Quoad Moniales exeuntes e clausura* S. C. Inquisitionis sic interrogata fuit: « Vi Constitutionis « *Apostolicae Sedis*, Moniales e clausura exeuntes, extra casus « et formam a S. Pio V. in Const. *Decori* praescriptam, ex- « communicationi latae sententiae Rom. Pont. reservatae su- « biiciuntur. Sed in hac Dioecesi, ut etiam in pluribus aliis, « omnino ab immemorabili conceditur iisdem egressus ex causis « gravibus ab Episcopo recognitis et probatis, iuxta Concil. « Trid., et nulla ratione habita Constitutionis Pianae. Quaeri- « tur ergo, utrum particularis ea et immemorabilis consuetudo « per dictam novam Constitutionem (*Apostolicae Sedis*) abroga- « ta censeri debeat, an vero continuari possit? » S. C. respondit (22 Dec. 1880): « Affirmative ad primam partem; negative « ad secundam: nempe quoad egressum Monialium a clausura « servandam esse Const. S. Pii V. *Decori*, contraria consuetu- « dine non obstante ».

1260. Pag. 820. lin. ult. *Quoad officia congregationis charitatis*, sciendum est quod S. Poenitentiaria hodie concedere solet Episcopis petentibus facultatem habilitandi Praesidentes vel Consiliarios Locorum Piorum etiam ad alienationem immobilium. En formula Poenitentiariae: « S. Poenitentiaria de spe- « ciali et expressa Apostolica auctoritate, attentis peculiaribus « temporum circumstantiis, Ordinario N. facultatem concedit « indulgendi ut Christifideles sibi benevisi officia Congregationis « charitatis, de quibus in precibus, assumere valeant, cum obli- « gatione curandi utilitatem Locorum Piorum, quorum bona « a Congregatione ipsa administrantur, vel in posterum admi- « nistrabuntur; facta praelaudato Ordinario potestate dirigen- « di eos, prout in Domino magis expedire iudicaverit, in pe- « ragendis negotiis ad huiusmodi officia pertinentibus, non ex- « clusa alienatione bonorum etiam immobilium, ita tamen ut

« iudicio memorati Ordinarii evidens sit utilitas causarum pia-
« rum, et absit praeiudicium tertii, nec suppetat tempus
« recurrendi ad S. Sedem » Cf. Monit. Eccl. III. 1. pag. 100.

1261. Pag. 821. n. 883. *Quoad Clericos in sacris Matrimonium contrahere praesumentes.* Hodie definitum est quod, ad incurrendam excommunicationem, sufficit matrimonium civile. S. C. Inquisitionis (22 Dec. 1880) de hoc interrogata respondit: « Clericos in sacris constituros vel Regulares aut Moniales
« post emissum solemne castitatis votum, praesumentes con-
« trahere matrimonium, sic dictum, civile, in locis ubi lex
« Tridentina de clandestinitate viget, incurrere in excomm.
« latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam ».

1262. Pag. 822. lin. 7. *Circa abortum.* Delenda sunt verba *Comment. Patavin.*; non enim Commentatores Patavini, sed cl. D'Annibali (Comment. n. 153) censet quod abortus executores, seu illum procurantes *nomine alieno*, a censura eximantur. Ea sua verba: « Eam incurrunt, ut antea, et qui iubet
« et qui mandat abortum fieri; non item (secus ac antea) qui
« illum consulit, vel procuranti opem praestat: ut ecce qui
« pharmacum parat: immo nec qui iussu aut mandato alterius
« facit, at mulier abigat: nam *procurantes* accipere hoc loco
« debemus, ut in veteri iure, non eos qui pro alio, sed eos qui
« sive per se sive per alium curant, faciunt, ut mulier eiiciat ».
Huic sententiae novissime adhaeret Io. Pennacchi Professor Romanus (De Abortu et embryotomia Art. I. Cap. 1); qui tamen (nescio quo sensu) postea absolute dicit (pag. 23): « Medicorum
« et obstetricum praesertim opera abortus procurantur; qui,
« cum directe agant et liberrime, lata excommunicatione certe
« afficiuntur, sicut et omnes alii qui eadem in iisdem conditio-
« nibus perficerent ». Quidquid sit de hoc, mihi placet definitio quam idem Professor dat de abortu dicens, illum esse dolosam ejectionem foetus ex utero matris.

1263. Pag. 822. lin. 10. Hinc iure merito hic Auctor craniotomiam seu embryotomiam, quae a medicis fit ad matrem salvandam, a censura eximit; ex una parte enim haec operatio non est dolosa, et ex alia in operatione ista non de ejectione sed de extractione agitur. Adde quod Const. *Apostolicae Sedis* loquitur certe iuxta sensum Bullae *Effraenatum* Xisti V., qui non de medicis dictam operationem facientibus, sed de effraenata perditissimorum hominum audacia, de libidinosa impiorum hominum crudelitate, de crudeli libidine etc. in proemio verba facit; omnes autem norunt quod proemium, in quo finis legis indicatur, tutissimam normam suppeditat circa sensum, quo lex ipsa intelligi debet. Sanchez (De Matr. II. xxxvii. 3).

Sed craniotomia in casu extremo (quando nempe, ea seclusa, mater simul et foetus essent proxime morituri) eritne licita? Pro illiceitate stant Pacificus Ciarmadori, Apologista

Catholicus *di Mondovì*, Alexander Ciolli, et Alph. Eschbach Theologiae Doctor et Gallici Seminarii Romani Rector. Sed pro liceitate stant Avanzini (*Acta S. Sedis Vol. VII. pag* 265 ; Stephanus Apicella ; Viscosi (qui ex professo et copiose de hoc argumento tractavit) ; Baltes Episcopus Altonensis (*Sacred Embryology*) ; cl. D' Annibali (II. 322), et novissime cl. Pennacchi, qui dicit Cardinalem Tarquini eandem opinionem tenuisse. Citantur etiam Gury (Cas. conse. 402) et Ballerini (I. 402) ; sed isti (saltem clare) non craniotomiam sed solum praematuram partus accelerationem (quamvis lethalem) licitam esse posse dixerunt.

Rationes, quae in craniotomiae favorem hucusque allatae sunt, me non convincunt. Imo argumenta quae communius adduci solent, mihi prorsus falsa videntur. Dicunt 1° occisionem non esse directam, quia medicus ad alium finem magis principalem (nempe salutem matris) occisionem dirigit. Sed tunc sicarius, qui non ex odio sed ex contractu et intuitu mercedis, hominem occidit, illum non occideret directe. Quod itaque alter finis intendatur, et occisio quaeratur tamquam medium, non impedit quin occisio ipsa sit directa, ut bene observat Ballerini (*n.* 403. *not. a*). Dicendum est potius quod occisio directa interdum (prout in casu carnificis auctoritate publica malefactorem occidentis) potest esse licita ; quo casu homicidium (quod delictum importat) non denominaretur ; dicente D. Thoma (*Quodl. XII ad* 1) : « Importat enim homicidium occisionem hominis *indebitam ;* et ideo homicidium nunquam est licitum, *quamvis occidere hominem aliquando liceat* ». — Dicunt II° quod foetus, eo quod suis evolutionibus quaerat nasci et sic matrem lethaliter torqueat, est aggressor iniustus. Sed si haec ratio valeret, tunc etiam mater quae illum claudit, et suo morbo vel mala constructione ei nativitatem impedit, esset aggressor iniustus ; unde, stando a parte foetus, liceret quoque occidere matrem. Dicunt III°, quod vita matris est pretiosior ; et quod proinde in iurium conflictu, ius filii cedere debet. Sed quandonam auditum fuit quod iniuste aggressus mortem pati debeat, quia aggressor vitam pretiosiorem habeat ? Et, praescindendo etiam ab iniusta aggressione, nunquid si mater et filius iam iam fame morerentur, posset mater filium ipsum occidere eiusque carnes manducare, quia tam mater quam filius ius vivendi habent, et in hoc iurium conflictu ius matris (utpote potior) praevalere debet ? Ego itaque dicerem quod, si qua ratio in favorem craniotomiae esset, haec a praesumpto consensu Dei (qui solus est dominus vitae et mortis) repeti posset ; videtur enim quod, stante proxima morte tam matris quam foetus, Deus praesumi debeat contentus quod ex duobus salvetur unus, nonnihil accelerando mortem foetui, qui a morte ipsa nullo modo abhorret, quum nequidem cognoscat se vitam habere ;

multo magis quia ope Baptismatis ( prius per instrumentum in utero matris collati ) eius aeternae saluti consuli posset. Aliunde sensus communis medicorum ( etiam proborum ) operationem istam tamquam illicitam habere non videtur. Accedit sensus multorum Theologorum, ut supra vidimus. Demum Ecclesia contra craniotomiam nunquam vocem elevavit, et S. Poenitentiaria hac de re interrogata ( 2 Sept. 1869 ) respondit: « Consulat probatos Auctores ». Unicum mihi superest dubium, ne scilicet, statuendo principium de liceitate occisionis, quando talis occisio in bonum redundat ideoque praesumi debeat Deum esse contentum; principium istud ruinosas consequentias habiturum sit; ut iam dixi ( n. 192. pag. 95. *in nota* ).

1264. Pag. 822. lin. 32. *Circa alienantes bona ecclesiastica sine beneplacito apostolico.* Quaesitum est an, si forte adessent consuetudines immemorabiles exequendi alienationes sine tali beneplacito extra casus a iure permissos, Constitutio *Apostolicae Sedis* has etiam consuetudines abrogaverit? S. C. Inquisitionis 22 Dec. 1880, respondit affirmative; et idem dixit de privilegiis ab ipsa S. Sede olim obtentis, quae etiam abrogata censentur, dummodo non sint specialia et personalia.

1265. Pag. 824. lin. 11. *Quoad alienationem bonorum ecclesiasticorum*, notandum quod bona non solum Monialium veri nominis, sed etiam illarum, quae dumtaxat vota simplicia habent ( si Religio a S. Sede approbata fuerit ), dispositioni Extrav. *Ambitiosae* subiiciuntur. Ita S. C. Epp. Reg. apud Lucidi ( II. § V. n. 463. ad XI ).

1266. Pag. 824. lin. 34. Ut confraternitas, Oratorium, hospitalis, vel quilibet alius Locus Pius dispositioni Extrav. *Ambitiosae* subiiciatur, non sufficit quod approbationem Episcopi vel S. Sedis obtinuerit, aut etiam visitationi Episcopi vel iurisdictioni Ecclesiae sub aliquo respectu subiaceat; sed exigitur ut praecise evaserit fundatio ecclesiastica, seu locus ecclesiasticus et sub dominio Ecclesiae. In dubio consideranda sunt indicia, et praecipue an adsit consuetudo petendi beneplacitum Apostolicum, vel an adsit Ecclesia publica cum turri etc. Ita De Luca ( VII. III. De alien. I. n. 12-13 ).

1267. Pag. 827. lin. 34. *Quoad licentias, quas Episcopi concedere possunt, si de rebus exigui valoris agatur*, sedulo notandum quod circa illas quoque evidens Ecclesiae utilitas semper exigitur; hoc enim adeo verum est ut, ea seclusa, ipsum beneplacitum Apostolicum nihil suffragaretur; et capitalia Ecclesiae permutationibus quidem et substitutionibus utilioribus, non vero alienationibus vel imminutionibus minime compensatis subiici possunt. De Luca ( l. c. n. 8 ).

1268. Pag. 828. lin. 33. *Quoad collocationem pecuniae ecclesiasticae.* Si ex una parte sit investienda et ex alia investimentum canonicum ( nempe in bonis stabilibus vel censibus

fieri nequeat, dixi consulendam esse S. Sedem circa modum collocationis, nec collocationes arbitrarias (si agatur de summis, quae ordinariam Episcopi facultatem excedant) fieri posse; quandoquidem iuxta communissimam Canonistarum sententiam pecunia huiusmodi fictione iuris habetur ut bonum immobile, et proinde sub Const. *Ambitiosae* cadere debet. Sed contra decisionem istam grave dubium concepi, maxime quia huc illuc in praxi tam ab Episcopis quam a Syndicis Monasteriorum, S. Sede nullo modo interpellata, huiusmodi capitalia sive in publicis capsis, sive etiam in mutuis fructiferis apud personas particulares collocantur. Cl. D' Annibali (Comment. 167 bis) dicit: « Alienatio non est (adeoque huc non pertinet) pecuniam... exi-« stentem in arca Ecclesiae collocare.... Dummodo, si incumbat « onus eam collocandi, collocetur in re soli frugifera vel in « censibus realibus.... Quid ubi census exulant, ceu penes nos « (Cod. It. 418)? Et puto collocari posse in nominibus debito-« rum, praediis pignori datis ». Theologum insignem maximaeque auctoritatis consului, qui mihi respondit, collocationes istas non cadere sub Const. *Ambitiosae*; huiusmodi enim pecunia neque est mobile pretiosum in sensu legis, neque est bonum immobile iuxta veritatem, sed solum fictione iuris; et sustineri potest quod Const. *Ambitiosae* intelligenda sit in stricto sensu de immobilibus iuxta veritatem. Pro hac sententia citatur etiam De Luca (VII. III. De alien. 41 - 10), qui reapse id admittit, sed solum quoad poenas. Quidquid sit de hoc, certissima sunt sequentia:

I. Ad minus quam maxime congruit ut in re adeo momentosa instructiones a S. Sede petantur.

II. Parochi nequeunt proprio arbitrio collocare capitalia ad propriam Paroeciam spectantia; quandoquidem extra omnem controversiam est quod de bonis Ecclesiae disponere nequeunt sine approbatione Episcopi, quamvis agatur de rebus pro quibus beneplacitum Apostolicum non exigatur.

III. Episcopi capitalia ecclesiastica in periculum coniicere non possunt. Venit, v. g., vir nobilis cui res malevertunt; venit Sacerdos aere alieno gravatus; venit Canonicus, venit Parochus bonorum cessioni proximus. Pecuniam petunt; enixe rogant; fructum abundantiorem promittunt. Bonus Episcopus misericordia motus consentit. Sic summae petitae dantur, et capitalia ingentia deperduntur. De iacturis huiusmodi Episcopus coram Deo et hominibus respondere deberet. S. Sedes interrogata, nonnisi difficillime magnisque adhibitis cautionibus, consentit ut pecunia ecclesiastica personis particularibus tradatur.

1269. Pag. 834. lin. 14. *Quoad excommunicationem contra imprimentes libros de rebus sacris*, S. C. Inquisitionis (22 Dec. 1880) sic definivit: « Censuram nemini reservatam infli-« ctam iis, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii

« approbatione imprimunt aut imprimi faciunt, restringendam « esse ad libros Sacrarum Scripturarum, nec non ad eorundem « adnotationes et commentarios; minime vero extendendam ad « libros quoscumque de rebus sacris in genere, idest ad religio- « nem pertinentibus, tractantes ».

1270. Pag. 837. *Quoad illos qui bona ecclesiastica a Demanio emerunt*, notandum quod hodie Ecclesia interdum concedit etiam, ut bona ipsa in plenam et absolutam ementium ipsorum aut eorundem haeredum proprietatem transeant, ope compositionis, seu solutionis cuiusdam summae in favorem entium moralium quibus eadem bona spectabant, quae summa erit maior vel minor iuxta casus circumstantias, considerando speciatim an Ecclesia pro iisdem bonis a Gubernio pensionem aequivalentem habeat, an vero secus. Vide *Monitore* III. n. pag. 64 et 94.

1271. Pag. 862. lin. 13. et pag. 876. lin. 9. dixi oportere ut, in exequendis dispensationibus matrimonialibus, Apostolicae delegationis expressa mentio fiat. Id verum est si agatur de Episcopis aut Vicariis Generalibus dispensantibus personaliter; ut patet etiam ex pagella facultatum quae a S. Poenitentiaria eisdem tribuitur. Quaestio esse potest de dispensationis validitate, si ab iisdem talis mentio non fieret; qua de re vide D'Annibali (III 426. not. 31). Si autem loquamur de Confessariis in foro interno dispensationem exequentibus, dicta mentio non exigitur (saltem necessario); in pagella enim S. Poenitentiariae ad Confessarios directa, de mentione ipsa nihil dicitur.

1272. Pag. 866. lin. 9. Quid si Episcopus dispensaret quidem antequam clausulae adimpleantur, sed ita ut decreverit dispensationem nec valere nec applicari posse nisi prius clausulae adimpletae fuerint; dicendo, v. g.: *Dispensamus, dummodo adamussim omnia adimpleantur, quae a S. Poenitentiaria exiguntur?* R. Huiusmodi dispensandi modus validus omnino videtur; sed prorsus conformis menti S. Poenitentiariae non est, futurisque dubiis verisque nullitatis periculis obnoxius erit. Tutius est ut clausulae prius adimpleantur, et, postquam Episcopus de earum adimplemento tutus evaserit, dispensationem concedat.

1273. Pag. 870. lin. 8. *Quoad dispensationem, quae in casu urgentissimo dari possit ab Episcopo etiam pro impedimento publico*; v. g., quia secus sponsi solum matrimonium civile contracturi essent; Theologum insignem Romae docentem interrogavi; qui sic mihi respondit: « Episcopi dispensant in le- « gibus universalibus *de iure extraordinario* non solum quando « adest consuetudo vel gaudent privilegio; sed etiam *ratione* « *necessitatis*. In casu autem exposito mihi videtur probabiliter « affirmari posse sufficientem dispensandi necessitatem interve- « nire ». Reapse S. Lig. (I. 190) scripsit: « Potest Episcopus « dispensare in legibus communibus Pontificiis, v. g., *in impe-*

« *dimentis matrimonii*, in irregularitatibus, in votis reservatis « et similibus, quando non est facilis aditus ad Papam et peri- « culum est in mora, quia hoc expedit ad bonum commune ». Idem dicit in substantia Benedictus XIV (De Syn. XII. VIII. 1). Quamvis itaque contraria sententia probabilissima sit, et iuxta illam aliquando responderit S. Poenitentiaria: tamen haec quoque sententia probabilis apparet, eique favere videtur decisio S. C. C. 29 Ian. 1881 (apud *Monitore* II. III. pag. 117).

1274. Pag. 877. lin. 26. *Quoad sanationem in radice matrimonii civiliter dumtaxat contracti, pro casu in quo vir in exclusione matrimonii ecclesiastici firmissimus persistat*, quaeritur: Quo pacto sanari possit huiusmodi matrimonium, eo quod ex una parte ratio Sacramenti a ratione contractus nullatenus separari valeat, et ex alia nemo recipere possit Sacramentum si in illud non consentiat, imo si firmiter illud excludat? Respondetur: Si vir, celebrando matrimonium civile et excludendo ecclesiasticum, nullam (ne quidem quantum est a parte sua) obligationem contrahere intendat, adeoque mulierem specie quidem ut uxorem sed reapse ut concubinam habere intendat; tunc certe dispensatio in radice nihil efficeret. Idem die si vir probe cognosceret, in vero matrimonio rationem contractus a ratione Sacramenti separari non posse, et nihilominus Sacramentum omnino excluderet; sic enim in verum matrimonium (propter contradictionem in terminis) consentire nequiret. Sed casus practici his modis contingere non solent. Practice agitur de hominibus, qui ex una parte verum matrimonium contrahere intendunt, et ex alia Parochum et ritum ecclesiasticum recusant, quia existimant haec non esse necessaria. Recusando autem Parochum et ritum ecclesiasticum, non ideo recusant Sacramentum, de quo praesumi debet quod ne cogitent quidem; et quatenus ita esset, Sacramenti exclusio non adesset, sed potius implicitus consensus in illud locum haberet. Sed quid si res eo usque procederent, ut Sacramentum (credendo illud non esse necessarium) excluderent? Nihilominus, iuxta Suarez (De Sacram. LXIV. x. Disp. XIII. II. in fin), Matrimonium, secluso impedimento clandestinitatis, valeret. En sua verba: « Quid dicendum sit de Matrimonio, « si contrahentes velint facere contractum, non tamen Sacra- « mentum? Si haec posterior voluntas procedat ex privato erro- « re, quo existimant Matrimonium non esse Sacramentum, « tamen reipsa velint Matrimonium contrahere eo modo.... « quo iuxta Dei voluntatem et ordinationem contrahi debet; « tunc ille error particularis non excludit sufficientem intentio- « nem ad faciendum Sacramentum quia ad hoc sufficit illa vo- « luntas universalis (*contrahendi verum matrimonium*); et « altera particularis non proprie est ex affectu et intentione « non faciendi Sacramentum, sed solum ex errore: quia pu-

« tant in re ipsa nullum esse Sacramentum ». Idem dixit San-
« chez ( De Matr. II. x. 6 ).

1275. Pag. 894. lin. 22. *Quoad iudicium complexivum unico actu faciendum ab Examinatoribus synodalibus sub poena nullitatis.* Sacrae C. C. expositus fuit sequens casus. « In quodam
« concursu Examinatores synodales ad normam Concilii Tri-
« dentini Concurrentium requisita omnia considerantes, nempe
« pietatem, morum honestatem, prudentiam etc., excluserunt
« antecedenter in suo iudicio eos omnes qui in scientia idonei-
« tatem non praesetulerant. Concurrentes sic reiecti ad S. C.
« C. recursum habuerunt, quae ad sequens dubium : An con-
« stet de mala relatione Examinatorum, ita ut deveniendum
« sit ad novum concursum in casu ? Respondit : Constare de
« mala relatione Examinatorum, et esse locum novo concursui ;
« et amplius et ad mentem ». Apud *Acvisatore* V. pag. 73.

1276. Pag. 898 lin. 7. *Quoad methodum votationis, qua Concurrens approbatus ab uno et reprobatus a tribus Examinatoribus, nihilominus appareat apud Episcopum approbatus*, interrogavi celebrem Professorem Romae docentem, qui mihi respondit approbationem istam non valere, dicente Tridentino : *Renuncientur quotcumque* AB HIS *idonei iudicati fuerint ;* quod quidem ab ipsa rei natura patet.

1277. Pag. 1131. Quoad confessiones Sacerdotum, dicendum est aliquid de casibus paullo difficilioribus, in quibus miser Sacerdos sanatoriis indigeret, vel excommunicatione, suspensione aut irregularitate aliqua innodatus ad confessionem accederet.

Loquendo prius de sanatoriis, si pro Missis non celebratis sanatoria indigeret, iam dixi recurrendum esse ad R. Fabricam S. Petri : sed hoc intelligitur pro foro externo, et litterae commendatitiae Ordinarii exiguntur. Si autem agatur de re occulta : tunc Confessarius ad S. Poenitentiariam, tacito nomine poenitentis ( eiusque exposita paupertate vel difficultate vivendi iuxta propriam conditionem ) recurrere debebit. In quovis casu observanda sunt ea quae dixi ( n. 507. V. *I.* ). Recurrendum est quoque ad S. Poenitentiariam pro aliis casibus occultis, v. g., si Sacerdos fructus beneficii ( propter simoniam, defectum residentiae etc. ) male percepisset, vel perperam expendisset.

1278. Loquendo autem de excommunicatione ; quid si complicem absolvisset ? R. Excommunicationem speciali modo Rom. Pontifici reservatam contraxisset. Idem dic si fuisset apostata, haereticus, vel schismaticus. Si legisset libros haereticorum vel apostatarum. Si citasset personam ecclesiasticam apud iudicem laicum : aut si contra sententiam vel decretum Auctoritatis ecclesiasticae ad forum saeculare recurrisset. Vide explicationes datas n. 880. et 1256.

Quid si clausuram Monialium violasset : vel in materia beneficiaria simoniacus fuisset : vel ex fine lucri collegisset elee-

mosynas Missarum, easque minori stipendio celebrare fecisset; vel ex indulgentiis aliisve gratiis spiritualibus quaestum fecisset? R. Excommunicationem Rom. Pont. simpliciter reservatam incurrisset. Idem dic si personam ecclesiasticam occidisset vel laesione physice gravi percussisset; si sectae massonicae aut simili nomen dedisset; si, modernis conciliatoribus adhaerendo, dedisset operam ut Rom. Pontifex dominium temporale a se abdicaret; vel si bona ecclesiastica a Demanio emisset, redemisset etc. Vide explicationes datas n. 881.

Quid si Matrimonium civile contraxisset; si abortum procurasset; vel si absque laesione physice gravi personam ecclesiasticam percussisset? R. Excommunicationem Episcopo reservatam incurrisset. Vide dicta n. 883. et 1261.

Quid si absque beneplacito Apostolico bona ecclesiastica alienasset, vel ab alienante recipere praesumisset? R. Excommunicationem nemini reservatam incurrisset. Idem dic si personam aliquid S. Officio denuntiare debentem, vel ipsos Inquisitores aut ministros S. Officii perterrefecisset.

Contingere potest etiam quod Sacerdos aliquam excommunicationem dioecesanam contraxisset; imo et quod a proprio Episcopo (seu, ut dicunt, *ab homine*) excommunicatus fuisset. Notandum quod, ut excommunicatio *ab homine* valeat, oportet ut trina monitio (vel una quae dicatur tribus aequivalere) praecesserit, et in scriptis lata fuerit; neque ob crimen mere praeteritum (quod tractum successivum non habeat) quisquam valide excommunicari potest. Excipe nisi ageretur de censura in lege comminata et *ferendae sententiae*, pro casu in quo culpa et contumacia esset publica; tunc enim monitio praevia non exigeretur. Reiff. V. xxxix. 27. et Ballerini (941. not. *a*).

Quid si Episcopus informationibus deceptus innocentem excommunicaret? R. Coram Deo excommunicatio (et idem dic de aliis censuris) nihil valeret; sed coram hominibus a violatione putatae censurae, propter scandalum, cavendum esset. Vide Reiff. (l. c. 43).

Excommunicatus potest esse *vitandus* et *toleratus*. Ad constituendum excommunicatum vitandum, non sufficit si publice notum sit, eum esse excommunicatum sive a iure sive ab homine; sed exigitur ut ab Auctoritate ecclesiastica fuerit nominatim et publice ut talis denuntiatus. Vide Salmant. (III. n. 11). Hoc autem aetate nostra vix unquam fit. Excipitur ipso iure publicus et notorius clerici percussor, si crimen nulla possit tergiversatione celari nullaque excusatione muniri. Sed haec etiam exceptio (apud nos) in desuetudinem abiisse videtur.

Effectus excommunicationis sunt sequentes:

I. Excommunicatus (etiam toleratus) peccat graviter si recipiat Sacramenta; debet prius poenitere, et ab excommunicatione absolutionem sibi procurare. Excipe nisi ex ignorantia,

metu gravi (v. g. infamiae), vel etiam ex necessitate satisfaciendi praecepto paschali illa recipiat, nec possit ab excommunicatione (reservata) absolutionem prius obtinere. S. Lig. (VII. 158) et vide Ballerini (II. 960. not. *a*).

II. Excommunicatus peccat graviter si Missam celebret, vel Sacramentum aliquod ministret, excepto casu necessitatis, v. g., absolvendo moribundum et alia Sacramenta ei praebendo. Imo excommunicatus toleratus licite se praestat toties quoties sit requisitus, sive expresse, sive tacite, ut puta, si populus die festo Missa indigeat (attamen absente scandalo). S. Lig. (VII. 165. 169). Vide Ballerini (l. c.).

III. Excommunicatus peccat graviter si Missam (etiam die festo) audiat, aut aliis divinis officiis assistat. Vide Gury (II. 961). Excipe semper nisi toleratus ex tali abstinentia scandalum praeberet, aut gravia incommoda (v. g., infamiam) subiret.

IV. Excommunicatus actus iurisdictionis ecclesiasticae exercere non potest. Excipe nisi sit toleratus et requisitus. Si esset vitandus, non solum illicite sed etiam invalide (excepto casu extremae necessitatis, nempe absolutionis moribundi) iurisdictionem exerceret. Gury (966).

V. Excommunicatus graviter peccat si in tali statu beneficium ecclesiasticum accipiat; non tamen beneficio iam obtento (ante iudicis sententiam) privatur. Gury (967). Vide dicta (n. 975).

N. B. Communicatio forensis et civilis hodie non videtur amplius illicita toleratis. Quoad sepulturam, vide Gury (n. 965), et recole dicta (n. 792. 793).

Effectus praedicti ab excommunicatione proveniunt immediate. Alii autem provenire possunt mediate, quatenus excommunicati interdum de haeresi suspecti evadunt, vel beneficiis iam obtentis privari valent, vel demum irregularitatem contrahere possunt. De hac irregularitate agam infra. De aliis vide Ballerini (n. 959. not. *b*).

In casu practico, si Sacerdos delictum cui excommunicatio sit adnexa accusaret, videndum an revera illam contraxerit. Causas ab hoc excusantes exposui supra (n. 879). Si esset reservata, videndum an reservationem reapse incurrerit, an vero adsint causae propter quas a comparendo apud Superiorem excusetur simpliciter aut saltem hic et nunc (l. c.). Ut plurimum facultates S. Poenitentiariae, quae Episcopis aliisque dari solent, optime deserviunt, quas (n. 899-902) exposui et explicavi. — Si ad ipsum Card. Maiorem Poenitentiarium scribere oporteret, ab eodem, casu exposito, absolvendi facultas peti deberet. Ex dictis (n. 923) norma sumi poterit. Quoad formam absolutionis vide n. 899.

1279. Quid si Sacerdos in suspensiones incurrisset? R. Pro hoc casu recolenda sunt sequentia:

I. Suspensio proprie dicta definiri potest: « Poenalis, sole-

« mnis et non perpetua ablatio potestatis ordinariae, quae « Clerico ratione sive Ordinis, sive iurisdictionis, sive Benefi- « cii, competeret ». Dixi *poenalis, solemnis et non perpetua*, quia si facultas Clerico adimeretur non propter delictum, sed propter infirmitatem vel defectum inculpabilem; aut si adimeretur sine lege praevia vel formali decreto, tunc suspensio veri nominis (quamvis in conscientia esset servanda) locum non haberet. Si autem quis in perpetuum suspenderetur, tunc depositio vel degradatio interveniret. Dixi *potestatis ordinariae, quae Clerico competeret ratione Ordinis, iurisdictionis etc.*; si enim de potestate mere delegata ageretur (v. g., si simplex Confessarius, vel Parochus amovibilis suspenderetur), tunc non proprie suspensio, sed facultatis revocatio locum haberet. Cf. Scavini (I. 858), D'Annibali, Bouvier etc.

II. Suspensio potest esse *totalis* vel *partialis*. Totalis esset si tum Ordines omnes, tum iurisdictionem omnem, tum denique Beneficia omnia a suspenso possessa respiceret. Secus, partialis esset; idque multipliciter contingere potest. Hinc, v. g., habemus suspensionem a pontificalibus, a Presbyteratu, a Diaconatu, a Subdiaconatu, ab officio, a divinis, a beneficio etc. Verbum *suspensio* suspensionem totalem vi propria significaret, sed in communi loquendi modo solam suspensionem a celebratione Missae significare solet. In casu particulari observanda est causa suspensionis et contextus sermonis. Suspensio *ab officio* suspensionem ab exercitio tum ordinum tum iurisdictionis significat. Idem dicunt Canonistae communius de suspensione *a divinis*, sed Fagnanus credit quod suspensionem a sola Missa aliisque sacris functionibus, seu divinis officiis, significet. Cf. Scavini (I. 956). Suspensio *a pontificalibus* significat suspensionem non ab omnibus Praelati officiis, sed solum ab iis functionibus, quae cum mitra, baculo aliisque episcopalibus ornamentis peragi debent.

III. Suspensio potest esse *ad tempus indefinitum*, vel *determinatum*. Est ad tempus determinatum, quando est, v. g., per annum. Est ad tempus indefinitum, quando nullus terminus designatur eritque duratura usquedum suspensus in pertinacia perseverabit et absolutionem non obtinebit. Adsunt etiam suspensiones *ad beneplacitum* Superioris vel personae laesae; (quae etiam de indefinitis participant); aut usquedum fiat restitutio, reparatio etc.

IV. Suspensio alia est *a iure*, et alia *ab homine*. A iure quae in lege sive Pontificia sive Dioecesana comminatur; et ista in *latae* et *ferendae sententiae* subdistinguitur. *Latae*, quando, delicto perpetrato, statim et ipso facto in conscientia incurritur; *ferendae*, quando, ut incurratur, iudicis sententia adhuc exigitur. — Ab homine est quae in lege non adest, sed a Superiore infligitur; quod tribus modis fieri potest; nempe

1° Praevia trina admonitione *ad modum censurae;* 2° Sine tali admonitione et ob delictum praeteritum, sed cum formali decreto *ad modum punitionis;* 3° Ob delictum praeteritum sive certum sive praesumptum, sed sine formali decreto, *et ad modum cautelae.*

V. Porro suspensio interdum est vera censura, et interdum non. Est vera censura si sit a iure; aut si monitio (quae pro licito trina esse debet, vel una quae dicatur pro tribus valere) praecesserit. Monitione non praemissa, suspensio poena vel cautela quidem: non vero censura erit. Aliqui dicunt, nequidem esse censuras suspensiones illas, quae sunt ad tempus determinatum, quamvis sint a iure; quia censura est poena medicinalis, quae, secuta poenitentia, per absolutionem cessare debet; medicina enim non ad tempus determinatum sed solum durante morbo danda est. Sed observatio ista, meo sensu, pro praxi et quoad effectus nullius momenti est, ut infra videbimus.

VI. Suspensus potest esse *toleratus* et *non toleratus.* Erit toleratus, si suspensionem a iure latam, nulla subsecuta sententia, incurrisset, neque obstaret si id notorium foret. Erit autem non toleratus, si tamquam suspensus nominatim ab Ordinario publice denunciatus fuisset. Ad hoc autem sufficit si per sententiam vel decretum a Superiore ipso nominatim suspensus fuerit: hoc enim pro denunciatione sufficienti in casu isto habetur, ut recte censet Bouvier (De Censuris VI).

VII. Suspensiones particulares latae sententiae de iure communi hodie paucissimae et parum practicae sunt. Respiciunt 1° Episcopos sine necessariis dimissorialibus vel testimonialibus Ordines conferentes; 2° Clericos ordinatos hoc modo; vel sine venia Pontificis, Sede vacante; vel ab Episcopo vitando aut haeretico aut schismatico notorio; 3° Episcopos pontificalia exercentes in aliena Dioecesi sine debita licentia expressa: vel conferentes Ordines absque titulo; vel sumentes regimen Dioecesis ante exhibitionem litterarum Apostolicarum; 4° Religiosos ejectos et extra Religionem degentes; 5° Parochos assistentes matrimonio sponsorum alienae paroeciae sine licentia.

Casus practicus itaque esse potest, si adsint suspensiones dioecesanae, aut si Sacerdos a proprio Episcopo nominatim suspensus fuerit.

VIII. Suspensio a proprio Superiore inflicta simpliciter, si Dioecesis deseratur, non cessat; est enim personalis, et sequitur personam sicut lepra leprosum. Durat etiam mortuo Superiore. Si tamen comminata fuisset tamquam ipso facto incurrenda pro delicto futuro; et Superior, delicto adhuc non commisso, mortuus fuisset; tunc non amplius incurreretur. Gousset (II. 919).

IX. Si suspensus eos actus exerceret, in quibus est suspensus, mortaliter peccaret. Excipe 1° casum extremae necessitatis (nempe moribundi, deficiente alio Sacerdote); 2° Si suspensus esset

occultus et absque infamia vel scandalo ab actibus praedictis abstinere nequiret, et idem dic de quolibet alio incommodo gravi; 3° Si suspensus esset toleratus (quamvis forte notorius), et sive expresse sive tacite esset requisitus. S. Lig. (VII. 314. 4).

Dixi *actus in quibus est suspensus*. Hinc suspensus a Presbyteratu, officia quae Diaconis, Subdiaconis, vel minoristis competunt, licite exercet. Suspensus a pontificalibus, Missam celebrare et confessiones audire potest. Suspensus ab Ordine, actus iurisdictionis, imo et eos etiam actus Ordinum, qui a laicis quoque praestari solent, exercere valet. Suspensus ab officio, beneficium (dummodo per alios suppleat) retinere potest. Nihil demum vetat quominus suspensus Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta recipiat; excommunicatio enim (non vero suspensio) Sacramentis privat.

X. Suspensus ab officio seu a iurisdictione, actus iurisdictionis valide exercet, si sit toleratus. S. Lig. (VII. 314. 4). Invalide vero si non sit toleratus, nisi error communis interveniret. Hinc invalide absolveret. Valide tamen Parochus sic suspensus assisteret matrimonio; quia adhuc Parochus esset, idque sufficit ex Tridentino; imo matrimonii validitati non obstaret si esset quoque excommunicatus vitandus. S. Lig. (VI. 1082).

XI. Suspensus a beneficio administratione et fructibus beneficii ipsius, durante suspensione, privatur. Attamen, si sit pauper, congrua sustentatio (taxanda a iudice, vel, si de re occulta agatur, a Confessario aut viro prudente) ei relinqui debet, ne cum nimio status ecclesiastici dedecore mendicare cogatur. Reiff. V. XXXIX. 170.

XII. Suspensio, si lata fuerit ad tempus determinatum, vel sub aliqua conditione, tempore illo transacto vel ea conditione impleta, cessat per se. — Si fuerit a iure inflicta, ipso facto incurrenda, absque ulla temporis determinatione, et nemini reservata: tunc, cessante contumacia, a quolibet Confessario (adhibita forma consueta) absolvi poterit. — Si fuerit ab homine, vel reservata, vel si tempus designatum nondum transactum fuerit, vel conditio nondum adimpleta; tunc absolutio vel dispensatio a solo Superiore obtineri poterit. Superior tamen alium Sacerdotem delegare potest; et pro casu isto forma absolutionis vel dispensationis habetur in Rituali (De Sacr. Poenit. in fine).

XIII. Quaenam sint facultates Episcoporum quoad suspensiones *ab homine?*

R. In praxi distinguendum est inter casum occultum et notorium. Si casus sit occultus, possunt suspensionem infligere *ex informata conscientia* (ut supra dicebam). Patet ex Trid. (XIV. 1) dicente: « Ei cui ascensus ad sacros Ordines a suo « Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen « quomodolibet etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus: *aut* « *qui a suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus eccle-*

« *siasticis fuerit suspensus;* nulla contra ipsius Praelati volun-
« tatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad
« priores ordines, gradus et dignitates, sive honores restitutio
« suffragatur ». Quod reapse Tridentinum intelligi debeat de potestate iam ordinatos suspendendi, quamvis crimen sit occultum, patet etiam ex responso S. C. C. apud Benedictum XIV (De Syn. XII. VIII. 3); et de hac re dubitari nequit. Sedulo tamen notari debet quod haec suspensio, quamvis nec monitionem praeviam nec processum exigat, tamen (hodie) debet esse ad tempus determinatum; si enim esset ad tempus indefinitum, Romae non approbaretur. S. C. C. id expresse declaravit (8 April. 1848 *in Lucionen.*) ut videre est apud Lucidi (I. III. 267). — Qui autem ex informata conscientia suspensus fuit, non potest se appellare (ad Metropolitanum). Poterit quidem suas querelas S. Sedi exponere (cui soli Episcopus suspensionis motiva significare tenebitur): sed interim suspensionem servare debebit. Cf. Bened. XIV. (l. c.). Magna lis est, utrum suspensio huiusmodi etiam propter delictum publicum ferri possit. Buix (cui favet D'Annibali I. 358) affirmat: sed alii valde communius negant: et sententia ista a Canonistis Romanis hodie pro aris et focis sustinetur; ipsaque S. C. C. eiusdem sententiae esse videtur. Vide Lucidi (l. c. 273 et *Monitore Eccl.* II. III. pag. 3. 5. 6. 113). Hoc tamen intellige, nisi simul cum publicis occulta etiam delicta suspensione digna adsint (*Monit, l c. pag.* 113). Caeterum ex informata conscientia ferri quidem poterit suspensio ab officio, non vero a beneficio, prout (contra alios) sentiunt plurimi, v. g., Buix, Vecchiotti, et D'Annibali (I. 358), qui etiam (not. 14) haec notatu dignissima habet: « Dubitandum non est, suspensiones huiusmodi ferri non posse, « nisi ferenti delictum liqueat, et penitus liqueat (quippe inau-« ditam partem condemnat).... ; quod ea verba *ex informata* « *conscientia* satis demonstrant ».

Si casus sit notorius, Episcopi regulariter procedere debebunt iuxta formam Cap. VI. Sess. XXI. Tridentini dicentis: « Eos « vero (Parochos), qui turpiter et scandalose vivunt, *postquam* « *praemoniti fuerint*, coerceant ac castigent: et, si adhuc in-« corrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta « sacrorum Canonum constitutiones, exemptione et appella-« tione quacumque remota, privandi facultatem habeant ». Verbis *coerceant ac castigent* intelliguntur speciatim suspensiones; quae, in tali casu, propter monitionem praemissam, verae censurae rationem habent.

Sed interdum Episcopi pro huiusmodi casibus notoriis procedere possunt etiam ad suspensionem, nulla monitione praemissa; et tunc suspensio non censura, sed mera poena seu punitio erit. Ut tamen suspensio hoc modo inflicta sustineri possit, « ordo iudiciarius foret servandus, vel saltem de impu-

« tationum capitibus cum reo communicandum, ne gravissima « poena indefensus afficeretur, quod profecto ab omni aequitate « quam maxime alienum videretur ». Ita S. C. C. in causa *Lucionen.* 8 Apr. 1848. Praeterea in tali etiam casu tutius erit si suspensio feratur ad tempus determinatum; si enim esset ad tempus indefinitum, et maxime si excessiva videri posset, a S. Sede forsan non approbaretur. Vide Lucidi (l. c. 263).

Denique datur (ut dixi) suspensio *ad cautelam*; idque contingit quando ex una parte magna infamia suborta est, et ex alia processus tam cito expleri nequit; quo casu Episcopus pro interim interdicere potest diffamato Missae celebrationem, vel accessum ad suam Paroeciam. Sed suspensio huiusce generis (quamvis sub gravi servanda sit) per sententiam vel decretum ferri non solet, et proinde suspensio proprie dicta non erit. Scavini (I. 860). De huiusmodi suspensione in Decretalibus (V. xxxiv. 5) exemplum habemus.

1280. Quid de Sacerdote irregulari? R. De irregularitatibus, quatenus Ordinum et Beneficiorum eos Ordines exigentium susceptionem impediunt, iam egi supra (n. 580-595). Quia autem irregularitates non solum susceptionem, sed etiam exercitium Ordinum sub gravi impediunt *; et contingere possunt casus in quibus Sacerdos sive mala sive bona fide Ordines sacros cum aliqua irregularitate susceperit; aut, Ordinibus iam susceptis, illam contraxerit: hinc de casibus istis aliquid dicendum superest.

Casus contingere potest imprimis quoad irregularitates ex defectu; idque (loquendo de irregularitate supervenienti) tribus modis; nempe si talis supervenerit defectus ut vel 1° sacri ritus amplius observari nequeant; vel 2° adsit periculum ne in celebratione Missae magnum aliquod inconveniens accidat; vel 3° Sacerdos ad risum et contemptum populum moveat. Certe Missa sine dispensatione celebrari nequiret, v. g., si Sacerdos pollicis aut indicis mutilationem subiisset, vel epilepticus evasisset, vel sine baculo ad altare substentari non posset (S. Lig. VII. 407), vel coma fictitia indigeret (Bened. XIV. De Syn. XI. ix. 5), et multo magis si coecus prorsus evasisset, ita ut nec Hostiam nec calicem amplius videret. (S. Lig. VI. 390); non vero obstaret si surdus (etiam utraque aure) evasisset. (S. Lig. VII. 405), vel si unico digito minori careret (S. Lig. VII. 408). Caeterum iudicium spectabit ad Episcopum, et si ipse iudicet omnes sacros ritus peragi posse sufficienter; nullum periculum (saltem alio

* Differentia tamen est; quatenus 1. Irregularitas subsequens, si sit ex defectu, impedit exercitium Ordinum solum qua parte decenter exerceri nequeunt; unde Sacerdos coecus non quidem Missam celebrare sed confessiones audire poterit; 2. Plures defectus qui susceptionem Ordinum impedirent, Ordinibus iam susceptis, facilius tolerantur; 3. Dispensatio facilius obtinetur; convenit enim ne afflicto addatur afflictio.

Sacerdote assistente) subesse, simulque omnia satis convenienter (quin scilicet risus et contemptus provocetur) peragi posse; tunc nulla dispensatio necessaria erit; secus, si secus (Vide *Monitore* II. I. pag. 17). Haec dispensatio ope Curiae Episcopalis a S. C. C. obtineri poterit. Iustae causae exiguntur. Principales sunt 1° Penuria Sacerdotum; 2° Pietas et paupertas petentis; 3° Quod irregularitas absque culpa petentis supervenerit; 4° Si alius Sacerdos assistens haberi possit, aut periculum sit modicum, aut Missa in Oratorio privato celebretur. Caeterum Pia Mater Ecclesia in his dispensationibus concedendis valde misericors est; habentur enim exempla dispensationum nedum pro casu deficientis medietatis pollicis (supplente digitali aureo vel argenteo), sed etiam pro casu ambarum manuum totaliter deficientium (supplente alio Sacerdote). Vide *Monit.* (II. III. pag. 178).

1281. Sed quid si irregularitas esset ex delicto? R. Irregularitates huius quoque generis exposui supra (n. 589-595); sed aliquae explicationes sunt superaddendae.

I. Quoad irregularitatem ex violatione censurae per exercitium Ordinis, oportet ut tale exercitium vere sit proprium Ordinis Sacri; unde Verbi Dei praedicatio (quae non necessario Ordinem sacrum exigit); assistentia Matrimonii (quae a Paroco quoque adhuc minorista exerceri posset. Cap. *Cum ex eo* De elect. Sexto Decretal. I. XXXIV); collatio Baptismi (quod etiam a laicis in necessitate conferri valet) etc. irregularitatem non inducerent. Hoc tamen intellige si stola non adhibeatur, neque aliae coerimoniae peragantur quae Ordinem sacrum necessario exigerent (prout esset si Baptismum ad sacrum fontem administraretur). Hoc et non alio sensu intelligi debet effatum, quod exercitium Ordinis, ut irregularitatem inducat, debet esse solemne; certum est enim quod, v. g., administratio Extremae Unctionis vel Sacramenti Poenitentiae, quamvis privatissime locum haberet, irregularitatem induceret. Cf. Reiffenst. (V. XXVII. 6).

Ad incurrendam irregularitatem, oportet etiam ut exercitium Ordinis vere illicitum fuerit; unde, si censuratus fuisset toleratus et requisitus, irregularitatem non incurrisset. Iam dixi (n. 580. E) quod excusat metus et ignorantia. Hic addo, excusare quoque oblivionem et inadvertentiam; dum enim quis hic et nunc non advertit, perinde est ac si nunquam didicerit; et ratio excusationis viget aequaliter in utroque casu. D'Annibali (III. 378. not. 8).

Denique oportet ut violatio veram et valide inflictam censuram (nempe excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum) respiciat. Attamen circa suspensionem oportebit quidem semper ut per legem, vel formalem sententiam vel formale decretum lata fuerit (S. Lig. VII. 317. 10. Scavini I. 860. et

858, ubi dicit id fuisse decisum a S. C. C. 18 Aug. 1703); sed non oportebit ut censurae stricte dictae naturam habuerit. Equidem perillustris nostri temporis Theologus dicit, non incurri irregularitatem si suspensio ad tempus, seu ad beneplacitum, aut *ex informata conscientia*, aut quomodolibet ad modum merae poenae lata fuerit: tunc enim de censura veri nominis non agitur. At vero haec doctrina sustineri non potest. Porro quoad suspensionem ad tempus, in Sexto Decretal. (Cap. 1. De Sent. et re iudic. Tit. XIV) statuitur quaedam suspensio *ad annum*, et postea dicitur: « Si, suspensione durante, damna-« biliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet ». Et quoad suspensionem *ex informata conscientia* Benedictus XIV (De Syn. XII. VIII. 5) refert sequentem decisionem S. C. C. (21 Iul. 1625): « Episcopus Sagonensis ex facultate sibi « tributa decreto Concilii Cap. I. Sess. XIV. ex causis sibi notis « (*nempe ex informata conscientia*) suspendit Parochum ab « exercitio curae. Sed ille appellavit, et, praecepto Episcopi « contempto, celebravit et curam exercuit. Quaeritur an a « dicta suspensione detur appellatio, ita ut Parochus, non ob-« stante appellatione interposita, per exercitium curae effectus « fuerit irregularis? Sacra Congregatio Concilii censuit, ab « huiusmodi suspensione non dari appellationem, et Parochum, « qui Sacramenta ut supra ministravit, irregularitatem con-« traxisse ». Eadem decisio data fuit ab eadem S. C. C. die 8 Maii 1848, ut videre est apud *Monitore* (II. III. pag. 115). Et Bonacina (De Suspensione IV. 6) ad quaestionem: Utrum irregularitas incurratur... etiam quando violatur suspensio, quae est pura poena? Absolute respondet: Affirmative, tum quia sic colligitur ex Cap. I. de Sent. et re iudic., tum quia huiusmodi suspensio privat sacro ministerio, sicut privat suspensio quae est proprie censura; ergo sicut per violationem istius incurritur irregularitas, ita etiam incurritur per violationem illius. Indecentia enim in utroque casu eadem est. Quae cum ita sint, opinio contraria probabilis non videtur.

Quid si quis suspensionem levem (v. g., ad tres dies latam) violaret? R. Dicendum videtur quod irregularitas (quae poena gravissima et per se perpetua est) ex hac violatione non contrahatur. Ratio est quia ex una parte non videretur proportionata, et ex alia Superior, ex hoc ipso quod poenam levem imposuit, non multum gravare voluisse censendus est. Hinc pro casu isto (meo sensu) valere poterit sententia excusans ab irregularitate, si suspensio ad tempus determinatum lata fuerit. Vide S. Lig. (VII. 314) et D'Annibali (Comment. n. 16).

1282. II. Quoad irregularitatem provenientem ex procuratione abortus, recolendum est quod Ecclesia semper fecit distinctionem inter foetum animatum et inanimatum; et censuit esse animatum solum post quadraginta a conceptione dies, si de

masculo ; et post octoginta dies si de foemina agatur. Irregularitatem autem (utpote quae tota in delicto homicidii fundatur) solum ad abortum foetus animati restringit. Verum est quod Sixtus V. (Const. *Effraenatam*) ad abortum foetus inanimati illam extendit ; sed postea Gregorius XIV (Const. *Sedes Apostolica*) iterum ad solum abortum foetus animati illam restrinxit sicut prius. Nunc Auctores passim dicunt, quod hodie ex physiologia iam certissime patet, foetum iam inde a primo suae conceptionis momento esse animatum, et proinde irregularitatem, propter abortum (nempe propter veri hominis occisionem), absque distinctione ulla, semper incurri. Id dixi ego quoque (n. 593) : sed, re ad novam trutinam revocata, credo quod moderna haec doctrina in magno aequivoco fundetur, magnumque paradoxum esse possit. Revera quo sensu Ecclesia censet, foetum primo illo tempore esse inanimatum ? Non iam quia in toto illo intervallo quavis anima careat, sed solum quia iuxta doctrinam Scholasticorum caret anima rationali, quae sola verum hominem constituit, et proinde sola vero homicidio locum dare potest. Porro, iuxta Scholasticos, foetus in principio nutritiva : dein sensitiva ; postea vero intellectiva anima informatur : unde D. Th. (I. CXVIII. I. ad 2) scripsit : « Anima « praeexistit in embryone, a principio quidem nutritiva, postmo« dum autem sensitiva, et tandem intellectiva ». Quando autem Ecclesia dicit foetum esse inanimatum, animam nutritivam et sensitivam non excludit, et foetum appellat inanimatum, quamvis animam nutritivam et sensitivam de facto habere possit, et hoc sensu etiam animatus dici valeat. Quid autem heic physiologia ? Ex illa constare quidem poterit, foetum primis quoque hebdomadis aliqua anima informari ; sed hoc non sufficit. Oporteret enim cognoscere, animam istam illo quoque tempore esse intellectivam. At vero quibusnam microscopicis instrumentis id distingui poterit ? Credo itaque quod, ubi agitur de poenis quae in homicidio fundantur, iuxta antiquas regulas adhuc standum sit.

1283. III. Quoad irregularitatem provenientem ex homicidio casuali mixto (de quo verba feci n. 595) oportet semper ut culpa theologica et quidem gravis adfuerit. Reiff. (V. XII. 187). Si autem homicidium in ebrietate commissum fuisset, tunc oporteret, ut non solum ebrietas graviter culpabilis extiterit ; sed etiam ut homicidium (tamquam facile secuturum) praevisum fuerit. Reiff. (l. c. 207). Homicidium commissum propter defensionem, moderamine inculpatae tutelae minime servato, inducit quidem irregularitatem ; sed censetur casuale mixtum (S. Lig VII. 388). Idem dicunt Salmanticenses (VIII. 6) de homicidio minime praemeditato et in subita rixa perpetrato ; sed hoc est contra communem, et probabile non videtur.

1284. IV. Si Sacerdos irregularis evasisset ex delicto, ad di-

spensationem obtinendam distinguere oportet inter casum publicum et occultum. Pro casu publico recurrendum est ad S. Sedem, quae per organum S. C. C. dispensare solet. In petitione autem exprimere oportet cuiusnam speciei irregularitas sit; num scilicet v. g. ex homicidio, vel ex violatione censurae contracta fuerit etc. Et si censurae violatae fuerint plures, dicere oportet quales fuerint. Expressa autem specie, non oportet exprimere numerum. Sic, v. g. si suspensus, violando suspensionem, centies celebrasset et sic centies eandem irregularitatem incurrisset, satis erit si dicat : *Peto dispensationem ab irregularitate propter violationem suspensionis contracta.* (D'Annibali I. 377). — Pro casibus autem occultis dispensatio non solum a S. Poenitentiaria, sed etiam ab Episcopo obtineri poterit. Patet ex Cap. *Liceat* (Trid. XXIV. VI) dicente : « Liceat Episcopis in irregula-« ritatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto prove-« nientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario.. « dispensare ». Excipitur itaque quoad Episcopos casus homicidii quamvis occulti. Nota tamen quod exceptio non homicidium quodlibet, sed solum voluntarium stricte dictum respicit. Episcopi itaque ab irregularitate contracta ex homicidio casuali mixto (dummodo casus fuerit occultus) dispensare possunt. Confessarii autem, qui habent facultates S. Poenitentiariae, non quidem generatim ab irregularitatibus occultis (sicut Episcopi); sed ab illa, quae ab occulta violatione censurarum profluit, dispensare valent.

FINIS REVISIONIS.

# INDEX ALFABETICUS

## A

Ablatio rei alienae, domino nullo modo aut non rationabiliter invito 363. 364. 475. q. III. Ex necessitate 364. II. Cas. 369. I.

Ablutiones periculosae 1121.

Abortus n. 186-192. 334. XV. Abortum procurantes, quoad excommunicationem 883. II. 1262. Quoad irregularitatem 1282.

Absolutio a censuris R. P. reservatis iure delegato. Quomodo obtinenda sit facultas absolvendi? 901. 1278. Quomodo sit interpretanda? 899. Quid exprimendum in absolutione ipsa? 900. 1271. Facultates S. Poenitentiariae (vide *Facultates Poenit.*). Facultates ordinariae Ordinariorum quoad censuras *simpliciter* reservatas et *occultas*. 879. XI. In articulo mortis 879. XII. Quoad impeditos, ibi XIII. et 1061. XIII. XIV. Absolvere praesumentes sine iurisdictione 881. XVIII. Quid si conditiones a S. Poenitentiaria pro absolutione praescriptae in casu practico servari nequeant? 902. Absolutio a suspensione 1279. XI.

Absolutio complicis 1062-1080.

Absolutio a peccatis, quando danda, differenda vel deneganda? 1129. Formula et ritus 1132. Absolutio sub conditione 1129. IV. 1132. C. Data ope telephoni 1132. D.

Abstinentia a carnibus diebus vetitis extra ieiunium 525.

Accademiae in Ecclesiis 1175.

Accepta ad satisfaciendum muneri suo an sint restituenda 505.

Acceptatio personarum 1083. III. B.

Accessio, nempe plantatio, aedificatio, adiunctio, specificatio et mixtio 404.

Adhaerens, quoad censuras 879. VII.

Administrator quoad fructus industriae 485.

Administratores publicae beneficentiae erogantes aliquid contra mentem piorum Fundatorum, an teneantur ad restitutionem 475. IV. Quoad excommunicationem 882. *d.*

Administratores bonorum ecclesiasticorum 686.

Admonitiones a Confessario faciendae vel non faciendae 1107 - 1114.

Adoptio 831.

Adoratio Daemonis, quoad absolutionem 899. B. XII.

Advocati. Eorum obligationes 988. In causis circa bona ecclesiastica 509 *h.* Quoad mendacia 523. q. VII.

Adulterium 315. Quoad damna reparanda 467 - 473. Causans impedimentum matrimonii 838. 839.

Aetas quoad matrimonium 814.

Affinitas 822 - 826. Ex matrimonio invalido 827.

Alienationes bonorum ecclesiasticorum. Quibus conditionibus possint esse licitae 508. Excommunicatio contra alienantes sine beneplacito Apostolico 884. III. An suffragentur consuetudines in contrarium? 1264. Quid si immisceatur usurpatio? 882. *b.* Alienatio quid sit? 885. Quaenam sint bona stricto sensu ecclesiastica? 882. *a.* 886. 1265 - 1266. Sub censura non cadunt fures, sed legitimi administratores 886 (et usurpantes 882. *b.*). Quid de illis qui bona usurpata cum beneplacito Ap. emerunt vel redemerunt, et postea sine indulto ea vendunt vel locant? 888. 889. Quaenam sint bona immobilia et mobilia pretiosa 890. Casus in quibus beneplacitum Ap. non est necessarium 891. 1267. Alienatio pecuniae 892. 1268. Re-

demptio censuum 893. Reductio fructuum 894. Caesio arborum 895. Consulentes et participantes in alienationibus 898.

Alimenta. Quid veniat nomine alimentorum? 979. c.

Amentes vel semifatui, quoad Viaticum 768. 772. 4. Quoad Extremam Unctionem 780.

Amor Dei. Amor proximi. Vide *Charitas*. Amor initialis 1004.

Amores 960. 1121.

Amplexus 302. Inter sponsos 303.

Animalia fugitiva inventa 480.

Apostatae quoad excommunicationem 880. Facultas delegata, quam habere solent Episcopi, eos absolvendi 899. B. XII.

Applicatio Missae 507. V.

Approbatio ad audiendas confessiones. Vide *Iurisdictio delegata*. Approbatio doctrinae S. Ligorii 1205.

Arbor consanguinitatis 816. Affinitatis 825 - 826.

Arbores quae sunt in fundis Ecclesiae 508. 895.

Archivium parochiale 688. I. VIII. et 977. D.

Armorum gestatio clericis prohibita 665.

Aspectus impudici vel minus pudici 304 - 306.

Assistentia infirmis et moribundis 762 - 791. Consilia quoad testamentum 787 - 791.

Associatio cadaveris si Parochianus extra Paroeciam decesserit 1250.

Attritio 1000 - 1004. 1007.

Auditio Missae. Vide *Missa*.

Auxilium ferens quoad censuras 879. VII.

## B

Baptismus ad sacrum fontem 757. Si puer fuerit domi baptizatus 1245. Privatim administrandus 758. A Genitoribus cito procurandus 979. IV.

Benedictio in *Articulo mortis* 786.

Benedictiones n. 113.

Benedictio nuptialis 1239.

Beneficiati quoad onerum adimplementum, manutentiones et fructuum beneficii erogationem 689. Quid si cum censuris vel irregularitatibus beneficium obtinuissent? 975. Quoad donationes ex fructibus beneficii 501. E. *Quid.*

Beneplacitum Apostolicum. Vide *Bona ecclesiastica*, et *Alienationes*. Obreptitie obtentum 896.

Bestialitas n. 264.

Bibliopolae et Directores diariorum colligentes eleemosynas Missarum 507. VII.

Bibliothecae catholicae circulantes 970. K.

Bimestre concessum ad deliberandum, matrimonio contracto 1252.

Binare 507. 1181.

Blasphemia n. 85-89.

Bona ecclesiastica alienata. Vide *Alienationes*. Recepta sine beneplacito Apostolico 882. *d.* 897. Usurpata 880. XI. XII. 881. XIX. 1257. Empta ab usurpatoribus 509. *a. b. c.* 882. *c. f.* Revendita 509. d. 887. Empta cum beneplacito Ap. et revendita sine illo 888. Locata conducta 509-882. *e.* Haereditate acquisita 882. *d.* Hypothecae subiecta vel censita 509. 882. *g.* Redempta 509. 882. *f.* et 510. Administrata 882. *d.* Vide etiam *Excommunicationes.*

Bona uxoris, filii familias, interdicti, et bona communia 415. VIII. Bona *vacantia* 483.

Bonitas Confessarii 1164 - 1172.

## C

Cadavera delata ad coemeterium sine Sacerdote 796. 1251.

Canonici quoad residentiam et vacationes 690 - 699.

Quoad chorum et alia munera rite praestanda 703 et seqq. Quoad distributiones (ibi) et n. 1243. Canonicus absens a choro propter scholam 1244. Canonicus Praepositus, Theologus, Punctator 707. IV. Canonicus poenitentiarius 707. IV. 1052. v.

Capellanus qui habeat onus Missae quotidianae 507. V. f. Capellanus adiuvans Parochum. Vide *Vice-Parochus.*

Capellani militum, quoad iurisdictionem 1053. VII. Hospitalium 1052. VIII.

Cardinales, Episcopos ..... carcerantes etc. quoad excomm. 880. V.

Catechismus quoad pueros 731-744. Quoad populum 745-756. Sciendus a novis sponsis 874.

Caupo cibos vetitos parans 525. q. V.

Cauponae vitium 1121.

Causa damni posita inculpabiliter 1179.

Causae excusantes. Vide *Excusati.*

Censurae an obstent validitati collationis Beneficiorum? 975.

Cera oblata a Parochianis in Festo Purificationis B. M. V. 508. *e.* 1184.

Cessio bonorum 491. q. XV.

Charitas erga Deum perfecta, imperfecta n. 79-82; eius obligatio 83.

Charitas erga proximum n. 183. 185. 193-196. Quoad eleemosynam 515. Quoad correctionem fraternam 516. Quoad alia auxilia spiritualia 520.

Cilicium 1136. XII. 6.

Circumstantiae actionum n. 13. IV. — Reatum minuentes 18-21. — Speciem mutantes 31-40. Circumstantiae peccatorum quomodo accusandae? 1034-1042. Circumstantia incestus et adulterii 1034. Scandali 1036. Dignitatis 1038. Quod peccatum alia vice accusatum fuerit 1037. Circumstantia oblita 1041. Mendaciter dene-

gata 1042. Circumstantiae aggravantes 1035. Quomodo Confessarius interrogare debeat circa circumstantias 1105. V.-X.

Clandestinitas 842-861. Loca in quibus hoc impedimentum non viget 843. Quid si Parochus haberi nequeat? 843. III. 857. Quisnam veniat sub nomine Parochi? 844. 1255.

Clausura 676. 1240. Violantes clausuram 881. 1259. VI. VII. Facultas delegata Episcoporum quoad absolutionem 899. B. XIII. Quoad egressum a clausura 1259.

Clerici quoad Ordines suscipiendos 579-597. Clericus habituatus Sacrae Ordinationi proximus. 1190-1237. Titulus Ordinationis 797. Habitus et tonsura 598. Coelibatus 599. Officium divinum 600-624. Sacrae functiones 725. Servitium Ecclesiae praestandum 656. Vitae sanctitas et studium 657. Obedientia Episcopo debita 759. Quaenam Clericis interdicantur? Cohabitatio cum mulieribus 660. Negotiatio 661. Negotia saecularia 662. Ludus alearum 663. Venatio 664. Gestatio armorum 665. Tabernae 666. Commessationes 667. Luxus 668. Choreae et spectacula 669. Vide plura alia n. 797. Clerici quoad privilegium canonis 881. II. 883. IV. Clerici in sacris matrimonium contrahere attentantes 883, vel civile contrahentes 1261.

Coadiutor Parochi quoad matrimonia 844.

Cogentes iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, quoad excomm. 880. VII. Cogentes ad matrimonium contrahendum 898. VII. Ad ingressum in monasterium 898. VIII.

Cogitationes turpes vel periculosae 289. 290. 314. In coniugibus 315.

Cognatio spiritualis 830. Legalis 831. Si cognati spirituales invicem turpiter conversentur 322. I.

Cohabitatio cum mulieribus. Vide *Clerici.*

Collatio Paroeciae quando sit invalida? 974. q. I.

Collectio eleemosynarum pro Missis in servitium mercaturae 507. VII. f.

Collectores eleemosynarum pro Missis 507. VII. *f.* 881. XII.

Collegia 1121.

Collegiales quoad matrimonium 851.

Colonus se compensans 349. Cas. I. Furtum committens 369. IV.

Comitatus catholici promovendi 970. M.

Communio. Vide *Eucharistia*. Communio paschalis 546. 1187.

Commendatio animae 629. XII. et 783-787.

Commutationes in testamentis 511. VII. VIII.

Comoediae 313.

Compensatio. Conditiones ut sit iusta n. 349-360. Ut sit licita 361. 362.

Complex. Interrogatio circa nomen complicis 1106. Peccatum quod nequit accusari sine revelatione complicis 1048. XII. Absolutio complicis 1062. Quid sit peccatum complicitatis? 1066-1070. Absolutio ficta 1071. In articulo mortis 1073. In aliis casibus 1074. 1076-1078. Quo sensu absolutio sit invalida? 1075. Facultas qui interdum obtinetur absolvendi complicem 1080. Sacerdos qui complicem absolvit et absolutionem petit 1081, vel cogitur celebrare sine praevia absolutione, ibi.

Compositio Pontificia 391.

Computanda in divisione haereditatis 513.

Concionatores falsa narrantes n. 112. 1°

Concubitus n. 263. Cum Daemone n. 264.

Concubinatus n. 266. q. II. 1121.

Concurrentes ad beneficium vel officium an potiantur iure stricto? 474. 475. Concurrentes si fraudibus utantur 475. Vide alia n. 974.

Confessarius. Vide *Sacramentum Poenitentiae* et *Officia Confessarii.*

Confessarius Monialium ordinarius 1137. I. IX. Extraordinarius 1137. X.

Confessarius sollicitans 549 - 577. 1189.

Confessio sacramentalis 1025 - 1049. — Integra materialiter 1026 - 1046 - formaliter 1047. 1048. Quando confessio sit invalida 1029 - Facta in confuso 1040. - Per interpretem 1047. III. 1048. III. Confessio infirmi vel moribundi 1048. I. Instante praelio vel naufragio II. Loquelae vel memoriae defectu impeditus an teneatur uti scriptura? 1048. IV. VI. Quid occasione magni concursus, vel alterius necessitatis se cito expediendi? 1048. VII. 1133. III. Quid si peccatum sine revelatione complicis accusari nequiret? 1048. XII. Non miscenda inutilia 1050. Quid de excusationibus in confessione? 1050. Vide etiam *Sacramentum Poenitentiae*, et *Officia confessarii*.

Confessio generalis, seu repetitio confessionum 1029. 1105. X. XIV. 1131. 1137.

Confirmationis Sacramentum 759.

Coniux se ipsum polluens 316.

Coniuges sodomitici 324. Onanistae 325. Copulam interrumpentes 328. Quoad delectationes venereas 329. 330. Quoad pollutionem indirectam 330. Quoad tactus, oscula, amplexus, nuditates et sermones de rebus venereis 331 - 333. Quoad petitionem et redditionem debiti coniugalis 335 - 346. Quoad legitimam 511. IV. 1187. Quoad successionem ab intestato 512. 1187. Quoad mutuam fidelitatem, cohabitationem, alimenta, pacem, obedientiam etc. 981. Quoad divortium 339. 981.

Consanguinitas 816. Multiplex 819.

Conscientia dubia 12. II.; probabilis 12. III. 13; erronea 13. VII. Regulae practicae pro Confessario 1112. 1113.

Conscriptio militaris 970. 0.

Consensus Matrimonio praevius coram Parocho praestandus 875.

Conservatio propriae vitae et sanitatis n. 178.

Consiliarii non intervenientes et sic iniquam sententiam non impedientes 429. q. III.

Consilium mali minoris n. 235. Consilium noxium datum inculpabiliter 1179.

Consulens 423 - 426. Quoad censuras 879. VII.

Consuetudines abusivae contra clausuram 1240. 1259. In sacra visitatione 1242. Quoad distributiones Canonicorum 1243.

Consuetudo blasphemandi n. 88.

Contractus varii 487-501. De rebus illicitis 502-504. De rebus debitis 505. 984. D. De rebus sacris 506-510.

Contritio. V. *Sacramentum Poenitentiae.*

Contumeliae n. 196. q. II.

Copula coniugalis 240. II. 334. q. I. - q. XVIII. et 1178. Quatenus impedire possit Communionem 769. C.

Cooperatio ad aliorum peccata n. 253 - 260. Illicita n. 253. 254. Licita 255 - 260. Quoad furtum 363. III. v. *Pro praxi.*

Correctio fraterna 516. Facienda et quomodo a Genitoribus 979. IV. f. A Parochis 522. I. VII. 968.

Craniotomia n. 192. 1263.

Crimen. Coniugicidium utroque machinante 837. Uno machinante cum adulterio 838. Adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii 839.

Cultus disparitas 835.

## D

Damnificatio in genere 418 - 429. Damnificationes particulares 430 - 486. Vide *reparatio damnorum.* Damnificatio furto superaddita 368. 914. Contra tertiam personam 370.

Debitor morosus 491. q. XIV. 505. v. *Quid si centum.*

Debitum coniugale 335 - 346.

Defectus occulti in merce 488. In puella nuptura 488. q. V.

Defloratio puellae cum vel sine promissione matrimonii, qualem obligationem inducat 439 - 466.

Delegatus. Quoad assistentiam matrimonii 858. Ad universitatem causarum ( ibi ).

Delegatio ad audiendas confessiones. Vide *Iurisdictio delegata.*

Denuntiatio delinquentis apud Superiorem 519. 578. Haereticorum 548. Sectariorum 881. IV. Confessarii sollicitantis 549 - 577. Poena non denuntiantium 898. IV. Impedimentorum Matrimonii 908 - 911. Impedire denuntiationem S. Officii 884. II.

Desideria venerea n. 289. 280.

Desperatio n. 73.

Detractio n. 197 - 218.

Diaria prohibita aut plus vel minus infecta n. 240. VI.

Dilatio restitutionis 413.

Disciplina 1136. XII. 6°.

Discordiae quomodo componendae? 966. Discordia familiaris n. 196. q. III.

Distinctio specifica et numerica peccatorum. Vide *Peccatum.*

Dispensatio ab operibus servilibus 165. - 167. Ab abstinentia a carnibus 525. q. IV. 15°. A ieiunio 543. Ab irregularitate 580. F. 1284. A recitatione officii divini 603. 9°. Circa Missae celebrationem 643. Ab impedimentis matrimonii 914 - 930. 1271 - 1273. Pro foro externo 931. 939. 1273. A matrimonio rato 964. 1252. Ad petendum debitum secuto incestu 963. Quoad matrimonia mixta 867 - 870.

Divisio haereditatis 513.

Divites rusticantes quoad matrimonium 854. 1255.

Divortium 981. 339.

Docentes propositiones damnatas 881. I.

Dolor. Vide *Contritio* et *Attritio.*

Domicilium quoad matrimonium 845-857. 1255. Domicilium legale 847.

Domini. Eorum obligationes erga famulos. 982.

Dominii acquisitio ope accessionis 404.

Dona supernaturalia 1136. XVIII.

Donatio 501. Donationes Religiosorum 501 A-E. Beneficiatorum 501. E. v. *Quid.* Donatio facta a gravato aere alieno 501. V. Facta in praeiudicium legitimae 511. IV. Donatio *causa mortis* 511. IX. *e.*

Dos utrum danda filiabus? 979. III. E.

Dotes relictae puellis, vel puellis honestis, vel puellis nupturis, vel virginibus 511. VI. vel monacandis 1185.

Dubium circa impedimentum matrimonii 800. Circa imped. impotentiae 807. 808. Circa obitum prioris coniugis 834. Circa Baptismi validitatem in impedimento cultus disparitatis 835. Circa censuram 879. III. Circa materiam Sacramenti 1019. Circa iurisdictionem 1053. X. Circa reservationem 1061. IV. v.

Duellantes, quoad sepulturam 793. 3. Quoad excommunicationem 881. III. Facultas delegata Episcoporum eos absolvendi 899. B. XI.

## E

Ebrietas n. 180.

Ecclesiae vetitum impediens matrimonium 873.

Edentes leges vel decreta contra iura Ecclesiae quoad excomm. 880. VII.

Educandae in monasteriis quoad matrimonium 851.

Effectus secutus an accusandus? 1027.

Electio status 1136. XVII. Contra parentum voluntatem n. 175. 176 Electio sepulturae 795. 1247.

Eleemosyna 515. Vide *Beneficiati*, *Parochi*. Eleemosyna pro Missa. Vide *Stipendium*. Eleemosynae distribu-

endae ex testamento 967. K. Si poenitens eleemosynam petat 1122.

Embryotomia. Vide *Craniotomia.*

Emptio 487-491. Rei furtivae 487. I. II. Bonorum ecclesiasticorum immobilium 509. *b.* 1270. Mobilium *c.* 882. *c.*

Episcopi circa abusus contra sacros ritus 628. Circa Seminarii administrationem, et bonorum ecclesiasticorum conservationem 688. XI. Circa residentiam 690 et seqq. Circa praedicationem, sacram visitationem, vigilantiam, curam monasteriorum, Sacramenti confirmationis administrationem, Cleri educationem, Parochorum electionem etc. 701. 702. Circa Ordinandos 1229-1233. Missam *pro populo* 701. 1241. Circa facultatem absolvendi ab excommunicationibus Pontifici *simpliciter* reservatis, si sint *occultae* 879. XI. Aliae facultates ordinariae circa vota 915. Circa alienationem bonorum ecclesiasticorum 891. F. 1267. 1268. Quoad ferendas suspensiones 1279. XII. Circa casus urgentes cuiuslibet generis 1273. Facultates quas habere solent iure delegato 899. B. 941. 956. 1256. 1260. 1272. Circa privilegium canonis 880. V. Quoad iurisdictionem 1052. III. Circa casuum reservationem 1061. III. et XV. Circa delegationem absolvendi a reservatis, ibi XVIII. Eligentes minus dignum, an teneantur ad restitutionem? 475.

Error in matrimonio 802. In percussione clerici 881. II. Commissus inculpabiliter in officio advocati, medici vel Confessarii, an ex iustitia sit reparandus? 1179.

Error communis cum vel sine titulo colorato 1053. VIII. IX.

Eucharistia, quomodo in Ecclesiis sit custodienda 629. 763. Quoad consecrationem, consummationem et purificationem 764. Quoad illam fidelibus in Ecclesia administrandam 765. Infirmis 772. Dispositiones ad illam recipiendam 766 - 769. Communio quotidiana 770. Prima Communio 742.

Eunuchus. Vide *Spado.*

Exactores tributa omnia sive iusta sive iniusta exigentes 475. q. III.

Examen conscientiae 1043 - 1046.

Examinatores synodales 972. 1275. 1276.

Excommunicatio. Principia generalia 879. I - VIII. 1278. Circa excommunicationum reservationem 879. IX - XIII. Excommunicatio canonis 881. II. Quoad Episcopos 880. V. Excommunicationes quoad bona ecclesiastica 1° Contra usurpantes bona pertinentia ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum vel suorum beneficiorum 880. XI. 1257. 2° Contra invadentes etc. ditionem pontificiam 880. XII. 3° Contra usurpantes alia bona ecclesiastica cuiuslibet speciei, aut illa usurpata acquirentes 881. XIX. 1270. 4° Contra alienantes bona ecclesiastica sine beneplacito Apostolico 884. III. 5° Contra consulentes alienationem ditionis Pontificiae 881. XIII. Facultates S. Poenitentiariae quas habere solent Episcopi aliique quoad absolutionem excomm., earumque conditiones 899. B. I - IX. Quid si conditiones praescriptae servari nequirent? 902.

Excusationes in confessione 1050.

Excusati ab auditione Missae 524. q. IV. Ab abstinentia a carnibus 525. q. IV. A ieiunio 536 - 539. A denunciatione Confessarii sollicitantis 573. A recitatione Officii divini 603. 604. A praemittenda confessione celebrationi Missae 652 - 655. Ab accusatione integra peccatorum 1047. 1048. A casuum reservatione 1061. V. - XVI.

Executores testamentarii 511. VIII.

Exercitium actuum religiosorum n. 67. 68.

Exhortatio a Confessario facienda 1128.

Explicatio Evangelii 745 - 756.

Extrema Unctio 773 - 782.

## F

Facultates S. Poenitentiariae quas Episcopi habere solent iure delegato (et interdum alii quoque Sacerdotes ab

Episcopis vel ab ipsa S. Poenitentiaria delegati) quoad absolutionem a censuris reservatis 899. B. Dispensandi ab impedimentis matrimonii 941. 956. Aliae facultates delegatae 1256. 1260.

Famulae, quoad pericula domestica 1121.

Famuli et famulae quoad matrimonium 851. 852.

Famulus se compensans 349. Cas. II. Aliquid sumens clam 364. Cas. III. 369. IV. 484. Quoad obligationem restitutionis 378. Non impediens damnum heri sui 429. Quoad fructus industriae 484. Cibos vetitos parans 525. q. V. Famulus fugitivus 982. Obligationes famulorum 983. Famulus in occasione proxima 983. Quoad laborem die festo 560. Quoad Missam 524. IV. II. Quoad abstinentiam a carnibus 525. IV. 8. Quoad ieiunium 538. V. Quoad cooperationem peccatis dominorum 256-259. 525. q. V.

Favorem praebens quoad censuras 879. VII.

Festa solemniora. Quid advertendum? 970. F.

Festum locale 524. q. II. III.

Fictiones 523. q. IX. Fictio paupertatis 478.

Fides non neganda, non offendenda, exercenda, profitenda, et custodienda n. 52-71.

Fides status liberi et facultas publicandi et assistendi matrimonio 876-878.

Filii. Eorum obligationes erga parentes n. 168-176. Electio status, invitis parentibus n. 175. 176. Aliquid clam sumentes 364. Cas. III. 369. VII. Quoad obligationem restitutionis 378. Filii legitimi, legitimati, adoptivi, aut naturales legaliter recogniti quoad legitimam. 511. IV. Quoad successionem ab intestato 512. Spurii 511. V. Filii nati ex matrimonio solum ecclesiastico aut solum civili quoad successionem ab intestato vel testamentariam 1187. Quaenam computanda sint ab iis in divisione haereditatis 513. Vide etiam n. 980.

Finis actionis n. 13. IV.

Foemina sterilis. Foemina sine utero. Quoad matrimonii

celebrationem 811. 1254. Cautelae circa foeminas 1135.

Foetus abortivi quomodo baptizandi 758. VIII. XIV.

Fornicatio n. 266. In sponsis cum alia persona 316. Commissa a laborante morbo gallico 320. Quoad reparationem damnorum, vide *Defloratio*.

Forma conditionata 1132. C.

Fotografiae inverecundae 240. III.

Fratres non aequaliter cum sororibus haereditatem dividentes 512. II. Frater se compensans 349. Cas. VI. et n. 360.

Fraus et dolus in contractibus 488-490. 491. q. XI. In assecutione Beneficii 974. IV. 977.

Frequentia Sacramentorum procuranda 970. E.

Fructus industriae 484-486. 491. q. XIII.

Funera 795. 796. 1247-1251.

Functiones sacrae quoad devotionem, statum gratiae et rubricarum observantiam 625-629.

Furtum quoad gravitatem 366-369. Quoad circumstantias speciem mutantes 370. Coniunctum cum speciali damnificatione 368. Furta domestica 369. IV-VIII. Contra communitatem 369. IX. 477. v. *Unusquisque*. Furta minuta 369. X. 370. v. *In furtis*. Bonorum Ecclesiae 415. IX.

## G

Gaudium rerum venerearum n. 289. 280.

Genitores. Eorum obligationes erga filios. Debent eos amare 979. 1. II. Eisdem providere quoad corpus: munera matrum III. A. B. Quoad media sustentationis filiis legitimis eorumque uxori; legitimationem filiis naturalibus; et alimenta spuriis praebenda. C. Quoad artem et professionem. E. Quoad Matrimonium filiorum; et dotem sive pro matrimonio sive pro professione religiosa. F. Quoad oeconomiam domesticam. G. Quoad haereditatem filiis relinquendam. — Debent filiis providere quoad ani-

mam. IV. A. Baptismum. B. Instructio religiosa. C. Exercitium vitae christianae. D. Cavendum ne scandalum eis praebeatur. E. Ne in periculis spiritualibus versentur. F. Vigilantia et correctio. G. Gradus obligationis. Vide alia n. 240. II. 511. IV.

Graduatoria 415. X.

H

Habitus et tonsura 598.

Haereditas, utrum filiis praeparanda? 979. III. G. et 511. IV.

Haeres fiduciarius 511. II. Haeres ab intestato impediens testamentum 511. III. Ex testamento informi 511. IX. Haeres usurarii 1180.

Haeretici. Quoad excommunicationem 880. Facultas delegata Episcoporum eos absolvendi 899. B. XII.

Hermaphroditus quoad matrimonium 809.

Homicidium directum et indirectum n. 182-184. 1263. Reparatio damnorum propter homicidium 430. 431. Causans irregularitatem 593-595. Impedimentum matrimonii 837. 838.

Honestas. V. *Publica honestas.*

Horae canonicae. V. *Officium divinum.*

Hysterismus 1121.

I

Ignorantia circa impedimentum crimen 840, aut circa vitam prioris coniugis 839. Catechismi impediens matrimonium 874. Excusans a censuris 879. IV. Ignorantia reservationis 879. IX. 1061. VI.

Immunitatem localem violantes 881. V.

Impedimenta matrimonii. Vide *matrimonium.*

Impediti quominus pro absolutione a censuris vel ca-

sibus reservatis ad Superionem se conferant 879. XIII. 1061. XI. XIII. XIV.

Impedientes ingressum in Religionem 898. IX.

Imperfectiones, an sint materia sufficiens confessionis? 1049.

Impoenitentes V. *Moribundus*. Quoad sepulturam n. 793. 794.

Impotentia restituendi 372 - 374. In matrimonio 805 - 813. Impotentia coeundi 805. 810. Impotentia seminandi 811 - 813. 1254.

Imprecationes contra seipsum n. 179. Contra proximum n. 195. I. 196. Difficile sunt peccata mortalia 1089.

Imprimentes vel imprimi facientes libros de rebus sacris sine Episcopi licentia 898. V. 1269.

Impuberes quoad matrimonium 814. Quoad censuras 879. Quoad excommunicationem canonis 881. II. Quoad reservationem 1091. V. 6°.

Incestus 321. Impediens matrimonium 871. et illius usum 334. XVI. XVIII.

Indulgentiae 1130. M.

Infestatio diabolica 1136. XX.

Infirmi in hospitalibus quoad matrimonium 853.

*In fraudem legis*. Quoad celebrationem matrimonii. 857. 1255. Quoad reservationem 1061. VIII.

Innocens a iudice damnatus se compensans 349. Cas. VII.

Instructiones a Confessario praebendae 1107 - 1114.

Integritas confessionis materialis 1026 - 1046 - Formalis 1047. 1048.

Intentio satisfaciendi praecepto vel adimplendi poenitentiam sacramentalem 1051. V.

Interrogationes 1085 - 1106.

Interrogatorium pro confessione generali 1131. C.

Ira iusta n. 194. IV.

Irregularitates 580. An obstent validitati collationis Beneficiorum? 975. Exercitium Ordinis Sacri an producat

irregularitatem, si censuratus in necessitate illud exercendi, absolutione non obtenta, versetur? 1081. Irregularitas Ordinibus iam susceptis superveniens ex defectu 1280. Ex violatione censurae, et speciatim suspensionis 1281. Ex procuratione abortus 1282. Ex homicidio casuali mixto 1283. Quomodo obtineri possit dispensatio 1284.

Inventor alicuius rei ad quid teneatur 480. III. 3.

Investimentum canonicum 892.

## J

Jeiunium ecclesiasticum 526. De quantitate alimentorum 527-530. De hora refectionis 531. De qualitate alimentorum 532. De gradu culpae in violatione ieiunii 533. De numero peccatorum in violatione ieiunii 534. Excusati totaliter 536. Appositio causae impedientis 537. Excusati partialiter 538. et 540. Excusati a ieiunio non ideo excusantur ab abstinentia a carnibus, et quid circa refectionem serotinam si adsit indultum? 539. Promiscuitas carnium et piscium quoad excusatos a ieiunio 539. In dubio an sit ieiunandum 541. Ieiunia localia 542. Dispensatio a ieiunio 543.

Jeiunium naturale pro Communione recipienda 768. C.

Jocus chartarum superstitiosus n. 119.

Judex. Eius officia 984. Absolvens delinquentem an teneatur ad restitutionem 474. Applicans legem civilem in conflictu cum lege divina vel ecclesiastica 985.

Judicia temeraria n. 219.

Jurati 986. In causis contra personas ecclesiasticas 987.

Juramentum n. 90-105. De re ambigua 523. q. V.

Jurisdictio ad audiendas confessiones quae provenit ex officio, nempe ex munere Card. Poenitentiarii maioris, Episcopi, Vicarii capitularis, Vicarii generalis, Canonici Poenitentiarii, Parochi, Praelati regularis, et Capellani hospitalis 1052. — Jurisdictio quae provenit ex iure vel

consuetudine, nempe pro articulo mortis, pro solis venialibus (quodam sensu), pro Sacerdotibus Graecis; pro extradioecesanis confessionem facientibus extra propriam Dioecesim; pro Capellanis militum imminente praelio; interveniente errore communi cum vel sine titulo colorato; pro casu iurisdictionis probabilis 1053. I-x. Pro casu mortis ignoratae delegantis 1054. VII. — Jurisdictio ex privilegio, nempe circa eos qui gaudent privilegio eligendi sibi Confessarium 1053. IV. — Jurisdictio delegata obtinenda ab Episcopo loci. Non sufficit praesumpta. Sufficit implicita vel tacita. Debet esse communicata. Quid de casu prorogationis? Quando expiret? 1054. I-x. Quoad Moniales 1055-1058. Quoad mulieres in orphanotrophiis, brephotrophiis vel piis congregationibus sine votis solemnibus vitam degentes 1059. 1060. — Quoad casuum reservationem, vide *Reservatio*. Quoad absolutionem complicis. Vide *Complex*.

Jurisdictionis Ecclesiasticae excercitium impedientes, quoad excomm. 880. VI.

Justa defensio 183. Quoad excommunicationem canonis 881. II.

Justitia distributiva et vindicativa 474. Quomodo ex eius violatione oriri possit obligatio restitutionis 474. 475.

Juventus. Cura iuventutis 970. O.

## L

Legatum relictum viduae *donec honeste et caste vixerit*, vel sub conditione *si lectum meum servabit* 511. VI. *d.* In favorem pauperum *h.* Quid si in forma propria exequi nequeat 511. VII. Vide *Dotes*.

Leges cognoscendae n. 12. I. — Debent esse utiles n. 13. VI.

Legitima filiorum, ascendentium et coniugis 511. IV. 789. 979. III. B. 1187.

*Liberi pensatori* quoad celebrationem matrimonii 866.

Libri impii vel obscoeni n. 249. III. Romantici 313. Ab Ecclesia prohibiti 547. Libri parochiales 977. D.

Libros prohibitos legentes vel imprimentes, quoad excommunicationem 880. II. 1269; absolutionem 899. B. XIV.

Licitatio 491. q. III. F. q. VII. q. VIII.

Ligamen 834.

Locationes bonorum ecclesiasticorum 891. G. 882. *c.*

Locorum piorum regimen tenentes 882. *d.*

Ludus alearum Clericis prohibitus 663.

Luxus clericis prohibitus 668.

Luxuria n. 261-322.

## M

Macerationes corporales 1136. XII. 6°.

Magnetismus et recursus ad magnetizatores n. 119. q. III.

Maleficium et recursus ad maleficos (*stregoni*) n. 119. q. II.

Malum exemplum n. 237.

Mandans 423-426. Quoad censuras 879. VII. Quoad censuram canonis 881. II. Quoad irregularitatem 1280.

Materia confessionis-necessaria 1026-1048; libera seu mere sufficiens 1049.

Matres. Earum obligationes 979. III. et 1174.

Matrimonium. Sponsalia 443-466. Visitationes adamantium 960. Doctrina circa Matrimonium populo tradenda 798. Parochus in matrimoniis non se ingerat 799. Quid si adsit impedimentum dubium? 800. Quid si contrahens mentecaptus esset, vel fingeret, vel conditionem repugnantem aut turpem adiiceret? 801. Impedimenta dirimentia. Error 802. 1252. Metus 803. 1253. Raptus 804. Impotentia 805-813. 1254. Defectus aetatis 814. Consanguinitas 816-821. Affinitas 822-827. Publica honestas ex

sponsalibus 828, ex matrimonio rato 829. Cognatio spiritualis 830. Cognatio legalis 831. Votum solemne 832. Ordo sacer 833. Ligamen 834. Cultus disparitas 835. Crimen 837-841. An ignorantia excuset a contrahendo impedimento criminis? 840. Clandestinitas 842-861. 1255. Impedimenta impedientia. Sponsalia 862. Votum simplex 863. Mixta religio 864. Incestus 871. Alii casus in quibus nuptiae sunt illicitae. Vetitum particulare 873. Ignorantia catechismi 874. Consensus coram Parocho prius non praestitus 875. Si fides status liberi et facultas procedendi ad proclamationes a Curia Episcopali prius non fuerit obtenta 876-878. Excommunicatio 879-903. Peccatum mortale 904. Proclamationes quomodo faciendae 905-907. Obligatio denunciandi impedimenta 908-911. Detecto impedimento, quomodo se gerere debeat Parochus? 913. Petitio dispensationis 914. Quomodo dispensatio obtenta executioni demandari debeat? 726-930. Sanatio *in radice* 1274. Pro foro externo seu casibus publicis 931-939. Quid si post missas preces affinitas vel incestus reiteretur? 940. Quid si impedimentum detegatur dum omnia ad proximum matrimonium iam sunt parata? 941-943. Tempus, locus et ritus matrimonii celebrandi 944-954. Quid si impedimentum detegatur, matrimonio iam contracto? 955-957. Ratificatio matrimonii nulliter contracti ex errore vel metu 1252. 1253. Circa confessionem sponsorum 962, et coniugum 963. Dispensatio a matrimonio rato, quae interdum obtineri potest 964. 1252. Dissolutio matrimonii rati ope professionis religiosae 1252. Usus matrimonii (Vide *Coniuges*). Divortium 965. 339. Cogentes ad matrimonium contrahendum 898. VII. Parentes quoad Matrimonium filiorum 979. III. E. Benedictio nuptialis 1239.

Matrimonia mixta, interdum invalida 864. Ordinarie illicita 865-870.

Matrimonium civile quoad impedimentum publicae honestatis 829. et criminis 839. Variae advertentiae circa

ipsum 958. 959. Quoad obligationem illud contrahendi 1187. Effectus quoad successiones 1187. Si clericus in sacris illud contraheret 883. 1261.

Matutinum pro die sequenti 1238.

Medici. Eorum obligationes 982.

Meditatio 1136. XII. 2°.

Melioramenta. Vide *Possessor*. Melioramenta facta in fundo ecclesiastico, postea revendito 889.

Mendacia in contractibus 489. 490. 523. q. VI. In iudicio sive a reo sive ab eius Advocato prolata 523. q. VII. a Testibus q. VIII. Mendacium 523.

Mentecapti quoad matrimonii celebrationem 801.

Meretrices n. 240. IV. 266. q. II. Leges civiles quoad meretrices 522. in fin. Parochus quomodo se gerere debeat quoad illas, ibi et n. 968. C. Meretrix inveterata quoad confessionem 1105. X - XII.

Merx vitiata 488. Ultronea 491. q. III. B.

Merces iniquitatis 502.

Methodus vitae 1136. XIV.

Metus minuens voluntarium 21. In matrimonio 803. In Ordine sacro 833. Excusans a censuris 879. In collatione beneficiorum 974. Quoad peccatum reservatum 1061. V. 70.

Milites quoad matrimonium 851.

Missa. Obligationes speciales si stipendio accepto celebretur 507. V. Missae adventitiae 507. V. e. VII. d. Missa de praecepto, quomodo et ubinam audienda 524. q. I. II. Quinam teneantur illam audire q. III. Causae excusantes q. IV. Missa *pro populo* quoad Episcopos 701. et 1241. Quoad Parochos 729. Casus qui accidere possunt in Missa celebranda 764. Ritus 631 - 640. Quoad stipendium Missae, vide *Stipendium*. Missa quoad ritum, vide *Rubricae*. Quoad statum gratiae, et confessionem praeviam 648 - 655. Missa celebrata bona fide cum vino inepto 1182.

Missiones et exercitia spiritualia 970. G.
Mixta religio. Impedimentum matrimonii 864.
Mixtio 404. III.
Moneta falsa 491. q. X.
Moniales, vide *Religiosi*. Collocutio cum Monialibus 676. IV. Quoad privilegium canonis 881. II. Quomodo Confessarii ordinarii et extraordinarii cum illis se gerere debeant? 1137. Iurisdictio specialis quae in earum confessariis exigitur 1055 - 1060.
Monopolium 491. q. VI.
Monstra quoad Baptismum 757. XVII.
Morbi periculosi mortis vicinae 762. D.
Morbus gallicus 762. D.
Moribundus male dispositus vel omnino impoenitens 762. D. et seqq. 777 - 779. Habens casus vel censuras reservatas 1061. XI.
Mortificationes 1136. XII. 5°.
Motus carnales n. 376 - 288.
Mulier per vim oppressa n. 266.
Munera accepta a Regularibus 899. B. XVI.
Mutatio Confessarii 1083. III. F.
Mutilatio 432.
Murmurationes n. 198 - 218.
Mutuum 492. 497. 1180.
Mysteria principalia fidei n. 54. 55.

## N

Negotiatio et negotia saecularia clericis prohibita 661. 662.
Non impediens 428.
Nuditates n. 240.
Numerus peccatorum n. 41 - 50. Quomodo accusandus? 1033. Quomodo poenitentes interrogandi sint circa numerum peccatorum 1105. XI - XIV.
Nymphomania 1121.

Obedientia a Clericis Episcopo praestanda 659.

Oblationes, quae a fidelibus traduntur Parochis, quando ad Parochum et quando ad Ecclesiam spectent 508. e. 1184.

Obligatio audiendi confessiones 1082.

Obsessio Diabolica 1121. Vide *infestatio diabolica.*

Occasiones proximae 1121. *Si autem.* 1129. III. IV.

Occasionem peccandi aliis praebere n. 234. 237.

Occasionem dare motibus carnalibus n. 281 - 288.

Occisio iniusti aggressoris n. 183.

Occultum quando censeatur 879. XI.

Odium proximi, optare malum proximo, et vindictam facere n. 194 - 196. 1089.

Oeconomi spirituales quoad matrimonia 844.

Officinae 1121.

Officiales sive publici sive privati muneri suo non satisfacientes an teneantur ad restitutionem 474. 479.

Officium divinum. Personae ad illud obligatae 600. Culpa non recitantium officium 601. Poena si sint beneficiati 602. Causae excusantes 603. Iuxta kalendarium dioecesanum 606 - 613. Recitandum integre 614 - 617. Quid si recitetur cum socio? 618. Recitandum tempore praefixo 619. 620. Matutinum pro die sequenti 619 et 1238. Recitandum ordinatim 621. Quid de interruptionibus? 622. Quid de loco et situ? 623. De attentione et devotione 624.

Officia Confessarii. Debet esse sollicitus exercendi officium suum bene, et sine acceptatione personarum 1083. I. II. III. Neminem repellat. Varii casus. 1083. III. A-K. Neminem quaerat, ibi L. Prompte et bono animo se praestet, ibi N. O. Respicere debet bonum Sacramenti; bonum poenitentis; bonum publicum 1084. Obligatio interrogandi 1085. Regulae principales circa interrogationes 1088. Interrogationes necessariae ad cognoscendum

statum poenitentis 1089; ad cognoscendum quaenam remedia sint illi indicanda 1090. Quomodo adiuvandus sit poenitens ne ex verecundia aliquid reticeat 1091-1103. Interrogationes suggestivae 1098. *Si poenitens.* Interrogationes ad cognoscendum an poenitens sit dispositus 1104. Ad providendum integritati materiali confessionis 1105. De poenitente admonendo circa suas obligationes 1107-1110. Quid in casibus dubiis? 1111. De poenitente, qui sit in mala vel bona fide ex conscientia erronea 1112. 1113. De poenitente circa principalia fidei mysteria instruendo 1114. De Remediis assignandis 1115-1127. De exhortatione facienda 1128. De absolutione danda, differenda aut deneganda 1129. De Poenitentia sacramentali imponenda 1130. A - X.; et commutanda 1130. Z. De confessione generali, quasi generali, vel annuali 1131. Quando sit necessaria? C - E. Quando laudabilis? F - G. Quando dissuadenda? H. Methodus pratica 1131. I. ZZ. Resecanda inutilia 1133. Cavendum ne Confessarius molestus reddatur (ibi). Evitanda impatientia et festinatio (ibi). Quid occasione magni concursus? (ibi et 1048. VII). Advertentiae speciales quoad viros 1134; quoad foeminas 1130; quoad poenitentes coniugatos 963; quoad personas pias 1136; media perfectionis (ibi XII. 1-5); macerationes corporales (ibi 6); methodus vitae (ibi XIV); circa electionem status (ibi XVII); quoad dona supernaturalia (ibi XVIII); quoad tentationes extraordinarias (ibi XIX); quoad obsessiones diabolicas (ibi XX); quoad scrupulos (ibi XXI); quoad directionem Monialium 1137; quoad confessiones Sacerdotum 1138. 1277-1284. De sigillo 1139-1156. De usu scientiae confessionis 1157. De reparatione defectuum in confessione commissorum 1155. De studio 1161. De Confessarii bonitate 1164-1172.

Onanismus in coniugibus 325. 328. 1141.

Opera servilia diebus festis prohibita n. 138. Causae excusantes n. 139-167.

Operatio caesarea n. 191. 738. XV. XVI.
Oratio 76 - 78.
Oratoria privata 524. q. II.
Ordo Sacer 579. Dirimit matrim. 833.
Oscula n. 302. Inter sponsos 303.

## P

Parentes. Vide *Genitores.*

Parochus. Nuperus Parochus 977. q. V. Quis veniat sub nomine Parochi quoad Matrimonium. 844. Quisnam sit proprius Parochus? 845-858. 1255. Parochus ex titulo colorato 844. Intrusus (ibi). Surdus 859. Improvise deprehensus et procurans non audire 860. Quaesitus ad hoc 861.

Parochi. Eorundem obligationum gravitas 708. Indigentes Vicario vel Coadiutore 710. Curare debent ut a Parochianis amentur 711-715, et existimentur 716-720. Bonum exemplum 721. Circa propriam domum et familiam 722-728. Missa pro populo 729. 730. Parochus binans 1181. Instructio et cura puerorum 731-744. Sermo ad populum 745. Administratio Baptismi ad sacrum fontem 757. 1245. Administratio privata 758. Circa pueros Confirmationis Sacramento donandos 759. Circa Sacramentum Poenitentiae administrandum sanis 760. 761; infirmis 762. Circa SS.mam Eucharistiam in Ecclesia conservandam et administrandam 763-771. Circa Viaticum 772. Circa Extremam Unctionem 773 - 782. Assistentia moribundorum 783-791. Obligationes adimplendae personaliter 969. D. Quoad funera et ecclesiasticam sepulturam 792. 796. 1249. Circa clericos parochianos 797. Circa Matrimonium 798. (Vide *Matrimonium*). Circa adamantes 960. Circa confessionem sponsorum 962. Circa discordias sopiendas et pacem componendam 966. Quomodo se gerere debeat Parochus quoad pauperes et divites 967. Quoad correctiones et quoad scandala e medio tollenda 522. I-VII. 968.

Quoad Vicarium seu Capellanum 969. Industriae quam maxime laudabiles 970. Quoad pacem cum Sacerdotibus et Parochis conterminis servandam 271. Quoad manutentiones et quoad fructus beneficii 689. Quoad residentiam 690 - 700. Quoad archivium, statum animarum et libros ecclesiae 686. 977. D. Quoad Ecclesiam parochialem et pias confraternitates 685. Quoad testimonia bonorum morum vel paupertatis 715.

Parochialitas 1255.

Participans in furto 412. In damno 427. In contractibus de rebus ecclesiasticis 509. *h.*

Pastores quoad matrimonium 851. 1255.

Patrini. Quid si sint publici peccatores? X. In Sacramento Confirmationis 759. V. Quoad impedimentum cognationis spiritualis 830.

Pauperes quoad furta et restitutionem 369. 378. III. IV. Pauperes ficti 478. Parochus quoad illos 967.

Peccatum, eius constitutiva n. 14 - 17. — Circumstantiae reatum minuentes 18 - 21. - Mortale et veniale n. 22. 30. — Quoad speciem et circumstantias speciem mutantes 31 - 40. — Quoad numerum 41 - 50. Peccata dubia an accusanda? 1030 - 1032. 1037. Inadvertenter commissa 1049. Peccatorum causae 1120.

Pecunia ecclesiastica 1268.

Percussio iniusta 432. Percussio clerici, vel monachi, vel Episcopi. Vide *Clerici. Religiosi. Moniales. Episcopi.* Quoad absolutionem, quam concedendi iure delegato facultatem habere solent Episcopi 899. B. X.

Peregrinus quoad auditionem missae die festo 524. q. III.

Personae piae quomodo dirigendae? 1136.

Picturae obscoenae n. 240. III.

Piae congregationes cum votis simplicibus 1059. 1060. 1265.

Piae uniones seu pia sodalitia 970. N. O. P.

Plantatio 404.

Poenitentia. V. *Sacramentum Poenitentiae.*

Poenitentia sacramentalis. Vide *Satisfactio.*

Pollutio et libido directe procurata tactibus propriis n. 269. 273. Tactibus alienis. 274. In aliis 275. 233. Motus carnales cum consensu vel sine resistentia sufficienti n. 276-280. Quibus datur occasio sine periculo consensus n. 281-283. Cum periculo consensus 284-288. In personis coniugatis 315. 330. Quatenus impedire potest Communionem 769. B. C. Remedia contra vitium pollutionis 1121.

Pondus et mensura. Vide *Venditor.*

Possessor bonae fidei quoad fructus et melioramenta 390. q. II. III.

Possessor malae fidei quoad fructus, deteriorationes et melioramenta 406-411.

Praemio debito privans an teneatur ad restitutionem 474.

Praescriptio 392-400.

Praesumentes. Quando censura infligitur contra praesumentes, ignorantia crassa et supina excusat 897.

Praesumptio n. 74.

Pretium iniquitatis 502.

Probabilismus 12. III. 13. — Probabilitas *facti* in materia iustitiae 475 q. II. 507. v. c. — Varia systemata 1111. A-C. Usus horum systematum in praxi 1111. D. E. Circa sigillum 1142.

Proclamationes Matrimonii quoad matrimonia mixta 870.

Procuratores 988.

Procurantes abortum. Vide *Abortus.*

Promiscuitas carnium et piscium 525. q. IV. 15° d. 339.

Promissio 498-500. Promissio Matrimonii. Vide *Sponsalia.* Causans impedimentum dirimens n. 839.

Propositum 1021-1024.

Protestantium templa adeuntes quoad excommunicationem 880. I.

Prudentia Confessarii n. 11. Quoad mulieres. Varii casus 1083. III. E - G. Circa interrogationes 1088. 1089. Ne poenitens aliquid reticeat 1091 - 1103. Ne in malitiam coniiciatur 1099. Circa usum opinionum 1111. E. III. IV. - Pro casu in quo poenitens sit in bona fide 1112. 1113. Quoad remedia assignanda 1116 - 1125. Circa poenitentiam sacramentalem 1130. Circa decisiones datas ab aliis Confessariis 1133. IV. Circa sigillum et usum scientiae confessionis 1152 et seqq. Circa restitutiones exequendas ( ibi 19 ). Circa petitionem consilii ( ibi 20 ).

Pubertas quoad matrimonii celebrationem. Vide *Aetas*.

Publica honestas ex sponsalibus 828. Ex matrimonio rato 829.

Publici peccatores. Si Communionem in Ecclesia petant 667. Quoad Viaticum 772. 4. Quoad Extremam Unctionem 778. 779. Sepulturam 793. Quoad officium patrini 757. X.

Pueri quomodo instruendi 731 - 744. Pueri moribundi quoad Viaticum 772. M. Quoad Extremam Unctionem 775.

## Q

Quasi - domicilium quoad matrimonium 847. 1255.

Quarta funebris 1249. 795.

## R

Radices peccatorum 1120.

Raptus 319. 320. In matrimonio 804. Quoad censuram 898. VI.

Ratum habens, quoad censuras 879. VII.

Recipientes bona Ecclesiastica sine beneplacito Ap. 897.

Reconciliatio cum inimico n. 196. q. V.

Rectores ecclesiarum 658. 761. A. F.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendam executionem etc. litterarum Apostolicarum, quoad excomm. 880. VIII.

Redemptio censuum 893. Beneficiorum 882. d.

Reductio fructus censuum 894. Missarum. 507. V. f.

Religiosi. Essentia status religiosi 671. Votum castitatis 673. Votum Obedientiae 674. Observantia Regulae. Retentio habitus. Recitatio divini officii 675. Clausura 676. 1240. Votum paupertatis 677. 1137. IV. Quoad donationes 501. A - E. Quoad Sacramenta et verbi divini praedicationem 679. Religiosus ad Episcopatum promotus 680. Religiosi dispersi 681. Quoad successiones et testamentum (ibi). Religiosi saecularizati 682. Privilegia Regularium 683. Piae congregationes cum votis simplicibus 684. Religiosi quoad privilegium canonis 881. II. Quoad administrationem Viatici vel Extremae Unctionis personis saecularibus 881. XIV. Pro casu in quo commiserint peccatum in sua religione reservatum, et confessionem faciant apud Sacerdotem non sui Ordinis 899. B. XVII.

Remedia a Confessario assignanda 1115 - 1127.

Reparatio damnorum 368. 523. q. VIII. Principia generalia 418 - 422. Regulae speciales circa mandantes, consulentes, participantes et non impedientes 423 - 429. 1179. Propter homicidium 430 - 432. Stuprum 433. Fornicationem 439 - 466. Adulterium 467. 473. Violationem iustitiae distributivae aut vindicativae 474. 475. Fraudationem tributorum 476. 477. Fictionem paupertatis 478. Defectiones in officio 216. 479. Rem inventam 480 - 483. Beneficium male obtentum 976. 977. De fructu industriae 484 - 486. De contractibus 487 - 513. Vide *Emptio, mutuum, promissio, donatio, contractus de rebus illicitis, contractus de rebus debitis, contractus de rebus sacris, testamenta, successiones ab intestato.*

Reparatio famae n. 206 - 208.

Reparatio scandali n. 249 - 252.

Reparatio defectuum, qui in audiendis confessionibus commissi fuerint 1155.

Repetitio confessionum. Vide Confessio generalis.

Reservatio 1061. Ius reservandi quibus competat? ibi III. Reservatio excessiva an valeat? ibi III. Conditiones ut peccatum censeri debeat reservatum, ibi V. Peccatum commissum cum ignorantia, vel oblivione reservationis, ibi VI. Quid si extradioecesanus vel Religiosus exemptus confiteatur peccatum reservatum? ibi VII - IX. Quid de vagis? ibi X. Quid de reservatione pro articulo mortis? ibi XI. Impediti quominus ad Superiorem se conferant, quoad casus papales, ibi XIII. Quoad casus episcopales XIV. Recursus ad S. Poenitentiariam pro casu Episcopali, ibi XVI. Petitio facultatis ad absolvendum a reservatis, ibi XVII. et XXV. Regulae pro interpretanda hac facultate, ibi XX - XXIV. Facta confessione apud Superiorem, sed non integre, aut invalide, vel sacrilege, utrum cesset reservatio? ibi XXVI. Poenitens dimidiate auditus et remissus ad inferiorem XXVII. Culpa et poena absolventis a reservatis sine delegatione, ibi XXVIII. Reservatio quoad Moniales 1137. IX. Facultates Vicarii Generalis, Canonici Poenitentiarii et Parochorum 1052. IV - VI.

Reservatio excommunicationum 879. VIII - XIII.

Residentia quoad Episcopos, Parochos, Canonicos etc. 690 - 700.

Res inventae 480. III. 3.

Resistentia motibus carnalibus n. 279. 280.

Restitutio 368. 369. Causae quae possunt excusare a restitutione. Impotentia 372 - 374. Remissio creditoris 376 - 379. 1131. y. Debiti extinctio 380. Nocumentum creditoris vel tertiae personae 381. Rei debitae interitus 382 - 384. Debiti incertitudo 385 - 387. Absentia culpae theologicae 388 - 390. Compositio Pontificia 391. Praescriptio 392. 400. Gradus culpae in omissione restitutionis 401 - 403. Quid restituendum 404. Quantum restituendum 405 - 412. Restitutio in solidum 412. Quando restituendum 413. 414. 379. III. Cui restituendum 415.

417. Quibus mediis restituendum 416. Propter bona Ecclesiastica a Demanio empta 415. IX. Quo ordine restituendum, ubi de *graduatoria* 415. X. Administratores locorum piorum erogantes aliquid contra mentem fundatorum 475. IV. Propter fraudes in contractibus 490. In venditione 491. q. IX. De acceptis pro re iam debita 505. Ob simoniam 506. q. VIII. IX. Ob testamentum impeditum 511. III. Ob manutentiones neglectas, vel superflua Beneficii male expensa aut in haereditatem acquisita 689. 14. M. Ob distributiones canonicales indebite perceptas 707. III. Ob lucrum perceptum ex revenditione fundi ecclesiastici 889. Prudentia in indicenda restitutionis obligatione si poenitens sit in bona fide 1113. B. C. Vide etiam n. 1131. y.

Reticentia peccatorum in confessione ex verecundia 1091.

Retractatio 206. 250. 523. q. VIII. Noxii consilii 1179.

Revalidatio matrimonii 955-957. 1252. 1253. 1274.

Reus denegans delictum 523. q. VII.

Revenditio bonorum ecclesiasticorum 509. *d.*

Rubricae 627. Consuetudines et abusus 628. Circa SS.mum Sacramentum 629. I. Circa Communionem et Viaticum II. Circa supellectiles et vasa sacra III. Circa candelas IV. Altare V. Ecclesiam VI. Organum, musicam et cantum VII. Reliquias VIII. Baptisterium IX. Confessionem X. Oleum Sanctum XI. Commendationem animae XII. Benedictionem in articulo mortis XIII. Matrimonium XIV. et n. 870. 944. 954. 1239. Benedictiones XV. Missam 631-639. Missas de requie, in die obitus, tertia, septima, trigesima, anniversariis etc. 640. Rectores Ecclesiarum, speciatim quoad vinum pro Missis 640. Sacerdos coecutiens, vel assistentia vel dispensatione indigens 643. 1280. Missa, foemina inserviente 644. Qua hora Missae celebrari possint? 645. Tempore Missae Parochialis 646. In oratoriis privatis 646. Binatio 647.

## S

Sacerdotes. Eorum confessiones quomodo sint excipiendae? 1138. Casus difficioliores quoad Sacerdotes sanatoriis indigentes 1277; excommunicatos 1278; suspensos 1279; irregulares 1280.

Sacramentum Poenitentiae. Eius essentia 990. Contritio 991-1020. Propositum 1021-1024. Confessio quoad integritatem materialem 1025-1042. Examen conscientiae 1043-1046. Confessio quoad integritatem formalem 1047. 1048. Materia libera 1049. Satisfactio adimplenda 1051. Iurisdictio ex officio 1052. Iurisdictio ex iure, consuetudine vel privilegio 1053. Iurisdictio delegata 1054. Pro Monialibus 1055-1060. Reservatio 1061. Casus complicis 1062-1081. Obligatio audiendi confessiones 1082. Confessio annua 545. Vide etiam *Officia Confessarii*. Advertentiae speciales pro Parochis 761, et circa poenitentes infirmos vel moribundos 762.

Sacrilegium n. 120. 121. - reale 122. 123. - locale 124-127 - personale 128-131. - Si sit in materia turpi 322.

Salutationis negatio n. 196. q. IV.

Sanatio matrimonii in radice 959. 1274.

Sanatoria 507. V. h. 1277.

SS.mum Sacramentum. V. Eucharistia.

Sanctificatio diei festi n. 132-167. 1177.

Sartor quoad fructus industriae 486.

Satisfactio imponenda vel commutanda 1130. 1051. VIII. Acceptanda et adimplenda 1051. Quid si confessio fuisset invalida? 1051. VII. Quid si poenitens poenitentiae iniunctae oblitus fuisset? 1051. IX. In confessionibus generalibus 1131. Z.

Scandalum n. 227-230. Directum 232-235. Indirectum 236-242. Quoad gravitatem 243-245. Quoad circumstantias speciem mutantes 246-248. Causae excusantes n. 239. Reparatio scandali 249-252. Scandalum genitorum erga filios 979. IV. D. et 240. II.

Scandala quae a Parochis e medio auferri debent 968.

Schismatici, quoad excommunicationem 880. III.

Scholae 1121.

Scrupuli 1136. XXI.

Secretum commissum 973. Quoad medicos, et obstetrices 889. G.

Sectarius quoad excommunicationem 881. IV. Quoad absolutionem 899. B. XV. 1258. Sectarius moribundus. V. *Moribundus.*

Sectae 1121.

Senes quoad matrimonii celebrationem 810.

Sepultura ecclesiastica 792 - 794. 1247 - 1251 - 1276.

Sequestrantes bona ecclesiastica 1257.

Sermones impudici 307 - 312.

Scienda de necessitate medii et praecepti n. 54 - 60.

Scientia Confessariorum n. 5 - 10. 1161.

Sigillum confessionis 1139. Materia sigilli 1143-1148. Violatio directa 1150. Violatio indirecta 1152. Locutiones imprudentes vel molestae 1154. De sigillo servando cum ipso poenitente 1155. Poenae contra sigillum violantes 1160. An praeter Confessarium alii quoque ad sigillum teneri possint? 1159. nota.

Signa periculi mortis 762. D. mortis vicinae 785.

Simonia 506. Quoad excommunicationem 881. VIII. x.

Simulatio 523. q. IX.

Sodomia propria n. 265. Impropria 267. Inter coniuges 324.

Sollicitatio. Vide *Confessarius sollicitans.*

Spado quoad matrimonii celebrationem 811.

Sponsalia. Conditiones ut valeant 443 - 451. Causae ob quas dissolvuntur 452-466. Iuxta legem civilem 798. VI. Consequentiae practicae (ibi). Impedimentum matrimonii 862.

Species peccatorum 31-40. 1105. VI. Quomodo accusandae? 1034. Quomodo a Confessario inquirendae? 1105. VI-x.

Specificatio 404.

Spes n. 72 - 75.

Sponsus qui sponsalia contraxit cum duabus et cum secunda peccavit 457.

Sponsi quoad oscula et amplexus 303. Quoad fornicationem cum aliis 316.

Spurius 511. V.

Statuae obscoenae n. 240. III.

Status gratiae qualiter necessarius in administratione Sacramentorum, contactu SS.mae Eucharistiae, et aliis sacris functionibus 626.

Status particulares. Clerici 579 - 670. Regulares 671 - 684. Rectores Ecclesiarum 685. Administratores bonorum ecclesiasticorum 686 - 688. Beneficiati 689. Habentes obligationem residentiae 690 - 700. Episcopi 701. 702. Canonici 703. Parochi 708 - 971. Vide *Parochi*. Praedicatores 752. Examinatores synodales 972 - 973. 1275. Concurrentes et nuperi Parochi 974-977. Vicarii seu Capellani 978. Genitores 979. Filii 980. Coniuges 981. Domini 982. Famuli 983. Iudices 984. Iurati 986. Advocati et Procuratores 988. Medici 939. Confessarii 1084-1172. Confessarii monialium 1137.

Status liber quomodo examinandus in Curia 834. 876-878.

Steriles. Vide *foemina sterilis*.

Stipendium Missae 507. In casu binandi 507. IV. *Petes*. 1181. Si non fuerit determinatum ab oblatoribus 507. VII. e. Si Missae committantur aliis celebrandae, stipendium imminui nequit 507. VII. g. Excommunicatio pro collectione Missarum ex fine lucri 881. XII. Vide *Bibliopolae*.

Studium Confessariis necessarium 1161.

Stuprum 317. 318. Quoad reparationem damnorum 433 - 438.

Successiones ab intestato 512. Quoad Religiosos 681. Stante matrimonio solum ecclesiastico aut solum civili 512. III. 788. 1187.

Suicidium n. 177. 178. Quoad sepulturam 793. 2. 1176.

Superior non impediens subditos ne afferant damna 429. q. II. Quoad correctionem 521. 522.

Superstitio n. 112 - 119. Coniuncta cum haeresi vel idololatria, interdum absolvi potest ab Episcopo iure delegato 899. B.

Surdus - mutus, quomodo instruendus 744. Quoad confessionem 1048. VI.

Suspensio ad modum censurae; ad modum poenae ex informata conscientia; ad cautelam; suspensus toleratus et non toleratus; effectus suspensionis; absolutio vel cessatio suspensionis; facultates Episcoporum quoad ferendas suspensiones 1279.

## T

Tactus proprii corporis n. 277. Sine necessitate 292. 293. Cum necessitate 294 - 296. Cum persona diversi sexus sine necessitate 297. Cum necessitate vel fine honesto 298. Adulterini vel fornicarii 315. Incestuosi 321. Cum persona eiusdem sexus 299. Cum bruto 300. Tactus non facti sed permissi 301. Tactus, oscula, amplexus etc. inter coniuges 331.

Tempore pestis, quoad administrationem Sacramentorum 762. 5. An etiam simplices Sacerdotes accurrere teneantur? 1082.

Tentationes 1136. XIX.

Testamentum 511. 791. In favorem uxoris civilis, vel filiorum ex solo matrimonio civili procreatorum 1187. VI. Interpretationes nonnullarum dispositionum 511. VI. Testamentum informe 511. IX. Ad causas pias 511. IX. *e.* 790. 1186. Quoad Religiosos 681.

Testes mendaces in iudicio 523. q. VIII. Quoad matrimonium 859

Textrix se compensans 349, Cas. IV.

Thesauri 480.

Transactio circa bona ecclesiastica, an sit alienatio? 885.

Tributa iniusta vel taxas immodicas imponentes an teneantur ad restitutionem? 474.

Tributorum fraudatio 476. 477.

Trituratio tritici ope machinae ( *trebbiatrice* ) die festo 1177.

Tonsura 598.

Typographi imprimentes libros prohibitos 880. II. 1269.

## U

Ursolinarum institutum 970. P.

Ususfructus relictus *durante coelibatu aut viduitate. vel donec cum filiis steterit* 511. VI. *f.*

Usus matrimonii. Vide *Coniuges.*

Usus scientiae confessionis 1157.

Usura 492-497. Restitutio propter usuras 378. VII.

Usurpatio bonorum Ecclesiae. Vide *Bona ecclesiastica*

Uteri inflammatio 1121.

Uxor debitum denegans 335-346. Se compensans 349. Cas. V. Propter matrimonium civile non celebratum 1181. Aliquid sumens clam 364. Cas. III. 369. VIII. Vide *Copula matrimonialis.* Uxor legitima et uxor civilis quoad successionem in bonis mariti sive testamentariam sive ab intestato 1187.

## V

Vagus quoad auditionem Missae die festo 524. q. III. Quoad matrimonium 850. 856.

Vectigalium praepositi muneri suo non satisfacientes an teneantur ad restitutionem? 474.

Venatio clericis prohibita 664.

Venditio 487-491. Mercis vitiatae 488. *All' asta* 491. q. III. F. *A respiro* 491. q. III. 4.

Venditor se compensans 349. Cas. III. 491. q. XI. Iniustus in pondere et mensura 369. X. v. *Quid.*

Verba ambigua 523. q. V.

Verbera n. 194. IV.

Viaticum 772.

Vicarius generalis quoad peccata reservata 1052. IV.

Vicarii perpetui vel amovibiles quoad matrimonia 844.

Vice-Parochus quomodo eligendus? 969. Eius obligationes 978.

Vicinus contra vicinum se compensans 360. II.

Vindicta n. 194. VII. VIII. Quoad excommunicationem canonis 881. II.

Vidua quoad legitimam 511. IV. Quoad successionem ab intestato 512. I. III. 1187.

Violentas manus iniicientes in clericum vel monachum 881. II. V. *Clerici*, *Religiosi*. *Moniales*. *Episcopi* et *Percussio Clerici*.

Violantes clausuram. Vide *Clausura*.

Virgines Deo devotae 970. P.

Viri quomodo excipiendi a Confessario? 1134.

Vis et metus. Vide *Metus*.

Visitatio pastoralis. Vide *Episcopi*.

Vocatio divina 596. 1235.

Vulneratio 432.

Votum n. 107-111. An transeat ad haeredes? n. 111. VIII. Violatio voti n. 111. et 130. Votum solemne dirimens matrim. 832. Votum simplex, impedimentum impediens 863. Votum castitatis in saeculo quomodo permittendum 1136. XVII. Dispensatio vel commutatio huius voti 930. K.

## Z

Zelus Confessariorum 1-2. 1168. Parochorum 970.

FINIS INDICIS ALPHABETICI.

# INDEX PROGRESSIVUS


INTRODUCTIO . . . . . pag. 1
PARS I. De Scientia Confessarii . . . . . » 5
SECTIO I. De necessitate scientiae . . . . . » ibi
SECTIO II. De scientia remota, nempe de iis quae circa leges et peccata sciri debent . . » 9
CAPUT I. Exponuntur nonnulla principia generalia » ib.
Art. I. Principia generalia de legibus . . . » ib.
Art. II. Principia generalia de peccatis . . » 14
Punct. I. De essentia peccati . . . . . » ib.
Punct. II. De peccato mortali et veniali . . » 18
Punct. III. De modo distinguendi varias peccatorum species et circumstantias speciem mutantes . . . . . » 21
Punct. IV. De modo distinguendi numerum peccatorum . . . . . » 27
CAPUT II. Agitur in particulari de Divinae Legis praeceptis . . . . . » 32
Art. I. De primo Decalogi praecepto . . . . » ib.
Punct. I. De Fide . . . . . » ib.
§ I. De addiscendis ex necessitate sive medii sive praecepti . . . . . » 33
§ II. De Fide nunquam neganda . . . . . » 34
§ III. De Fide nullo modo offendenda . . . » 36
§ IV. De Fide exercenda et profitenda , . » ib.
§ V. De Fide cautissime custodienda . . . » 38
Punct. II. De Spe . . . . . » 39
Appendix. De Oratione . . . . . » 40
Punct. III. De Charitate erga Deum . . . » 41

Art. II. De secundo Decalogi praecepto . . . pag. 44
Punct. I. De blasphemia et vana usurpatione SS.mi Dei nominis . . . . . » ib.
Punct. II. De Iuramento . . . . . » 47
Quaestio I. Quid sit iuramentum? . . . . » ib.
Quaestio II. Quomodo peccari possit in iuramento emittendo? . . . . . » 48
Quaestio III. Quomodo peccari possit in iuramento non servando? . . . . . » 51
Punctum III. De voto . . . . . » 53
Punctum IV. De superstitione . . . . . » 58
§ I. De inordinationibus quae in cultu Dei accidere possunt . . . . . » 59
§ II. De cultu Daemoni praestito . . . . » 60
Punctum V. De Sacrilegio . . . . . » 66
§ I. De sacrilegio reali . . . . . » 67
§ II. De sacrilegio locali . . . . . » 68
§ III. De sacrilegio personali . . . . . » 70
Art. III. De tertio Decalogi praecepto . . . » 72
Punctum unicum. De operibus, a quibus die festo abstinere oportet . . . . . » 74
Quaestio I. Quaenam sint hac in re principia generalia? . . . . . » ibi
Quaestio II. Quaenam sint causae legitimae quae ab operibus servilibus excusant? . » 75
Prima causa. Necessitas sive publica sive privata » ibi
Secunda causa. Occasio lucri extraordinarii . » 82
Tertia causa. Charitas . . . . . » ibi
Quarta causa. Pietas . . . . . » ibi
Quinta causa. Dispensatio . . . . . » 83
Art. IV. De quarto Decalogi praecepto . . . » 84
Punctum I. De obedientia parentibus debita . » ibi
Punctum II. De reverentia parentibus debita » ibi
Punctum III. De amore quo filii parentes prosequi debent . . . . . » 85

Art. V. De quinto Decalogi praecepto . . . pag. 88
Punctum I. De suicidio et de aliis malis quae quis sibi ipsi infert . . . . . » ibi
Punctum II. De homicidio propriae dicto, et de aliis iniuriis contra personam proximi » 90
§ I. De homicidio . . . . . » ibi
§ II. De abortu . . . . . » 91
§ III. De dilectione proximi . . . . . » 96
Punctum III. De homicidio civili, seu de iniuriis contra famam proximi . . . . » 103
§ I. De detractionibus quae reatum contra iustitiam includunt . . . . . » ibi
§ II. De detractionibus quae continent dumtaxat reatum contra charitatem . . . » 109
§ III. De illis qui detractionem audiunt . . » 111
Appendix. De iudiciis, suspectibus et dubiis temerariis . . . . . » 113
Punctum IV. De homicidio spirituali, seu de scandalo . . . . . » 116
§ 1. De scandalo proprie dicto . . . . . » 117
Quaestio I. Quandonam accidat scandalum directum? . . . . . » ibi
Quaestio II. Quandonam accidat scandalum indirectum? . . . . . » 119
Scandalum quod ex factis suapte natura malis provenit . . . . . » ibi
Scandalum quod ex factis suapte natura speciem mali habentibus provenit . . . . » 124
Scandalum quod ex factis suapte natura bonis et speciem boni habentibus provenit . . » ibi
Quaestio III. Quandonam scandalum sit peccatum mortale? . . . . . » ibi
Quaestio IV. An et quomodo circumstantiae speciem mutantes in scandalo adesse possint? . . . . . » 126

Quaestio V. Ad quid teneantur scandalosi? pag. 128
§ II. De cooperatione . . . . . » 132
Quaestio I. Quandonam cooperatio ex fine cooperantis illicita sit? . . . . . » ibi
Quaestio II. Quandonam cooperatio ex malitia operis praestiti illicita sit? . . . . . » 133
Quaestio III. Quandonam cooperatio tamquam omnino licita habenda sit? . . . . . » 134
Art. VI. De praeceptis sexto et nono . . . . » 138
Punctum I. De peccatis luxuriae quae sumunt speciem dumtaxat a diverso modo laedendi castitatem . . . . . » ibi
§ I. De actibus qui luxuriam continent essentialiter . . . . . » 139
Casus I. De concubitu, non servata specie humana . . . . . » ibi
Casus II. De concubitu, non servato sexu debito . . . . . » 140
Casus III. De concubitu, servato quidem sexu debito, sed extra matrimonium, nempe de fornicatione . . . . . » 141
Casus IV. De concubitu, non servato vase debito . . . . . » 143
Casus V. De concubitu, non servato modo debito » ibi
Casus VI. De pollutione et impudicitia. . . » 144
De pollutione et impudicitia, quam quis directe quaerit . . . . . » ibi
De impudicitia et pollutione, cui quis consentit » 147
De impudicitia, cui quis non sufficienter resistit . . . . . » 149
De impudicitia, cui quis aliquâ suâ actione ex alio fine factâ occasionem praebet sine periculo consensus . . . . . » 150
De impudicitia, cui quis occasionem praebet cum periculo consensus . . . . . » 153

Casus VII. De complacentia, desiderio, voluntate et gaudio rerum venerearum in personis solutis . . . . . pag. 154
§ II. De actibus qui ad luxuriam quidem spectant, sed non essentialiter . . . . . » 157
Casus I. De tactibus impudicis aut minus pudicis . . . . . » ibi
De tactibus in corpore proprio sine necessitate » ibi
De tactibus in corpore proprio cum necessitate » 158
De tactibus cum persona diversi sexus sine necessitate . . . . . » 160
De tactibus cum persona diversi sexus ex necessitate vel fine honesto . . . . . » 161
De tactibus cum persona eiusdem sexus . . » ibi
De tactu cum bruto . . . . . » ibi
De foemina quae non tangit, sed tactus patitur » 162
Casus II. De osculis et amplexibus cum persona diversi sexus . . . . . » ibi
Casus III. De aspectibus impudicis aut minus pudicis . . . . . » 163
Casus IV. De sermonibus impudicis . . . . » 165
Casus V. De lectionibus et comoediis impudicis . . . . . » 169
Casus VI. De cogitationibus turpibus aut periculosis. . . . . » ibi
Punctum II. De peccatis quae non solum castitatem, sed alias quoque virtutes offendunt. . . . . » 170
Adulterium . . . . . » ibi
Stuprum . . . . . » 171
Raptus . . . . . » 172
Incestus . . . . . » 173
Sacrilegium . . . . . » 174
Punctum III. De licitis et illicitis inter coniuges . . . . . » 175

De sodomia inter coniuges . . . . . pag. ibi
De onanismo inter coniuges . . . . . » 176
De delectationibus venereis inter coniuges . » 178
De tactibus, osculis, amplexibus, nuditatibus, aspectibus et sermonibus inter coniuges . . . . . » 179
De copula coniugali . . . . . » 181
Punctum IV. De debito coniugali . . . . . » 191
Quaestio I. Quomodo usus coniugii sub obligatione cadat? . . . . . » ibi
Quaestio II. Quaenam causae debiti denegationem legitimam reddant? . . . . . » 193
Art. VII. De septimo et decimo Decalogi praeceptis . . . . . » 204
Punctum I. De compensatione aliisque ablationibus minime iniuriosis . . . . . » ibi
§ I. De compensatione . . . . . » ibi
Quaestio I. Quaenam conditiones exigantur ut compensatio sit iusta? . . . . . » ibi
Quaestio II. Quaenam aliae conditiones exigantur ut compensatio sub quovis respectu licita sit? . . . . . » 218
§ II. De aliis ablationibus rei alienae minime iniuriosis . . . . . » ibi
Quaestio I. Quandonam ablatio non sit iniuriosa, eo quod dominus non sit invitus » 219
Quaestio II. Quandonam ablatio non sit iniusta, eo quod dominus quamvis sit invitus, talis tamen non sit rationabiliter? . » ibi
Punctum II. De furto . . . . . » 224
§ I. De furto quoad gravitatem: principia generalia . . . . . » ibi
Regulae speciales pro casibus in quibus a sola quantitate materiae et conditione personae spoliatae furti gravitas aestimatur . » 225

Regulae speciales pro casibus in quibus furtum ex levi grave evadere potest . pag. 226
Regulae speciales pro casibus in quibus e contra furtum ex gravi leve evadit . . » 228
§ II. De furto quoad circumstantias quae speciem mutant vel numerum augent . . » 232
Punctum III. De restitutione ob furtum . . . » 234
§ I. De causis quae a restitutione excusare possunt . . . . . » ibi
Prima causa - Impotentia . . . . . » ibi
Secunda causa - Remissio creditoris . . . » 239
Tertia causa - Debiti extinctio aut creditum subortum . . . . . » 242
Quarta causa - Nocumentum creditoris vel tertiae personae . . . . . » ibi
Quinta causa - Rei debitae interitus . . . » 243
Sexta causa - Debiti incertitudo . . . . . » 246
Septima causa - Si res absque culpa theologica ablata et consumpta fuerit. Item si possessor bonae fidei ex re possessa fructus perceperit . . . . . » 252
Octava causa - Compositio Pontificia . . . » 254
Nona causa - Praescriptio . . . . . » ibi
§ II. De gradu culpae in omissione restitutionis » 258
§ III. De legitimo et convenienti restitutionis modo . . . . . » 260
Quid restituendum ? . . . . . » ibi
Quantum restituendum ? . . . . . » 262
Quando restituendum ? . . . . . » 267
Cui restituendum ? . . . . . » 268
Quibus mediis restituendum ? . . . . . » 274
Punctum IV. De aliis damnis proximo allatis eorumque reparatione . . . . . » 276
§ I. De principiis generalibus circa damnificationem . . . . . » 277

Regulae speciales circa mandantes, consulentes, participantes et non impedientes pag. 283
§ II. De quibusdam damnificationibus magis practicis . . . . . » 287
Homicidium . . . . . » ibi
Stuprum . . . . . » 289
Fornicatio . . . . . » 292
Adulterium . . . . . » 306
Violatio iustitiae distributivae aut vindicativae » 308
Fraudatio tributorum . . . . . » 310
Fictio paupertatis . . . . . » 312
Defectiones in officio . . . . . » ibi
Res inventae . . . . . » 313
Fructus industriae . . . . . » 317
§ III. De quibusdam contractibus in quibus frequentius iniustitiae occurrunt . . . » 320
Emptio - venditio . . . . . » ibi
Mutuum . . . . . » 341
Promissio . . . . . » 344
Donatio . . . . . » 345
Contractus de rebus illicitis . . . . . » 350
Contractus de rebus debitis . . . . . » 351
Contractus de rebus sacris . . . . . » 353
§ IV. De testamentis et successionibus . . . » 376
Appendix - De eleemosyua et correctione fraterna . . . . . » 389
De eleemosyna . . . . . » ibi
De correctione fraterna . . . . . » 393
Articulus VIII. De Octavo Decalogi praecepto » 406
Caput III. De Praeceptis Ecclesiae . . . . . » 419
Articulus I. De auditione Missae in festis de praecepto . . . . . » ibi
Articulus II. De abstinentia a carnibus extra ieiunium . . . . . » 426
Articulus III. De Ieiunio ecclesiastico . . . » 438

Punctum I. De ieiunantibus . . . . . pag. 438
§ I. De quantitate alimentorum . . . . . » ibi
§ II. De hora refectionis . . . . . » 442
§ III. De qualitate alimentorum . . . . . » 443
§ IV. De gradu culpae in violatione ieiunii » 445
§ V. De numero peccatorum in violatione ieiunii » ibi
Punctum II. De non ieiunantibus . . . . . » 446
Quaestio I. Quibusnam in casibus ieiunii obligatio non adsit? . . . . . » ibi
Casus in quibus exemptio totalis locum habet . » ibi
Casus in quibus exemptio locum habere potest, sed non facile totalis . . . . . » 449
Quaestio II. Qui ratione aetatis, laboris, aut infirmitatis a ieiunio excusantur, ad quid tenentur? . . . . . » 453
Quaestio III. An qui ieiunium totaliter aut perfecte servare nequit, illud partialiter aut eo modo quo potest, servare debeat? » 454
Quaestio IV. Quid in dubio an ieiunandum vel a carnibus abstinendum sit? . . . . . » 455
Quaestio V. Quid de ieiuniis localibus? . . » 457
Quaestio VI. Quid de dispensatione a ieiunio? » 458
Articulus IV. De annua confessione . . . » 459
Articulus V. De Communione paschali . . . » ibi
Articulus VI. De libris prohibitis . . . . » 464
Articulus VII. De denunciatione haereticorum » ibi
Articulus VIII. De denunciatione Confessarii sollicitantis . . . . . » ibi
Punctum I. Exponitur lex Ecclesiae quae hanc denunciationem praecipit . . . . . » ibi
Punctum II. Explicatur quandonam sollicitationis substantia vere adsit . . . . . » 466
Punctum III. Explicantur clausulae quae verificandae sunt ut sollicitatio iuxta Pontificias constitutiones denuntiari debeat . » 471

§ I. De sollicitatione in actu confessionis pag. 471
§ II. De sollicitatione in loco confessionis . » 477
Punctum IV. Agitur de illis sollicitationibus, quarum initium in actu vel loco confessionis, poenitente non advertente, ponitur, et solum postea malitia apparet . » 480
Punctum V. Agitur de nonnullis aliis circumstantiis quae in sollicitatione exiguntur, ut denunciationis onus, vi Bullae, imponi debeat. . . . . » 482
Punctum VI. Agitur de obligatione, quam Confessarius habet, admonendi poenitentem ut Sacerdotem sollicitantem denunciat . » 486
Punctum VII. Explicatur quomodo denunciatio peragi debeat . . . . . » 491
Punctum VIII. Agitur de causis quae a denunciatione excusare possunt . . . . . » 495
Punctum IX. Agitur de iis qui peractae sollicitationis notitiam quidem habent, sed ipsi personaliter sollicitati non fuerunt. » 498
Punctum X. Agitur de obligatione denunciandi Sacerdotem delinquentem extra casus in Pontificiis Constitutionibus comprehensos » 501
Caput IV. De statibus particularibus . . . . » 502
Articulus I. De personis ecclesiasticis . . . . » ibi
Punctum I. De Ordinibus digne suscipiendis . » ibi
§ I. De statu gratiae et intentione satisfaciendi muneribus quorum obligatio suscipitur . » ibi
§ II. De immunitate ab irregularitatibus . . » ibi
§ III. De vocatione divina . . . . . » 509
Punctum II. De iis quae Clericis praecipiuntur » 518
§ I. De habitu et tonsura . . . . . » ibi
§ II. De coelibatu . . . . . » 519
§ III. De officii divini recitatione . . . . » ibi
§ IV. De sacris functionibus rite peragendis » 537

§ V. De Sacrosancto Missae Sacrificio. . pag. 547
§ VI. De servitio Ecclesiae praestando . . » 561
§ VII. De sanctitate vitae et studio . . . » 562
§ VIII. De obedientia Episcopo debita . . » 563
Punctum III. De iis quae Clericis vetantur . . » 564
Punctum IV. De statu religioso . . . . . » 570
Punctum V. De Rectoribus Ecclesiarum . . . » 589
Punctum VI. De administratoribus bonorum ecclesiasticorum. . . . . » 592
Punctum VII. De Beneficiatis . . . . . » 596
Punctum VIII. De Ecclesiasticis residentiae obligationem habentibus . . . . . » 604
Punctum IX. De Episcopis. . . . . » 612
Punctum X. De Canonicis . . . . . » 625
Punctum XI. De Parochis . . . . . » 633
§ I. De gravitate obligationum quibus Parochi onerantur . . . . . » ibi
§ II. Satagat Parochus ut Parochianorum amorem sibi procuret . . . . . » 635
§ III. Parochus curabit ut a Parochianis suis valde existimetur . . . . . » 639
§ IV. Parochus bonum exemplum praebeat . » 641
§ V. De iis quae Parochus circa propriam domum et familiam observare debet . . » 642
§ VI. De obligatione orandi divinumque Sacrificium pro populo applicandi. . . . » 644
§ VII. De instructione et cura puerorum. . » 645
§ VIII. De sermone, quem Parochus ad populum diebus festis habere debet . . . » 653
§ IX. Quomodo se gerere debeat Parochus circa Sacramenta . . . . . » 666
De Baptismo ad sacrum fontem administrando. » ibi
De Baptismo in necessitate privatim conferendo » 671
De Confirmatione . . . . . » 676

De Sacramento Poenitentiae quatenus ad Parochum spectat . . . . . pag. 678
De SS. Eucharistia in Ecclesia conservanda et administranda . . . . . » 697
De SS. Eucharistia infirmis administranda . » 713
De Extrema Unctione . . . . . » 722
Appendix I. De moribundis usque ad mortem assistendis . . . . . » 728
Appendix II. De funeribus et de ecclesiastica sepultura . . . . . » 733
De Ordine Sacro . . . . . » 741
De Matrimonio . . . . . » 743
Instructiones magis necessariae quae circa Matrimonium populo tradi debent . . . . » ibi
In tractatibus matrimoniorum quoad personae electionem Parochus se ingerere non debet . . . . . » 744
Parochus cognoscere debet impedimenta dirimentia . . . . . » 745
Error . . . . . » 747
Metus . . . . . » ibi
Raptus . . . . . » 749
Impotentia . . . . . » 750
Aetas . . . . . » 755
Consanguinitas . . . . . » ibi
Affinitas . . . . . » 761
Publica honestas . . . . . » 767
Cognatio spiritualis . . . . . » 770
Cognatio legalis . . . . . » 771
Votum solemne . . . . . » 772
Ordo . . . . . » 773
Ligamen . . . . . » ibi
Cultus disparitas . . . . . » ibi
Crimen . . . . . » 774
Defectus solemnitatis seu clandestinitas . . » 780

Parochus cognoscere debet etiam impedimenta impedientia . . . . . pag. 794
Sponsalia . . . . . » 794
Votum simplex . . . . . » ibi
Mixta religio . . . . . » ibi
Incestus . . . . . » 797
Vetitum particulare . . . . . » 798
Ignorantia Cathechismi . . . . . » ibi
Consensus . . . . . » 800
Fides status liberi . . . . . » ibi
Excommunicatio . . . . . » 802
Peccatum mortale . . . . . » 844
De proclamationibus Matrimonii celebrationi praemittendis . . . . . » ibi
De obligatione impedimenta denunciandi . . . » 847
Quomodo se gerere debeat Parochus, proclamationibus iam peractis . . . . . » 848
Quid sciendum aut faciendum a Parocho casu quo dispensatio ab aliquo impedimento peti atque executioni demandari debeat . » 849
Quid si post missas preces incestus, vel copula quae affinitatem causavit, renovetur? . » 867
Quid faciendum a Parocho casu quo, dum omnia ad proximam vel immediatam matrimonii celebrationem sunt disposita, impediendum detegeretur . . . . . » 868
De tempore et loco matrimonii celebrandi, eiusque ritu . . . . . » 871
Quomodo se gerere debeat Parochus, si forte, matrimonio iam contracto, aliquod impedimentum dirimens detegatur? . . . » 873
De nonnullis aliis, quae a Parocho circa matritrimonium adverti debent . . . . . » 876
§ X. Quomodo se gerere debeat Parochus ad discordias sopiendas et pacem inter inimicos componendam? . . . . . » 880

§ XI. Quomodo se gerere debeat Parochus quoad pauperes? . . . . . pag. 881
§ XII. Quomodo se gerere debeat Parochus quoad divites? . . . . . » 885
§ XIII. Quomodo se gerere debeat Parochus circa correctiones, et speciatim circa scandala e medio tollenda? . . . . . » ibi
§ XIV. Quomodo se gerere debeat Parochus quoad Vicarium, seu (ut nos dicimus) Capellanum? . . . . . » 887
§ XV. De nonnullis rebus valde laudabilibus, quae a Parochis vero zelo praeditis cum magno fructu adhiberi solent . . . . » 889
§ XVI. Quomodo se gerere debeat Parochus erga Parochos conterminos aliosque Sacerdotes? . . . . . » 893
Punctum XII. De Examinatoribus synodalibus aut pro-synodalibus . . . . . » 894
Punctum XIII. De concurrentibus et nuperis Parochis . . . . . » 899
Punctum XIV. De Vicariis seu Capellanis . . » 904
Articulus II. De Personis saecularibus . . . » 905
Punctum I. De obligationibus parentum erga filios . . . . . » ibi
Punctum II. De obligationibus filiorum erga parentes . . . . . » 910
Punctum III. De obligationibus coniugum . . » 911
Punctum IV. De obligationibus dominorum . . » 912
Punctum V. De obligationibus famulorum . . » 913
Punctum VI. De officio Iudicum . . . . . » 914
Punctum VII. De Iuratis . . . . . » 915
Punctum VIII. De Advocatis et Procuratoribus » 916
Punctum IX. De medicis . . . . . » 917
Sectio III. De scientia proxima, nempe de iis, quae circa Sacramenti Poenitentiae ad-

ministrationem a Confessariis omnibus sciri debent . . . . . pag. 919
Caput I. De essentia Sacramenti Poenitentiae . » ibi
Caput II. De actibus poenitentis . . . . . » 921
Articulus I. De contritione . . . . . » ibi
Articulus II. De proposito . . . . . » 934
Articulus III. De confessione . . . . . » 939
Punctum I. De integritate materiali, seu de accusandis necessario, nisi iusta causa excuset . . . . . » ibi
Appendix. De examine conscientiae . . . . » 953
Punctum II. De integritate formali, seu de confessione plus vel minus dimidiata, quae iustis de causis interdum licet . . . . » 954
Punctum III. De materia libera et mere sufficienti . . . . . » 959
Punctum IV. De nonnullis aliis advertendis circa confessionem . . . . . » 960
Articulus IV. De Satisfactione sacramentali, quatenus a poenitente acceptari et adimpleri debet . . . . . » ibi
Caput III. De Ministro . . . . . » 966
Articulus I. De Ministro ante confessionem. . » ibi
Punctum I. De Iurisdictione . . . . . » ibi
§ I. De iurisdictione quae provenit ex officio » ibi
§ II. De iurisdictione quae provenit ex dispositione iuris, consuetudine vel privilegio . . . . . » 967
§ III. De iurisdictione delegata . . . . . » 970
§ IV. De iurisdictione speciali pro Monialibus » 973
§ V. De reservatione. . . . . » 975
§ VI. De iurisdictione sublata quoad complicem . . . . . » 994
Punctum II. De obligatione audiendi confessiones . . . . . » 1013

Punctum III. De sollicitudine, quam debet habere Confessarius officium suum (adiuvante Deo) bene exercendi; et quomodo omnes ab ipso excipiendi sint libenter pag. 1013
Articulus II. De ministro actu confessionis . . » 1020
Punctum I. Principia generalia. . . . . » ibi
Punctum II. De interrogationibus . . . . . » 1021
§ I. De obligatione interrogandi. . . . . » ibi
§ II. Regulae principales circa interrogationes » 1023
§ III. De interrogationibus quae fiunt ad consulendum bono poenitentis . . . . . » 1024
§ IV. De interrogationibus quae fiunt ad consulendum bono Sacramenti . . . . . » 1034
Punctum III. De Poenitente instruendo et circa suas obligationes admonendo . . . . » 1049
§ I. De ponderatione adhibenda ut neque circa factum neque circa ius errores accidant . » ibi
§ II. De regulis servandis quando poenitens affert casum, circa quem apud Theologos diversae adsunt opiniones. . . . . » 1050
§ III. De poenitente eruendo a mala fide, quando in ea est ex conscientia erronea . » 1058
§ IV. De poenitente a bona fide eruendo, vel in ea relinquendo, quando ex conscientia erronea credit esse licitum quod revera illicitum est . . . . . » ibi
§ V. De poenitente circa principalia Fidei mysteria instruendo . . . . . » 1064
Punctum IV. De remediis assignandis. . . . » 1065
Punctum V. De exhortatione facienda . . . . » 1073
Punctum VI. De absolutione danda, differenda, aut deneganda . . . . . » 1076
Punctum VII. De poenitentia sacramentali imponenda aut commutanda . . . . . » 1077
Punctum VIII. De Confessione generali . . » 1083

Punctum IX. De forma et ritu . . . . . pag. 1099
Punctum X. De nonnullis aliis in administratione Sacramenti Poenitentiae observandis . . » 1100
Punctum XI. De advertentiis specialiter adhibendis quoad varia poenitentium genera » 1101
§ I. Quoad viros . . . . . » ibi
§ II. Quoad foeminas . . . . . » 1102
§ III. Quoad personas pias . . . . . » 1103
§ IV. Quoad Moniales aliasque foeminas in communitatibus degentes . . . . . » 1122
§ V. Quoad Sacerdotes . . . . . » 1129
Articulus III. De ministro post confessionem . » 1131
Punctum I. De sigillo . . . . . » 1132
§ I. De legibus quae sigilli fractionem prohibent . . . . . » ibi
§ II. De materia sigilli . . . . . » 1133
§ III. De variis modis violandi sigillum . . » 1143
De violatione directa . . . . . » ibi
De violatione indirecta . . . . . » 1144
§ IV. De quibusdam loquendi modis, qui sigilli violationem includere, aut ad illam proxime accedere possunt . . . . . » 1153
§ V. De silentio servando cum ipso poenitente, et de reparandis defectibus in confessione commissis . . . . . » 1156
Punctum II. De usu scientiae confessionis . . » 1161
Punctum III. De poenis propter sigilli violationem a iure statutis . . . . . » 1169
Appendix. De necessitate studii et de modo studendi . . . . . » ibi
PARS II. De bonitate Confessarii . . . . . » 1172
Caput I. De statu gratiae qui exigitur dum confessiones excipiuntur . . . . . » ibi
Caput II. De maxima convenientia quod Confessarius habituali bonitate exornetur . » 1173

Articulus I. De bono exemplo et de puritate conscientiae . . . . . pag. 1175
Articulus II. De zelo quo Confessarius ardere debet . . . . . » 1176
Articulus III. De castitate Confessariis quam maxime necessaria . . . . . » 1179
Articulus IV. De magno timore Dei, quem Confessarius habere debet; et de diffidentia sui ipsius . . . . . » 1180
Articulus V. De quibusdam aliis virtutibus Confessario necessariis . . . . . » 1181
Articulus VI. De mediis a Confessario adhibendis ut habituali sanctitate et virtutibus sibi adeo necessariis exornetur . . » 1183
Revisio huius operis . . . . . » 1185
Index alphabeticus . . . . . » 1257

FINIS.

693



239.02
B.451
4844

BERARDI Aemilius

AUTHOR
Praxis Confessarium

TITLE

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER |
|---|---|---|
| AUG 4 | Nof | |
| P 24 | McEnaney | |

4844